

THEOLOGIAE CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,
ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPAE CATHOLICAE,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICE CONFLATUS,

*Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis*

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECAE CLERI UNIVERSAE,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIAE ECCLESIASTICAE RAMOS EDITORE.

TOMUS SECUNDUS

DE VERA RELIGIONE. VARIE APPENDICES. CENSURE
DE L'ÉMILE PAR LA SORBONNE.

28 vol. Prix : 158 fr.

EXECUTEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

HOOKE.

De verâ Religione (pars prima).

THEOLOGIA ROTOMAGENSIS.

Appendix prima : Præjudicia adversus incredulitatem.

VALSECCHI.

Appendix secunda: Specimen historię religionis, et hostium et bellorum adversus eam;

IDEM.

Appendix tertia : De fontibus impietatis.

THEOLOGIA ROTOMAGENSIS.

Appendix quarta : De Religione naturali.

VALSECCHI.

Appendix quinta : De possibilitate et necessitate Revelationis

THEOLOGIA ROTOMAGENSIS.

Appendix sexta : De notis Revelationis.

Appendix septima : De Religione primitivâ.

FACULTÉ THÉOL. DE LA SORBONNE.

Censure du livre intitulé *Emile ou de l'Education.*

INDEX RERUM.

DE VERA RELIGIONE.

Per religionem naturalem intelligimus collectionem officiorum omnium, sive erga Deum, sive erga seipsum et alios homines, quæ ex consideratione divinæ naturæ et conditionis humanæ, ratione investigari et concludi possunt (1). Oportet itaque in hoc opere de religionis naturalis principis, 1° Dei naturam et ejus

nobiscum relationes explicare; 2° hominis dotes, vires et conditionem naturalem exponere. 3° officia ex hominis cum Deo, seipso et aliis hominibus naturali necessitudine profuentia evolvere. Prima pars theologiam naturalem, secunda moralem philosophiam, tertia universi juris naturalis elementa continebit.

Pars prima.

THEOLOGIA NATURALIS.

Hæc de Deo disquisitio tota tribus questionibus continetur: an sit? quis sit? quid agat? Quas tribus sectionibus de Dei existentia, natura, et providentia explicabimus.

SECTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

Expositio Atheismi.

Commune est hoc omnium atheorum principium, universitatem rerum, sensum quoque et

(1) In sensu generali Religio exprimit societatem Deum inter et hominem, quorum mutuas complectitur relationes. Quippe Religio notionem legis essentialiter implicans, eo ipso Legislatoris, nempe Dei existentiam atque subditorum arguit, determinatque tum superioris jura, tum officia inferiorum. Intelligenda est ergo Religio veluti hujus societatis constitutio, eas relationes, jura scilicet prædicta et officia exhibens, definirique potest: *Legislatio divinæ societatis inter Deum et hominem, ipsa eorum relationes constitutione exprimens, suis legibus jura determinans et officia.* Porro ex istis relationibus, juribus et officiis, aliæ rationi proportionatæ ejus lumine perspicuntur, legesque constituunt naturalem, alia verò nativum ejusdem rationis captum superantes, nonnisi revelatione seu divinâ externâ innotescunt manifestatione: neque inde concludas duplicem ideò religionem, aliam naturalem

intelligendi vim, non à providâ quâdam naturâ profectam, sed per naturalem commotionem, seu efficientiam æternæ et ratione carentis matris, generatam fuisse. Verum in definiendâ matris naturâ, et rerum originibus explicandis magna inter illos dissensio est.

1° Anaximander, philosophorum qui Deum sustulere, forsitan antiquissimus, materiam æternam et infinitam esse statuebat, atque in se spectatam, nec generationi, nec corruptioni, obnoxiam: partes quidem ejus mutari, totam esse immutabilem. Ex hujus matris naturali motu et qualitatibus, nimirum frigore, calore, humiditate, siccitate, etc., quas et gigni posse et des-

existere, aliam supernaturalem; namque revera partes sunt ejusdem Religionis, diversi verò quoad intellectum humanum generis; quod sedulo notat evolvitque Theologus Lugdunensis: « Notandum, inquit, legem naturalem seorsim sumptam, non posse dici Religionem, ita ut hæc sint religiones, quarum altera lege naturali, altera revelatione contineatur, altera naturalis.... altera supernaturalis, seu revelata; sed unicam esse Religionem, quæ ex lege naturali simul et revelatione coalescit: adeo ut, sive legem naturalem observet homo, sive veritates solâ revelatione cognitâ firmâ fide teneat, unius et ejusdem Religionis actus exerceat.

« 1° Enim vera quælibet Religio cum omnem cultum complectitur, quem Deus nobis præscribit, ut ipsi grati simus, vitamque æternam con-

trui docebat, cuncta, quæ conspicimus aut experimur, prognata affirmabat. Ista autem formas seu qualitates, entia realia esse docebat, à magnitudine, figurâ, situ, motu, quiete, aliisque materiæ primariis affectionibus realiter diversa; atque ad harum formarum classem, vitam quoque animalem, sensum atque rationem referebat: et eam ob causam ab Aristotele notatus est, quòd contraria ex eodem principio derivaret. Infinitos assererat generari mundos, qui corrupti in infinitatem naturæ redeunt.

2° Leucippus verò et Democritus, cùm intelligerent Anaximandri philosophiam de formis substantialibus, nascentibus et intereuntibus, nullo modo posse consistere cum isto principio, atheorum omnium arce: *Ex nihilo nihil fit, et in nihilum nil potest reverti*, sustulerunt prædictas formas substantiales, et materiam in figuras atque ato-

sequamur: atqui unica est huiusmodi Religio, nec alia est quàm Christiana: duplcis quidem generis officia continet, nempe alia quæ dicta ratio naturalis, et alia quæ per solam revelationem cognoscimus; ex duplici autem illo officiorum ordine non exoritur duplex Religio, naturalis una, et supernaturalis altera, seu revelata; alioqui per alterutram seorsim sumptam, Deo totus redderetur quem exigit cultus: quod tamen nemo dicere ausit. Numquid enim Deum, ut patet, colere censeretur, qui totum obsequium ipsi debitum coerceret intra legis naturalis adimplentionem, vel intra veritates solâ revelatione cognitâs?

2° Id verè e cujuslibet Religionis proprium est, ut homini subministret quiddam subsidii requiritur, ut Deo placeat: atqui non ita profectò se habet lex naturalis; ad eam quippe non pertinet fides: atqui *sine fide impossibile est placere Deo*, ait Apostolus (Hebr. 11, 6). Idem passim testantur sancti Patres, et præsertim Augustinus: « Nos, inquit, ea quæ videntur opera bona dicimus non esse verè bona sine fide; quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide non potest esse. » (*Lib. 4 contra Julian. num 51, tom. 10, pag. 609.*) Ergo, cùm non sufficiat lex naturalis, ut Deo placeamus, veram Religionem constituere sola non potest.

3° Maximè novella est legis naturalis in Religionem naturalem conversio, nullumque sive in Scripturis, sive in Patribus habet fundamentum. Si enim singulas Ecclesiæ ætates perstraveris, nullum ante seculum XVIII reperias scriptorem ecclesiasticum, qui legem naturalem venerando Religionis nomine decoreret. Quin etiam in recentibus scriptis ecclesiasticâ auctoritate munitis nusquam apparet nuperum religionis naturalis vocabulum.

Itaque pro certo tenemus unicam esse Religionem veram, nempe christianam, quæ licet præcepta legis naturalis contineat, supernaturalis tamen est: tum quia legis naturalis officia, *sicut oportet*, ut aiunt Patres, observare nequeunt

mos omnis generis, angulares, rotundas, Leves, asperas, hamatas, curvatas, aduncas secuerunt; quas ex infinito tempore in immenso et inani spatio volitasse et concursasse assererant: ex quo factum est, ut multiplici ratione cohererint inter se, et post varios impetus, factâ quasi conspiratione, in unum aut plures vortices coeherent. Postremò, post infinitas complicationes et explicationes, molitiones et periculationes, cùm mille formas et figuras nunc induissent, nunc exuissent atomi, illum rerum complexum extitisse, quem hodiè conspicimus (1). Epicurus, qui Democriti philosophiam suis inventis auxit, in atomis primis rerum principiis duplicem motum inesse voluit: alium perpendicularem, ortum à naturali pondere corpusculorum; alium declinationis in aliquibus. Quippe, si atomi omnes lineâ rectâ deorsum semper caderent, fieri nullo modo potuisset, ut in infinito spatio ato-

sine fide in Christum; siquidem non est in a'io aliquo salus, *nec enim aliud nomen est sub celo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri* (Act. 4, 12); tum quia necesse fuit ut legis naturalis cognitionem, quam variâ hominum cupiditates maximâ ex parte obscuraverant, Deus per externam revelationem manifestaret. Hinc clarissimum illud cleri Gallicani testimonium in celeberrimo anni 1700 Comitii: « L'Eglise Catholique a toujours été persuadée que la Religion chrétienne consiste dans la foi et les mœurs; que les dogmes qui fixent la foi et ceux qui régient les mœurs ont la même source, et que les préceptes qui nous apprenent à bien vivre, appartiennent à la foi. » Hii sapientissimi præsales, nullâ factâ religionis naturalis mentione, unicam admittunt Religionem, nempe Christianam, quam in moribus et fide ita sitam esse dicunt, ut et ipsæ morum regulæ ad fidem et revelationem pertineant.

Haud aliter sentiunt omnes Theologi quorum plures eam Religionis naturalis appellationem apertè suggillant, ut videre est apud Bergier, *Dictionn. verbo Relig. naturelle*, Theolog. Rotomagensis, cujus verba legenda sunt; vide ad calcem huius voluminis, § 5, de *Rel. Nat.* Ibid. laudabimus alia verba, nempe Theol. Tolosan, quibus haud infelici conatu conciliari tentat catholicos in oppositas opiniones circa Religionem naturalem abeuntes.

Nunc ad tractatum nostrum ut redeamus: doctrinâ de Deo ejusque providentiâ primam traditâ, seu objecto fundamentali Religionis stabilita, jam specialitè cum auctore eam in suâ constitutione ex existentia expendimus.

Sed operæ pretium erit profectò plurima de doctrinâ et indole incredulorum tum ex Theologiâ Rotomagensi, tum ex opere Valsecchi de *Fundamentis Religionis* decerpta referre. — Vid. ad calcem voluminis.

P. S.

(1) Lucr. lib. 5, v. 417.

mus una aliam unquam attingeret; sed ut guttæ imbris, secundum lineas parallelas decedentes, nunquam in moles majores concrevisset, At atomi à motu perpendiculari paululum declinantes et in vicinas incidentes, cum illis coalescere, variisque concretionibus originem præbere poterant (1) : ex hæc etiam atomorum quarundam declinatione ortum docebat libertatem.

Ii philosophi communi consensu mundum ortum habuisse, et habiturum interitum statuabant.

3° Est sententia, quam Strato olim invenisse dicitur. Ille cum nullo modo intelligeret, qui ex motu oriri sensus et intelligentia possint, materiam omnem naturaliter, et vitam et naturali efficientia præditam asseruit, et habere quædam initia motus, sensus rationis et consilii : etiamsi motum, sensum, rationem et consilium non semper et naturaliter habeat. Ista ergo vita materiae insita, non animalis est, quæ adjunctam habeat conscientiam, sed genitrix, et hæc habet virtutem, ut quælibet materiae portio, vel in seipsa procreare, vel ex alterius materiae actione varias animorum dotes accipere valeat, tametsi rationem et consilium nunquam adhibeat. In hac opinione, ut in superioribus, quoniam non est communis quædam vita, quæ toti universitati leges ferat, fortuna seu casus multum valet. Nam ille materiae particulae insitam vim haud exerunt nisi occasione variarum concursationum et implicationum quæ fortuito contingunt. In hoc verò differt à præcedentibus, quòd præter casum, etiam vim genitricem à motu diversam adhibeat. Ii philosophi vulgò cum Stratone mundi tenebant aeternitatem, sed illum maximis conversionibus obnoxium faciebant.

4° Denique Stoici quidam, cum ex fortuita atomorum concursione, aut vi materiae particulae insita et communi lege soluta, oriri mundi speciem tantam minime potuisse putarent, toti huic universitati rerum inesse voluerunt naturam quandam artificiosè omnia disponentem, at ratione sensuque vacuam : mundum porrò non dissimilem esse plantarum atque arborum, quem natura communis quædam incolat fietrix et genitrix, quæ viâ atque ordine, quamvis nec sensum nec intelligentiam habeat, cuncta explicet et generet, partes suas ita nunc disponat, ut sensus ex illarum coagmentatione nascatur, qualis in brutis est animantibus; nunc eo modo, ut ratio et iudicium, quibus valent homines,

existant (1); in hac opinione omnis tollitur casus, et mechanismi immutabilis legi cuncta subijciuntur.

Qui hæc tenebant sententiam, alii mundum æternum et incorruptibilem, alii in tempore ortum et interitum statuabant, ut patet ex his verbis Senecæ : « Nam si vel certum sit materiae similem esse hunc mundum, sive à natura quâdam consilii experte, at augendi et procreandi potentia instructa, regi atque gubernari; id tamen non impedit, ne ortu quodam generatus et exitio obnoxius hæbeat : nec idem obstat quominus certâ quâdam et constanti lege ab ortu ejus ad interitum administrari omnia putentur, ipsæque illæ eluviones et exustiones terrarum, quæ nonnunquam evenerint, vel eventuræ sint in posterum, à natura ejus moderatione et gubernatione proficisci judicentur (2). »

Diversam ab his quatuor atheismi formam nec in scriptis philosophorum reperias, nec per mentem fingere possis. Nam si quis Deum tollere velit, necesse est doceat nullam naturam intelligentem universitati rerum præesse, atque quidquid sensus et rationis est, id nihil esse nisi materiae affectionem. Jamverò qui materiam intelligentiâ carentem unicum statuit principium, istam materiam aut prorsus mortuam et inertem credere debet, aut ei aliquam vitæ formam tribuere. Prius si probet, iterum vel ad formas substantiales, vel ad figuras et atomos confugiat necesse est. Sin posterius eligat, aut unam tantum ejus modi vitam per totam materiae molem fusam esse defendere debet, aut ponere omnem materiam, per se vitam quandam continere, ita ut nulla particula propria vitâ careat.

Inter atheos nullo modo numerandi sunt illi Stoici, qui universitatem rerum animal esse dixerunt in quâ sicut et nostris corporibus, sensus insit, consilium, ratio et anima quædam moderatrix rerum omnium : quam opinionem exposuit Cicero l. 2 de Nat. Deorum; et Virg. Georg. l. 4, v. 219; et Æn. l. 6; Seneca in Qu. Nat. l. 2, cap. 45. Ii enim philosophi, etsi hæc universitate rerum omnia contineri, Deumque ignem mundi hujus partem finxerint, attamen cum illum ignem, omnia permeantem, perfectissimâ ratione præditum, et ab eo cuncta primum constituta cum consilio et ejus provi-

(1) Lucr. lib. 2, v. 217.

(1) Cic. de Nat. Deor. l. 2, c. 32.

(2) In Quæst. Nat. l. 2.

dentia eadem constanter administrari docuerint, potius naturam Dei male intellexisse quam Deum sustulisse dicendi sunt. « Jovem intelligebant antiqui, eundem quem nos, inquit Seneca, custodem rectoremque universi animi ac spiritum, mundani hujus operis domini, artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? non errabis: hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices: est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconsultus eat et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris: ipse enim est totum quod videt, totis suis partibus inditus, et se sustinens vi sua. » Qu. Nat. l. 3.

Nec sunt etiam inter atheos numerandi ii omnes qui mundi aeternitatem tuerentur: plerique enim eorum, quibus hoc dogma placuit, non modò esse Deum confitebantur, sed argumentis ex divinà naturà sumptis hanc opinionem confirmabant, ut Aristoteles et Platonici recentiores. Ut atheistica impietatis reus quis sit, necesse est, ut statuat mundi, non tantum originem aeternam esse, sed necessariam quoque et independentem ab intelligente aliquà naturà. Verum ad atheorum classem illi omninò pertinent, qui nomine reliquerunt deos, divinas perfectiones sustulerunt. Nempe qui naturas præstantiores hominibus existere fatebantur, sed illas cum totà universitate rerum ex Oceano vel ex Chao prodiisse in initio asserbant; ex quo consequitur interire eosdem posse, etsi poete genitos illos deos immortalitate donare consueverint (1). (Vide Cudworthi Syst. Intell. Stanlei. Hist. Phil.)

In refellendis sigillatim variis atheorum hypothesisibus haud immorabimur, quòd in probandà divinì numinis existentia, ista omnia eorum principia plena esse vanitatis simus ostensuri. solius Spinosæ systema, cui quamdam dedit auctoritatem novitas et forma geometricè elaborata, curiosius expendemus et directè confutabimus, in fine hujus disputationis.

CONFUTATIO ATHEISMI.

Triplacis generis argumenta hoc loco vulgò

(1) Hæc breviori notâ agnoscendi sunt veri athei, si nimirum divinam Providentiam rejiciant, quidquid præterea sub hoc nomine Dei admittere videantur.

distinguantur: alia moralia dicuntur, ex hominum utilitatibus, consensione, sensibus interioribus, et historiâ petita. Alia physica nuncupantur, quæ arripimus ex rerum, quibus constat mundus, naturis, operationibus, dispositione et constantiâ. Alia denique metaphysica vocantur, sumpta æmpe ex nostræ mentis conceptibus et ideis. Nos eandem divisionem sequemur, sumpto initio ab illis rationibus, quæ sunt minùs à vulgi intelligentiâ sensuque disjunctæ.

ARGUMENTA MORALIA.

PRIMUM. — *Ab utilitate Religionis, seu agnitionis existentia et providentia Dei.*

Quamvis hoc argumentum ab utili ductum non conficeret directè Deum existere, valet certè ad alienandos ab atheismo animos, et impiorum hominum revincendam perversitatem, qui nullis nisi rationibus, homines summis commodis, quæ habet adjuncta Religio seu agnitio numinis, spoliare contendunt. Valebit etiam ad confirmandam Dei existentia suspensionem naturaliter, ipsis fatentibus atheis, mentibus inditam; nam sicut benè concluditur ex supposità existentia Dei, ejus agnitionem utilem hominibus esse oportere, quia sub imperio justissimi et sanctissimi numinis, utilitas et pietas divisa esse non possunt; sic vice versâ ex pietatis manifestâ utilitate, Dei existentia augurium legitimum capimus: sub Dei imperio rem ita esse necesse est; tolle Deum, et nullam causam habes, cur agnitio numinis tantarum utilitatum causa existat. Præterea, absurdum maxime videtur homines per hoc esse felices, vel feliciores, quòd errent, per hoc esse miseros, quòd sapiant: nam non est probabile naturam indigere, ut beata sit, aliquo sibi contrario et repugnante, qualis est error, aut miseram effici ex eo quòd est maxime secundum appetitum, qualis est veritas. Attamen, si agnitio numinis ad hominum utilitatem, tum privatam, tum publicam, conferat, si sit necessaria ad salutem societatis civilis, hæc omnia tam absurda ab atheis admittenda sunt: errorque, qui est aegritudo quedam animi, ad hominis felicitatem plus quàm aliud quidquam conferet, imò ad optimum ejus statum erit necessarius. Neque dixerint athei multoties contingere ut errores habeant utilitatem sibi adjunctam, et regna falsis religionibus consistere: est nam apud eos, qui falsis religionibus vivunt et consueverunt, est non so-

lūm falsa religio, sed est aliud simul verissimum naturæ dīclamen, à quo falsa religio totam vim suam salutarem accipit, videlicet, *vivendum esse cum religione*; quod si abesset, nec ipse falsæ religiones, neque regna consisterent aut perdurarent (1).

Homo in vario vitæ statu considerari potest, vel in conditione privatâ divisus à cæteris hominibus, vel in societate naturali sorte nascendi cum aliis conjunctus, vel in confederatione civilī: interesse hominis Deum existere in quolibet statu triplici propositione conficiemus, contra Cardanum, Hobbitum et Baylium, quorum duo priores Religionem, hominibus noxiam, tertius inutilem, seu non necessariam, scripsit.

PROPOSITIO PRIMA.

Interest hominis esse Deum.

PROBATIO. — Nam, 1^o agnitio numinis nobis aperit ordinem rerum maximè cupiendum, atheismus in scenam immitit tristitiâ et horrore plenam. Quipè theismus nobis exhibet in rerum universitate rectorem sapientem, benevolū, beneficū, propter infinitas virtutes summè amabilem, cujus optimis et sanctissimis decretis cuncta primitim constituta perpetuo ordine decurrunt. Atheismus verò statuit tenere principatum vim quamdam infinitam sine ratione, sine consilio, sine benevolentia, temerè et sine lege cientem motus necessarios. Quāto ergo prestat sapientiâ cæcitati, benignitas et beneficentia temeritati, ordo confusioni, gratissima concordia tristissimæ anarchiæ, tantò gravior est aspectus religionis. 2^o Theismus amplificat naturam hominis et auget ejus dignitatem; atheismus vilissimam et abjectam efficit. Siquidem ille suadet nos divinam sortitos originem cum optimo parente Deo, cum ente infinitè perfecto habere quamdam sui similitudinem et cognationem, atque esse quædam illius simulacra: quo nihil potest esse illustrius. In atheismo originem vilem et fortuitam habemus, nihilque sumus, nisi acervus atomorum, quarum si commissuræ dissolvantur, tum vitam nostram omnem interire necesse est. 3^o Theismus adjunctam habet securitatem, summam spem atque solidam felicitatem; quæ omnia tollit atheismus. Ille quidem securitatem aufert, quia docet op-

(1) Falsæ religiones simulque cum ipsis regna steterunt, vi atque beneficio veritatum erroribus permixtarum, quas ex primitivâ revelatione habuit, traditione rationisque dictamine servarunt homines. Illæ verò sunt in quarum gratiam unanimitas moraliter populorum consensus invocatur.

limi parentis ditione cuncta contineri, ejusque beneficam erga bonos voluntatem, propter infinitam sapientiam atque potentiam, nunquam suis finibus frustrari. In atheismo, ubi tenet imperium fortuna, securitas nulla esse potest: hanc habes perpetuam expectationem juxta Lucretium (1):

Dicitis dabit ipsa fidem res:

*Forsitan et graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes.*

Deinde in religione, etiāsi adversâ utamur fortunâ, habemus in spe divini præsidii maxima fortitudinis et constantiæ adminicula, quia, ut ait vetus poeta (2),

*Omnia sunt speranda, nec insperabile quidquam;
Cuncta Deus peragit facile et nil impedit ipsum.*

In atheismo omne bonum nostrum in illis rebus situm est, quæ nec in nostrâ sunt posita potestate, nec nos ullo modo curant, et tantum homines in ærumnis et hujus vitæ casibus ab atomis auxilii et opis sperare possunt, quantum quis solatii à sevâ quâdam procellâ et turbine expectaverit, aut à commodo quodam mari, cujus nequeunt violenti fluctus exorari: præfacienda est illa naturæ Deum spontè in ærumnis advocantis vox:

*Dī, prohihete nūnas; dī, talem avertite casum (1),
à quâ ipse Lucretius, vi naturæ domitus, temperare loco laudato non potuit:*

*Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans,
Et ratio potius quàm res persuadcat ipsa,
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.*

Afferit denique agnitio numinis solidam felicitatem, quia spem injicit non esse hujus mortalis ævi limitibus finitam vitam hominum, extremum diem nostrum, non extinctionem, quam refugit natura, sed commutationem tantum loci afferre, æternique diei natalem esse. Atheis è contrario horrenda mortis expectatio esse debet, et omnes eorum lætitiâs inficere, qui in eâ putant omnia interire, atque post exantillatâ vitæ labores nihil hominis manere præter extinctionis malum sempiternum.

4^o Tandem agnitio Dei excitat ad omnes virtutes: atheismus vitiorum laxat habenas. Sed virtutis infinita sunt commoda: exornat mentem, pacem et tranquillitatem animis ingenerat, adjungit nobis alios homines. Vitiatorum infinita incommoda sunt: mentis corporis-que habitum,

(1) L. 5, v. 105.

(2) Linus apud Jam. de v. Pyth. c. 28.

(3) Virg. A.n. l. 3, v. 263.

corrumpunt, animum ægritudinibus elidunt, alios homines à nobis alienos efficiunt, et naturali efficientiâ eorum contemptum atque odia excitant, ut alio loco exponemus. Habet ergo agnitionis numinis hæc omnia commoda; atheismo ad hærent ista incommoda.

Objicies. Nihil magis hominum interest quam habere animum metu vacuum, et plenissimâ frui libertate: hæc hominum summa felicitas est. Atqui agnitionis numinis metum injicit hominibus et libertatem tollit: « Quis enim ferat, ut ait Velleius apud Ciceronem, impositum ceræ vicibus suis sempiternum dominum, quem dies et noctes timeat; omnia providentem, et cogitantem, et animadvertentem, et ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii Deum? »

Respondeo 1^o: Nego maj. Nam societatem civilem hominibus utilem esse et necessariam factentur athei; at per leges civiles metus hominibus injicitur, et minuitur libertas. Non omnis ergo metus aut libertatis immunitio malum est. Tunc profectò metus malum non est, ubi est salutaris, et frenum quod injicit voluntati est necessarium, ubi illa molestia, quam affert metus, suspenditur aliis multis et magnis utilitatibus. Atqui ille metus, quem habet religio adjunctum, salutaris est: avocet voluntatem à vitiiis, quorum maximè noxia est natura; excitat ad omnes virtutes, quarum infinita sunt commoda, et Epicurus et Lucretius confessi sunt. Et illa molestia, quam affert, penè suspenditur et vincitur illis omnibus utilitatibus, quas in conclusione enumeravimus.

Respondeo 2^o: Nego min.. 1^o quia non est proprius effectus agnitionis Dei metus turbulentus, uti supponunt athei, sed potius suavem jucundamque spem mentibus ingenerat. Siquidem Deus non est formidolosum numen abutens, more arbitrario vel ex necessitate, infinita potentia. Sed natura est sapiens et beneficus, infinita potentia utens ad beneficiendum, quantum patitur ordo æternus rerum, seu incommutabiles earum rationes. E contrario atheismus horrorem habet adjunctum, quia forma atheistica potentia est infinita, cians motus necessarios, sine lege et sine benignitate, quæ hunc admirabilem conspectum rerum convertere in tenebrosa tartara unico momento poterit, et intolerabilia mala inopinatò nobis omnibus procreare. Si ab hoc metu immunes sunt athei, id habent ex insità naturis hominum fiducia erga mundi rectorem, et ex experientia benefolorum ejus consilium, quam nature totius

vocem tacite sequuntur, dum dictis abjurant (1). 2^o Quia metus ille turbulentus ægritudines pariens, non omnes, sed improbos tantum afficit, confitentibus Epicuro et Lucretio, qui exinde conclusere non posse jucundè vivi, nisi honestè vivatur. At hujus, ut alterius omnis rei, judicium à natura præstantissimam sumendum est, hoc est, à bonis. His spontè enascitur ex sensu numinis jucunda beatæ æternæque vitæ expectatio; atheismus improborum et sceleratorum hominum perflugium est.

PROPOSITIO II.

Agnitio Numinis societatis naturalis vinculum necessarium est.

PROBATIO. — Nam 1^o, sine Deo nulla sunt hominum adversum se mutuò officia naturalia. 2^o Nulla saltem ad ea quæ vocamus officia, præstanda obligatio perfecta esse potest.

1^o Atheistica impietas tollit mutua hominum erga se officia: nam hæc officia fundantur, vel in naturali et immutabili boni atque mali moralis discrimine, vel in istà lege insità nature hominum et in omnes diffusà, cujus inventorem et latorem Deum, naturam momentem, omnes putamus. Sed sublato Deo, tollitur essentialè discrimen inter bonum et malum morale, uti confessi sunt veteres athei, Protagoras (1), Heraclitus; et inter recentiores, Hobbius et Spinosus: quodque modò conficiemus in argumentis metaphysicis. Tollitur etiam cum legislatore Deo lex nature, et nulla vitæ regula relinquitur præter ejusque libidinem, quam belli facem, non pacis vinculum, esse experimur; et docent Hobbius (5) et Spinosus (4), quorum doctrina moralis ad hæc principia revocatur: « Nullam esse in animis nostris æquitatem aut benevolentiam erga alios, sed libidinem dominandi et cupiditatem esse unicam hominum regulam.... Jus omne situm esse in potentia, obligatio nem in imbecillitate, et cuique licere facere quodcumque et in quoscumque liberit; et adeoque nihil injustum fieri, nullam injuriam inferri posse. Virtutem idcirco omnem rem vanam esse, nec præcellere fidem per-

(1) Silent athei quos interim plerique expeririuntur remorsus. De his fusiùs infra cum auctore, ubi de speculativis atheis dicemus.

P. S.

(2) Vide Plat. in Theæt.

(3) L. de Cave et Leviathan.

(4) Tract. Theol. pol. c. 16.

« fidie, clementiam credulitati, gratiam au-
 « mum ignavo et ingrato, modestiam impu-
 « dentiae: uno verbo nihil esse quod laudi
 « vel vitio verti possit.... Imò voluntatem
 « laedendi omnibus inesse in statu naturæ,
 « securitatis viam meliorem scire neminem
 « anticipatione; idecirò in statu naturæ, ho-
 « mines intentos esse in se mutò præoccu-
 « pandis, vel vi, vel fraude. Hinc sequi homi-
 « nem non esse natum ad societatem, sed
 « naturaliter existere inter homines bellum
 « omnium adversus omnes. » En nativa athei-
 « smi principia, ab omnibus atheis fermè, sive
 « veteribus, sive recentibus, confessa; quæ sanè
 « nullam relinquunt hominum societatem natu-
 « ralem.

2° Etiamsi atheismus relinqueret discrimen
 inter bonum et malum, notionem aliquam officio-
 rum, certè tolleret omnem obligationem
 perfectam ad præstanda illa officia. Nam ob-
 ligatio quatenus distinguitur ab ipso sensu offi-
 cii sui, est necessitas quedam moralis benè
 agendi, orta ex consideratione nostræ utilitatis,
 quam cum honestate conjunctam credimus,
 et præsertim ex metu numinis, cui placere
 necesse judicamus, quia maximis nos præmiis
 remunerari, et poenis plectere valet. Sed athei-
 « stica impietas tollit illam necessitatem benè
 « agendi ortam ex consideratione numinis san-
 « ctissimi omniscientis et omnipotentis: tollit
 « omnem spem præmiorum, omnem metum
 « suppliciorum, siquæ honestatis et felicitatis
 « conjunctionem dirimit. Quibus omnibus sub-
 « latis, quam vim servare poterit sensus justus et
 « injustus ad jubendum vel vetandum, ad invitandum
 « vel terrendum, ad suspendendam vim
 « immoderatam appetitùs? aut quæ alia necessi-
 « tas existet, quàm contendendi ad utilitates suas
 « et felicitatem, honestate contemptà?

Objicies 1° cum Baylio (1): Athei iisdem
 afficiuntur sensibus, iisdem utuntur rationis
 principiis ac theistæ: et ideò, negatà Dei exi-
 « stentiâ, possunt servare, et reverà servant
 « sensum justum et injustum, et rerum constantes et
 « immutabiles differentias percipiunt. Atqui in
 « isto sensu justum et injustum, et perceptione dis-
 « criminis inter bonum et malum morale posi-
 « ta est natura et vis officiorum. — Respondeo,
 « atheos, si sibi non consentent, et ex suis prin-
 « cipiis sensus interiores non informant, posse

(1) Pensée diverses sur la Comète, c. 178, et
 suiv. L'addition à ces pensées, c. 4. Réponse à
 la dixième et treizième object. La continuation
 des pensées div. c. 143.

servare sensum justum et injustum, rerumque dif-
 « ferentias morales percipere, quia sublato uno
 « sensu naturali, non continuo tolluntur omnes
 « alii. Sed manifestum est hos atheos sibi non
 « constare: nam nulla actionum humanarum
 « moralitas concipi potest, sine his duobus, vide-
 « licet libertate, et sensu obligationis, qui habeat
 « hanc vim, ut nos conscientiam delicti afficiat,
 « ubi rationem non sequimur. Jam verò in atheo-
 « rum hypotesi omni, sive eâ, quæ fortunam
 « mundi reginam statuit, sive illâ, quæ fato rerum
 « administrationem committit, nulla libertas
 « esse potest. Nulla etiam obligatio propriè dicta
 « existit, quæ sine superiore obligante, et sine
 « lege jubente et vetante, vix intelligi potest, aut
 « saltem non est perfecta (1). Dictata rationis
 « respectu atheorum consilia potius sunt quæ in-
 « vitant, vel motiva naturalia ad agendum impel-
 « lentia, quàm officia, quæ propriè devinciant (2).
 « Sed demus atheos cernere posse rerum morales
 « differentias et servare sensum internum justum
 « et injustum, atque ex illis motivis moveri ad exer-
 « citationem virtutum: negamus illa motiva ul-
 « lam vim servatura respectu vulgi atheorum,
 « qui non fuerunt ingenè educati, aut quorum
 « exculta ratio non fuit. Atque id exponere verbis
 « Pomponatii philosophi abs re non erit, quòd
 « fuerit ille meritò atheismi suspectus, sed falsò
 « tamen à Baylio in patrocinium suæ sententiæ,
 « de religionis ad societatem inutilitate, adductus.

« Aliqui sunt homines ingenè et benè institu-
 « tæ naturæ, adeò quòd ad virtutem inducuntur
 « ex solâ virtutis nobilitate, et à vitio retrahun-
 « tur ex solâ ejus fœditate: et hi optimè dispo-
 « siti sunt, licet perpauci sint. Aliqui verò sunt
 « minus benè dispositi: et hi, præter nobilita-
 « tem virtutis et fœditatem vitii, ex præmiis,
 « laudibus et honoribus, ex poenis, vituperiis
 « et infamiâ, studiosa operantur et vitia fu-
 « giunt, et in secundo gradu sunt. Aliqui verò
 « propter spem altèius boni et timorem poenæ
 « corporalis studiosi efficiuntur: quare ut ta-
 « les virtutem consequantur, statuunt politici
 « vel aurum, vel dignitatem, vel aliquid tale;
 « ut vitia verò fugiant, statuunt, vel in pecu-

(1) Hæc non satis absolutè, ut nobis videtur,
 affirmat doctissimus auctor. Quippè nulla pro-
 « priè obligatio moralis sub atheismo, cum neque
 « sit ulla auctoritas legislativa ex quâ eam deri-
 « vari necesse est, nullus superior et princeps
 « eandem suâ voluntate jure imponens, sanctione-
 « que firmans. Hinc nulla propriè officia, quæ
 « sine obligatione morali concipi nequeunt, nulli
 « inferiores et subiecti. P. S.

(2) Vide infra, ubi de Lege naturali.

« niâ, vel in honore, vel in corpore, seu muti-
 « lando membrum suo occidendo, puniri. Qui-
 « dam verò ex ferocitate et perversitate naturæ
 « nullo horum moventur, ut quotidiana docet
 « experientia; ideò posuerunt virtuosos in aliâ
 « vitâ præmia æterna, virtus verò æterna
 « damna, quæ maxime terrent. Et quo-
 « niam hoc ultimum ingenium omnibus homi-
 « nibus potest prodesse, cujuscumque gradûs
 « sint, respiciens legislator pronitatem viarum
 « ad malum, intendens communi bono, sanxit
 « animam esse immortalem, non curans de ve-
 « ritate, sed tantum de probitate, ut inducat
 « homines ad virtutem. Neque accusandas est
 « politicus: sicut namque medicus multa fingit,
 « ut aegro sanitatem restituat, sic politicus apo-
 « logos format, ut cives rectificet. Si omnes
 « homines essent in illo primo gradu enune-
 « rato, stante etiam animorum mortalitate, stu-
 « diosi fierent, sed quasi nulli sunt istius dispo-
 « sitionis, quare aliis ingeniis incedere necesse
 « fuit (1). »

Objicies 2^o cum eodem (2): Animis atheorum,
 ut aliorum hominum, insitus est laudis appeti-
 tus et gloriæ cupiditas. Atqui hæc sufficienter
 movent in statu naturæ ad præstanda matua vi-
 tæ officia. — Respondeo, nego minorem. 1^o Etsi
 aliquis insit omnium hominum animis laudis ap-
 petitus, tamen apud vulgus minimam vim habere
 experientia docet, nec ullo modo suspendere
 vim cupiditatis, quâ in præsentia commoda
 ferri solet. 2^o Quia, cum favor popularis auræ
 semper adjunctus sit divitiis et potentia, appe-
 titus laudis et gloriæ magis stimulat ad has com-
 parandas, quàm ad virtutis exercitium; præser-
 tim cum præterea potentia et divitiæ cupidita-
 tum omnium explendarum media sint. 3^o Quia
 illæ affectiones non veram sinceramque virtutem,
 sed hypocrisim tantum valent procreare; à pu-
 blicis avocant sceleribus, privati laxant habe-
 nas. Quod verò reponit Baylius post Lucretium,
 metuere debere hominem gloriæ cupidum, ne
 admissa privatiu scelera in somno vel febris
 æstu patefaciat, nihil absurdum est et des-
 peratæ causæ argumentum. Quem unquam me-
 tus talis cohibuit aut unquam cohibeat, ne
 libidinem expleat?

(Annotatio, auctore P. S.)

Honor, virtus, fama, Deo sublato, quid son-
 ent, nescimus. Hæc enim arguunt principia,
 ordinem moralem, discrimen boni et mali,
 officia tandem, liberumque arbitrium, quæ qui-

(1) De Immortal. animæ, p. 123.

(2) Pens. div. c. 169.

dem omnia nulla sunt in principiis atheismi.
 universitatem rerum ex nullâ intelligenti causâ
 natam, ferreâ necessitate, vel fortuito casu
 consistere asserentis. Et verò si athei hujusmo-
 di motivis commoveri videantur, si probitati,
 honestati, famæque bonæ student, id non mi-
 rum cum vita maganti in theisticâ societate. Quæ-
 stio non est de nostro præsentis statu, sed de
 regimine sociali, si quod supponeretur quale
 sub atheismo institui posset, cum omnes ab
 illo notionem morales exularent. Equidem lex
 naturalis fundatur in rerum essentiâ; sed illa
 ipsa essentia tam necessaria, ac Deus ipse, hu-
 jus fons et origo substantialis, jam quid intelli-
 gibile esse desineret, si nunquam existere nega-
 retur. Quod aiunt societatem ex primitivâ ho-
 minum conventionem, seu pacto sociali, officiaque
 simul originem ducere, id confutatum contra
 Hobbiu et Rousseau reperitur infra ubi de legi-
 bus naturalis existentia tractat auctor ad object.
 quartam.

Superest diluere quæ nobis ex polytheismo
 objicit Baylius.

1^o Contendit sophista polytheismum magis
 Deo injuriosum esse quàm atheismum, ob qui-
 dem fœdas opiniones paganorum, vitia numini
 turpique facta tribuentium. Nullus quippe in-
 venit homo qui potius ignorari vel negari ab
 hominibus quàm affici calumniis, malit. Ita
 ipse ratiocinatur Plutarchus, cujus verba citat
 adversarius: « J'aimez mieux, inquit clarus
 « philosophe, qu'on pensât qu'il n'y eut jamais
 « de Plutarque au monde, que croire que plu-
 « tarque est injuste, colère, et tel qu'il seroit
 « bien fâché d'être. »

2^o Eundem polytheismum magis nocere so-
 ciali ordini moribusque, quàm atheismum; eum
 illo infami deorum cultu exemplisque flagi-
 tiosis omnes fovebantur cupiditates, et eo ho-
 nestabantur.

Atqui tamen gentes plurimæ olim sub poly-
 theismo florere, atque etiamnum existunt;
 ergo à fortiori sub atheismo stare posset so-
 cietas.

Resp.: Neg. maj., cujus partes falsas esse evin-
 citur.

Ad primam 1^{am}: Baylius vagari extra thesim
 videtur, cum magis de pessimis contra societa-
 tem conspectariis atheismi, quàm de ejus crimi-
 nis gravitate res agatur.

2^o Aliud profectò est contingentem existen-
 tiam negare, aliud verò necessariam; ex allato
 igitur exemplo temerariò concluditur gravior
 esse quàm polytheistam quàm atheorum.

Præterea indignis attributis in mente corruptâ paganorum dii non infamabantur, dùm è contra in exemplo hominis supra memorati verè ille calumniâ diffamatus supponitur.

3^o Denique Deum inter et homines plurimæ adsunt relationes : v. g., Deus est hominum creator, et pater, et conservator : hunc homines cum adoratione, gratitudine, amore, omni tandem cultu colere debent : porro, his spectatis, nullum gravius crimen est in hominibus, quàm Deum prostris rejicere et abnegare.

Ad secundam, fatemur societates firmissimas primùm, nefandis polytheistarum erroribus ad eversionem ineluctabiliter denique perdúcendas fuisse. Sed nationes istæ unitatem Dei genuinæque dogmata primùm tenentes, validissimum habuère fundamentum. Deinde cum veritatum earum generalium societatiq̃ maximè necessariarum traditionem et fidem, licet innumeris ferè et pravissimis obrutam erroribus, retinerent, atque inde conscientie servarent regulam principiaque morum, fustâ hujusmodi contradictione stare utcumque potuerunt. Atverò societas atheistica, cujus cives tum suis principiis, tum cupiditatibus, ac nullo retardante motivo, ad scelera omnimoda inducerentur, repentinâ de ordinatione rueret.

Ergo sub omni respectu atheismus pejor polytheismo dicendus est.

Diximus polytheistas sibi contradicere, dùm veras morum regulas in conscientiâ ex principiis theismi tenerent, simulque suis diis quæque attribuerent facinora, eosdem ritibus fœdis colentes. Porro hanc egregis verbis Rousseau sic exposuit contradictionem : « Jetez les yeux sur toutes les nations du monde, parcourez toutes les histoires. Parmi tant de cultes inhumains et bizarres, parmi cette prodigieuse diversité de mœurs et de caractères, vous trouverez partout les mêmes idées de justice et d'honnêteté, partout les mêmes principes de morale, partout les mêmes notions du bien et du mal. L'ancien paganisme enfanta des dieux abominables qu'on eût pu enis ici-bas comme des scélérats, et qui n'offraient pour tableau du bonheur suprême, que des forfaits à commettre, et des passions à contenter. Mais le vice, armé d'une autorité sacrée, descendait en vain du séjour éternel ; l'instinct moral le repoussait du cœur des humains. En célébrant les débâches de Jupiter, on admirait la continence de Xénocrate; la chaste Lucrèce adorait l'impudique Vénus; l'intrépide Romain sacrifiait à

« la peur; il invoquait le dieu qui mutila son père, et mourait sans murmure de la main du sien : les plus méprisables divinités furent servies par les plus grands hommes. La sainte voix de la nature, plus forte que celle des dieux, se faisait respecter sur la terre, et semblait reléguer dans le ciel le crime avec les coupables. » Hæc rectè, si tamen per *vocem naturæ*, intelligamus vocem nature à Deo supremo, justo, provido, ingenite, ut credebant ipsi polytheistræ.

Objiciunt tandem athei, mala quorum theismus seu Religio causa existeret. Religio, inquit, ubique, sive apud polytheistas, sive apud Christianos ipsos, bellis multis dissidiisque civilibus seu omnimodè commovit societatem atque perturbavit; præterea fanaticismus ex religione natus horrendis facinoribus orbem terrarum fœdare nunquàm destitit. Porro discordiarum hunc fomitem extinguit, tot tantorumque malorum causam cum fanaticismo delet atheismus. Ergo quilibet potior est Religione, seu theismo anteponendus.

Resp. Neg. maj.; vera enim Religio, nempe christiana, prædictorum malorum nunquàm fuit causa; sed homines ipsi, præsertim ambitiosi, pro suâ perversitate, ad ea patranda sacro nomine non semel abusi sunt; quod constat tum ex historiâ, tum ex ipsis dogmatibus Religionis dissidia civilia et hujusmodi qualia ab adversariis objiciuntur vehementer reprobantis et prohibentis. Idem dicendum de veritatibus ex primatîvâ Religione servatis apud populos à vero cultu aberrantes; quippe errores vindicari haud intendimus. Igitur non Religioni necessaria vel naturalia consecraria, sed abusus objiciuntur. Porro ex rei abusu in rem ipsam nil concluditur, nisi tamen ejus utilitas incommoda etiam accidentalialia, sed probabilialia non compenset; quod certè dici nequit de Religione seu de theismo, cujus et veritatem et omnimodam necessitatem evincimus.

Cæterum malâ fide omnino religionis innumera beneficia silent athei, dùm ex omni parte quæcumque congerunt mala, quorum invita fuerit occasio. « C'est mal raisonner contre la religion (inquit Montesquieu, *Esprit des lois* l. 21, c. 2), que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération des maux qu'elle a produits, si l'on ne fait pas de même celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les loix civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des cho-

« ses effroyables..... La question n'est pas de
 « savoir s'il vaudrait mieux qu'un certain
 « homme ou un certain peuple n'eût point de
 « religion que d'en abuser; mais de savoir quel
 « est le moindre mal, que l'on abuse quelque-
 « fois de la religion, ou qu'il n'y en ait point du
 « tout parmi les hommes. »

Quod spectat ad fanaticismum, ipse est quoque
 religionis abusus, atque ex illo petitam supra
 dicta sat refellunt objectionem. Præterea notan-
 dum est non ex solâ religione, sed ex omni-
 rerum genere, quibus mens humana vehemen-
 ter affici potest, ex politicâ proinde, ex litteris,
 ex re bellicâ et philosophiâ oriri fanaticismum.
 Inde igitur nihil contra religionem specialiter
 concludendum.

Ex illo primo argumento morali, plura sequuntur.

COROLLARIUM PRIMUM. — *Ergo rejiciendus est
 atheismus, ex animoque theismus amplectendus;*
 etiam abstractione factâ argumentorum quibus
 utraque sententia defenditur, quibusque ex
 omni parte theistæ debellant atheos. Id per se
 liquet.

COROLLARIUM II. — *Ergo nefanda est omnino
 circa questionem de existentia Dei quælibet in-
 differentia.* Illa enim Deo multum injuriosa foret,
 ac proinde in homine valdè culpabilis, simul
 et maxima periculosissimaque dementia.

1° Deo injuriosa est et in homine culpabilis.
 Qui enim in dubio an sit Deus, insollicitus remanet,
 eo ipso Deum graviter contemnit; ita parùm curat
 an creatorem habeat, an patrem benignissimum
 et conservatorem, à quo beneficiis tot tantisque
 cumulatus, adorationem, gratitudinem, amorem,
 cultumque tandem ei deberet. Imò in hujusmodi
 dubio non aliter se gerit ac si certò sibi constaret
 Deum non existere.

2° Est dementia maxima. Quid enim insanius
 quàm gravissimi momenti questionem præternit-
 tere, ex quâ omnis hujus vitæ pendet felicitas,
 alterius autem æternitas sive penarum, sive remunerationum,
 ex cuius solutione, vel ad virtutem vel ad cupiditates,
 essentiali discrimine vita sit instituenda! Imò verò
 quid dementius quàm, præfatâ eadem questione non
 pensatâ atque saltem dubio manente, sese tamen
 gerere haud aliter ac si negativè summâ cum
 certitudine solveretur, id est, quasi liquidò pateret
 Deum nullum esse, nullas remunerationes sperandas,
 nulla supplicia æterna pertimescenda

Quis denique temeritatem dementiamque in-

differentis concepiet, si duo insuper advertat sequentia?
 1° Hujus hominis in cæteris negotiis aliam omnino esse
 agendi rationem; 2° dubium, quo perseverante
 sic se gerit idem homo, ita leve esse ac irrationabile,
 (quippe quod omnigenis argumentis, et præsertim totius
 humani generis ac proinde naturæ voce impugnatur),
 ut nonnisi velut fictum haberi debeat et incogitatum
 !.... De hoc audiamus D. Pascal.

« Que ceux qui combattent la religion ap-
 « prennent au moins quelle elle est avant
 « que de la combattre. Si cette religion se van-
 « tait d'avoir une vue claire de Dieu, et de le
 « posséder à découvert et sans voile, ce serait
 « la combattre que de dire qu'on ne voit rien
 « dans le monde qui le montre avec cette évi-
 « dence. Mais puisqu'elle dit au contraire que
 « les hommes sont dans les ténèbres, et dans
 « l'éloignement de Dieu, qu'il s'est caché à leur
 « connaissance, et que c'est même le nom qu'il
 « se donne dans les Ecritures, *Deus abscondi-
 « tus*; et enfin si elle travaille également à éta-
 « blir ces deux choses, que Dieu a mis des
 « marques sensibles dans l'Eglise pour se faire
 « reconnaître à ceux qui le chercheraient sin-
 « cèrement; et qu'il les a couvertes néanmoins
 « de telle sorte qu'il ne sera aperçu que de ceux
 « qui le cherchent de tout leur cœur; quel
 « avantage peuvent-ils tirer, lorsque dans la
 « négligence où ils font profession d'être, de
 « chercher la vérité, ils crient que rien ne
 « la leur montre; puisque cette obscurité où ils
 « sont, et qu'ils objectent à l'Eglise, ne fait
 « qu'établir une des choses qu'elle soutient
 « sans toucher à l'autre, et confirme sa doctrine,
 « bien loin de la ruiner ?

« Il faudrait pour la combattre qu'ils crias-
 « sent qu'ils ont fait tous leurs efforts pour
 « chercher partout, et même dans ce que l'E-
 « glise propose pour s'en instruire, mais sans
 « aucune satisfaction. S'ils parlaient de la sorte,
 « ils combattraient à la vérité une de ses pré-
 « tentions. Mais j'espère montrer ici qu'il n'y a
 « point de personne raisonnable qui puisse
 « parler de la sorte; et j'ose même dire que
 « jamais personne ne l'a fait. On sait assez de
 « quelle manière agissent ceux qui sont dans
 « cet esprit. Ils croient avoir fait de grands ef-
 « forts pour s'instruire, lorsqu'ils ont employé
 « quelques heures à la lecture de l'Écriture,
 « et qu'ils ont interrogé quelque ecclésiastique
 « sur les vérités de la foi. Après cela ils se
 « vantent d'avoir cherché sans succès dans les
 « livres et parmi les hommes. Mais, en vérité,

« je ne puis m'empêcher de leur dire ce que
 « j'ai dit souvent, que cette négligence n'est
 « pas supportable. Il ne s'agit pas ici de l'in-
 « térêt léger de quelque personne étrangère :
 « il s'agit de nous-mêmes et de notre tout.

« L'immortalité de l'âme est une chose qui
 « nous importe si fort, et qui nous touche si
 « profondément, qu'il faut avoir perdu tout
 « sentiment pour être dans l'indifférence de
 « savoir ce qui en est. Toutes nos actions et
 « toutes nos pensées doivent prendre des routes
 « si différentes, selon qu'il y aura des biens
 « éternels à espérer ou non, qu'il est impos-
 « sible de faire une démarche avec sens et ju-
 « gement, qu'en la réglant par la vue de ce
 « point qui doit être notre dernier objet.

« Ainsi notre premier intérêt et notre pre-
 « mier devoir est de nous éclaircir sur ce sujet,
 « d'où dépend toute notre conduite. Et c'est
 « pourquoi, parmi ceux qui n'en sont pas per-
 « suadés, je fais une extrême différence entre
 « ceux qui travaillent de toutes leurs forces à
 « s'en instruire, et ceux qui vivent sans s'en
 « mettre en peine et sans y penser.

« Je ne puis avoir que de la compassion pour
 « ceux qui gémissent sincèrement dans ce
 « doute, qui le regardent comme le dernier
 « des malheurs, et qui, n'épargnant rien pour
 « en sortir, font de cette recherche leur prin-
 « cipale et leur plus sérieuse occupation. Mais
 « pour ceux qui passent leur vie sans penser à
 « cette dernière fin de la vie, et qui par cette
 « seule raison qu'ils ne trouvent pas en eux-
 « mêmes des lumières qui les persuadent, né-
 « gligent d'en chercher ailleurs et d'examiner
 « à fond si cette opinion est de celles que le
 « peuple reçoit par une simplicité crédule, ou
 « de celles qui, quoique obscures d'elles-mêmes,
 « ont néanmoins un fondement très-solide, je
 « les considère d'une manière toute différente.
 « Cette négligence en une affaire où il s'agit
 « d'eux-mêmes, de leur éternité, de leur tout,
 « m'irrite plus qu'elle ne m'attendrit; elle
 « m'étonne et m'épouvante; c'est un monstre
 « pour moi. Je ne dis pas ceci par le zèle pieux
 « d'une dévotion spirituelle. Je prétends au
 « contraire que l'amour-propre, que l'intérêt
 « humain, que la plus simple lumière de la
 « raison nous doit donner ces sentiments. Il
vitutem omnes damnarentur : et tamen scribit illos tantum accusatos tunc fuisse idololatricæ : neque ulla alia causa afferri potest, cur tanta existat inter varias relationes oppositio. Omnium primæ, editæ à viris qui plenam et perfectam habebant illorum populorum notitiam (1), illis tribuunt religionem et sacras cæremonias, v. g., incolis Cubæ, Hispaniolæ, etc., dum illos nullam habere recentiores scriptores (2) affirmaverint. Tertio, multorum scriptorum testimonia nullum aliud habent fundamentum, nisi quod apud illos populos nulla templa, nullas aras, nulla publica sacrorum ministeria conspexerint ; id tamen nullo modo argumento est, illos non habere notitiam Dei, nec etiam admirationem nostram habere debet, si consideremus quod vagi et palabundi vivant sine civitate et sine lege. Fortè didicerunt à majoribus nullum cultum, nisi internum animi, Deo gratum esse : refertur (3) etenim unum ex Barbaris Canadæ interrogatum, cur Deo preces et sacra non faceret, respondisse relictum esse unicuique, ut id animo interius perferret. Legimus etiam (4) Winslow, qui unus, ex primis plantatoribus in Angliâ novâ extitit, didicisse à barbaris, illos agnoscere unum Deum supremum et plures inferiores : et ideò correxit quod antea de illis retulerat deceptus externâ specie, videlicet eos esse sine Deo. Tandem à multis refertur de incolis insulæ Madagascar (5) et Americæ populis dictis, Nouragues et Acoquas, et Galibis (6), quod etsi consentiant in agnoscendo uno Deo, illi tamen nullum præstent cultum externum. Quarto, populi, qui suspicione atheismi maximè laborabant, multorum testimoniis, quorum major auctoritas est, absoluntur. Sic Canarienses, quos Columbus accusaverat, unum Deum agnovisse virtutis remuneratorem et scelерum vindicem, constat ex historiâ subactionis istarum insularum. Sic Caraibæ insularum Antillarum (7) alium Deum boni principium agnoscunt, alium mali principium timent, quem Maboga appellant,

(1) Vid. Petrum martyr. Anglerium dec. 4, c. 1, 9. dec. 3.

(2) De Lact supra.

(3) Voyage du S^r. Champlain, l. 3, c. 5.

(4) Purchas, t. 4, l. 10, c. 5.

(5) Dellon, rel. d'un voy. t. 1, c. 8, F. Cauche, p. 119.

(6) P. Gillet, Journal du voy. dans la Guyane, c. 7, p. 81.

(7) Rochefort, Hist. morale des Antilles, c. 13, 14. Du Tertre, Hist. nat. des Ant. t. 2, p. 365, Relation des Caraibes du sieur de la Borde, c. 2 et 3.

cui præsertim sacra faciunt : sacerdotes habent, quos Boyez vocant. Falsò accusati sunt Brasilienses, quod nec Deum nõssent, nec ullum nomen Dei apud ipsos esset : habent Deum primum et summum quem Tupa et Tupana nuncupant : sacerdotes etiam habent per quos sacra faciunt (1). Hurones, Souriquosios, aliosque Canadæ Barbaros Deum agnoscere, cui vota et munera offerunt, extra omnem controversiam est (2). Gabriel Sagard et Lescarbot negant solummodò eos cognoscere verum Deum. Certum quoque est Cafros seu Hotentotos unum Deum summum agnoscere, quem magnum ducem vocant : colere præterea solem et lunam, et sacras habere cæremonias, testes multi sunt (3). Unius P. le Gobien de incolis insularum Marianarum testimonium nullo contrario refellere possumus : sed nescio an valde ipse sibi consentiat, dum scribit eos credere animos immortales, hisque repositas esse vel lætas post mortem sedes, vel tristes in inferis, quibus præsidet malignus genius. Quis præsidet lætis sedibus ?

5^o Tandem, quod ad Sinenses attinet, haud diffitemur apud eos atheos esse, vel etiam atheorum sectam, qualis erat apud Græcos et Romanos secta Epicureorum : at negamus illam sectam, aut apud eos antiquam esse, aut latè diffusam, aut imperium tenere.

Et primum quidem illi ipsi auctores, quos laudat Baylius, consententur doctrinam veterum Sinarum per duo annorum millia sanctissimam in hæc parte fuisse, et agnovisse illos unicum Deum, bonum et sapientem rerum omnium conditorem, conservatorem et gubernatorem, ad quem in afflictis rebus confugebant, et in cujus præsidio spem omnem ponebant (4). Deinde quòd illa atheorum secta valde diffusa in Sinâ esse nequeat, manifestum est ex eo quòd iidem auctores referant eandem vetustissimam religionem vigere apud litteratos ; populum verò variis superstitionibus deditum esse :

(1) Laet, de Or. gent. Amer. p. 193. Margrav. de Bras. reg. c. 9.

(2) Lafitau, mœurs des sauvages Américains.

(3) Joan. Dos Santos, hist. de l'Ethiopie orientale, c. 7. P. Tachard, voyage de Siam, l. 3, p. 34. M. de la Loubère, du royaume de Siam, t. 2, p. 112. De Chaumont Journal du voy. de Siam, p. 70. Ten Rhyne Schediasma de prom. Bonæ Spei. Petri Kolben, Descriptio capitis Bonæ Spei. Histoire des voyages, vol. 5.

(4) Duhalde, Description de la Chine, tom. 5.

magnam partem sequi præcepta Laokium vel Xekia, qui innumerabiles deos Sinarum impèrio intulit; alios idololatrias esse et addictos cultui Foë, quæ nova superstitiò invecita dicitur ter mille annis post tempora Fohi, Sinici imperii conditoris, et 1600 post Confucium. Tertio, quòd illa litteratorum secta, quæ hodiè in Sinâ dominatur et damnat tanquàm hæreticos sectatores Laokium et adoratores Foë, non sit atheisticâ impietate infecta, constat ex testimoniis plurimorum auctorum (1). Constat etiam ex eo, quòd vetustissimis libris maximè addicta sit, servetque diligenter veteres usus, juxta quos ab imperatore cum maximo apparatu, statutis temporibus, regi cœli sacra fiunt. Constat ex ipso imperatoris testimonio, qui anno 1700 dignatus est edicto publico profiteri Sinas non materiale et visibile cœlum, sed cœli Dominum adorare: quem non nisi ad reverentiæ testificationem cœlum vocant, sicut imperatorem suum ob eandem causam palatii sui nomine nuncupant. Hanc constantem doctrinam imperatoris fuisse et magnatum multiplici testimonio confirmat P. du Halde (2). Illi ergo litterati apud Sinas athei carent omni auctoritate et honore: et multa etiam dici possunt, vel ad eos excusandos qui alium nullum Deum admittere videntur, præter vim quamdam in naturâ, quam vocant Taiki vel Li. Nam hanc vim, non solum infinitam et æternam dicere solent, sed etiam summè perfectam: vitam illi attribuant, nominantque animam seu spiritum cœli; et tam magnificè quandoque de ejus intelligentiâ et solertiâ loquuntur, ut populus non dubitaverit templa in honorem Li seu Taiki ædificare, eique vota et sacra facere.

Quod verò addit Baylius (3) oportere nos probare non tantum nullam gentem cognitam esse atheam, sed perfectâ enumeratione ostendere nullos esse populos atheos in regionibus australibus nondum cognitis, vehementer absurdum est. Nam apud physicos summa est vis analogiæ ad sciendum: id pro certo habetur quod constans experientia, cujus auctoritatem nullæ aut paucissimæ exceptiones imminuunt, confirmat. Sic concludunt omnia corpora gravitare, quòd omnia nobis cognita corpora gravitent; sic benè sine dubio con-

cluderent etiam genus humanum in regionibus australibus, sicut in nostris, maribus et feminis constare, eorum corpora eadem habere exteriora lineamenta, et eorum animis insitos esse eosdem appetitus et affectus. Jam verò propter hanc eandem rationem et nos benè concludimus australes gentes esse deditas religioni, cum septentrionales, orientales et occidentales sine exceptione ei addictas videamus.

PARS SECUNDA. — Consensus generis humani summam habere debet vim ad persuadendum. Nam 1^a præstantissima ingenia hujus argumenti vim agnoverunt, Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, et alii. « Fermissimum hoc affertur argumentum videtur, ait Cicero, cur deos esse credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. » Et alio in loco: « Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est (1). » « Multum dare solemus, inquit Seneca (2), præsumptioni omnium hominum: apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquàm deos esse sic colligimus, quòd omnibus de diis opinio insita sit, nec ulla gens usquam est adeò extra leges motusque projecta, ut non aliquos deos credat. » 2^a Testimonium generis humani in se consideratum et independentem ab ejus causis, summæ est auctoritatis respectu cujuscumque privati, nec sine magnâ arrogantia et stultitiâ contemni potest. Nam, ut observavit Aristoteles in Topicis, id verisimile est, quod aliquibus sapientibus verum videtur; id majorem habet probabilitatem, quod sapientibus plerisque certum videtur; id majorem multò habet verisimilitudinem, in quo docti simul et indocti consentiunt; id denique juxta eandem regulam censendum est habere maximam probabilitatem et esse moraliter certum, in quo omnes omninò consentiunt. Certè in communi vitâ has regulas sequi necesse est homines omnes, et illas ipsi sequuntur athei: nam omnis ratio, institutioque vitæ in hominum auctoritate versatur. Et verò, aut aliqua est judicii humani auctoritas, aut omninò nulla: hoc posterius non affirmant ipsi athei, et nimis certè intolerabile foret pronuntiare genus hominum non esse rationale. Sin prius admitas,

(1) Martin. hist. Sin. initio. Bartholi hist. Asiat. p. 3, l. 1. Magaillans, novel. rel. della China.

(2) Description de la Chine, tom 4.

(3) Contin. des Pens. div. c. 15.

(1) Vide Tusc. 1 de Nat. Deor., l. 1, c. 27; et l. 2, c. 2.

(2) Vide Ep. 117, et de Benef. l. 4, c. 4.

quòd aliqua sit humani iudicij auctoritas, in hac re certè maximè valebit; tum propter rei, de quà iudicium profertur, naturam, quæ omnibus aperta et obvia est; nempe attendendum cuique tantum est, quid interiori natura obmurmuret, quid expressum in naturà cernat, quid in primis rationis principiis contentum deprehendat: tum propter unanimitatem, quà fit, ut nullà auctoritate alià suspendi possit vis testimonij huius humani. Etenim si in hac Dei agnitionem consensissent tantum homines rudes et inculti, doctorum contradictorium sententià absque dubio imminuta esset plebis auctoritas. Vel si docti tantum in hac opinionem convenissent, opponi fortassè posset populorum vox, qui duces secuti naturam plus sapiunt quandoque quàm philosophi. At illi qui negant, qui sunt? Paucissimi. Et quales? Quibus scilicet est illud scholæ stemma: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*. Quæ sententià, quæ auctoritas gentis illius esse potest, apud quam nullum est consilium, quæ, neglectis rationis præceptis, ducem vitæ libidinem fecerunt? Nos contra totum genus humanum sumus et consultius est, si errandum est, quandoquidem homines sumus, et quòd cum ipso genere humano errare videamus. Aug. de Uil. cred. c. 7.

3^o Denique consensus ille universalis summam habet vim ad persuadendum, si in causis suis necessariis spectetur. Nam ejusque effectus universalis causam aliquam generalem esse oportet. Atqui causa nulla generalis præter has fingi potest: videlicet naturæ insitam et innatam cogitationem; vel naturalem et communem propensionem ad hanc opinionem penitus animo combibendam statim atque mentì proponitur; vel facile et obvium omnibus ratiocinium, ductum ex consideratione rerum naturalium; vel denique communem traditionem acceptam à communibus parentibus et ab initio rerum ad hæc usque tempora derivatam. Sed si primum, vel secundum, vel tertium cedant athei, convicti sunt, ut proximo argumento efficiemus. Sin verò ex traditione acceptà à communibus parentibus derivare velint hunc omnium seculorum perpetuum sensum, in hæc etiam hypothesi magnam habere debet vim ad persuadendum primorum parentum auctoritas, qui quò propius aberant ab ortu rerum, hoc melius sine dubio, ea quæ erant vera cernebant. Verum hanc hypothesim vanam esse probabant et omnia quæ in sequenti argumento dicturi

sumus (1); nec profectò, ut habet Tullius (2), « id nisi cognitum comprehensumque animis habebimus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum seculis, ætatisque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaureum fuisse aut Chimæram putat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. » Præterea juxta fundamentale atheorum principium omnis perceptio, omnis cognitio est ex sensibus, ut habet Lucretius:

*Invenies primis à sensibus esse creatam
Notitiam veri.*

Ex illo ergo explicare tenentur athei hanc tam communem de Deo opinionem, atque ideò Epicurus fingebat effluere ex deorum corporibus vel quasi corporibus simulacra, quæ nostros interiores sensus afficiunt. Democrius verò asserbat hæc idola non ex deorum corporibus effluere, sed in ipso aere spontè nata sese per poros corporis insinuare. Has ridiculas opiniones exposuisse, confutasse est: ut illam Cardani et Vanini doctentium ex tactu siderum natas esse et omninò pendere religiones.

Objicies cum Baylio (3): Auctoritas quæ errori et superstitioni patrocinatur, nullius ponderis est. Atqui universalis consensus generis humani in multorum errorum et vanissimarum superstitionum patrocinium afferri potest, nempe ad astruenda eclipsum præsagia, cometarum mînas, vim siderum in vitam huma-

(1) Auctor ibi non traditionem ipsam communem ab origine rerum ductam, velut testimonium orale scriptumque à generatione in generationem transmissum rejicit. Sed cum Tullio id contendit, scilicet fidem quâ numen homines omnes confessi sunt, non esse opinionem ab hominibus confictam ac deinde ubique diffusam atque per secula propagatam. Alioqui ipse doctissimus auctor sibi contradiceret paulò infra in argumento quarto, ubi ex communi traditione omnium hominum evincit originem mundi haud æternam, primo enti seu Deo esse tribuendam. Idem etiam, infra disserens de Religione revelatâ, parte 2. art. 5. § 3. ubi de convenientiâ vetustissimarum apud ethnicos religionum cum religione patriarchali et judaicâ evolvi opiniones, eam ut probabiliorē teneat, iuvimur Religionem christianam, quam demonstravit mundo in præcipuis coævam, esse fontem et originem omnium aliarum, quæ solummodo sunt totidem quasi *hæreses* à primariâ illâ fide in prævum deflexæ. P.-S.

(2) L. 2 de Nat. Deor. c. 2.

(3) Pens. div. c. 48 et suiv. cont. des pens. div.

nam, divinationem, polytheismum et idololatriciam. — Respondeo : Nego minorem; nam falsum est illis erroribus imbutum fuisse universum genus humanum, sicut omnium animos occupavit Religio. Quotus enim quisque philosophorum vel sapientum fuit, qui illis omnibus addiderit fidem? sed profectò si sapientum ferme omnium suffragio circa Dei existentiam careremus, nunquam arripuissemus argumentum hoc ab auctoritate hominum. Deinde non in omni loco et in omni tempore prædictis opinionibus fidem dedit ipsa plebs. Astrologia iudiciaria, et divinatio, non sunt inditi sensus ac universales, sed artes, quarum regulæ supra captum vulgi positæ erant, de quibus multæ nationes ne fando quidem audierunt; quæ et ab aliis receptæ sunt ex solâ sacerdotum auctoritate. Nullum etiam erat constans plebis de eclipsibus et cometis iudicium profectum à naturâ, sed momentanea potius terroris ex illis eventibus impressio fuit. Quod ad polytheismum atque idololatriciam attinet, illa neque ubique obtinere; et ubi obtinebant, conjuncta erant cum notitiâ unius supremi et præpotentis Dei, deorum omnium, hominumque parentis, ut infra conficiemus ubi de unitate Dei. Præterea non tantum ab universalitate testimonii argumentum petimus, sed ex naturâ rei de quâ fertur iudicium. Siquidem putamus iudicium illud de providentiâ, (nam hic non agitur de naturâ aut unitate Dei) non esse supra vulgi captum, et omnes homines ad dicendam sententiam admittendos esse, quòd questio dijudicanda sit ex ipsis sensibus, qui cuique sunt interiores; aut ex simplici aspectu naturæ, cujus omnes partes evidentia consilii et solertiæ indicia ferunt. At illa alia enumerata in objectione sunt à vulgi intelligentiâ longissimè disjuncta: neque idonei iudices sunt plerique rudes, quæ causa sit defectuum solis et lunæ, vel ortus et occasus cometarum. Possunt faciliè rudiores persentiscere, aut obvio et facili ratiocinio consequi vim esse quamdam cuncta cum consilio gubernantem; quamvis non distinctè intelligant quæ sint attributa istius vis, vel quæ ratio administrationis ejus; an per tactum siderum, an per tutelares et inferiores deos, an per particulares voluntates, quarum indicia voluit esse eclipses, cometas, aliaque prodigia, res humanas moderetur. Idem sæpè contingit ipsis philosophis, qui existentiam multarum in naturâ virium compertam habent, quamvis neque has vires, nec earum causas, nec earum leges, possint describere.

Denique istorum omnium errorum, polytheismi, idololatriæ, divinationis, aliorumque apud gentiles religionis adjunctorum causas, principia, initia, progressus novimus: nullam habent constantiam, sed faciliè ex animis extirpantur. Religionis ipsius nullam causam nisi naturam, nullum initium nisi originem rerumprehendimus; sicque naturæ congruens est, sic penitus ei infusa, ut nullo modo illam exuere possimus (1).

ARGUMENTUM III. — *Ex sensibus naturalibus.*

Quæ superiori argumento de hominum universali sententiâ et illius exterius considerata auctoritate disputata sunt, spontè ducunt ad sensuum naturalium investigationem, ut pervideamus an illa tanta et tam constans omnium in unâ re consensio non sit à naturâ ipsâ profecta, et quæ sit naturæ auctoritas. Tamen quoniam alius locus (2) erit illos sensus naturales evolvendi, hic nonnisi breviter in illorum explicatione versabimur.

PROPOSITIO.

Interior naturæ humanæ vox, seu insiti à naturâ omnium hominum mentibus sensus Deum esse indicant et universalem hominum consensum peperere.

PROBATIO. — Existit profectò Deus, si naturæ vox summam habere debeat auctoritatem, et illius voce ad Dei notitiam perducamur.

1° Summa apud nos esse debet naturæ auctoritas, quia illam solam nacti sumus in omnibus scientiis naturalibus præceptricem: nec illius vim tollere possis, aut in docendo auctoritatem, quin omnem simul tollas veritatis inveniendæ viam: quid enim metaphysica veritas est, nisi idearum convenientia, quam sensu quodam naturæ insito apprehendimus? Quid veritas physica, nisi quæ sensibus externis naturæ nostræ adjunctis percipitur? Pone sensus naturales fallere posse, aut universales errores naturæ humanæ adjunctos esse, finem omni disputationi posuisti: in quâ semper ab aliquo principio certo et concessio est proficiendum. Et verò in quâcumque hypothesi,

(1) Quamvis in hoc secundo argumento vim absolutam consensui populorum tribuere non videatur auctor, eam tamen consensionem pluribus in aliis argumentis invocat, atque insigniter in sequenti tertio, ubi asserit communes conceptiones, prima principia ex gentium consensu maxime agnosci, ac proinde notionem hujusmodi esse existentiam Dei in quâ omnes consentiunt. P.-S.

(2) Ubi de Lege naturali

« eos deorum et mortis metu, docerentque qui
« essent fines cupiditatum, nihil hæcere-
« mus, » etc. Concludebat in illo loco non posse
jucundè vivi, nisi honestè vivatur, quòd ea
quæ luxuriosis sunt efficiant voluptatum, me-
tus injiciant graves deorum, quibus nulli libe-
rari possunt industriâ nisi vitam secundùm
virtutis normam insituant. Lucretius etiam
confitetur plerosque suos in scholâ Epicuri con-
discipulos terroribus iisdem frangi, præcipuè
in rebus adversis, et tunc acrius advertere ani-
mos ad religionem, etiâ si profiteantur se scire
animum nihil nisi sanguinem esse : quem locum
his pulcherrimis versibus et ad rem nostram
aptissimis concludit :

*Quò magis in dubiis hominem spectare periculis
Convenit, adversisque in rebus noscere qui sit :
Nam veræ voces tum denum pectore ab imo
Ejiciuntur, et eripitur persona, manet res.*

Fortassè etiam rectè pronuntiat Seneca de atheo-
rum fortissimis (1) : « Mentiantur qui dicunt se
« non sentire esse Deum, nam etsi tibi affirmet
« interdù, noctu tamen et sibi dubitant. » Certè
Cotta apud Ciceronem de ipso athcorum duce
Epicuro dicit : « Nec quemquam vidi, qui ma-
« gis ea quæ timenda esse negaret, timeret,
« mortem dico et deos. »

Objicies primò : Ista de divinâ gubernatione opinio à metu proficisci potuit. Homines enim cùm naturâ imbecilles et infirmos se esse sentiant, perpetuisque curis et sollicitudinibus die noctuque se exedi, atque rerum futurarum expectatione excruciami : hisce angoribus adducti sunt, ut res sibi fingant animo terribiles et formidolosas, multaque suspicentur et credant esse, quæ nusquam sunt, atque inter alia, ut sibi fingant naturam ab oculis hominum remotam et rationis participem, quæ ad arbitrium suum in orbe dominetur, et quidquid vocabulorum excogitare possunt ad reverentiam et studium suum testandum, id in fictam illam naturam conferunt, omnesque vias placandi, sibi que illam conciliandi exquirunt, et sic sese in miserissimam

(1) Je sens qu'il y a un Dieu, et je ne sens point qu'il n'y en ait point, cela me suffit ; tout le raisonnement du monde m'est inutile : je conclus que Dieu existe. Cette conclusion est dans ma nature, j'en ai reçu les principes trop aisément dans mon enfance ; je les ai conservés depuis trop naturellement dans un âge plus avancé, pour les soupçonner de fausseté. Mais il y a des esprits qui se défont de ces principes : c'est une grande question s'il s'en trouve de tels ; et quand il en serait ainsi, cela prouve seulement qu'il y a des monstres. » *Caract. de la Bruyère*, chap. 16.

illam detrudunt servitutum. Ita poeta cujus est hoc scitum

Primus in orbe deos fecit timor.

Vide Lucretium l. 6, v. 49 ; Spinosa in præfatione ad tractatum theologico-politicum ; Hobbius lev. c. 12. — Respondeo primò : Nego consequentiam. Nam etsi concederemus sensum divini numinis à metu esse, nihil proficere athei : quia si metus ille naturalis sit, si sit innatus animis, si sit diffusus in omnes, non minus arguet divini numinis existentiam quàm ipsa notio numinis indita : certè sive homines ad agnitionem numinis naturalibus et insitis affectibus ducantur, sive insit naturaliter notio numinis, id eòdem redit. Quia in utràque hypothesis, si nullus Deus sit, vanitatis damnanda erit natura, quod summæ stultitiæ est. — Respondeo secundò : Nego antecedens ; quia 1° temeritatis habet multum, id assumere sine probatione, quod in controversiâ positum est. 2° Impudentissima est illa impiorum hominum in omne genus humanum calumniâ, quasi verò universi usum rationis vanis terroribus amiserint ; pauci athei magno, constanti et imperterrito animo fanatici hujus metus vim effugerint. 3° Si notio numinis à metu profecta fuisset, rem sibi fingerent homines formidolosam et truculentam, suæ vitæ insidiantem ; sed contrarium sibi persuadent ; Deum naturam putant amabilem, optimè de nobis meritam, cultuque nostro dignissimam : adeò que athei meliùs decrevisset *spem* originem Dei notioni dedisse, sicque rationem verisimiliùs instituisset : homines cùm incerta rerum humanarum cernerent, sollicitos naturam quævis isse, tum potentem, tum humani generis amantem, quæ fortunas suas adversus omnes insidias temporum, hominumque firmaret ; itaque rem sibi fluxissem supra omne id quod videmus, positam, potentem et beneficam, ad eamque, quò tutis sibi hæret esse, precibus et sacrificiis confugisse. Certè ita Plinius ab atheisticâ impietate non alicuius rationem deduxit, dùm docuit sensum numinis et immortalitatis « peritium delinimentorum, avidæque « nunquam desinere mortalitatis commenta « esse. » 4° Ut supra diximus, nulli minus sunt de futuris eventibus solliciti, quàm illi in quibus est summa in Deum pietas : nulli majoribus ægritudinibus eliduntur, quàm athei, seu qui sensum numinis ideò præfocare conantur ; adeò que potiùs Deum timor sustulit quàm fecit.

Objicies secundò : Religionis seu persuasivæ istius de existentia Dei causâ, ignorantia

justè censerì potest. Homines enim ipsà naturà leruntur ad causarum indagatiònem, atque tanta est scientiæ cupiditas, ut si eventuum nullas naturales causas valeant invenire, alias sibi fingant non naturales, tragicos imitati, qui cùm exitum fabulæ invenire nequeant, deum quendam ex machinà advocant: ita Hobbius lev. c. 12: « Metus perpetuus, qui genus humanum in causarum ignorantia, quasi in tenebris, comitatur, objectum habet necessariò aliquod; quia ergo fortunarum suarum causam aliquam homines non vident, nihil est quod accusare possunt præter potentiam aliquam et agentem invisibilem; atque hinc fortassè erat, quòd veterum poetarum aliqui deos primos à timore factos esse dixerint; iisdem ex causis notam esse statim popularem doctrinam de inferioris ordinis mentibus supremo numini parentibus. » Ita etiam Lucret. l. 5, v. 4182.

Præterea cæli rationes ordine certo

*Et varia annorum cernunt tempora verti,
Nec poterant quibus id foret cognoscere causis.
Ergo perfugium sibi habebant, omnia divi
Tradere, et illorum nota facere omnia facti.*

Respondeo 1^o nihil habere arrogantia, opinionem defendere, imponendo omnibus hominibus culmen ignorantia. 2^o Afferenda est hujus assertionis aliqua probatio. Nam theistæ ex altera parte contendunt se duci ad Dei notitiam non per ignorantiam, sed per clarissimas mentis perceptiones, per evidentissima consilia et artis indicia, per sensus omnes interiores. 3^o Docentur theistæ ad agnitionem Dei, considerantes atheorum imperitiam et vanitatem, qui postquam illud principium, ex nihilo nihil fit, universæ suæ philosophiæ fundamentum fecerunt, omnia ex nihilo fingere et sine efficiente causâ coguntur: primò corpora omnia, quæ cùm nullam habeant externam existentia causam, nec internam suæ existentia rationem, utpote non necessaria, ex nihilo spontè et sine causâ orta esse necesse est. Deinde motum: ille enim, juxta plures atheos, et imprimis Spinosam, essentialis materiæ non est, nec potest juxta eandem semetipsam movere. Quid hoc est, nisi statuere motum sine causâ existere, actionem sibi fingere sine causâ efficiente? Postea sensum et rationem: has facultates ex motu educere, est ex nihilo procreare, ita se habet intelligentia respectu corporis moti, ut motus respectu corporis quiescentis: sicut igitur hujus causa aliqua assignanda est, ita et illius. Quartò

libertatem: nam quod excogitavit Epicurus fingentium, esse in atomorum motu libertatis quoddam genus, ortum ex levi inclinatione earum, id vehementer est absurdum, idemque valet ac si dixisset ex nihilo libertatem nasci hominum: nam cùm atomi certo definitoque ferantur motu, parùm refert inclinentur quædam, necne; necesse sanè est esse omnia fato et ineluctabili necessitate constricta. Quintò, nec explicare possunt athei, unde oritur species et polichritudo rerum: hæc casu et fortuito contingisse alunt; sed casus et fortuna voces sensu et potestate vacuæ sunt, nisi per eas intelligas, vel absentiam causæ intelligentis: sed quis ferret hoc, absentiam causæ intelligentis esse causam polichritudinis? vel intelligas confusione et temeritatem; sed quis ferret istud, confusione peperisse ordinem, temeritatem produxisse artem et sapientiam? Sextò, nec communis istius de Deo opinionis, nec sensuum naturalium, qui pulsant omnium hominum animos, nec cur tanta sit religionis utilitas seu efficientia ad felicitatem vitæ, vel ad societatis, seu naturalis, seu civilis incolunitatem, ullam possunt invenire rationem. Hujus eorum incitiæ causa in promptu est, quòd in rebus explicandis proficiscantur à re omnium vilissimâ et abjectissimâ, materiâ videlicet inerte, et gradibus ascendunt ad id quod est in naturâ præstantissimum; quasi verò effectus causâ suâ nobilior et præstantior esse posset. E contrario benè explicant omnia theistæ, quia sumunt initium ab eo quod summum est, et facultates minores derivant ex eo quod majori gaudet perfectione, omnesque virtutes in se continet, uti fasilius in sequentibus exponetur. Hiscè rationibus, non causarum ignorantia, ducuntur theistæ ad notitiam Dei.

Objicies 3^o: Sensus ille numinis benè in legislatorum versutiam refundi potest. Illi quippe cùm intelligerent fore ut multò facilius in officio erga magistratus continerentur cives, si Deum esse putarent, vitia illa nature, pavorem et ignorantiam sollicitè foverunt et semina fecerunt religionis. Ita ex omni tempore athei docuerunt; antiquorum mentem sic expressit Plato, l. 10 de Lege: « Deos, ó beate vir, primum affirmant non naturâ esse, sed arte unicè ac legibus constitutos; hincque fieri ut singulis regionibus et populis proprii dii sint, et pro diverso eorum qui leges rogârunt civitatum, ingenio et indole. » Quorum secutus vestigia, Hobbius religionem et superstitionem sic definiit: « Metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ

« publicè, religio est: si publicè acceptæ non sint, superstitio. »—Respondeo, 1° expectare nos hujus assertiois rationem aliquam probabilem: questio facti est, quæ exemplis est confirmanda; at nullum habent athei. Nam quòd legislatores omnes, vim religionis perspicientes, illà nisi sint ad continendos in officio cives, quòdque varias leges tulerint ad inducendam cultûs publici uniformitatem, fovendamque pietatem erga deos, id non juvat atheos, quia ita agere debuissent, si naturalis fuit hominibus sensus numinis. Quòd etiam quæque civitas deos proprios habuerit, id non est profectum ex diversâ indole legislatorum, qui summi viri fuerunt, et à vulgi imperitiâ et stupore multùm distantes; sed ex levitate multitudinis, cui nunquàm satis fuit habere cum reliquis hominibus communem parentem, qui curam omnium æqualem gereret, sed insuper deos indigenas, locales, gentilitios et tutelares habere voluit, qui sibi suisque rebus specialiter invigilarent: cui populari ingenio morem gerere coacti sunt præstantissimi philosophi et maximi legislatores. 2° Non legibus aut institutis introductam esse de Deo opinionem, patet ex eo quòd illa haud minùs vigeat apud barbaras gentes, quæ carent omni cultu civili, quàm apud humaniores. 3° Haud faciliè intelligitur, qui opinio, nec in sensu naturali fundata, nec rationi consona, quæque supponitur hominibus molesta, eosque gravissimâ servitute deprimeret, tam faciliè omnium animos occupaverit. 4° Qui factum est, ut non tantùm cives, sed ipsi reges et magistratus, non tantùm indocti, sed ipsi sapientes, vanis somniis deludere patiantur, nec istud veterum regum et sapientùm arcantum noverint? 5° Cur tanta, inter alias omnes, istius fraudis felicitas fuit, ut per tot secula apud omnes vigerit? Cæteras opiniones fictas atque vanas videmus diuturnitate extabuisse: hæc stabilis permansit et cum seculis ætatibusque hominum inveteravit. Denique qui factum est, ut cùm fraudem à tot seculis athei detexerint, hominesque admonuerint, tanta tamen sit horum in errore isto perversitas, ut magistros atheos irrideant, exhorreant, et salutarem doctrinam indignati aspernentur?

ARGUMENTUM IV. *Ex novitate mundi.*

Fuit illa aliquorum paucorum, tum veterum, tum recentiorum atheorum opinio, supremi numinis, à quo conditus hic mundus fuerit, existentiam negari non posse, nisi mundi ipsius defendatur æternitas. Quamvis hi multitudine

aliorum, mundo initium ac finem tribuentium, planè obruantur; eorum tamen rationem habebimus, ac æterni mundi vanissimam opinionem præsertim ex gentium antiquissimarum traditionibus et monumentis temporum confutabimus.

PROPOSITI

Mundi originem æternam non esse, probant omnium nationum antiquissimarum traditiones, confirmant omnia temporum monumenta.

PROBATIO. — Gentium omnium antiquissimarum traditiones, humani generis et mundi originem non æternam, sed recentem esse testantur.

Omnium scriptorum antiquissimus Moyses liberos suos ab his verbis exorsus est: *In principio Deus creavit cælum et terram.* Sicque definito rerum omnium initio, universi generis humani historiam, serie generationum non interruptâ, ad suum usque tempus perducit. Hæcque omnia non dubitans, non disputans ut philosophus solet, sed rem simpliciter narrans, tantùm omnibus notam, cum summâ securitate historicus determinat. Fuit ergo hæc constantissima doctrina vetustissimæ Hebræorum gentis; imò si fides ulla addenda est antiquissimæ illi historiæ, fuit communis traditio omnium hominum. In eadem opinione, circa mundi hujus spectabilis formationem ex rudi et indigestâ mole, fuerunt etiam Phœnices, ut constat ex Sanchoniato; et Ægyptii, ut colligitur ex Diodoro Siculo et Diogene Laertio; et Chaldæi seu Babylonii, ut narrat Berosus; et Persæ (1), et Græci, ut omnibus notum est ex eorum poetis Homero, Hesiodo, Orpheo, etc., qui mundi cecinere nativatem. Hæc denique omnium philosophorum antiquissimorum, tum theistarum, tum atheorum sententia fuit, ut Thaletis, Pythagoræ, Anaximandri, etc., quos enumerare necesse non est, cùm gloriatur Aristoteles (2) se primum omnium, mundi æternitatem asseruisse, et unus tantùm laudari soleat Ocellus Lucanus, antiquior ejusdem opinionis assertor. 2° In monumentis omnibus temporum antiquiorum, mundi recentem originem, et totius gentis humanæ quasi ab infantia ad pueritiam et adultam magis ætatem progressum animadvertimus. Et primum quidem, si tellus nostra et genus humanum sempiternum esset, existeret aliqua sempiterna natio, aut saltem aliqua, cujus ori-

(1) Hyde. de Rel. vet. Pers.

(2) L. 1 de Cælo c. 10.

genim determinare non possemus: sed nullatalis est. Nam majorum omnium et antiquissimarum gentium origines complexus est Moyses: Hebræorum, Phœnicum, Ægyptiorum, Assyriorum, Persarum, Arabum: et earum, quæ sibi notæ crant, initia Græci historici prodiderunt: Sicyoniorum, Atheniensium, Arcadiorum, Thebanorum, Spartanorum, Corinthiorum, Doriorum, Cretensium, Elidum, deinde Siculorum, Italorum, Macedonum, etc. (1), ex quibus omnium aliarum originem benè concludere possumus: nam quis sanæ mentis sibi persuadeat, Græciam, tam jucundam, tamque temperatam terræ regionem, Asiæ, Africæ et Europæ conterminam, desertam tamdiu remanere potuisse, si ab æterno mundo extitisset? aut si incolis non caruerit, nulla à poetis, historicis, philosophis monumenta reperiri in Græciâ potuisse, quæ aram christianam bis mille annis antiquitate superarent?

Jam verò hæc accipiunt vim ex consideratione ingenii et indolis humanæ. Omnium etenim seculorum experimento notum est nihil hominibus pluris esse, quàm propriæ gentis, vel republicæ suæ antiquitatem. Hinc istud olim vetustissimarum gentium de antiquitate certamen. Qui ergo domus nulla, nulla natio, regnum nullum suam jactat æternitatem? Accedit et illud: Nihil est hominibus familiarius, nihil jucundius, quàm rerum antiquissimarum atque à nobis amotissimarum inquisitio: videmur quippè hoc pacto quamdam divinitatem nancisci, si occultissima et remotissima noverimus: fidem faciunt tot libri de singularum gentium antiquitatibus, de veterum gestis, dictis, minutioribusque rebus conscripti. Quòd si ante majorum memoriam atque ab æterno homines evitère, illos etiàm rapuisset hic idem antiquitatis explorande amor: tamen nihil de æternis gestis memoriæ proditum est, sed brevissimo annorum intervallo omnia conclusa sunt. Omnium rursus experimento notum est, homines desiderio magno flagrare, ut sese nomenque suum æternum posteris faciant; quod testantur hominum in bello ad gloriam comparandam facinora, libri conscripti, ædificia et quidquid demùm in mundo præclarè gestum

est. Illi ergo homines qui ante sex millia annorum per æternitatem vixerunt, eodem posthumæ æternitatis amore tangebantur; quæ ergo nihil de æternis gestis memoriæ proditum, neque libris, neque inscriptionibus, neque ædificiis?

Secundò, si mundus sempiternus fuisset, æternæ hominum inventione et laboribus ante omnem memoriam inventæ et ad perfectionem deductæ fuissent artes, scientiæ et cuncta illa quæ nunc habemus, sive ad utilitatem, sive ad oblectationem. Quid enim? Immensa illa æternitatis retroacta series illis omnibus absolvendis, multisque aliis excogitandis non suffecisset, ad quæ videmus sufficisse tria annorum millia? Sed hæc omnia recentem habent originem, teste Romanorum doctissimo Varrone, qui suo tempore assererat vix ullam artem superâsse antiquitatem mille annorum. Et reverà prima Ceres seminandi, metendique frumentum modum Græcos docuisse fertur; idèquæ divinos accepit honores. Ceres autem ex Oxoniensi marmore annis ante Christum 1409 in Græciam appulit. Vini usum juxta Moysen Noe primus invenit; juxta scriptores Græcos Bacchus, qui vel Noe est, ut eruditi complures putârunt, vel eo longè posterior. Pondærum et mensurarum, sicut et monete, primus inventor, teste Plinio cæterisque, Phido Argius, qui annis ante Christum 895 juxta marmor Oxoniense florebat. A Babylonis, qui primi astrorum observatores fuerunt, horologii solaris usum Græcos accepisse scribit Herodotus l. 2, cujus inventio ab aliis Anaximandro, ab aliis discipulo ejus Anaximeni tribuitur. Primus in statuis membra Dedalus effinxit, suamque sculpturæ perfectionem non nisi temporibus Phidias, Lysippi et Mironis accepit. Tam rudem initio pingendi artem fuisse scribit Ælianus l. 8, c. 8, ut quid pingere pictor voluisset, super tabulas scribere necesse esset. Paucis ante Romulum annis primus masculum à feminâ distincti Ihygeon ex Plinio l. 33, c. 8. Ante Eumarum Atheniensem omnia indiscriminatim objecta pingere nemo poterat. Musices elementa primus docuit Pythagoras. Naves à Phœnicibus primum ædificatas esse omnes consentiunt. Hinc ursa minor, quæ diè sola à nautis observata est, Phœnicia vocabatur. Prima autem in Græciâ visa est Danaï navis juxta Plinium l. 7, c. 26, id est, ex marmore Oxoniensi annis ante Christum 1314, cum Ericthonius regnaret. Primum navale certamen Corinthios

(1) Vide Marsham in Chron. Bochart in Geogr. sac. Pezron de Antiquit. temp. Fourmont in Sanchon. Stillingfleet in Originibus sacris. Shuckford in Historia mundi. Historiam universalem anglicanæ societatis. Jaquetot de Exist. Dei.

inter et Corcyrenses commissum fuisse annis antequàm hæc scriberet 264, narrat Thucydides. Litterarum usum Græcos docuit Cadmus annis ante Christum circiter 1494, nec apud antiquissimam Ægyptiorum gentem, quæ earum inventrix fortassè fuit, memoriam humanam superare, patet ex hieroglyphicâ et symbolicâ apud illum populum scribendi olim ratione, quam litterarum inventionem præcessisse valdè probabile est, ut effecit Warburton de div. Moysis Leg. vol. 2, l. 4, sect. 4. De philosophiâ nihil ante Pythagoram Italicæ sectæ principem in Græciâ fuerat auditum; unde ab annis minùs quàm mille cognitam mundo sapientiam Seneca scripsit. Primus rudem astronomiam Græcos docuit præceps Ionicæ sectæ Thales, qui eam ab Ægyptiis, ex Diogene Laertio, didicerat. Alexandri tempore fluxum ac refluxum maris portentosum quid fuisse patet ex Quinto-Curtio. Ignorata diu eclipsum causa fuit; atque hinc factum est, ut ab omnibus ferè populis, non tam ut naturales effectus, quàm ut divini, vel favoris, vel furoris indicia spectarentur. Primus Socrates philosophiam è caelo devocavit, et ad fingendos hominum mores adhibuit. Quibus auctoribus exulta crevit mathesis, scimus. Medicinam primus docuit Hippocrates: Herodoti ætate publicis in vicis ægrotantes exponebantur, ut quenam adhiberi possent remedia, transeuntes, si scirent, indicarent. Legislaturam omnium, qui populos ad civilem cultum deduxerunt, nomina et ætatem novimus, Moysis apud Hebræos; Zoroastri apud Persas; Orphei apud Thracas; Lycurgi apud Lacedæmonios; Thesei, Draconis et Solonis apud Athenienses; Pythagoræ in magnâ Græciâ, et aliorum. Ethnicarum denique religionum nulla pars est, cujus originem in historiâ non inveniamus. Omnium gentilitiorum deorum natales et vitam in terris olim descripsit Euhemerus; idèdque Epicureus apud Ciceronem ait « omnem eorum cultum « fuisse in lectu. » Templorum, statuarum, altarium, oraculorum, cæremoniârum et sacerdotum omnium originem novimus, ut probat Jaquetot de Exist. Dei. Atheismi quoque primos auctores memorie prodidit historia, Anaximandrum, Leucippum, Democritum: hanc gloriam Epicuro suo tribuit Lucretius, l. 1:

*Humana ante oculos sædè cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub religione:
Primum Cratus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.*

Tertiò, omnes celebriores eventus, et quæ ad eorum conservandam memoriam institutæ sunt solemnitates, certam et determinatam ætatem habent. Etenim cùm vetustissimus ille Græcorum præcipuè mos fuerit, ut ad retinendam consecrandamque personarum et eventuum maximorum memoriam solemnes ludos instituerent, ex horum ludorum antiquitate, quæ heroum, quæ eventuum sit antiquitas, colligi faciliè potest. Atqui ludorum omnium antiquissimi, qui Lupercales dicebantur, à Lycaone secundo, annis ante Christum 1537, instituti sunt. Panathæneos Erichthonius et Theseus, notæ ætatis heroes, instituerunt. Isthmios Glauco Corinthiorum rex. Pythios primùm instituisse dicitur Apollo, post interfectum latronem vel draconem Pythonem. Idem cùm in desuetudinem abiissent anno tertio Olymp. 48, juxta Pausaniam, vel anno secundo Olymp. 47, juxta marmor Oxoniense, solemnè Amphichthyonum decreto restaurati fuère. Olympicos tandem omnium celeberrimos primùm instituit, juxta, aliquos, in parentis sui funere Atreus, juxta alios Hercules, à quo ad eorum sub Iphito instaurationem annos 346 Velleius numerat. Iterùm ab Iphito ad Coræbum, qui primus est victor, cujus servatum posteris nomen est, anni 108 effluerunt. Ab hoc anno, qui est 776 ante Christum, Olympiades numerantur. Ergo publicè omnium gentium et monumentorum fide certum est, ante quater mille annos homines omnes paucissimis familiis contentos fuisse, in omni victu et vivendi ratione universè civili cultu caruisse; scilicet, sine urbibus, sine jure, sine lege, extra omne litterarum, scientiarum atque artium commercium vixisse. Mox vicos, pagosque secutos; deinde urbes, respublikas, et regna paulatim constituisse; factas leges, artes inventas, atque scientias excogitatas, cunctaque illa quæ ad pacis ac belli, et tam publicæ quàm private vitæ rationem spectant, horum omnium initia et incrementa constare: nullam omninò vastissimæ æternitatis superesse memoriam, aut regnorum, aut urbium, aut bellorum, aut inventionum, aut aliquorum in sapientiâ excellentium virorum, magnorumve ducum. Ergo eam omnem auctoritatem habet mundi recens origo, quam fides publica alicui sententiæ afferre potest. Vide de toto hoc argumento Jaquetot de Existentiâ Dei, et infra, in decursu, ubi de auctoritate antiquitatum Judaicarum.

Objicies 1°, cum Ocello Luciano et Aristotele -

Primum argumentari debemus de rebus incognitis, ex rebus cognitis, et de temporibus præteritis, ex temporibus presentibus. Sed non exprimur aliquid jam de novo fieri : omnia serie quâdam inter se nexa perpetuo tenore per generationis leges evolvuntur. Secundò, id omne quod generatur à statu imperfecto ad statum perfectum variis incrementis procedit, ac postea ad corruptionem et dissolutionem perpetuis immutationibus contendit. Atqui nulla est alia productionis via quàm per generationem, quia creatio est impossibilis : et aliunde mundus non habet illa incrementa et decrementa, sed est semper idem.—Respondeo, primam rationem esse planè ineptam ; quia isto modo argumentari, est manifestè assumere quod est positum in controversiâ ; et, ut notat Maimonides, More Nevochim l. 2, c. 17, si quis à teneris annis in insulam deductus, ibi educatus fuisset, nesciretque rationem humane generationis, hoc eodem argumento pertinaciter tueri posset, se nunquam in materno utero inclusum fuisse, nullum tempus, quo non spiraverit, quo omnes corporis sui partes eadem munera non obierint. Secundi argumenti partes omnes, vel falsæ sunt, vel saltem temerè assumptæ. Temerè primò assumitur id quod viâ generationis producit, cum nactum est maturam ætatem, non posse esse ex divinâ virtute stabile et immortale. Falsa quoque est secunda propositio, omnem productionem esse per generationem ; nam hoc assumere est supponere materiam resque omnes existentes æternas esse, et in Deo nullam esse vim creandi. Denique falsa est et temerè assumpta tertia propositio, videlicet mundi stabilem statum esse. Nam juxta philosophiam Newtonianam jam maximè probatam, mundi moles universa laborat et quotidè senescit, iisdem legibus peritura, quibus consistit, nisi *manu emendatricem opifex afferrat*. Sol perpetuis effluviis consumitur, et variis corruptionibus obnoxium esse macule indicant magnæ in planetis mutationes observatæ sunt.

Et certè si ex hæc nostrâ tellure conjectura capienda sit, adveniet tandem orbi fatalis dies, nisi elementorum vires perpetuò temperet naturæ parens. Nam præsens terræ organisatio in eo sita est, quòd elementa omnia contra vim gravitatis permixta sint, terra, aqua, aer, ignis. Tollitur in cælum terra, in terræ viscera traduntur aqua, aer, ignis ; sed juxta axioma : *Omne violentum non est durabile*. Ergo violenta hæc æquilibrii interruptio, per longum tempus durare poterit, lentasque accipere immutatio-

nes, sed in æternum permanere non poterit ; et vis gravitatis sola, quæ telluris partes pierceque vincunt quinquies partes aque, et quam nulla contraria vis satis suspendit, efficiet tandem, ut cavernarum interiorum columnis fatiscentibus, elementa minùs gravia excludantur ac juxta pondus specificum disponantur, ex illo statu nullâ vi naturâ dimovenda. Hanc generalem causam multæ adjuvant particulares. Numquid non cernimus ipsis oculis montium altitudines perpetuis ventorum flatibus et pluviarum elusionibus è regione aeris in nativum situm et subjectas valles ruere, campis aliquando æquandas ? Hincque existere conicam illorum figuram et capita petrosa terrâ nudata ? Legimus in historiâ, quàm plurimos gravibus terre motibus in subjectas cavernas quas quasi tumulos singulis fermè paravisse natura videtur, collapsos esse. Numquid non etiam manifestum est maris alveos perpetuis alluvionibus per flumina factis impleri ; et Caveas illas subterraneas, quibus flumina et maria ipsa absorbentur, quæque tum necessariæ sunt ad omnium fossilium metallorumque concreciones et ad fontium perennitates, aliquando arenâ atque terrâ, quas aqua secum ex mari et terræ superficie devolvit, ibique defæceta relinquit, aliquando ocludendas esse : ex quo fiet, ut aqua, visceribus terræ et alveo maris exclusa superficiem tandem exundatura sit ? Nonne tellus omnis ab aquis ubique exesa ruinæ speciem præbet ? Si verò vis gravitatis vincitur vi spiritûs vel ignis subterranei tellurem perpetuò intus excavantis, imminet telluri ex contrariâ causâ ruina ; scilicet omnis aqua in terræ viscera recepta aliquando, ibi sepulta remanebit. Si neuter effectus contingit, hoc esse non potest nisi ex sapientissimâ virium contrariarum temperatione, temeritatî seu fortunæ neutiquam adscribenda. Aliis Ocelli Lucani, Aristotelis, et Platoniorum rationibus petitis ex divinæ naturæ activitate infinitâ, ex ejus bonitate et ex creationis impossibilitate, infra suâ locis respondebimus.

Objicies 2^o : Supponi potest terram in seculorum serie infinitâ variis obnoxiam fuisset vicissitudinibus, plures passam esse, seu conflagrationes, seu aquarum elusiones ; et supponi potest delictos fuisse omnes fermè homines, et cum ipsis extinctas scientias, et deleta antiquitatis monumenta. — Respondeo 1^o id supponi non debere, quia non est assumendum sine probatione, quod est positum in controversiâ ; quia de facto quæstio est, factum autem

ex non contradictione seu merâ possibilitate nemo sapiens deduxerit; quia argumenta positiva arbitrariis suppositionibus non refelluntur; quia istarum conflagrationum seu eluvionum generalium ipsa ex naturalibus causis possibilitas non adstruitur. Deinde illæ calamitates, si omninò generales fuerunt, gens humana omnis perit et renovata postea est: et in hac hypothese novitas mundi defendenda est. Si fuerint particulares illæ calamitates, æterni mundi defensoribus nihil proderunt, quia non de quâdam particulari terræ parte, sed de toto orbe disputamus. Ogygis diluvio submersa fuerit Attica, non ideò totum perit humanum genus, non ideò inventas et excultas in aliis regionibus artes extinguere, aut deleri præteritarum rerum monumenta oportuit. Certè ex illo diluvio Noemico, quod universalissimum accepimus ex libris Moysis, etsi solus Noe cum familiâ superstes fuerit, conservata tamen est aliqua antiquiorum temporum memoria, saltem ipsius diluvii, apud omnes nationes.

Objicies 3^o: Totius nostræ telluris superior pars argumento est, illam antiquissimam esse et à multis seculorum millibus cum plantis atque animalibus existere. Nam 4^o demonstratur montes omnes etiam altissimos, et universam telluris partem exteriorem ad magnam usque altitudinem ab aquis marinis factam esse, exstructam successivis alluvionibus, et per strata compositam, adeoque omnes terras olim fundum fuisse. 2^o Ostenditur terram non fuisse in hoc situ, neque sic ab aquis compositam, nisi multis abhinc seculorum millibus.

Primum propositionem hæc confirmat, 1^o montium conformatio omnis. Et primum quidem observatur, quòd in montibus vicinis et oppositis alterna sit angulorum prominentium et intimorum oppositio: id est, quòd anguli unius prominentes oppositi sint angulis alterius intrò recedentibus ad modum ripæ fluminis, quæ forma non potuit nisi ab aquis interlabentibus proficisci. Secundò observatur, quòd eorumdem oppositorum montium altitudo sit æqualis; quæ æqualitas ostendit illos formatos fuisse sub aquis ad libellam compositis. Tertio observatur, quòd in omnibus materia similis sit, quæ similitudo indicat causam eandem et eodem tempore agentem. 2^o Probat materia omnis ex quâ montes et universæ terræ pars superior componitur. Sunt enim rupes, lapides, argillæ, cæteraque ejusdem generis, quæ ex arenâ tenui confecta non potuere, nisi ab aquâ arenas coæcervante, formari. Sunt conchæ, aliæque

piscium exuvie, quæ in montium verticibus et in terrâ ad altitudinem maximam reperiuntur, in lapidibus marmoribusque passim inclusæ; materiâ circumjectâ plenæ, in maximas moles quandoque coæcervatæ; et quedam etiam conchæ effodiuntur dissitis regionibus peculiare. Hæc omnia mare innuunt, cujus aquæ conchas à regionibus, tum dissitis, tum vicinis, congregaverunt; congregatas arenâ in lapides postmodum convertendâ impleverunt et circumdederunt; tum efformatâ desuper lapidum et terræ mole penitus obruerunt. 3^o Confirmat situs variorum stratorum, lapidis, marmoris, argillæ; quæ sibi sunt parallela, horizontalia, vel horizonti similiter inclinata. Hic stratorum situs ostendit, ea ab aquis successivâ alluvione instar sedimenti fuisse deposita: quod etiam conficitur ex rimis seu fissuris perpendicularibus, quæ in hisce omnibus stratis inventæ siccitati, post aquarum recessum, evidenter adscribende sunt.

Secunda propositio, quòd terra nostra sic non fuerit ab aquis composita, nisi pluribus abhinc seculorum millibus, facile probatur. Nam hæc terræ conformatio non potest adscribi ullis causis, nisi maris motibus, præsertim ei quo per lunæ actionem fertur ab oriente in occidentem (1). Propter hunc motum mare oras orientales perpetuo verberat, abradit, invadit; occidentales verò perpetua alluvione ditat, auget ac deserit. Hincque factum est, ut præpè oras obversas orienti mutæ existant insule, maris invadentis ex illâ parte terras certissima signa. Hinc juga montium in longos tractus ab austro ad boream porrecta medios continentes dividunt; et ipse terræ continentes ab austro ad boream extensæ æquatori æqualiter inclinatæ, eodem fermè modo in oris suis orientalibus exesæ. Hinc telluris diversa strata non secundum gravitatem specificam inveniuntur; sed graviora sæpè levioribus propter successivam longo tempore alluvionem superponuntur: hæc omnia per diluvium vel eluvionem aliquam subitam explicari nullo modo possunt. Jam verò motus hic maris invadentis terras orientales tardus admodum est, quippe quo maris aqua vix semileucam intra 12000 annos conficiunt (2), uti experientis aliquibus constare dicitur. Colligitur quoque ex prædictis observationibus, universam terram ex materiâ so-

(1) De hoc motu vide Varenii Geogr. gen. l. 1, c. 14.

(2) Hist. nat. art. 19, p. 600.

lari esse compositam, et in primo suo statu per plura secula aquis operam jactu; eandemque vario motu maris, illo præsertim generali quo tota moles ab oriente in occidentem à lunâ cietur, dilutam, abrasam, et excavatam in aliquibus locis alveum mari excipiendo præbuisse; eandem in aliis locis auctam perpetuis alluvionibus sensim in extantem aquis superficiem et in montes efformatam esse (1). At hæc omnia nonnisi post longissima tempora fieri potuerunt.

Respondeo priorem propositionem tot observationibus confirmatam vix negari posse: nempe exterioriorem partem telluris, ad certam usque altitudinem, factitiam esse et ab aquis compositam; posteriores verò hypotheses, quibus utitur auctor et vrisimus Historiæ naturalis nuper vulgatæ, et quibus abuti poterunt religionis revelatæ contemptores, non esse satis confirmatas, et multis patere gravioribus objectionibus: aliam esse viam rei expediendæ et historiæ et observationibus magis congruentem.

I. Multa in prædictis hypothesis magnam habent difficultatem. Primò non intelligitur quomodò mare, quod olim elevatum fuit supra montes altissimos, aut cum eorum verticibus ad libellam compositum, plusquam 5217 expedas, seu 19502 pedes descenderit: tantò enim montes Peruviani jam superant libram maris. Imò evidentissimè demonstratur libram maris mutari non posse, eo modo quem probavit auctor historiæ naturalis: nempe per excavationem fundi in aliquibus partibus et terrarum abrasarum translationem in alias fundi partes. Quia aquæ in alveum excavatum descendens locum semper occupabit terra ex alveo extracta et in alium locum tantùm translata. Ut aquarum libra deprimatur, seu ut earum superficies ad centrum terræ aliquatenus accedat, necesse est ut terræ excavatæ supra aquæ superficiem vi aliqua, ab alluvione diversâ, attollantur: tuncque aquarum libra deprimetur ratione quantitatis terræ supra aquæ superficiem elevatæ. At si sit necessariò admitenda causa aliqua ab alluvione successivâ diversa, ruit totum auctoris Historiæ naturalis systema.

Secundò, si in oras terræ orientales semper impetum faciat oceanus; si signa multa sint, ex quibus colligitur oras illas utriusque continentis 500 leucarum spatío jam imminutas et exesas esse (2); si in oris occidentalibus hæ

terræ abrasæ depositæ fuerint, cur ergo abruptæ sunt, et perpendiculariter exesæ oræ pleærque occidentales? Talia sunt littora Galliæ, Hispaniæ, Africæ totius, et maximæ partis Americæ. Cur littora orienti obversa sunt contra minimæ altitudinis in utroque continente? Cùm è contrario occidentalia littora, quæ mare deserit, esse deberent declivâ et sensim inclinata: orientalia verò, quæ mare perpetuò abradit, abrupta et perpendicularia. Cur etiam oræ occidentales non stipentur insulis, sicut orientales, cum ex perpetuis alluvionibus et incrementis in illis potius oriri deberent? Cur juga montium in periculis insulis et procurrentis terræ continentis partibus ita sunt sita, ut medias terras pervadant atque in duas partes dividant (1): cùm hic situs, in hypothesi quam impugnamus, perpetuò mutari debeat, et ab occidente ad orientem accedere, quia partes insularum et continentis orientales semper abraduntur, occidentales alluvione augentur? Si in aliquo situ juga montium diutius permanere deberent, id contingeret, quando occuparent oras orientales, immenso suo volumine ac rupibus maris accessum longo tempore impediendâ: at è contrario à multis sæculis medias terras dividentiã ostendunt et efficiunt earum stabilitatem, aut saltem indicant mare tantùm absumpsisse ex parte occidentali, quantum ex orientali.

Cur ex duabus telluris continentibus, una, nempe America, porrecta est magis à septentrione in austrum; altera dicta vetus magis porrecta est ab oceano Atlantico ad fines Tartariæ orientalis, quàm à septentrione ad austrum, in quâ directione sunt etiam montium juga? Cur tanta in jugis montium diversitas? «Alia, inquit Varenius lib. 1, cap. 10, progrediuntur à septentrione in austrum, quædam à oriente in occidentem, et alia ad plagas cardinibus collaterales. Quidam montes, ut idem habet ibid., longo tractu extenduntur, alii parvo circuitu terminantur. Quidam medias regiones secant, alii per quosvis regionum tractus transeunt.» Hæc tanta varietas in omni re ex unâ causâ mechanicâ uniformiter agente, qualis erat initio juxta auctorem Historiæ naturalis maris motus ab oriente in occidentem, explicari nullo modo potest.

Tertiò observatum est, conchas, quamvis accuratè ocellusas, plenas tamen esse materiâ circumjectâ, cujus rei per *lentæ* et *successivæ* alluviones ratio reddi nequit. Nam si lento

(1) Hist. nat. art. 49.

(2) Hist. nat. art. 19.

(1) Var. Geogr. l. 1, c. 40.

aquarum motu arena vel sabulum in conchas delatum est, vel pisciculis primâ alluvione prefocatus concham occlusit, sicutque novis alluvionibus introitus denegatus est, et concha vacua remanere debuit; vel pisciculo præfocato concha non est occlusa, atque iterum iterumque alluviones intra se recepit, sicutque nunquam potuit occludi. Observatum etiam est, conchas plerumque ejusdem esse gravitatis specificæ cum stratis, in quibus jacent sepultæ, graviore in stratis gravioribus, leviores in stratis levioribus; et quando conchæ leviores in stratis gravioribus reperiantur, occupant strati superiorem partem: hanc observationem inculcat ubique Woodward in historia naturali. Sed si successivè et variis per plura secula alluvionibus strata composita fuissent in fundo maris, in omnibus stratis omnis generis conchæ, aliæque piscium exuvie invenirentur, et strata servarent nusquam rationem gravitatis specificæ.

Quartò, gravissimum quoque hoc incommodum videtur in hypothesi prædictâ, quòd dum ad telluris per strata compositionem explicandam sit inventa, tamen supponat tellurem per strata antea fuisse compositam, cum hæc differentia, quòd in primâ tellure strata, quæ jam sunt superiora, fuerint inferiora. Nam maris undæ diluentes fundum A, cumque abradentes, non potuerunt transferre in locum B stratum argillæ, quin loco A ejusdem generis stratum invenissent. Et si strato huic argillæ postea imposuerint stratum arenæ, illud stratum invenerunt in loco A continuatâ excavatione. Vel si supponas oras Asiæ orientales perpetuò abradî et alluvionem continuò fieri in oris occidentalibus Americæ, alluvio esse non poterit alterius generis quàm est eluvio; et si alluvio fiat per strata, eluvione quoque strata exesa fuerunt.

Quintò vix intelligitur quomodò tellus dura, solida, vitrea, si fuerit olim omnis aperta aquis, ex hoc tam naturali statu, in quo elementa disponerentur secundum specificam gravitatem, unquam poterit dimoveri per motum aquarum æquabilem ab oriente in occidentem, cum nondum essent venti nisi æquabiles, et fundus levis et rotundus sine ullis inæqualitatibus relinqueret aquis motum liberrimum. Fuissetne in hæc hypothesi nisus aquarum ab oriente in occidentem, qui est fermè insensibilis in ipsâ superficie, par vincendæ vi utriusque, tum gravitatis, quâ telluris pleræque partes vincunt quinque partes aëur. tum cohesionis par-

tium vitri solidi? Ad minuendam hanc difficultatem supponit auctor Historiæ naturalis superiorem telluris partem mollem fuisse, nempe ex vitri spumâ vel scorîâ confectam. Sed nescio an omnem difficultatem tollat hæc suppositio. Nam innumeræ sunt in mari profluentes aquæ, vulgò *courants*, quarum motus augetur, tum æstu maris, tum ventis, tum fundi inæqualitatibus; sunt in terrâ flumina, quorum omnium lundus, licet ex arenâ tenui, post infinitum tempus vix aliquam mutationem accipit.

Sed concedamus à maris motu æquabili excavatum fuisse maris alveum, cur non fuit omnis inter tropicos conclusus, ubi totus oceanus ab oriente in occidentem torrentis instar proflucat? Cur terræ dilute et abraße non fuerint versus polos disjectæ, ubi erat major tranquillitas maris? Cur maximi montes Peruviani contra hanc vim in cælum vertices extulère? Probat auctor Historiæ naturalis art. 49, sinus maris majores esse omnes extensos ab oriente in occidentem, indicantes impetum aquarum esse secundum istam directionem. Sed si jam oceanus terras illas disjiciat, et earum ruinam perpetuò operetur, quomodò initio formate sunt contra eundem hunc impetum, quem nulla alia vis suspendebat? Præterea est terra omnis verisimiliter cavernosa interius (1), hæcque conformatio necessaria multis videtur ad fontium perennitates explicandas. An etiam per motum maris ab oriente in occidentem solida terra terebrata est? An potiùs dicemus aquas in stratis conficiendis hinc et inde specus et cavernas reliquisse, et fornices, quibus tegerentur, extruxisse? Si igni in visceribus terræ æstuanti hi tanti effectus tribuendi sunt, cur etiam eidem non tribuamus ipsis montium, qui omnes fermè sunt cavernosi, extractionem? Constat certè ex historiâ plures montes, sicut et insulas in medio mari, hæc ratione formatos esse. Aut si Deus ex naturâ, ex opere suo, à phitosopho sit ablegandus, dicerem montes in tantam altitudinem elatos esse propter vicinariam terrarum ingentes, fatiscentibus columnis, ruinas.

II. Alia est via rei expediendæ, et historiæ et observationibus magis congruens, nempe per diluvium, quale describitur à Moysè, et quod non tantùm mansit in memoriâ Hebræorum, verùm etiam in fastis omnium aliarum nationum antiquissimarum. Narrat Moyses cum

(1) Varenius, l. 4 Geogr. c. 15, 16. Woodward, hist. nat. Burnet, Theoria telluris. Seneca Qu. nat. l. 3.

summa fidentia, ut rem omnibus notam, 800 solummodo ante annum ætatem annis continuam fuisse per dies et noctes quadraginta pluviam, atque præterea aquas terræ visceribus inclusas sive aquas abyssi super universam superficiem effusas, per quinque menses integros, seu 150 dies (1) crevisse. An verò hæc continua per dies quadraginta pluvia et aquarum subterranearum per dies 150 exundatio adscribenda necessariò sit divinæ virtuti immediatè, et contra naturæ vires legesque operanti, an non possit adscribi causis naturalibus à Deo ab initio præparatis, ut cometa ad terram propius accedenti (2), vel terrarum in multis partibus disruptioni et illapsui in suppositas aquas (3), hic dijudicare, neque vacat neque necesse est. Ostendamus solummodo causas assignatas à Moysè pares esse omnibus phænomenis explicandis. Juxta explicationem hanc manifestum est aquam per quinque menses in terram effusam non fuisse limpida et defæcatam, sed maximè turbidam: tum propter continuam per dies quadraginta pluviam terram diluentem; tum propter vim aquarum immensarum (4) terræ visceribus per omnes aperturas cum magnâ vi et impetu erumpentium, vel etiã exteriora strata in multis locis disrumpentium, secumque magnam terræ quantitatem delerentium; tum propter perpetuam per menses decem, quibus terræ ferè omnes aquis operatæ jacuerunt montium et edtorum locorum eluvionem ex violentâ aquarum agitatione, quam augebant,

(1) Auctor Hist. nat. non rectè supponit, prouve art. 4, p. 187, et art. 5, p. 191, diluivum 40 tantum diebus durasse.

(2) Vide Whiston Theor. tell.

(3) Burnet Theor. sacr. telluris.

(4) Quantitas aquæ necessaria ad tegendos altissimos montes, terræ visceribus tunc extracta, vigesies superat quantitatem aquæ contentam in oceano, ut demonstravit Keillius contra Burnetum. Neque aliquem perturbabit hæc quantitas aquæ, quando cogitabit 1º quòd, juxta Varenium l. 4. c. 7, p. 1, intus in soliditate terræ existant « innumeri hiatus, recessus, anfractus, cuniculi, voragine, tubuli » et vasta receptacula, in quorum quibusdam « mare est, nempe quæ alveo maris per aliquam viam conjunguntur, in quibusdam aqua « dulcis, fluvii, amnes. » « Nimis ille oculus percutit, ait Seneca, qui non credit esse in abscondito terræ sinus maris vasti, » etc. Vid. nat. qu. l. 3. 2º « quòd altitudo montis altissimi, juxta eundem geographum, l. 4, c. 9, p. 7, « non habeat ad semidiametrum telluris sensibilem proportionem, sive ad eò exiguam, ut rotunditati telluris non officiat. » Ex hæc duplici observatione collige totam illam aquæ quantitatem, quamvis phantasticè immensa videatur, respectu globi terrestris minimam esse.

tum æstus reciprocus, tum venti, tum visibilia immensa aquas è terræ imis visceribus extrahentes (1). Propter tot ac tantas causas aquas turbantes supponi potest, terram in aquâ dilutam, vel ab aquis aliquo modo deportatam spatio decem mensium 500^{mm} partem spatii, ab aquis turbidis occupati, tenuisse. Jam verò divide altitudinem aquarum operientium altissimos montes 15 cubitis, quæ vulgò censetur circiter 4000 exapedarum vel 210000 pedum, per 500, habebis crassitudinem strati, quod per aquas diluvii terræ universæ superponi potuit, videlicet 80 pedum (2). Hæc abundè sufficit ad oblimandas satis omnes telluris partes mediæ altitudinis, de quibus solis solliciti sumus, quia, ut modò dicemus, partes sublimiores potiùs eluvione diminute, quàm alluvione auctæ fuerunt; et partes inferiores diutiùs aquis submersæ jacuerunt et à quater mille annis, novis alluvionibus per pluvias et decurrentes ex locis altioribus rivos incrementa cœperunt, ut docet ipse auctor Historiæ naturalis.

Ex hæc explicatione hæc sequuntur: 1º Altissimorum montium apices debent esse plerùmque terris nudati; quòque editiora sunt loca, eò minùs etiã crassa esse debent diversæ materiæ strata et pauciores conchæ: quòd in istâ altitudine aquæ fuerint magis delæcatæ et minùs perduraverint. Erunt tamen exuvia piscinum etiã majorum, qui in istâ tan-

(1) Quid tu esse Rhodanum, quid putas Rheum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali suo cursus est, cum superflui novis sibi fecere ripas, ac scissâ humo simul excessere alveo? Quantâ cum præcipitatione volvuntur!... Cùmque Danubius non jam radices, nec media montium stringit: sed juga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera, rupesque disjectas, et magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus è contenti recesserunt. Deinde non inveniens exitum (omnia enim sibi ipse præcluserat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque urbium uno vertice involvit. Interim permanent imbres... Procellæ quatunt mare. Sen. nat. qu. l. 3.

(2) Vide Whiston Theor. tell., p. 416. Juxta D. Maillet Description de l'Égypte, p. 50, hinc ab aquis Nilî exundantibus deportatus ex Æthiopiâ tenet decimam partem spatii ab aquis occupati: et constat ex plurimis observationibus aquas Padi multò majorem terræ quantitatem deferre quàm supra posuimus. Benè ergo supponere potuissemus aquas diluvii superposuisse veteri telluri stratum novum trecentorum, vel quadringentorum pedum, imò verò crassum magis, propterea quòd exundatio diluvii non aliquibus diebus aut duobus vel tribus mensibus, sed per totum ferè annum duraverit, et fuerit multò major propter causas supra relatas, terrarum disjectio, dissipatio, deportatio.

ta aquarum perturbatatione loca altiora tebant. Propter eandem rationem non solum in humilioribus locis strata crassiora oportet esse, sed etiam strata ejusdem loci diversa erunt crassiora, quò sunt profundiora. Strata in montium verticibus, qui plani sunt, plana erunt, in lateribus inclinata, quæ omnia experientiâ confirmata esse docet auctor Historiæ naturalis. 2^o In montibus oppositis apices sublimes, si fuerint terris nudati, irregulares erunt. Reliquæ partes inferiores, si sint nullâ terrâ tectæ, habebunt angulos prominentes et introcedentes alternè oppositos, hoc est, anguli unus prominentes respondebunt alterius angulus interioribus, ad modum ripæ fluminis, utpote quæ per plures menses magnâ aquarum interlabentium vi exesce primùm, postea subsidentibus aquis refectæ sunt. At hæc angulorum extimorum et intimorum oppositio, magis accurata esse debet in collibus et in campis, ubi major materiæ novæ quantitas propter solum humilior rem fuit deposita. Ubi montium oppositorum vertices solidi et saxei non resisterent aquis diluvii, eorum altitudo imminuta est et ad æqualitatem perducta, ac quasi composita ad libellam (1). 3^o Strata materiæ erunt secundùm specificam gravitatem. Conchæ erunt in stratis ejusdem densitatis; et ubi conchæ leviores inveniuntur in stratis gravioribus, superficiem tenebunt, metalla profundiora loca occupabunt: quæ experientiâ constare docet Woodwardus. Tamen propter perturbatum motum aquarum aliquæ esse poterunt exceptiones, præsertim in locis humilioribus, ut modò dicemus.

Objicit auctor Historiæ naturalis, montes ex lapide confectos superponi stratis minis densis. Potuit primùm hæc esse primæva rerum dispositio ob causas aliquas Creatori notas. Sed præterea juxta Newtonum princ. math. l. 3, p. 10, terra communis suprema est tantum duplo gravior quàm aqua: at paulò inferius in

fodinis terra triplo, vel quadruplo, vel etiam quintuplo gravior reperitur. Juxta Whistonum Theor. tell. p. 83, lapidum gravitas relativè ad gravitatem aquæ est, ut 14 ad 5, ex quibus observationibus sequi videtur lapides vinci gravitate à terrâ interiori. Conchæ erunt sæpè repletæ materiâ circumjectâ, quia in illis contenti pisciculi aquam haurientes per alluvionem subitam præfocati sunt, conchamque morientes occluserunt nunquàm iterùm aperiendam (1).

4^o Aquæ satis celeriter initio per cavernas montium et fissuras in terræ viscera recesserunt, et editiora telluris loca, quales sunt non tantùm montes Gordiani, in quibus arca consedit, sed tota septentrionalis Asiæ pars, in quâ ipsi colles per maximam anni partem nive teguntur, aquis per quinque menses subsidentibus siccati poterunt. At humiliores terræ partes diutius aquis submersas jacuisse probabile est, alias magis, alias minùs, quasdam verò per plura secula. In hisce regionibus omnis exterior terræ pars conformari potuit juxta hypothesim auctoris Historiæ naturalis: erunt hic strata materiæ graviora, quandoque ex successiva alluvione levioribus impositâ.

5^o Rimæ seu fissuræ perpendiculares nullam nobis faciunt difficultatem; eidem causæ illas adscribimus, cui adscripsit auctor Historiæ naturalis, siccitati nempe post aquarum recessum.

« At, in quies, nulla ergo remanere debuerunt veteris terræ vestigia (2). » Nulla quidem in locis humilioribus, sed multa in altioribus, in quibus vix ulla contigit mutatio: regio in quâ arca consedit, est omnium altissima, et ideo plantæ incolomes manserunt.

« At tellus omnis oblimata recenti limo frugibus ferendis parùm apta fuisset (3). » Et hoc verum de locis inferioribus. « At pisces omnes in aquis turbidis præfocati interire debuerunt (4). » Et hoc quoque admittimus,

(1) In Italiæ littore prope Formias (nunc *vole di Gaeta*) extrahuntur à mari lapides pleni musculis vivis, qui separati totidem cellulis inclusi inter se per filamenta rubra communicant. Lapidus hi ex limo, in quo musculi demersi jacebant, et succo glutinoso corporibus exsudante confecti sunt, et lapsu temporis maximam duritiem acquirere possunt. Mortuis autem musculis vel illis deficientibus, ferri potest ut limus per filamentorum canales in interiora lapidis et in ipsas conchas per rimulas quasdam introducatur, illas repleat et durescat. Et sic intelligitur, et quomodò conchæ marinæ in lapidibus reperitur, et ipsæ etiam conchæ circumfusâ materiâ plene quoque inveniuntur.

(2) Hist. nat. p. 200. (3) *Ibid.* p. 201. (4) *Ibid.*

plerisque interiisse, omnes scilicet quibus altiores montes petere non licuit. Non negamus etiam, quin mare jam occupet aliquas telluris partes, quas antea non occupabat; quin etiam in seculis innumerabilibus fieri possit, ut omnis nostra continens submergatur; et partes quam plurimæ jam submersæ emergant ex multis causis : de quibus vide Aristotelem, l. 1 Meteor. c. 14; Stevinum in Geog.; Varenium, Geogr. l. 1, c. 18. Sed non putamus in illis novis continentibus solam maris lentissimam alluvionem attollere posse montes ad altitudinem vigesies mille pedum supra maris libram. « Quosdam montes, inquit Varenium l. 1, c. 9, « prop. 8, progressu temporis generatos esse « colligitur ex concludularum testis, quæ in « quibusdam montibus inveniuntur, ut in Gælicæ montibus. Et generatiois modus hic « esse videtur, si ventus vehemens arenam et « sabulum paulatim in locum montis deferat et « accumulet accedente pluvîa. Qui modus sicut « minores montes producere potest, ita verisimile videtur majores montes non esse generatos, sed ejusdem cum totâ tellure ætatis « et originis. » Vide Whistonii Theoriam telluris l. 4, c. 4, ubi diligenter et minutè ex supra positis principiis singula phenomena ad præsentem terræ conformationem pertinentia, quæ nos prosequi hic non possumus, explicat ingeniosus auctor.

(Annotatio P.-S.)

Istud de recenti mundi origine argumentum mirè versavit clarissimus Cuvier, cujus verba operæ pretium est referre, deprompta scilicet ex ejus dissertatione de *Ossibus fossilibus*.

« La nature nous tient partout le même langage, partout elle nous dit que l'ordre actuel des choses ne remonte pas très-haut; et, ce qui est bien remarquable, partout l'homme nous parle comme la nature, soit que nous consultions les vraies traditions des peuples, soit que nous examinions leur état moral et politique et le développement intellectuel qu'ils avaient atteint au moment où commencent leurs monuments authentiques. Interrogeons, en effet, l'histoire des nations, lisons leurs anciens livres, essayons d'y reconnaître ce qu'ils contiennent de faits réels et de les dégager des fictions intéressées qui y masquent la vérité.

Le Pentateuque existe sous sa forme actuelle au moins depuis le schisme de Jéroboam, puisque les Samaritains le reçoivent comme les Juifs, c'est-à-dire qu'il a maintenant, à coup sûr, plus de deux mille huit cents ans.

« Il n'y a nulle raison pour ne pas attribuer la rédaction de la Genèse à Moïse lui-même, ce qui la ferait remonter de cinq cents ans plus haut.

« Moïse et son peuple sortaient de l'Égypte, qui, de l'aveu de toutes les nations d'Occident, est le royaume le plus anciennement civilisé de tous ceux qui entourent la Méditerranée. Le législateur des Juifs n'avait aucun motif pour abrégier la durée des nations, et il se serait décrédité lui-même auprès de la sienne, s'il lui eût enseigné une histoire toute contraire à celle qu'elle devait avoir apprise en Égypte.

« Il y avait donc tout lieu de croire que l'on n'avait point alors en Égypte d'autres idées sur l'antiquité des peuples existants que celles que la Genèse présente.

« Or, Moïse établit une catastrophe générale, une irruption des eaux, une régénération presque totale du genre humain; et il n'en fait remonter l'époque qu'à quinze ou seize siècles avant lui, selon les textes qui allongent le plus cet intervalle, par conséquent à moins de cinq mille ans avant nous.

« Les mêmes idées paraissent avoir régné en Chaldée, puisque Bérosee, qui écrivait à Babylone au temps d'Alexandre, parlait du déluge à peu près comme Moïse, et qu'il le plaçait immédiatement avant Bélus, père de Ninus.

« On ne voit pas que Sanchoiathon en ait parlé dans son *Histoire de Phénicie*, quelle que puisse être l'authenticité de ce livre; cependant on paraît y avoir cru en Syrie, puisque l'on montrait dans un temple d'Hierapolis, à une époque très-postérieure, il est vrai, l'abîme par où l'on prétendait que les eaux s'étaient écoulées.

« Quant à l'Égypte même, on pourrait croire que cette tradition y fut effacée, puisque l'on n'en retrouve plus de trace expresse dans les plus anciens fragments qui nous restent sur ce pays. Il est vrai qu'ils sont tous postérieurs à la dévastation de Cambyse, et que leur peu d'accord entre eux prouve bien qu'ils sont tirés de documents mutilés; car il est impossible d'établir le moindre rapport vraisemblable entre les listes des rois d'Égypte écrites par Hérodote sous Artaxerxès, par Eratosthène et Manéthon sous Ptolémée, et par Diodore sous Auguste; on ne peut pas même accorder entre eux les différents extraits tirés de Manéthon. Cependant la mythologie égyptienne, au défaut de l'histoire, semble encore rappeler ces grands

événements dans les aventures de Typhon et d'Osiris; et même si les prêtres de Sais ont réellement fait à Solon les contes que rapporte, après lui, Critias dans Platon, il faudrait croire qu'ils avaient conservé des notions plus précises d'une grande révolution, quoiqu'ils en fissent remonter l'époque beaucoup plus haut que Moïse. Ils avaient même établi en théorie une alternative de révolutions, les unes opérées par l'eau, les autres par le feu : idée qui fut aussi répandue chez les Assyriens et jusqu'en Etrurie.

« Les Grecs, chez qui la civilisation arriva de Phénicie et d'Égypte et si tard, mêlèrent les mythologies phéniciennes et égyptiennes, dont on leur avait apporté des notions confuses, avec les traits non moins confus de leur première histoire. Le soleil personnifié, nommé *Ammon*, ou le Jupiter d'Égypte, devint un prince de Crète; le *Phtha*, ou artisan de toutes choses, fut l'*Hephestus* ou Vulcain, un forgeron de Lemnos; le *Cham*, autre symbole du soleil ou de la force divine, se transforma en un héros thébain robuste, leur *Héraclès* ou Hercule; le cruel *Moloch* des Phéniciens, le *Remphal* des Égyptiens, fut le *Chronos* ou le Temps, qui devrait ses enfants, et ensuite Saturne, roi d'Italie.

« S'il arriva, sous quelque'un de leurs princes, une inondation un peu violente, ils la décriront dans la suite avec toutes les circonstances vaguement restées dans leur mémoire du grand cataclysme, et ils firent repeupler la terre par Deucalion, tout en laissant une longue postérité à son oncle Atlas.

« Mais l'incohérence de ces récits, qui atteste la barbarie et l'ignorance de tous les peuples des bords de la Méditerranée, atteste également la nouveauté de leurs établissements, et cette nouveauté est elle-même une forte preuve d'une grande catastrophe. On nous parle bien en Égypte de centaines de siècles; mais c'est avec des dieux et des demi-dieux qu'on les remplit. Il est, pour ainsi dire, prouvé aujourd'hui que la suite d'années et de rois humains que l'on place parmi les demi-dieux et avant l'invasion des pasteurs, tient à ce que l'on regarde comme des rois successifs les chefs de plusieurs petits États contemporains.

« Macrobe assure que l'on avait des recueils d'observations d'éclipses faites en Égypte qui supposeraient un travail continué sans interruption depuis au moins douze cents ans avant Alexandre. Mais comment Ptolémée n'a-t-il

daigné se servir d'aucune de ces observations faites dans le pays où il écrivait?

« Il n'y avait point encore de grand empire en Asie du temps de Moïse, et les Grecs eux-mêmes, malgré leur facilité à inventer des fables, n'ont pas pris la peine de se fabriquer une antiquité. Les plus anciens colons d'Égypte ou de Phénicie, qui vinrent les arracher à un état sauvage, ne remontent pas à plus de quatre mille ans avant le temps présent; et les plus anciens des auteurs qui en parlent ne datent pas de trois mille. Les Phéniciens eux-mêmes n'étaient en Syrie que depuis peu, quand ils firent des établissements en Grèce. C'est aussi à quatre mille ans que remontaient les observations des Chaldéens, envoyées à Aristote par Callisthène, si ce fait, qui n'est rapporté que par Simplicius, six cents ans après Aristote, avait quelque chose d'authentique, ce qui est fort douteux, puisque les observations chaldéennes d'éclipses réellement conservées et citées par Ptolémée ne remontent qu'à deux mille cinq cents ans. Quoi qu'il en puisse être, l'empire de Babylone et celui d'Assyrie n'ont pu être long-temps puissants, et laisser autour d'eux de petites peuplades libres comme étaient toutes celles de Syrie, avant ce qu'on appelle le deuxième royaume d'Assyrie. Les milliers d'années que s'attribuent les Chaldéens sont donc tout aussi fabuleux que ceux des Égyptiens, ou plutôt ce ne sont que des périodes astronomiques, calculées en rétrogradant, d'après des observations inexactes, ou même de simples cycles arbitraires et multipliés par eux-mêmes.

« Les plus raisonnables des anciens n'ont pas eu d'autres idées, et ne font pas remonter à plus de quarante et quelques siècles leur Ninus et leur Sémiramis, premiers des conquérants, et après lesquels l'histoire garde un long silence; ce qui fait soupçonner qu'ils pourraient bien encore n'être que des créations postérieures des historiens.

« Nos connaissances, notre civilisation actuelle descendent sans interruption des Égyptiens et des Phéniciens par les Grecs et par les Romains; les Juifs nous ont donné immédiatement nos idées plus épurées de morale et de religion; quelques traits de lumière nous sont aussi venus par eux et par les Grecs, des Chaldéens, des Perses et des Indiens; et, chose bien remarquable, les peuples ne forment qu'une race: ils se ressemblent par les traits du visage, et même par une infinité de choses

de convention, telles que leurs divinités, les noms de leurs constellations, enfin jusque dans le fond de leurs langages.

« Ceux d'entre ces peuples dont la civilisation est peut-être la plus ancienne et paraît avoir le moins varié dans ses formes, ceux qui probablement sont encore les plus voisins de son berceau, les Indiens, n'ont malheureusement point d'histoire; et, parmi cette infinité de livres de théologie mystique ou de métaphysique abstruse qu'ils possèdent, ils n'ont rien qui puisse nous instruire avec ordre sur leur origine et sur les vicissitudes de leurs sociétés. Leur *Maha Barata*, ou prétendue grande histoire, n'est qu'un poème; leurs *Pouranas* ne sont que des légendes; et l'on a eu beaucoup de peine, en les comparant avec les auteurs grecs et romains, à établir quelques lambeaux d'une espèce de chronologie interrompue à chaque instant et qui ne remonte pas plus haut qu'Alexandre.

« Il est prouvé aujourd'hui que leurs tables astronomiques, d'où l'on voulait déduire leur extrême antiquité, ont été calculées en rétrogradant; et l'on vient de reconnaître que leur *Suria-Cidhanta*, qu'ils regardent comme leur plus ancien traité scientifique d'astronomie, et qu'ils prétendent révéler depuis plus de deux millions d'années, ne peut avoir été composé qu'il y a environ sept cent cinquante ans.

« Leurs livres sacrés, ou *Vedas*, à en juger par le calendrier qui s'y trouve annexé et auquel ils se rapportent, et d'après la position de couleurs que ce calendrier indique, peuvent remonter à trois mille deux cents ans: ce qui serait à peu près l'époque de Moïse.

« Cependant les Indiens n'ont point totalement oublié les révolutions du globe; leur théologie consacre les destructions successives que sa surface a déjà essayées et doit essayer encore; et ce n'est qu'à un peu moins de cinq mille ans qu'ils font remonter la dernière: l'une de ces révolutions est même décrite dans des termes presque correspondants à ceux de Moïse.

« Ce qui n'est pas moins remarquable, c'est que l'époque où ils placent le commencement de leurs souverains humains (ceux de la race du soleil et de la lune) est à peu près la même que celle où l'on fait commencer ceux des Assyriens, environ quatre mille ans avant le temps présent.

« Il est inutile de consulter, sur ces grands événements, les peuples les plus méridionaux, tels que les Arabes et les Abyssins: leurs an-

ciens livres n'existent plus; ils n'ont d'histoire que celle qu'ils se sont faite récemment, et qu'ils ont modelée sur la Bible. Ainsi ce qu'ils disent du déluge est emprunté de la Genèse et n'ajoute rien à son autorité. Mais les Guèbres, aujourd'hui seuls dépositaires de la doctrine de Zoroastre et des anciens Perses, placent aussi le déluge universel avant Cayoumarais, dont ils font leur premier roi.

« Pour retrouver des traces vraiment historiques du dernier cataclysme, il faut aller jusqu'au-delà des grands déserts de la Tartarie. Vers l'Orient et vers le Nord, habite une autre race dont toutes les institutions, tous les procédés diffèrent autant des nôtres que sa figure et son tempérament. Elle parle en monosyllabes; elle écrit en hiéroglyphes arbitraires; elle n'a qu'une morale politique sans religion, car les superstitions de Fo lui sont venues des Indiens. Son teint jaune, ses joues saillantes, ses yeux étroits et obliques, sa barbe peu fournie, la rendent si différente de nous, qu'on serait tenté de croire que ses ancêtres et les nôtres ont échappé à la grande catastrophe par deux côtés différents. Mais, quoi qu'il en soit, ils datent leur déluge à peu près de la même époque que nous.

« Le *Chou-king* est le plus ancien des livres des Chinois: on dit qu'il fut rédigé par Confucius avec des lambeaux d'ouvrages antérieurs, il y a environ deux mille deux cent cinquante ans. Deux cents ans plus tard, arrivèrent la persécution des lettres et la destruction des livres, sous l'empereur Chi-hoang-ti. Une partie du *Chou-king* fut restituée de mémoire par un vieux lettré, quarante ans après, et une autre fut retrouvée dans un tombeau; mais près de la moitié fut perdue pour toujours. Or, ce livre, le plus authentique de la Chine, commence l'histoire de ce pays par un empereur nommé Yao, qu'il nous représente occupé à faire écouler les eaux qui, s'étant élevées jusqu'au ciel, baignaient encore le pied des plus hautes montagnes, couvraient les collines moins élevées et rendaient les plaines impraticables. Ce Yao date, selon les uns, de quatre mille cent cinquante, et, selon les autres, de trois mille deux cent trente ans avant le temps actuel. La variété des opinions, sur cette époque, va même jusqu'à deux cent quatre-vingt-quatre ans.

« Quelques pages plus loin, on nous montre Yu, ministre et ingénieur, rétablissant le cours des eaux, élevant des digues, creusant des

canaux et réglant les impôts de chaque province dans toute la Chine, c'est-à-dire dans un empire de six cents lieues en tout sens; mais l'impossibilité de semblables opérations, après de semblables événements, montre bien qu'il ne s'agit ici que d'un roman moral et politique.

« Des historiens plus modernes ont ajouté une suite d'empereurs avant Yao, mais avec une foule de circonstances fabuleuses, sans oser leur assigner d'époques fixes, en variant sans cesse entre eux-mêmes sur leur nombre et sur leurs noms, et sans être approuvés de tous leurs compatriotes.

« C'est à Yao qu'on attribue l'introduction de l'astronomie à la Chine; mais les véritables éclipses, rapportées par Confucius dans sa chronique du royaume de Lou, ne remontent qu'à deux mille six cents ans, à peine un demi-siècle plus haut que celles des Chaldéens, rapportées par Ptolémée. On en trouve bien une dans le *Chou-king* qui daterait de trois mille neuf cent soixante ans, mais qui est racontée avec des circonstances si absurdes, qu'il est probable que l'histoire en a été ajoutée après coup. Une conjonction de quatre mille deux cent cinquante-neuf ans, et qui serait la plus ancienne observation connue, est encore contestée. La première qui paraisse véritable est une observation du gnomon de deux mille neuf cents ans.

« Est-il possible que ce soit un simple hasard qui donne un résultat aussi frappant, et qui fasse remonter à peu près à quarante siècles l'origine traditionnelle des monarchies assyrienne, indienne et chinoise? Les idées de peuples qui ont si peu de rapport ensemble, dont la langue, la religion et les lois n'ont rien de commun, s'accorderaient-elles sur ce point, si elles n'avaient la vérité pour base?

« Nous ne demanderons pas de dates précises aux Américains, qui n'avaient point de véritable écriture, et dont les plus anciennes traditions ne remontaient qu'à quelques siècles avant l'arrivée des Espagnols, et cependant l'on croit encore apercevoir des traces d'un déluge dans leurs grossiers hiéroglyphes.

« La plus dégradée des races humaines, celle des nègres, dont les formes s'approchent le plus de la brute, et dont l'intelligence ne s'est élevée nulle part au point d'arriver à un gouvernement régulier, ni à la moindre apparence de connaissances suivies, n'a conservé nulle part d'annales ni de traditions. Elle ne peut donc nous instruire sur ce que nous recher-

chons, quoique tous ses caractères nous montrent clairement qu'elle a échappé à la grande catastrophe sur un autre point que les races caucasique et alouque, dont elle était peut-être séparée depuis long-temps quand cette grande catastrophe arriva.

« Ainsi toutes les nations qui peuvent nous parler, nous attestent qu'elles ont été récemment renouvelées après une grande révolution, de la nature.

« Cette unanimité de témoignages historiques ou traditionnels sur le renouvellement récent du genre humain, leur accord avec ceux que l'on tire des opérations de la nature, dispenseraient sans doute d'examiner des monuments équivoques dont quelques personnes veulent se prévaloir pour soutenir l'opinion contraire; mais cet examen même, à en juger par quelques essais, ne ferait probablement qu'ajouter des preuves de plus à ce que les traditions annoncent.

« Il paraît aujourd'hui que le fameux zodiaque du portique du temple de Denderah n'a pu le soutenir; car rien ne prouve que sa division en deux bandes, de six signes chacune, indique la position des colures résultant de la précession des équinoxes, et ne réponde pas simplement au commencement de l'année civile à l'époque où on les dessina, année qui, n'étant en Egypte que de trois cent soixante-cinq jours juste, faisait le tour du zodiaque en quinze cent huit ans, ou, selon ce que les Egyptiens imaginaient (ce qui prouve qu'ils ne l'avaient pas effectivement observé), en quatorze cents soixante ans. Un fait qui achève de rendre cette supposition vraisemblable, c'est que, dans le même temple, il y a un autre zodiaque où c'est la vierge qui commence l'année. S'il s'agissait de la position du solstice, le zodiaque intérieur aurait été fait deux mille ans avant celui du portique; en admettant, au contraire, que l'on a voulu indiquer le commencement de l'année civile, un intervalle de cent et quelques années suffira.

« Il resterait à savoir si notre zodiaque ne contiendrait pas en lui-même des preuves de son antiquité, et si les figures que l'on donne aux constellations n'auraient point de rapport avec la position des colures à l'époque où elles ont été imaginées. Or, tout ce que l'on a dit à cet égard est fondé sur les allégories que l'on a prétendu voir dans ces figures; que la balance, par exemple, indique l'égalité des jours et des nuits; le taureau, le labourage; l'écrevisse, une rétrogradation du soleil; la

vierge, la récolte, etc. : et combien tout cela n'est-il pas hasardé ! D'ailleurs, ces explications devront varier pour chaque pays ; en sorte qu'il faudra donner au zodiaque une époque différente, selon le climat ou l'on placera son invention : peut-être même n'est-il aucun climat ni aucune époque où l'on puisse trouver pour tous les signes une explication naturelle. Qui sait enfin si les noms n'auraient pas été donnés très-anciennement, d'une manière abstraite, aux divisions de l'espace ou du temps, ou au soleil dans ses différents états, comme les astronomes les donnent maintenant à ce qu'ils appellent les signes, et s'ils n'ont pas été appliqués aux constellations ou groupes d'étoiles à une époque déterminée par le hasard, en sorte que l'on ne pourrait rien conclure de leur signification ?

« Mais, dira-t-on, l'état où nous trouvons l'astronomie chez les anciens peuples n'est-il pas une preuve de leur antiquité ; et n'a-t-il pas fallu aux Chaldéens et aux Indiens un grand nombre de siècles d'observations pour parvenir aux connaissances qu'ils avaient déjà, il y a près de trois mille ans, de la longueur de l'année, de la précession des équinoxes, des mouvements relatifs de la lune et du soleil, etc. ? Mais a-t-on calculé les progrès que devait faire une science dans une nation qui n'en avait point d'autres, et chez qui la sérénité du ciel, la vie pastorale et la superstition faisaient des astres l'objet de la contemplation générale ; où des collèges d'hommes les plus respectés furent chargés de les observer et de consigner par écrit leurs observations ? Que parmi ces nombreux individus qui n'avaient autre chose à faire, il se soit trouvé un ou deux esprits géométriques, et tout ce que ces peuples ont eu à pu se découvrir en quelques siècles.

« Songeons que, depuis les Chaldéens, la véritable astronomie n'a eu que deux âges : celui de l'école d'Alexandrie, qui a duré quatre cents ans, et le nôtre, qui n'a pas été aussi long. A peine l'âge des Arabes y a-t-il ajouté quelque chose, et tous les autres siècles ont été nuls pour elle. Il n'y a pas eu trois cents ans entre Copernic et l'auteur de la *Mécanique céleste*, et l'on veut que les Indiens aient eu besoin de milliers d'années pour trouver leurs règles !

« Au surplus, quand tout ce qu'on a imaginé sur l'ancienneté de l'astronomie serait aussi prouvé qu'il nous paraît dénué de preuves, on n'en pourrait rien conclure contre la grande catastrophe dont il nous reste des documents

bien autrement démonstratifs ; il faudrait seulement admettre avec quelques modernes que l'astronomie était au nombre des connaissances conservées par les hommes, que cette catastrophe épargna.

« On a aussi beaucoup exagéré l'antiquité de certains travaux de mines. Un auteur tout récent a prétendu que les mines de l'île d'Elbe, à en juger par leurs déblais, ont dû être exploitées depuis plus de quarante mille ans ; mais un autre auteur, qui a aussi examiné ces déblais avec soin, réduit cet intervalle à un peu plus de cinq mille, et encore, en supposant que les anciens n'exploitaient chaque année que le quart de ce que l'on exploite maintenant. Mais quel motif a-t-on de croire que les Romains, par exemple, tirassent si peu parti de ces mines, eux qui consommaient tant de fer dans leurs armées ? De plus, si ces mines avaient été en exploitation il y a seulement quatre mille ans, comment le fer aurait-il été si peu connu dans la haute antiquité ?

« Je pense donc, avec MM. de Luc et Dolomieu, que, s'il y a quelque chose de constaté en géologie, c'est que la surface de notre globe a été victime d'une grande et subite révolution, dont la date ne peut remonter beaucoup au-delà de cinq ou six mille ans ; que cette révolution a enfoncé et fait disparaître les pays qu'habitaient auparavant les hommes et les espèces d'animaux aujourd'hui les plus connues ; qu'elle a, au contraire, mis à sec le fond de la dernière mer et en a formé les pays aujourd'hui habités ; que c'est depuis cette révolution que le petit nombre des individus épargnés par elle se sont propagés sur les terrains nouvellement mis à sec ; et par conséquent, que c'est depuis cette époque seulement que nos sociétés ont repris une marche progressive, qu'elles ont formé des établissements, élevé des monuments, recueilli des faits naturels, et combiné des systèmes scientifiques.

« Mais ces pays, aujourd'hui habités et que la dernière révolution a mis à sec, avaient déjà été habités auparavant, sinon par des hommes, du moins par des animaux terrestres ; par conséquent, une révolution précédente, au moins, les avait déjà mis sous les eaux (1).

(1) La foi universelle ou catholique, mots qui signifient la même chose, ne prescrit pas de croire qu'avant la race humaine la terre n'ait pas eu un autre mode d'existence. Il résulte seulement des livres saints que la race humaine n'existe sur la terre que depuis six ou sept mille ans. (Note de M. de Geneste.)

« Ce sont ces alternatives qui me paraissent maintenant le problème géologique le plus important à résoudre ou plutôt à bien définir, à bien circonscrire ; car, pour le résoudre en entier, il faudrait découvrir la cause de ces événements, ce qui est d'une tout autre difficulté. »

Vid. etiam Jacquetot, qui historiâ mosaicâ, accedentibus historiæ profanæ monumentis, mirâ cum eruditione in suis dissertationibus de existentiâ Dei, mundum recentem esse atque Deum habere auctorem demonstravit. — P.-S.

Argumentis hæc moralibus aliud invictum adjungere liceret, idque ad vulgi captum maxime accommodatum, petitum nempe ex historiâ Judæorum et Christianorum, aliorum etiam populorum, quæ cum summâ auctoritate certiores nos efficit Deum sapiens rebus humanis intervenisse, et suam providentiam declaravisse subitis et stupendis rerum conversionibus, miraculis et rerum futurarum vaticinationibus. Sed inferius ubi de Rel. revelatâ de his præter naturam effectibus dicturi sumus (1).

ARGUMENTA PHYSICA.

In hæc universitate rerum, in quâ versamur,

(1) Ad argumenta moralia id certè præclarum pertinet, quod scilicet ex mirâ rerum dispositione in ordine morali nasceretur, quodque sic insinueremus : *Propositio. — Societas seu moralis ordo existentiam Dei probat. — Societas inter homines existit, et quidem sapientibus omnino legibus, quibus numerum singula ejus membra proprium obtinent bonum, atque cum aliis mirandâ plurimarum relationum combinatione connectuntur; adeo ut inde longè præstantior quàm in physicis exurgat ordo : ex quo profundè Deum esse a fortiori concludere necesse est. Quod argumentum, non quidem agrestibus ingenis accommodatum, philosophorum rebus physicis hæc nimis studentium afficere debet mentes.*

Idem specialiter urgeretur ex miro stupendoque in christianâ religione conspicuo ordine, et quidem ab exordio mundi usque ad nos tam complexâ et intimâ rerum, dictorum, scriptorum, prophetiarum, eventuum, etc., concatenatione, præsertim perpetuis utriusque Testamenti relationibus perductum. Hujus verò argumentationis elementa suppeditabunt supra de revelatione mosaicâ et christianâ dissertationes. Ad easdem quidem remittit ipse auctor; sed historico sub respectu solum tractandum, ex more, Jacquetot ibid. indicat quaestionem. Hæc certè legitima est et efficax argumentandi ratio, quæ scilicet ex variis historicæ certitudinis fontibus, sed potissimum ex morali hominum consuetudine vim suam depromit. Nihil verò impedit quin præterea ex variis christianæ religionis partibus et elementis, sive ante Evangelium, sive deinceps, ex eorumdem combinatione ingenium humanum prorsus superante, intelligentem illum ac supremam existentem causam, seu Deum esse concludamus. — P.-S.

tria sunt in omni systemate distinguenda : nempe res et substantiæ, quibus constat mundus : quæ juxta atheos corpora sunt, et præterea nihil : rerum seu substantiarum vires et facultates, sive corporæ, sive spirituales, quibus in se mutuò agunt, vel seipsas commovent : hæc vires juxta atomicos philosophos ad motum; juxta Illyzoitas ad motum et vim quamdam fictricem, uti supra expositum fuit, revocandæ sunt : denique illa species et apta constansque rerum omnium dispositio, quæ ex corporum in se mutuò agentium viribus oritur : et illa in animalibus appetitum et passionum permixtio, ex quâ vitæ constans ratio et uniformitas nascitur : quam corporum dispositionem, temperationemque appetituum fortuito et tenerè natam, vel virium cæcarum necessarium effectum esse asserunt. Nos verò contendimus non posse corpora esse à seipsis, nec animos; nullas esse materiæ naturales vires, non vim motricem, multò minus vim cogitandi; admirabilem universi partiumque ejus dispositionem, et illam in animalibus appetituum temperationem sine causâ intelligente existere non potuisse. Initium sumemus à specie rerum, quia universalitatem contemplanti se primùm offert admirationi hominum.

ARGUMENTUM V. *Ex ordine rerum et virium naturalium sapienti temperatione.*

PROPOSITIO.

Deum esse, qui mundum huic initio constituit atque in omni tempore regit, ostendit totius universi et omnium ejus partium descriptio.

PROBATIO. — Nam ea est mundi totius fabricatio, ut si adhibita fuisset ad illius formationem summa sapientia et consilium solertissimum, necilius formari non potuisset; partesque ejus omnes tales sunt, ut nec ad usum meliores esse potuerint, neque ad speciem pulchriores. Atqui hæc mundi solertissima fabrica, ejusque omnium partium pulcherrima descriptio declarat hæc omnia non fortuito, aut à brutâ et cæcâ vi, sed à causâ intelligente et providâ profecta esse.

PARS PRIMA. — *Mundi species et apta partium dispositio.*

Hoc argumentum quî copiosius velit tractare, illi tota physiologia est percurrenda : summa nos tantum attingemus capita.

I. Quanta primùm in immensâ cœlestium regionum extensione majestas est! Quanta in corporum infinitâ multitudine magnificentia! Nudos ad cœlum oculos per aërica serena

noctis silentia dirige; innumerabiles aspice stellas, quæ debili licet, jucundo tamen, scintillanteque vividius lumine ubique collucent: deinde per astronomorum instrumenta intuere; novos cœlos, novas stellas, immensamque deprehendis spatiorum æthereorum altitudinem. Cogita stellas singulas totidem soles, et cujusque vastissimum imperium esse, solari systemate haud fortassè minus. Jam corporum illorum immensas magnitudines, impetus, certos motus, apta intervalla, ratos ordines considera, ut inter se nunquam concurrant, ut unum alterius nunquam perturbet motus; ut summa sit ex mutuâ libratione consensus et inviolabilis constantia. Videtur ulla fortuna, ulla temeritas, erratio ulla, ulla vanitas? Annon contra ordo, ratio, veritas?

II. Quanta deinde in solis atque lunæ curibus et efficientiâ sapientia elucet! Aspice ut sol oriens diffusâ undique luce, et lætâ et salutari, recreet naturæ totius conspectum! ut recedens gratas quietis vices revocet! ut constantissimè et cum incredibili celeritate ab uno tropico ad alterum accedens efficiat tempestatum vicissitudines anniversarias, cum summâ salute et conservatione animalium omnium atque stirpium! Quanta caloribus, Juminisque utilitas! Quàm benè ad usum et voluptatem utraque temperata est! Ne autem radiorum solarium vis debiliior foret, pellendis citò tenebris minis idonea, incredibili celeritate, quam cogitatione assequi non valeamus, propagatur, quæ soni velocitatem plusquam sexcenties millies superet.

Sole Hesperis in undis immerso, non idè obscurâ in nocte palpabimus. Quæ velo quodammodò lucis fuerat obducta astrorum infinita multitudo explicat sese, illaque cæterarum quasi domina luna, cujus mutuata à sole lux tempis et silens remittit oculos nimis solis vi percultos, et ad quietem invitat. Quanta in illius motu menstruo utilitas ad metiendam tempora! Quam salutaris efficacia in ciendo mari! Ipsorum lunæ defectuum usus norunt astronomi, geographi, chronologi. Quis hæc fortunæ, non excellenti rationi tribuat?

III. Ad terram veniamus; videatur vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos amantium, riarum vestitus viridissimos, speluncarum concavas profunditates, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, camporum

immensitates; quibus omnibus efficitur Letum, copiosum et ænœum animantibus cunctis domicilium. Sphærica est, non plana, ut caloribus et luminis in variis terræ partibus aliqua possit esse successio; ut justa commodaque fieri possit aquarum distributio; ut ventorum vim non frangat vel nimium declinet montium altitudo.

Criminari solent Epicurei tum terræ inæqualitates, quæ tamen necessariæ sunt, ne aqua diffluant nimium, et ut aprica loca existant ad uvarum et optimorum fructuum maturitatem: tum montium altitudines, sine quibus multis careremus pretiosis metallis et fontibus, qui ex condensatis vaporibus in eorum frigidis verticibus orti dimanant accelerato motu in subjectos campos: tum caveas et specus et volcana, quæ tamen summæ utilitatis esse observavit olim Plinius Hist. nat. l. 2, c. 82; quia per has caveas et diverticula æstus in terræ visceribus ignis, ad rerum omnium vitam necessarius, erumpere solet; ut in compluribus oppidis notatur, quæ quia crebris ita ad eluviem cuniculis cavata sunt, minus idè terræ motibus quatuntur; tandem loca deserta, sed hæc etiam utilitatem suam habere possunt, licet ignotam; saltem ad varietatem conducunt, nec hominum generi necessaria sunt; præterea in hæc statum devenerunt, vel in illo permanent hominum culpâ, aut ex naturalibus legibus, quarum infinita utilitates sunt.

IV. Circumfusus terræ aer est, animalis, spirabilisque natura, partibus constans subtilissimis, ut nempe corpora cuncta pervadens, inque secretiores eorum sinus penetrans molem universam fovens, alere et agitare possit. Huic elemento debent animalia quod spirant, et spirando vivant, ut ex machinæ pneumaticæ experimentis evidenter colligitur. Nec in animalibus tantum, sed in plantis quoque peragitur aeris respiratio quædam imperfecta, à quâ earum vita conservatioque pendet. Sine aere moveri pecora, volare aves, pisces natare non possent; sine aere nec sonus, nec dici candor, nec crepuscula, nec æserula cœli spatia existerent; sine aere ros è terrâ non ascenderet, nubes non formarentur; efformatæ non sustinerentur ad arcendum nimium solis ardorem; suspensæ guttatim in terram non reciderent. In aere formantur et venti, quibus nisi aeris moles quandoque commoveretur, infecta brevi cunctis et frugibus et animantibus fieret lethifera. Illi caloribus solaris ardorem,

ita temperant, ut ipsam præsentem habitabilem torridam zonam, quam perpetui recreant zephyri. Ventorum ope classes vastum tranant oceanum; omnesque gentes omnium rerum agitant commercia.

V. Terram aqua cingit, et ubique permæat; quam si tolleres, esset terra cinerum sterilis congeries: respirare non possemus sicum, subtiliterque frigidum aerem, mineralia non formarentur, plantæ non nutrentur, siti omnia arescerent, nihilque nisi squalidum et mortuum telluris facies exhiberet. Hinc naturæ parens providus suas cuique regioni divisit aquas: si Ægyptus pluvis non fecundatur, exundans statis temporibus Nilus mollitos et oblimatos agros ad serendum relinquit. Quibus locis nec pluvias copiosas, nec exundantes fluvios natura dedit, largita est rores incredibiliter abundantes. Quanta in aquarum omnium perpetuis agitationibus et cursibus solertia est! Sed aspice stupendam oceani immensitatem: spumantis æquoris irati fluctus intueri, cum fragore et catervatim in terram exundantes: *Quis conclusit ostiis mare? quando erumpebat quasi de vulcù procedens, quis posuit vectem? Et dixit: Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos?* Cur, inquit, salæ sunt aquæ marinæ, et ita nobis ad potandum inutilis? Quia attemperari debuerunt non nobis qui illis non indigemus, sed variis piscium generibus, eorumque usibus: quia motus ex reciproco æstu et ex ventis non esset sufficiens ad arcelandam putredinem; nam pacato per plures continuos dies mari aquam turbari experimur, et procreari, quæ inficiunt, animantium multitudinem.

VI. Terram et universa corpora ignis intus alit. Hoc è naturâ sublato ipsa vita tolleretur, torperent omnia. Hujus infinitæ noscuntur à philosophis utilitates, sed hæ notæ sunt omnibus: sine igne nec cibi pararentur, nec metalla liquarentur, nec vasa continendis liquoribus idonea efficerentur; necessaria mechanica opificibus instrumenta non fabricarentur; chimiæ operationes non perficerentur; microscopiis, telescopiis, perspicillis, speculis carceremus; lumine per noctem homines non fruerentur; calore, cum terram pulsat hyems, non foverentur. Quid plura? nisi ignis datus fuisset, in vanum adessent cætera, quæ igne sublato diù conservari nequeunt.

VII. Quàm mira est eorum fabrica quæ gignuntur è terrâ; quæ radicibus iis affiguntur, quibus succum ex terrâ trahunt! Quanta eorum

varietas est et pulchritudo! Quanta eorum omnium vis, ut ex tantillis granis, herbas, stirpes, runcos, ramos, folia, flores et semina proferrant! Animalium quot usibus plantæ inserviant! Aliæ ædificiis, aliæ instrumentis apte sunt: remedia hæc, illæ alimenta, suppediant: quædam duræ et spissæ sublimi cælum feriunt vertice et dulcem animantibus umbram præbent; aliæ fragiles et depressæ vel humi serpunt, aut ad manuum altitudinem fructus tenent suspensos et invitant ad arripiendum. Ut hæc omnia usûs tam varii et multiplicis, vi solius seminis ex eadem tellure, eadem pluviâ irrigatâ, eodem sole calefactâ, gignuntur! Quidni liceat plantarum interiorem structuram expendere, canales intra quos essentielles succi perpetuò fluunt, describere; extimarum, quibus plantæ teguntur, vestium figuram exponere; mirabilem foliorum texturam delineare; seminis exigui totam in se plantam continentis virtutem evolvere? Possemus ostendere, quomodò emanantes à caule vel caudice, ramis et radicibus novellæ partes perpetuam jacturam, perpetuâ prolis educatione, reparent; quomodò debiliores initio ejusmodi partes, non illicò lavatas extendi natura patiatur, sed compendio quodam coagmentatas intra folii axillam cubare faciat. Quomodò plantæ, quæ vim frigoris nequeunt sustinere, subterraneis suis radicibus conserventur; usque dum eas temperatus veris calor excitet et reproducat. Quomodò plantarum, quæ veteribus *aschinomena*, recentioribus *sensitiva* dicte sunt, folia manu aut baculo tacta et paululum compressa, statim ne ledantur, contrahant sese: cæterarum verò penè omnium flores, ubi grave et humidum tempus est, complicantur; ubi purum et serenum, explicentur: quomodò robustis plantis, ut stare per se possint, duras et elasticas natura fibras concesserit; eorumque ramos, ut æquilibrium omnes servarent et pulchriorem haberent aspectum, ad stipite sub angulo circiter 45 graduum prodire jusserit; cæteras verò debiliores sub majorum protectione tutas crescere voluerit; succum iis glutinosum distribuens, vel radículas quasi digitos, vel clavículas quasi manus, quibus protectricibus suis tenaciter adhæreant: quomodò eæ plantarum species in quâvis regione reperiantur, quæ hominibus cæterisque animantibus ibidem natis maximè conveniunt; ita ut ex plantarum spontè nascentium frequentia, quibus morbis obnoxia sit regio quævis, dignoscatur: quomodò in illis plagis ubi aqua terræ deficit, habeant animan-

tia subsidia in abundanti plantarum stillantium humiditate. Ilanc solummodò meditationi materiam subjecisse sufficit.

VIII. Animantium verò quanta varietas! quibus tota nostra tellus ubique abundat! Nulla pars suis incolis orba reperitur, arborum frondes genti innumerabili fertile solum suppeditant; nulli sunt ferè liquores, in quibus perspicillorum ope non cernamus innumeras diversæ speciei atque magnitudinis animantes. Ipsa animalium superficies aliis animalibus uberem campum præbet. Nec solido marmorì vita deest, quippe cuius cava loca turbis animalium invisibilium completa reperiuntur. Grandior natura grandiora exhibet: maria, lacus, paludes, flumina, saltus, campi scatent animantibus, quibus omnibus natura pabula paravit idonea. Sed quod non minùs admirandum est, illam infinitam multitudinem, non numero tantùm, sed specierum incredibili varietate distinguit naturæ parens: intervallum illud omne, quod patet in vitâ sensitivâ à plantâ ad hominem diversis animalibus sensim et serie quoddam crescentibus ita completur, ut specierum proximarum discrimina sensum nostrum fugiant. Sunt quædam animantia, quæ vix supra sortem inertis materiæ elata videntur, qualia sunt, pisces testacei quidam, qui rupibus adhærescunt, à quibus avulsî statim moriuntur. Multa sunt quæ minimo ab his distant intervallo, quæque nullum alium sensum habent, quàm tactûs et gustûs: aliis natura addidit facultatem audiendi, aliis sensum olfactûs, aliis vim vivendi. Imò idem sensus in variis animalibus, varius est et tanta accipit in aliquibus incrementa, ut diversi generis esse videatur. Ille sensus interior, illa sagacitas, quam instinctum nominamus, sic gradatim et sensim crescit, ut ab infimo gradu initium capiens natura ad humanam in aliquibus pertinere calliditatem velle videatur.

Quanta in membrorum figuris habilitas ad pastum capessendum conficiendumque, ad arripienda ea omnia quæ sunt conservantia sui statûs! ad colligendos cibos, ad retinendam prædam, ad onera ferenda, ad tellurem arandam, ad nidos componendos, ad laqueos tendendos, etc.! Quàm admirabilis fabrica membrorum sit in avibus præsertim consideremus. Vide ut alæ et plumæ fortes simul et leves, ita sunt dispositæ, ut totum corpus tegatur et facillè moveatur: ut varius in undiquaque avium specie alarum situs sit, pro diversâ natandi, volandi, mergendi ratione: ut in omnibus le-

ves et ad motum aptissimi sunt pedes et breves et minuti: ut in omnibus comoda capitis et rostri figura, ap' a cerebri, oculorum, aurium dispositio; idonea ventriculorum structura, quorum alter cibos comminuens digestionem præparat; alter cibos concoquens ac transformans digestionem conficit: ut in omnibus admirabilis, etsi tam varia vivendi ratio seu œconomia. Mutatis tempestatibus suntne regiones commutandæ? Status temporibus et miro ordine per vastissimos terrarum marisque tractus peregrinantur; certum iter in incertâ aeris regione, nemine dirigente, sequuntur; nôrunt positas in immenso mari insulas quasdam, in quibus victum possint reperire; atque ubi ad primas sedes redeundum erit, factæ jam peregrinationis memores novum ab isdem locis stipendium repetere non omittent. Ne autem diuturnis ejusmodi peregrinationibus nimium defatigarentur, longas eis fortesque alas, et duros pectorales musculos natura benè provida concessit. Piscium quoque quanta multitudo perambulat semitas maris! species diversas plusquam 176 numeravit Plinius; Ruisehius et Jonstonius quingentas et ultra recensuere. Aliorum prodigiosa magnitudo, aliorum stupenda parvitas, admirabilis omnium structura, respirandi ratio à terrestrium animalium respiratione diversa, organa aquatico elemento congrua, perpetuum corporis æquilibrium, motûs facilitas in progrediendo, in ascendendo, in præcipitando, in declinando, hæc et infinita alia nullane habent artis et solertiæ indicia?

Datus est animantibus et sensus et appetitus, ut altero conatum haberent ad naturates pastus capessendos; altero secernerent noxia à salutaribus. Insitæ sunt membrîs vires ad motus spontaneos mirâ varietate distinctos, quibus salutaria arripiant et nocitura repellant, aut declinent. Quibus bestiis is erat cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, vires natura dedit; illis verò ad prædam destinatis cum timiditate celeritatem fugiendi conjunxit. Data est quibusdam etiàm machinatio quædam atque solertia, ut in arancolis, aliæ quasi rote texunt, ut si quid inhæserit, conficiant: aliæ autem ex inopinato observant, et si quod incidit, arripiunt, idque consumunt. Quanto opere ex alterâ parte se custodiant bestię, ut in pastu circumspiciant, ut in cubilibus delitescant!

Quàm provido consilio conservantur animalium genera! Animantes, alii mares, aliæ femine; partesque corporis ad procreandum et concipiendum aptissimæ, atque corporum

commiscendorum miræ libidines. In avium œconomia quam admirabilis ovorum incubatio est! Primum quidem interna pars ovi et ipsius testa hunc in finem manifestè comparatæ sunt. Ex albo ovi liquore avis corpus formatur : formatum luteo vescitur; et geminæ illæ partes, ut mirâ sunt dexteritate conjunctæ, sic niro sunt artificio discretæ. Deinde ipsa avium incubantium actio sapientiæ plena est : quis eas docuit, nonnisi hæc viâ suam posse speciem propagari? Quis eas docuit in ovis fœtus contineri et determinati cujusdam coloris gradûs ope nascituros? Cujus consilium eas per certam temporis mensuram, modò breviorē, modò longiorē nidis retinet patienter affixas? Unde nata illa est, quam adhibent in construendis nidis mollissimâ industria, in cibis inveniendis sagacitas, in fugiendis periculis solertia? Illorum verò animantium, quæ lacte aluntur, statim atque fœtus uteris exciderunt, tum omnis fermè matrum cibus lactescere incipit : eaque, quæ paulò ante nata sunt, sine magistro, duce naturâ, mammas appetunt et earum ubertate saturantur. Atque ut intelligamus quàm nihil horum sit fortuitum, quàm hæc omnia sint providæ solertisque naturæ opera : quæ multiplices fœtus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo : quas easdem paucas habent eæ bestiæ, quæ paucos fœtus gignunt. Insitus est iis omnibus animantibus, quorum operâ indiget soboles, tenerrimus amor; et præcipua quædam in iis, quæ procreaverint, educandis custodiendisque cura ad eum usque finem dum seipsa possint defendere; imò dum possint iis parentes suâ operâ prodesse. Hinc etiam postquam pullos nidis excluderunt, ita tamen tuentur matres, ut pennis fovant, ne frigore ledantur; et si est calor à sole, se opponant; et cum pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur, reliquâ curâ liberantur. Verùm ubi neque parentum auxilio indiget soboles, neque possunt illi parentes suâ operâ prodesse, aut abest omninò hic amor, aut cessat.

IX. Sed ad hominem cæterorum animalium dominum veniamus. Quanta corporis totius species et dignitas! Vide ut omnium rerum cœlestium spectator est.

Cum demissa vident animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos a sidera tollere vultus.

Hoc in recto situ, quocumque voluerit, movetur facilè; actus à voluntate imperatos membra statim exequuntur. Sensus autem,

interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirificè ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi tanquam speculatores, altissimum locum obtinent : ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cum sonum percipere debeant, qui naturâ in sublime fertur, rectè in altis corporis partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eò quòd omnis odor ad supera fertur, rectè sursum sunt : et quòd cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causâ vicinitatem oris secutæ sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in eâ parte oris, quæ esculentis et potentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æqualiter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in ædificiis architecti advertunt ab oculis et naribus dominorum ea quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura, sic natura res similes procul amandavit à sensibus.

Non pigrum hominem esse natura voluit, quia cæteris animalibus dominari debebat; quia labori destinatus, pares labori vires habere eam oportebat; quia exiguæ latitudinis caput sufficientem spirituum animalium copiam continere non paterat. Non fecit gigantem, quia cum tantâ voracitate nutriri facilè non potuisset; cum tantâ ferendorum onerum facilitate in machinarum utilium inventionem rationem non exercuisset. In admirabiliter proportionato illo corpore, quæ compages! Quæ structura! Quæ levitas simul ac firmitas ossium! Qui membrorum omnium ordo ac decens apparatus! Quæ stupenda musculorum varietas! Quæ tot inter partes diversas æquilibrii constantia! Ut superpositis carnibus ossa vestiuntur et ossibus miro sibi insertis artificibus carnes sustinentur! Ut carnem quibusdam in partibus circumdat tenera pellis et ornat; in aliis durior ac fortior eandem à vulneribus protegit! Sub eâ rami latitant innumerabiles, quorum alii à centro ad extrema sanguinem velunt, alii ab extremis ad centrum revehant eundem : sic illo perpetuo fluente carnes irrigantur, idemque ad primum originem rediens vires novas, novamque subtilitatem accipit iterum toto corpore diffundendus. Ne autem illa fluidi sanguinis moles deficiat, qui sumuntur cibi in sanguinem post digestionem perpetuò transformantur. Sed subtilioribus alimentorum partibus in sanguinem transmutatis, crassiores eorundem partes ab aliis naturali quâdam

operatione secretæ per canales huic usui destinatos ejectionis. Sicque humanum corpus quod perpetuâ transpiratione perit, perpetuâ reparatione conservatur.

Supra partes cæteras caput eminent, quod duris ac spissis ossibus undique cinctum est, ne pretiosus, quem continet, spirituum thesaurus evanescat. Ut aptè calva perforatur iis in locis, quibus oculi, aures, os, nares respondent! Suos unaqueque pars nervos habet suscipiendis sensationibus idoneos. Organa autem quibus ab objectis exterioribus ad cerebrum sensationes deferuntur, plerumque sunt gemina, ut nempe quod in uno perire possit, supersit in altero, sicque disposita, ut sive directè, sive ad dexteram, sive ad lævam converti statim possint. Quid de fronte dicemus ad majestatem concessâ; quid de oculis quibus, tanquam animæ sedi, quædam flamma cælestis indita est! Hos natura primùm membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem ut continerentur; lubricas et mobiles, ut et declinarent si quid noceret, et aspectum quò vellent facili converterent. Aciesque ipsa quæ cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut ea quæ nocere possent, facili vitet. Palpebræque, quæ sunt tegmenta oculorum, mollissimæ tactu ne læderint aciem, aptissimæ factæ et ad claudendas pupulas, ne quid incidere, et ad apericiendas, idque natura providit, ut identidem fieri posset cum maximâ celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus, et apertis oculis, si quid incidere, repelleretur; et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quiescerent. Ut latent etiam utiliter oculi, cum et excelsis undique partibus sepiuntur! Superiora superciliis obducta, et genæ, ab inferiore parte subjætæ, leviter eminentes tutantur. Quid de auribus dicemus? Auditus semper patet: ejus enim sensus etiam dormientes egemus, à quo cum somno est acceptus, etiam à somno excitamur: flexuosum iter habet, ne quid directò intrare possit: provisum etiam ut si qua minima bestiola conaretur irumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco inhæresceret. Quàm multa prætereunda nobis sunt de dentibus, ad oris ornatam eborumque masticationem destinatis; de lingua, quæ nervis constans celeriter mobilibus, serpentinâ flectitur volubilitate; de collo ad hominis nutum, vel erecto, vel inclinato; de pulmonibus eorumque motu perpe-

tuo; de proportionatâ cæteris partibus brachiorum longitudine; de nervorum in illis vi ac quantitate; de manuum nervis et ossiculis, et stupendâ digitorum mobilitate, quibus tot artium ministræ fiunt; de internarum omnium partium structurâ? Quid enim? estne in tantâ partium diversitate aliquid inordinatum? in tantâ multitudine aliquid supervacaneum? aut potius nonne omnia apta et elegantæ ac rationis plena sunt? Meritò ergo Galenus, post Hippocratem medicorum princeps, cum humani corporis fabricam olim exposuisset, pulcherrimum Deo hymnum cecinisse se dicebat (1).

(1) Quàm optimè nostri quinque sensus fuere singuli ad proprios usus aptati quàm compositè, his verbis non sine arte describit Philopoliæ Lugdunensis: « Sapiens omnium creator Deus iis nos instruxit sensibus, qui nostris in hæc vitâ necessitatibus abundè sufficiant. « Proportionem quandam instituit inter corporis nostri organa, et corpora ex quibus magis pendent animi dolor et voluptas. Quòd si, iisdem remanentibus objectis quæ nos circumstant, longè major fieret organorum sagacitas, id, nedàm lucro foret apponendum, plurimum contra molestiæ et incommodi nobis afferret.

« 1^o Si visus longè subtilior foret, forsân nec solares radios, nec ipsam diè lucem sustinere posset. Penitius quidem intimam objectorum contexturam partesque reconditiore pervaderet. Id verò quàm multis redimeretur incommodis? namque si oculi microscopiis, v. g., similes essent, aquæ guttula quâ dissolveretur piperis granum, aut etiam paululum areti, quasi flumen immensum conspiceretur, quo innatarent pisces innumeri. « Foetidorum liquorum spuma, veluti campus amenissimus, variis floribus plantisque distinctus videretur; caseoli frustulum, velut pilosis araneis conspersum et hispidum appareret. Hinc fastidium optima quæque, et delectationem noxia gignerent.

« Præterea, si oculi essent microscopiis similes, objecta duntaxat cerneremus, quæ duobus tribusve tantùm pollicibus distarent, cætera verò quæcumque, sive homines, sive plantæ, sive animalia, visu minimè perciperentur; ergo ea quæ à longinquo vitare interest, declinari non possent. Sol, luna, stellæ, ipsum denique cælum nobis forent incognita; atque ita nos prorsus fugerent, quæ Dei majestatem et gloriam splendidius enarrant.

« Contra, si instar telescopiorum oculi conformarentur, tunc cælorum plagas, siderumque motus longè quidem facilis dignoscerent homines; sed quæ sibi propiora forent, vix suspicarentur; regiones sibi planè incognitas incolerent, ac proinde nec quæ sibi utilis sunt admoveere, nec quæ noxia facili removere possent.

« 2^o Si Deus idem olfactûs organum nobis concessisset, ac quibusdam venaticis canibus, vix aliud alium hominem sufferret. Fœ-

Veniamus denique ad animi partes, quarum est aspectus illustrior, et præcipuè ad vim rationis, quæ homini in omnia terrestria, sive animata, sive inanimata dedit imperium. Hominum ratione et prudentiâ tot artium inventæ, quibus tanta rerum utilium et jucundarum copia suppeditatur. Homines ratione in cælum usque penetrant, et mundi totius pulchritudinem contemplantur : hæc astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus : hæc finitus dies, mensis, annus : defectiones solis et lunæ cognitæ prædictæque in omne posterum tempus, quæ, quantæ et quando futuræ sint. Hæc corporum cœlestium magnitudines, distantæ, vires, leges detectæ. Ratione Deum ipsum adimus, et in mundo intellectuali expatiamur. Quid memorem alias animi dotes ? Quod soli homini datum sit rerum pulchritudinem, ordinem, partium convenientiam et usum cernere ; quod sentiant homines etiam in animi consiliis, in dictis factisque, quid pulehrum et honestum ; quid deceat ; quis modus ; quodque animi affectus et agendi consilia omnia eò magis hominum sensui se probent et ab omnibus

laudentur, quò majorem in vitâ felicitatem atque ad plures pertinentem efficere sunt idonea ; etiam ubi hi qui comprobant et laudant, nullam suæ utilitatis cuiuscumque habeant rationem ? Quid quòd et benignissimo consilio animi constituantur appetitiones ? Natura enim non se solùm cuique commendavit ; sed conjugem, sobolem, cognatos, vicinos, cives ; quos omnes gratuitâ bonitate prosequimur, ubi nulla est dissidii causa : atque boni bonos diligunt, quasi propinquitate conjunctos. Serpit etiam latius hæc hominum charitas, totumque complectitur humanum genus. Vinculis hisce homines inter se colligavit natura et ad cœtus, concilia et civitates instituendas invitavit : eosdemque ad omnia præclara vitæ officia subornavit. Quàm benè etiam institutum est, ut tanta in animis, quanta in vultibus hominum dissimilitudo sit, in hunc nempe finem, ut diversa munera diversi obire et velint et possint ; et sic permutatione meritorum et officiorum novo vinculo homines adunarentur. Hæc omnia, qui fortuitò evenisse reputaverit, nescio quæ solertæ, consilii, aut prudentiæ

« tidos odores nobis immitterent innumera corpora, quæ ad usus frequentissimos, penèque « necessarios adhiberi solent ; in iis igitur quæ « nostræ conservationi præsent, quantum esset « molestiæ et fastidii !

« 3^o Si delicatiores essent linguæ et palati « fibræ, tunc aqua, panis aliaque id genus non « minùs acriter palatum vellicarent, quàm « fercula quæ multis salubus et acidis conduntur ; « alimenta igitur, vel paucis vicibus regu- « stata, nauseam procrearent.

« 4^o Si acutius evaderet auditùs organum, « importunus continuò sonis personaret ; omnis « concertum harmonia murmur, auribusque « semper obstreperent interrum quoddam in- « conditum et clamores planè confusi. Hinc « nullus somno, nullus meditationi locus re- « linqueretur.

« 5^o Denique si delicatissimum foret tactùs « organum toto corpore diffusum, ita ut im- « pressionibus externæ illud non minùs vividè « afficerent, quàm tenues oculorum membra- « nas, proh ! quàm misera esset hominum « conditio ! Ingratis molestisque perpetuò sen- « sationibus vexarentur. Pluma vel levisissima « summam eorum nequidem perstringere pos- « set, quin excitarentur in mente dolores acer- « bissimi. »

Eandem proportionem in totâ humani corporis structurâ disertè Fenelonius ostendit :

« Le corps de l'homme pourrait sans doute « être beaucoup plus petit. S'il n'avait, par « exemple, qu'un pied de hauteur, il serait in- « sulté par la plupart des animaux, qui l'écraseraient sous leurs pieds. S'il était haut « comme les plus grands clochers, un petit « nombre d'hommes consommeraient en peu de « jours tous les aliments d'un pays ; ils ne

« pourraient trouver ni chevaux, ni autres « bêtes de charge qui pussent les porter, ni les « traîner dans aucune machine roulante ; ils ne « pourraient trouver assez de matériaux pour « bâtir des maisons proportionnées à leur grandeur ; il ne pourrait y avoir qu'un petit nombre d'hommes sur la terre, et ils manqueraient de la plupart des commodités. Qui est-ce qui a réglé la taille de l'homme à une mesure si précise ? Qui est-ce qui a réglé celle de tous les autres animaux à celle de l'homme ! L'homme est le seul de tous les animaux qui est droit sur ses pieds : par là il a une noblesse et une majesté qui le distingue, même au dehors, de tout ce qui vit sur la terre.

« Non seulement sa figure est la plus noble, « mais encore il est le plus fort et le plus « adroit de tous les animaux à proportion de sa grandeur. Qu'on examine de près la pesanteur et la masse de la plupart des bêtes les plus terribles, on trouvera qu'elles ont plus de matière que le corps d'un homme ; et cependant un homme vigoureux a plus de force de corps que la plupart des bêtes faibles : elles ne sont redoutables pour lui que par leurs dents et par leurs griffes. Mais l'homme, qui n'a point dans ses membres de si fortes armes naturelles, a des mains dont la dextérité surpasse, pour se faire des armes, tout ce que la nature a donné aux bêtes. Ainsi l'homme perce de ses traits, ou fait tomber dans ses pièges, et enchaîne les animaux les plus terribles : il sait même les apprivoiser dans leur captivité, et s'en jouer comme il lui plaît ; il se fait flatter par les lions et les tigres ; il monte sur les éléphants. » (Traité de l'Existence de Dieu, 1^{re} part., ch. 2, § 42)

opera relinquere possit. Aut si singula quemquam forte non movent, universa certè inter se connexa movere debent (1). Vide Cicero-nem, l. de Nat. deor. Fénelon, de Exist. Dei. Ray de Exist. Dei dem. per creaturas. Neuwent-ut, de Exist. Dei. Derham, Theol. Phys. et Astron. De Réaumur, in Mem. ad hist. insect. etc.

PARS II. — *Argumenti ex causis finalibus vis et auctoritas.*

1° Ut ex effectibus causam esse aliquam intelligimus, sic ex effectibus artificiosis et solertibus causam arte et solertiâ præditam colligere debemus et solemus. Quis si tabulam pictam intueatur, in quâ sit elegans colorum varietas, justa personarum dispositio, erudita oculorum conversio, apta luminis distributio, solers umbrarum permixtio; quis similem tabulam ex fortuitâ colorum projectione natam sibi persuaderet? Quis statuum in insulâ quâdam deserta reperiens, cujus omnia membra admirabiliter apta, majestatem, vitam, motum, elegantiam spiraret, eam cæco tumultuantis æquoris impetu putaret efflicam? Quis Homeri Iliadem, aut Æneidem Virgili ex litteris temerè in terram excussis natas arbitretur? Quis, si audierit plures musicos tam scitè fidibus,

(1) Homo arte tam admirabili constitutus, tot tantisque facultatibus ornatus, orbis seu naturæ universæ dominus agnoscendus est atque rex salutandus. Quippe ad nostros usus necessarius ad nostraque oblectamenta cum animalia tum vegetalia aptari certè videmus. Quid enim, ut exemplis utamur, tam necessarium hominibus quàm uti brutis ad varia ministeria; quàm eorum carnibus, nec non et terræ frugibus, arborumque pomis enutrirî? Quid suavius quam canis, v. g., experiri fidelitatem, avium cantus audire; quam mirum ac omnigenum belluarum instinctum prospicere? Quid dulcius quàm floribus herbæque viridi oculos recreare; quàm totam videre naturam, hieme quiescentem simul ac aridam, modò novas atque pulcherrimas inducere formas, et ubique varia prorsus spectacula expandere? etc. Porro Deus seu causa primaria summâ cum intelligentiâ hæc omnia homini comparavit, animalium scilicet ac vegetalium organizationes cum humanâ constitutione necnon et naturæ legibus minorem majoremve analogiam relationemque habentes adhibendo: adeo ut nostri corporis, imò et operationum intellectualium moraliumque in totâ visibilium rerum naturâ imagines existant. Quod animadvertens Bossuet, sic eas in bellis solitâ fecundâ describit: « Les sculpteurs et les peintres, inquit, semblent animer les pierres, et faire parler les couleurs, tant ils représentent vivement les actions extérieures qui marquent la vie. On peut dire, à peu près d'us le même sens,

alisque instrumentis canentes, ut singularis et unus inde oriatur concentus, quævis quilibet eorum certas partes sibi dâtas obeat, non statim intelligit, præter homines istos instrumenta pulsantes musica (quorum quisque id tantum curare munus potest, quod sibi est impositum), unam esse mentem, cui ab omnibus pareatur, quæ causa istius harmoniæ sit, quæ modum et rationem singulis præscripserit? Hæc omnia casui adscribi posse universum negat humanum genus, quia in illis nulla temeritas est, sed ordo certus apparet, sed ars, prudentia, sapientia, consilium. Multò quidem magis in tantis naturæ totius motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus; in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliquâ mente tantis naturæ motus gubernari. Unaquæque naturæ pars, minutissimum animal, plures habet partes artificiosè dispositas, quàm poema Virgilio, quàm musica maximè varia, multiplex et composita; adeoque cum infinita sit in mundo partium multitudo, tam fieri nequit, ut mundus oriatur unquam aut ortus sit ex concursu fortuito, quàm fieri non potest, ut ex projectione litterarum oriatur poema infinita versusum multitudine constans; vel harmonia ex infinitis instrumentis musicis perfecta.

2° Etsi daremus ex concursione fortuitâ oriri mundum haud repugnare, id tamen asserere, dementis esset. Illud enim certissimè concluditur, quod concluditur cum probabilitate infinitâ: et è contrario inepta prorsus est con-

« que Dieu fait raisonner les animaux, parce
« qu'il imprime dans leurs actions une image si
« vive de raison, qu'il semble d'abord qu'ils
« raisonnent.

« Il semble en effet que Dieu ait voulu nous
« donner dans les animaux une image de rai-
« sonnement, une image de bonté, bien plus,
« une image de vertu et une image de vice;
« une image de piété dans le soin qu'ils mon-
« trent tous pour leurs petits, et quelques-uns
« pour leurs pères; une image de prévoyance,
« une image de fidélité, une image de flatterie,
« une image de jalousie et d'orgueil, une image
« de cruauté, une image de fierté et de cou-
« rage. Ainsi les animaux nous sont un spec-
« tacle, où nous voyons nos devoirs et nos
« manquemens dépeints. Chaque animal est
« chargé de sa représentation. Il étale, comme
« un tableau, la ressemblance qu'on lui a don-
« née; mais il n'ajoute, non plus qu'un ta-
« bleau, rien à ses traits. Il ne montre d'autre
« invention que celle de son auteur, et il est
« fait, non pour être ce qu'il paraît, mais pour
« nous en rappeler le souvenir. » (Traité de la
« Connaiss. de Dieu, etc, ch. 5, § 40.) — P.S.

clusio, quæ habet sibi contrariam infinitam probabilitatem : verisimilitudo quippe infinita parit certitudinem absolutam ; concludere verò contra illam verisimilitudinem, contra quam nulla planè ratio esse potest, quid aliud est quam insanire? Atqui ex pulcherrimâ mundi fabricâ et solerti descriptione partium omnium cum infinitâ probabilitate concluditur, ea omnia, quæ mundo continentur, non à bruta et cæcâ vi, aut à temerario impetu orta esse, sed à causâ cum consilio et ratione agente. Nam cùm numero infinitæ sint figuræ et situs deformes et inutiles, quas recipere possint materiæ partes, unica verò sit forma, unicus partium situs, in datâ quâvis specie, pulchritudini aut usui inserviens : qui sperat ex concursu fortuito orituram unicam illam formam, sperat contra infinitam probabilitatem ; quo nihil potest esse levius. Et qui credit ortam esse unicam illam formam, credit etiam contra probabilitatem infinitam ; quo nihil potest esse stultius.

3^o Nihil est in vitâ certius quàm ratione præditos esse homines, quorum fruimur convictu et familiaritate. Atqui certiores sumus esse Deum, cujus fruimur muneribus, quàm esse homines ratione præditos. Nam esse alios homines mente atque intelligentiâ præditos non aliter cognoscimus, quàm ex motibus corporis humani, in quibus apparet ratio, prudentia et artis similitudo. Sed in universitate rerum multò plura et majora sunt indicia rationis, consilii et artis, quàm in motibus voluntariis corporis humani : naturæ enim solertiam nullus opifex, nulla ars consequi potest imitando ; nec quidquam manus hominis potest efficere, quod cum ipsius manûs opificio possit comparari. Pulcherrimus est in hanc rem Ciceronis locus in secundo libro de Nat. deor. : « Quòd si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores, videamus utrumne ea fortuita sunt ; an eostatu, quo coherere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, divinâque providentiâ... Si ergo meliora sunt ea, quæ naturâ, quàm illa quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione, ne natura quidem rationis expertus est habenda. Qui igitur convenit signum aut tabulam pictam cùm aspexeris, scire adhibitam esse artem ; cùmque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur ; aut cùm solarium vel descriptum, aut ex

« aquâ contemplère, intelligere declarari ho-
 « ras arte, non casu ; mundum autem qui et
 « has ipsas artes et earum artifices et cuncta
 « complectatur, consilii et rationis expertem
 « putare? Quòd si in Scythiam aut Britanniam
 « spheram aliquis tulerit, cujus singulæ con-
 « versiones idem efficiunt in sole et in lunâ,
 « et in quinque stellis errantibus, quod efficitur
 « in cælo cunctis diebus et noctibus ; quis in
 « illâ barbarie dubitet, quin ea spherâ sit per-
 « fecta ratione? Hi autem dubitant de mundo,
 « ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casu ne
 « ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an
 « ratione ac mente divinâ, et Archimedes ar-
 « bitrantur plus valuisse in imitandis spheræ
 « conversionibus, quàm naturam in efficien-
 « dis : præsertim cùm multis partibus sint
 « illa perfecta, quàm hæc simulata, soler-
 « tius. »

4^o Oratio et hominum collocutio non magis certos efficit nos, illos esse mente præditos, quàm oratio illa naturalis, quæ in sensationibus posita est, quæque est quædam naturæ seu potius auctoris naturæ nobiscum collocutio, certos nos efficit existentie Dei. Primum quidem hoc certum est, nos non magis homines cernere cum quibus est nobis conjunctio sermonis, quàm Deum. Cerno exteriora quidem hominis lineamenta et pellem vario colore tinctam ; sed non est mihi cum pelle, vel lineamentis externis collocutio, sed cum quâdam re, nec visibili, nec tangibili, particeps rationis, quæ cùm reliquerit ista lineamenta, manet cadaver, non homo : non hominem ergo video, cum quo est mihi amicitie et familiaritatis conjunctio, sed domum ejus seu illam molem, in quâ habitat ; et ex variis motibus istius molis, præsertim verò sermone, habitantis in eâ hominis solertiam et industriam colligo. Haud secûs, etsi Deum non videam oculis, video tamen quasi domum Dei hunc mundum ; et ex hujus mundi pulcherrimo ornatu, aptissimis motibus, et oratione naturali in sensationibus posita, colligo habitantem in eâ mentem esse, cujus solertia tantò superat hominis industriam, quantò admirabilius est naturâ, quàm hominis artificium. Adcòque omnis quæstio in eo versatur, an Deus non continuò alloquatur et signis utatur ad informationem nostram planè arbitrariis cum rebus significatis nullam omninò habentibus, vel necessariam connexionem, vel similitudinem ; haud majorem quàm habeant voces, quibus constat oratio humana, cum rebus per eas significatis. Atqui res ita est. Exemplum capere

possumus ex omnibus sensationibus et ex ipsâ oratione humanâ : nam quæ est similitudo et connexio inter varias animorum affectiones, dum sentimus, et illa mediâ quibus utitur natura, seu potius sub naturâ velo abditus Deus, ad easdem affectiones excitandas? Quænam est connexio vel similitudo inter motum in nervis opticis excitatum, et istam admirabilem varietatem luminis et colorum; inter tremulum motum aurium, et exquisitam illam lætitiâ, quam parit harmonia instrumentorum musicorum? Quanta in omni sensu varietas, odorum, saporum, etc.! Illa tamen omnis varietas, nullo alio medio sensibili perficitur, quàm nervorum tremulo motu orto ex impressione, seu aeris, seu luminis, seu alterius alicujus corporis, qui tremulus motus profectò non levissimam habet cognationem cum affectionibus famis, sitis, odorum, colorum, etc. Et proinde illæ nervorum vibrationes efficiunt sermonem aliquem, quo admonemur à Deo de rebus cum quibus nullam habent similitudinem. Et hunc sermonem institutum invenientes homines, illum ad suos usus accommodant, nempe ad sibi invicem significandos interiores sensus; seu gestu, seu scripto, seu voce; etsi nec gestus, nec scriptum, nec vox, ullam habeat ex se significationem, ut ullam accipere possit ex instituto hominum, nisi natura priùs sensationum arbitrarium usum instituisse.

Verùm cum isti motus nervorum non à nobis sentiantur, et idèò respectu nostrum minùs habere naturam signorum videri possint, sed solummodò respectu Dei, qui illorum occasione in nobis tam varias affectiones divinâ suâ virtute excitat : aliud igitur exemplum sumamus, in quo manifestum sit admoneri nos per signa sensibilia de rebus toto cœlo disjunctis naturâ; et istis signis sensibilibus, sicut voce humanâ, doceri quid amplectendum, quidve fugiendum sit. Exemplum illud in visione habemus (1). Nam reverâ visio omnis, seu illa naturalis admonitio, quam per oculos accipimus de rerum naturis, sit per signa sensibilia planè arbitraria, quæ nullam similitudinem habent, nec necessariam connexionem cum rebus significatis; et in hoc totum discrimen est inter orationem et visionem, quòd illa ab hominibus inventa fuerit (2) et nobis parvulis institutione magi-

strorum aut propinquorum familiaritate inculcata; ista verò à Deo instituta sit, et à consuetudine rerum naturalium atque experientiâ, à primo ipso ortu inchoatâ, accepta sit. Quid enim per visionem percipimus? Corporum distantiam, situm, magnitudinem, figuram, duritiam, molliem, fluiditatem, asperitatem, pulchritudinem; et præterea in hominum vultu varios animorum motus, iracundiam, pudorem, audaciam, timorem, lætitiâ, tristitiâ, etc. Sed an hæc videmus in seipsis? An non per signa arbitraria, quæ nullam habent connexionem cum rebus significatis? Certum enim est proprium objectum oculorum esse lucem, lucisque gradationes seu temperationes, præterea nihil; et nos distantiam, v. g., percipere ex majore vel minore objecti visi claritate; quod propè est, clarè distinctèque cernitur; quò magis recedit, eò obscurum et confusum magis apparet. Sic etiam corporum situm et figuram ex luminis temperatione percipimus, quòd vel ex eo patet, quòd pictores non fallant et in speculis res cum suis omnibus distantibus, dimensionibus, figurisque cernamus. Idem dicendum erit de duritiâ, de fluiditate atque asperitate; quæ sanè qualitates ad tactum propriè pertinent : idem quoque dicendum de rerum pulchritudine, quæ animo solo percipitur, ut infra ostendemus. Multò profectò minùs oculis cernimus animorum commotiones; sed de ipsis solummodò admonemur ex visis in vultu colorum mutationibus. Jam verò nulla est naturalis connexio inter lucis gradationes et distantiam, seu figuram, seu situm, seu fluiditatem, etc., nulla etiam inter lucis modificationes in vultu hominis conspectas et animi affectiones, iracundiam, pudorem, metum, spem, desperationem, lætitiâ, tristitiâ. Non major certè est connexio, quàm inter voces, et res per voces significatas : quod adeò verum est, ut experientiâ comperitum sit hominem cæcùm à nativitate, cum primùm ad rerum conspectum admittitur, nequaquam posse de distantia, vel figurâ, vel situ, cæterisque qualitatibus corporis judicare ex visione, donec experientiâ et consuetudine didicerit. Omnia enim non extra se posita, sed in animo suo putat inesse : atqui etsi ex tacu consueverit distinguere varias figuras, oculo

2° Ab omnibus ferè nunc receptum est atque tum factis, tum ratiocinio comprobatum, verbum in ordine rerum præsentibus ab homine nullo modo potuisse inveniri. Eam questionem maxime versavit clarissimus D. de Bonaïd. (Vid. *Recherches philosophiq.* ch. 41.) P. S.

(1) Berkeley. *Alciphron dial.* 5.

(2) Inmeritò dicit auctor *orationem* (seu verbum, ab hominibus inventam). Namque 4° certum est primos nostros parentes à Deo cum ipsis loquente de facto accepisse loquelam

ista primo intuitu dividere non valet (1), nisi fortassè fuerit mathematicus et notiones suas, non ut rudes solent, sed ex consideratione abstractivâ informaverit, et ad illas notiones apparentias novas expenderit. Ex quo sanè efficitur visionem esse sermonem quemdam ab auctore naturæ, non tantùm arbitrariò inventum, sed quem experientiâ atque usu discimus; et in hoc differre sermonem humanum à sermone naturali, quòd ille varius sit apud homines, hic omnibus communis; quòd ille mutabilis, hic constans; quòd meminimus tempus quo illum didicimus, huic assueti simus ab ipso ortu et memoriam nostram præcesserit; quòd in sermone humano voces, separatim à rebus, grammaticè consideremus, vix unquàm verò accidat, ut speciem rerum à rebus separemus. Sic etsi, cùm petram intueor, nihil videam nisi temperationes lucis, tamen eodem tempore mentì solent sese offerre cæteræ petræ qualitates, soliditas, asperitas, etc. Attamen in sermone humano idem fermè contingit: nam non possumus sine aliquâ contentione vocem separare à re significatâ: cùm legimus librum, nullam damus attentionem litteris et vocabulis, sed continuò progreditur mens ad res significatas: et si sermo humanus nobis esset naturalis, si ab infantia ei assueti essemus, si nulla esset apud diversos homines varietas; tam connexus cum rerum naturis videretur, quàm sermo arbitrarius visionis.

5º Huic argumento ex causis finalibus ex nullâ re major accedit auctoritas, quàm ex ridiculis generationis animalium expositionibus, quas protulère athei (2); illas collegit Franc. Redi de Gener. insect. p. 14. Nos verò hic solummodò referemus Epicuri mentem circa primam hominis nativitatem. « Is enim, teste « Censorino, de Die nat. c. 2, credidit limo « calefactos uteros, nescio quos, radicibus « terræ coherentes, primùm increvisse, et in-

(1) Vide Locke de Intell. hum. l. 2, p. 27. Berkeley Alciphron vel min. phil. dialog. 5. Voltaire Elementa phil. Neut. c. 6. Vide etiam, quæ contra disputantur in l. de Origine cogn. hum. sect. 6, ejus auctoris sententia nequaquam minuit vim argumenti nostri.

(2) Etiam apud nos quidam materialistæ seculi proximi elapsi, *generationes æquivocas*, ut aiunt, objicere non erubuerunt. Ex putrefactione, inquit, quædam adhuc spontè nascuntur animalcula sese moventia, cæterisque vitalibus donata facultatibus. Sic vermes ex putrefactâ carne, aut in aquis corruptis subtilissima animalia, etc. Etiam in vegetabilibus, plantæ absque semine super tecta natæ crescunt. — Quod de animalculis evincitur, quidni

« fantibus ex se editis ingenitum lactis humo-
« rem, naturâ ministrante, præbuisse; quos
« ita educatos et adultos, genus humanum
« propagasse. » Quam fabulam non ad contumeliam et opprobrium illi philosopho attributam fuisse patet ex Lucretio, qui eandem sic exornat:

Crescebant uteri terræ radicibus apti,
Quos ubi tempore maturo patefecerit atas
Infantum, fugiens humorem, aurasque petissens,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et succum venis coquebat fundere apertis
Consimilem lactis; sicut nunc femina quæque
Cùm peperit, dulci repletur lacte, quòd omnis
Impetu in mammas convertitur ille alimenti:
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Præbebat, multâ et molli lanigine abundans.

Objicies 1º: Si Epicureis concedantur postulata sua, videlicet, existere atomos omnis generis aptissimas ad mundi constructionem, illas atomos moveri naturaliter, non tantùm secundùm lineas parallelas, sed etiam declinare paululùm; et sic in se mutuo incidere; infinitas per totam æternitatem molitiones et pericitationes facere; nullo modo negari potest, quin ex earum concursione fortuitò oriri mundus possit. Quia inter infinitas combinationes possibiles, hæc præsens dispositio re-

et de bellis majoribus non posset supponi? Non ergo invocanda causa intelligens ad organizationes vitamque animalium et vegetabilium formandas, cùm ipsarum casus fortuitus causa sufficiens existat.

Resp. 1º: Neg. anteced. 1º Omnes rerum physicarum periti, imò et plurimi inter ipsos materialistas, à multo jam tempore hujusmodi generationes, seu eam fortuitam animalculorum ex putredine plantarumve productionem, tanquàm physicis experimentis adversam irrident. Objecta igitur formationes per innumera explicantur germina ab insectis ubique deposita, seminaque in omnes ventorum actione partes perlata, ex quibus animalcula nec non et prælata vegetalia oriuntur. 2º Suam assertionem nullo certè experimento probare valent adversarii. Ad illud quippe desideratur materia his germinibus seminibusve omninò purgata, quod ita esse nunquàm poterit constare, propter eorum subtilitatem, que tanta est, ut ne fermentatione quidem aut igne, saltem plerumque destruat. — Igitur de hujusmodi productionibus ex principis metaphysicis vel ex analogiâ solummodò pronuntiandum est. Atqui 1º: Metaphysica principia id clarè adstruunt, scilicet vitam, sensum, ideas intellectuales demùm et morales operationes ex materiâ compositâ et inerti quocumque modo agitatâ ac dispositâ, nunquàm nasci posse; idcirco objectas repugnare generationes; 2º ex analogiâ idem concludendum, cum nullâ ex cæteris animalia seu vegetalia ita ex fortuitâ fermentatione prodire videamus. P. S.

petitur; quæ consequenter est æquè possibilis ac probabilis, ac alia quævis: imò quæ in infinitate seculorum est necessaria, cum omnes combinationes æternitas exhaurire debeat. Ergo. — Respondeo, concessis omnibus prædictis postulatis, præsentem rerum dispositionem esse planè ex concursione fortuità impossibilem: ob hanc evidentissimam causam, quòd ad generandum, conservandumque mundum hunc sint necessariae certæ leges motus, præter illam quæ permutatur motus ex collisione, quas atomi sibi præscribere non possunt. Necessariæ sunt leges gravitatis seu attractionis mutuæ, cohesionis, repulsionis, generationis et nutritionis plantarum et animalium, atque aliæ innumerae, quæ ex lege percussio- nis non pendent. Sine hisce legibus demonstratur ex solâ lege percussio- nis nulla origo corpora organica, sed omnes atomos in vorticem unum vel plures, in quibus est motus liberrimus, distributas, æternùm esse in eodem statu duraturas (1). Alienum est à philosophi constantiâ asserere aliquem effectum esse possibilem, antequàm noverit an adsint causæ pares producendo effectui: ostendant ergo Epicurei et cæteri eorum imitatores, collisionem atomorum causam esse parem producendo et conservando mundo. Hoc quoties tentarunt, ut ait Baconus, *risu ab omnibus excepti sunt*.

Objicies 2^o: Rebus, quia existunt, utimur; minimè verò, ut his uteremur, condita sunt. Ita Lucretius, l. 4:

Nil idèò natum est in corpore, ut uti
Possemus, sed quòd natum est, id procreat usum.

Et verò, inquit idem, illud cujus causâ factum est aliquid, eo priùs est quòd ejus causâ existit.

Nam contra conferre manu certamina pugne
Et lacerare artus, fedareque membra cruore,
Ante fuit multò, quàm lucida tela volarent.
Et vulnus natura priùs vitare coegit,
Quàm daret objectum parmae læva per artem.
Scilicet et fessum corpus mandare quieti
Multò antiquius est, quàm lecti mollia strata
Et sedare sithm priùs est quàm pocula natum.

Sed rebus ipsis earum usus posteriores sunt.

(1) A cæcâ necessitate metaphysicâ, quæ utique eadem est semper et ubiquè, nulla oritur rerum varietas. Totâ rerum conditarum pro locis et temporibus diversitas ab ideis et voluntate entis necessariò existentis solummodò oriri potuit. Newtonus Princ. Math. l. 3.

Nec fuit, ante, videre, oculorum lumina nato;
Nec dictis orare priùs, quàm lingua creata.

Omnia denique membra

Ante fuere, ut opinor, eorum quàm fuit usus.

Cum eodem ergo concludi potest:

Quare etiam atque etiam proci est ut credere possis
Utilitatis ob officium potuisse creati (1).

Respondeo hæc Epicureorum evasione nihil absurdius esse. Quid enim? non condita sunt lumina ut videremus: cur ergo nihil habent, quod ad visionem non referatur? Non datæ sunt nobis aures, ut audiremus: cur ergo nihil habent quod non sit excipiendo sono proportionatum? Non positi in pectore pulmones, ut aerem hauriremus: cur ergo nihil habent respirati non destinatum? Cur ergo non dicemus, non esse factum solarium ad indicandas horas, navem ad navigandum?

Sed, inquit Lucretius, membris ipsis posterior est illorum usus. Primùm hoc falsum est. Ut enim posterior membris usus eorum censeretur, necesse esset ut membra per tempus aliquod indifferentia ad hunc, vel illum usum forent et deinceps ad talem præcisè determinarentur. Atqui nunquàm indifferens est membrorum usus aut fuit, ita ut iis ad hoc vel istud pro lubitu homines uti poterint. Pleraque verò eo ipso usui incipiunt esse, quo existunt: et ille eorum usus et motus ad corporis vitam necessariò requiritur. Secundò: hæc Lucretii propositio: *Membris posterior est membrorum usus*, duplici sensu intelligi potest. Nempe vel sic, ut significet in se et in auctoris sui intentione membrorum usum esse membris posteriorem: vel sic, ut significet tantùm in executione et ratione temporis post membra membrorum usum haberi. Si posteriore sensu intelligatur, ex parte vera est: sunt enim humani corporis membra quædam, quæ priùs quàm iis utatur homo, in homine existunt. Si autem priori sensu intelligatur, falsa est; et illius veritas sine probatione à Lucretio supponitur. Nec enim membra priùm auctor naturæ condidit, cujus illa essent aut esse possent utilitatis incertus, sed contra pro-

(1) Homines boni et mali, ordinis et confusio- nis notiones sibi efformârunt, postquàm sibi persuassissent omnia quæ sunt propter ipsos fieri. Tunc in unâquaque re præcipuum judicare debuerunt, quòd ipsis utilissimum et illa omnia præstantissima æstimare à quibus optimè afflicebantur. Sic Spinoza.

spiciens quid ère et utilitate esset suarum creaturarum, rerumque naturam habens prospectam, membra dedit et ad certos fines, quos mutare nequimus, destinavit. Et ut exemplis Lucretianar, commodior et aptior telis pugnandi ratio, eventu ipso et tempore telis est posterior; sed si cogitationem spectemus hominum, telis antiquior est, et reverà tela peperit. Non possunt ergo universè tolli fines rerum, nisi demonstraretur nullam esse in parente naturæ cognitionem rerum ante earum affectionem, quod prædicto argumento non concitit Lucretius.

OBSERVATIO. — Validissimum hoc adversus atheos ex causis finalibus argumentum multum elevârunt quamplures philosophi christiani in multiplici aliâ re de religione optime meriti. Magnus ille Cartesius, philosophiæ mechanicæ instaurator, easdem causas finales prorsus à physicâ suâ et etiam à metaphysicâ ablegavit. In responsione ad objectiones Gassendi scribit : « Nec fingi potest, aliquos Dei fines magis quàm alios, in propatulo esse : omnes enim in imperscrutabili ejus sapientiæ abyssis sunt eodem modo reconditi. » Med. 4. Metaph. : « Ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod à fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo : non enim absque temeritate me puto investigare posse fines Dei. » Et in principis philosophiæ p. 1, § 28, habet : « Nullas unquam rationes circa res naturales à fine, quem Deus aut natura in eis faciendis sibi proposuit, admittimus, quia non tantùm nobis debemus arrogare, ut ejus consiliorum participes esse possimus. » Consentienter hisce placitis mundi totius et corporis humani generationem ex principiis mechanicis conatus est explicare, sed satis infeliciter. Ab aetheticâ tamen impietate sine dubio longissimè abfuit, cùm argumenta omnia metaphysica illustraverit, Deumque solum causam materiæ, et motus effectricem et conservatricem statuerit : et insuper etiam docuerit, creatorem eam præcisè motis quantitatem materiæ dedisse, quæ apta esset producendis rebus omnibus.

Mallebranchius Cartesii secutus vestigiâ aliquatenus tamen magistro timidior extitit; utpote, qui cum solâ materiâ et motu sine ratione gubernante cosmogoniam generalem tentaverit, corporum verò organicorum fabricam ad cæcos materiæ motus revocandam non potaverit.

Horum infelicibus successibus non deterritus clarissimus auctor Historiæ naturalis nuper editæ, quamvis ipse sequatur Newtonianam philosophandi rationem cartesiano more, valde contemnit causas finales (1) : et consentienter huic dogmati, illum admirabilem planetarum concentum, in quo Newtonus tot divini consilii argumenta invenit, in vis centripetæ et projectilis temperatione (2), cometæ in solem illapsui attribuit. Tellurem omnem nostram exteriorem, tam lætæ et copiosæ omnibus animantibus domiciliû, tumultuantis oceanî fluctibus, spumam vel scoriam substantiæ solaris seu vitræ sulcantibus, acceptam refert.

(1) « Le second principe employé par Platon et par la plupart des spéculatifs que je viens de citer, principe même adopté du vulgaire et de quelques philosophes modernes, sont les causes finales; cependant, pour réduire ce principe à sa juste valeur, il ne faut qu'un moment de reflexion : dire qu'il y a de la lumière, parce que nous avons des yeux; qu'il y a des sons parce que nous avons des oreilles; ou dire que nous avons des oreilles et des yeux, parce qu'il y a de la lumière et des sons, n'est-ce pas dire la même chose, ou plutôt, que dit-on? Trouvera-t-on jamais rien par cette voie d'explication? Ne voit-on pas que ces causes finales ne sont que des rapports arbitraires et des abstractions morales, lesquelles devraient encore imposer moins que les abstractions métaphysiques? car leur origine est moins noble et plus mal imaginée; et quoique Leibnitz les ait élevées au plus haut point sous le nom de raison suffisante, et que Platon les ait représentées par le portrait le plus flatteur de perfection, cela ne peut pas leur faire perdre à nos yeux ce qu'elles ont de petit et de précaire : en connaît-on mieux la nature et les effets, quand on sait que rien ne se fait sans une raison suffisante, ou que tout se fait en vue de la perfection? Qu'est-ce que la raison suffisante? Qu'est-ce que la perfection? Ne sont-ce pas des êtres moraux créés par des vues purement humaines? Ne sont-ce pas des rapports arbitraires que nous avons généralisés? Sur quoi sont-ils fondés? Sur des convenances morales, lesquelles bien loin de pouvoir rien produire de physique et de réel, ne peuvent qu'altérer la réalité, et confondre les objets de nos sensations, de nos perceptions et de nos connaissances, avec ceux de nos sentimens, de nos passions et de nos volontés. » Vol. 2, c. 5.

(2) Planetæ sex principales revolvuntur circum solem in circulis solum concentricis, eadem motus directione, in planis orbium planetarum quàm proximè. Et hi omnes motus regulares originem non habent ex causis mechanicis.... Elegantissima hæcæ solis, planetarum et cometarum compages, nonnisi consilio et dominio entis intelligentis et potentis oriri potuit. Newtonus in fine principiorum math. phil. nat. Vide Bentlei sermones contra atheismum.

Plantarum omnium et animalium organica corpora à vi quâdam fictrice materiæ insitâ effecta esse contendit.

4^o Hisce omnibus ducem se præbuerat magnus scientiarum amplificator et philosophiæ vates Baconus, qui quidem multa contra causas finales scripsit, et propterea multorum doctorum virorum invidiam subiit. Utinam, tamen ceteri omnes, qui ejus monitis paruerunt, moderationem quoque fuissent secuti: neque alium in hæc controversiâ arbitrum quæremus. Docet quidem ille Platonem et alios quamplurimos causas finalibus egregiè abusos esse in rebus physicis; et propterea omninò à physicâ ablegandas statuit: at simul easdem causas veras esse docet et philosophi inquisitione dignissimas; verùm ad metaphysicam pertinere censet. Ejus locum, quamvis longiorem hic describere operæ pretium videtur; quòd magnam habeat apud physicos nostros auctoritatem; et dùm ipsis ea omnia concedit, quæ ad perficiendam suam scientiam necessaria sunt, tamen nullo modo quatit theologiæ naturalis fundamenta (1).

(1) Metaphysicæ pars secunda, inquit, est finalium causarum inquisitio, quam non ut prætermissem, sed ut malè collocatam notamus. Solent enim inquiri inter physica, non inter metaphysica. Quamquam si ordinis hoc solum vitium esset, non mihi fuerit tanti. Ordo enim ad illustrationem pertinet, neque est hæc substantia scientiarum. At hæc ordinis inversio defectum insignem peperit, et maximam philosophiæ induxit calamitatem. Tractatio enim causarum finalium a physicis inquisitione causarum physicarum expulsi et dejecti, effectique ut homines in istiusmodi speciosis et umbratilibus causis acquiescerent; nec inquisitionem causarum realium et verè physicarum strenuè urgerent, ingenti scientiarum detrimento. Etenim reperi hoc factum esse non solum à Platone, qui in hoc litore semper anchoram figit, verùm etiam à Aristotele, Galeno et aliis, qui sæpissimè etiam ad illa vada impingunt. Etenim qui causas adduxerit hujusmodi: palpebras cum pilis pro sepi et vallo esse ad munimentum oculorum; aut, corii in animalibus firmitudinem esse ad propellendos calores et frigora; aut, ossa pro columnis et trabibus à naturâ induci, quibus fabrica corporis innitatur: is in metaphysicis non malè ista allegarit, in physicis autem nequaquam. Inò quod copius dicere, hujusmodi sermonum discursus (instar remoriarum, uti fingunt, navibus adhærentium) scientiarum quasi vellicationem et progressum retardarunt, ne cursum suum tenerent, et ulterius progredirentur: et jampridem effecerunt, ut physicarum causarum inquisitio neglecta deliceret, ac silentio præteriretur. Quapropter philosophia naturalis Democriti et aliorum, qui Deum et mentem à fabricâ rerum moverunt, et structuram universi infinitis

Magnus Newtonus à Bacono aliquatenus saltem quoad formam loquendi dissentit, dùm scribit: « Deum cognoscimus per sapientissimas et optimas rerum structuras et causas finales..... De quo ex phænomenis causare ad philosophiam experimentalem pertinet. » Princ. l. 3. Stant ergo pro causis finalibus Pythagoras, Plato, Aristoteles, Hippocrates, Zeno, Galenus, Baconus, Newtonus, Leibnitzius cum omnibus suis, cum universo humano genere. Causa finita est.

Et certè in hominum artificii, consilii, actionibus eorum fines quærimus; ac de eorum industriâ, bonitate, sapientiâ, ex finibus et mediis ad fines aptitudine judicamus: si

naturæ præclusionibus et tentamentis (quas uno nomine fatum aut fortunam vocabant) attribuerunt, et rerum particularium causas materiæ necessitati, sine intermissione causarum finalium, assignarunt, nobis videtur, quatenus ad causas físicas, multò solidior fuisse et altius in naturam penetrasse, quam illa Aristotelis et Platonis: hanc unicam eam causam, quòd illi in causis finalibus nunquam operam triverunt, hi autem eas perpetuò inculcarunt. Neque hæc ideò dicimus, quòd cause illæ finales verè non sint, et inquisitione admodum dignæ in speculationibus metaphysicis, sed quia, dùm in causarum physicarum possessiones occurrunt et irruunt, misere eam provinciam depopulantur et vastant. Alioquin, si modò intra terminos suos coercerentur, magnopere hallucinantur, quicunque eas physicis causis adversari aut repugnare putant. Nam causa reddita, quòd palpebrarum pilis oculos munit, nequaquam sane repugnat alteri illi, quòd pilositas solet contingere humiditatum orificiis; sic de reliquis, conspirantibus optimè utrisque causis, nisi quòd altera intentionem, altera simplicem consecutionem denotet; neque verò ista res in dubium vocat providentiam divinam, aut ei quidquam derogat; sed potius eandem miris modis confirmat et evellit. Nam sicut in rebus civilibus prudentia politica fuerit multò altior et mirabilior, si quis operâ aliorum ad suos fines et desideria abuti possit, quibus tamen nihil consilii sui imperit (ut interim ea agant que ipse velit, neutiquam verò se hoc facere intelligant), quam si consilia sua cum administris voluntatis suæ communicet: sic Dei sapientia effulget mirabilis, cum natura aliud agit, providentia aliud elicit, quam si singulis motibus naturalibus providentiæ characteres essent impressi. Scilicet Aristotelis, postquam naturam finalibus causis imprægnasset, naturam nihil frustra facere siveque viti semper esse competentem, si impedimenta abessent, et hujusmodi multa eò spectantia posuisset, amplius Deo non fuit opus. At Democritus et Epicurus, cum atomos suos prædicarent, eò usque à subtilioribus nonnullis tolerabantur; verùm cum ex eorum fortuito concursu fabricam ipsam rerum absque mente coluisse assererent, ad omnibus risu excepti sunt. Adeo

ergo mundus sit artificium Dei, si ejus consilio et providentiâ gubernetur, quare divinam artem, sapientiam, bonitatem ex finium optimorum contemplatione et aptissimâ mediolorum ad fines obtinendos institutione non investigabimus? In hominum libris legendis vir sapiens ad orationis sensum attentus, illum accommodat ad usus suos, nec vanè et inaniter grammaticis regulis unicè intentus sententiarum artificium et cum prædictis regulis convenientiam considerat. Sic cum versamur in magno naturæ volumine, grammatici est in re humiliter delixi, occupari tantummodò in phænomenis ad certas motûs regulas generales revocandis; sapientis est et philosophi, ex consideratione pulchritudinis et magnificentiæ rerum animi suum perficere et amplificare, sapientiam et beneficentiam creatoris perspicere et admirari; accommodare res naturales, quantum in se est, ad creatoris gloriam et suam aliorumque felicitatem; atque ad hos optimos et naturales fines philosophorum uti inventis et observationibus (1).

ut tantum absit, ut causæ physicæ homines à Deo et providentiâ abducant, ut contra pestes philosophi illi, qui in iisdem erendis occupati fuerunt, nullum exitum rei reperiant, nisi postremo ad Deum et providentiam confugiant. Idem pulchre scribit de Augm. scien. l. 1. Certissimum est, atque experientiâ comprobatum fessæ gustus in philosophiâ movere fortassè ad atheismum, sed pleniore haustus ad religionem reducere. Namque in lumine philosophiæ, cum secundæ causæ, tanquam sensibus proxima, ingeant se menti humane, mensque ipsa in illis hæreat atque commoretur, obliuio primæ causæ obrepere possit. Si quis ulterius pergat, causarumque dependentiam, seriem et concatenationem, atque operâ providentiæ intractat, tunc secundum poetarum mythologiam facile credet, summum naturalis catenæ annulum pedi solii Jovis affigi. De Augustinis scientiarum, l. 5, c. 4.

(1) Operæ præsum est ipsa tùm Leibnitii tùm Newtonis de causis finalibus verba afferre, de quibus inductor de Bonald sic disserens : « Les principes qu'a posés l'abbé Faydit, écrit Leibnitz, renferment des conséquences étranges auxquelles on ne prend pas assez garde. Après avoir détournée les philosophes de la recherche des causes finales, ou, ce qui est la même chose, de la considération de la sagesse divine dans l'ordre des choses, qui, à mon avis, doit être le grand but de la philosophie, il en fait entrevoir la raison dans un endroit de ses principes, où voulant s'excuser de ce qu'il semble avoir attribué à la matière certaines figures, et certains mouvements, il dit qu'il a le droit de le faire, parce que la matière prend successivement toutes les formes possibles, et qu'ainsi il a fallu qu'elle soit enfin venue à celle qu'il a supposée; mais si ce qu'il dit est vrai, si

ARGUMENTUM VI. — *Ex viribus naturalibus, motu et cogitatione.*

PROPOSITIO PRIMA.

Deum esse, qui mundum hunc initio constituit et perpetuâ actione sua moderatur, ostendit corporum motus.

PROBATIO. — Nam vel dicendum est, motûs originem et causam nullam esse, neque intra, neque extra materiam, sed illum ab æterno successivis impulsibus semper sine initio continuatum fuisse, uti docebant Epicurei, et

« tout le possible doit arriver, et s'il n'y a pas de fiction, quelque abus de et indigne qu'elle soit, qui n'arrive en quelque temps ou en quelque lieu de l'univers, il s'ensuit qu'il n'y a ni liberté, ni Providence; que ce qui n'arrive point est impossible, et que ce qui arrive est nécessaire. Justement comme Hobbes et Spinoza le disent en termes plus clairs.

« Si Dieu est auteur des choses, et s'il est souverainement sage, on ne saurait bien raisonner sur la structure de l'univers sans y faire entrer les vues de la sagesse; comme on ne saurait bien raisonner sur un bâtiment sans entrer dans les fins de l'architecture. J'ai allégué ailleurs un excellent passage de Phédon de Platon, où le philosophe Anaximandre, qui avait posé deux principes, un esprit intelligent et la matière, est blâmé pour n'avoir point employé cette intelligence dans les progrès de son ouvrage, s'étant contenté des figures et des mouvements de la matière; et c'est justement le cas de nos philosophes modernes trop matérialistes.

« Mais, dit-on, en physique on ne demande pas pourquoi les choses sont, mais comment elles sont; je réponds que l'on y demande l'un et l'autre; souvent par la fin on peut mieux juger des moyens, outre que pour expliquer une machine, on ne saurait mieux faire que de proposer son but, et de montrer comment toutes les pièces y servent; cela peut même être utile à trouver l'origine de l'invention. Je voudrais qu'on se serrît de cette méthode, même dans la médecine. Le corps de l'animal est une machine en même temps hydraulique, pneumatique et pyrologique, dont le but est d'entretenir un certain mouvement; et en montrant ce qui sert à ce but, et ce qui y nuit, on ferait connaître tant la physiologie que la thérapeutique. Ainsi, on voit que les causes finales servent en physique, non seulement pour admirer la sagesse de Dieu, ce qui est le principal, mais encore pour connaître les choses et pour les manier... M. Molineux a fort approuvé la remarque que j'avais faite à l'occasion de la dioptrique de M. Descartes, du bel usage des causes finales, qui nous élève à la considération de la souveraine sagesse, en nous faisant connaître en même temps les lois de la nature qui en sont la suite. Comme l'un des meilleurs usages de la philosophie, et particulièrement de la physique, est de nourrir la piété et de nous élever à

inter recentiores Spinoza (1) : vel motus originem et causam esse in ipsâ materiâ, quæ habet essentialiter vim motricem, ut posuit Strato, et ex recentioribus Tolandus, vel mentem æternam motus principium esse. Atqui nec primum nec secundum dici potest.

1° Enim absurdum est dicere motus originem et causam nullam esse. Nam absurdum est supponere effectum aliquem existere sine causâ efficiente, passionem esse sine actione. Atqui in illâ hypothesi esset effectus sine causâ. Nam in istâ expositione omnis motus seu corporis translatio producta est : atque tamen nulla vis admittitur producens, neque externa, neque interna. Pone corpus A, impellere corpus B, et B impellere corpus C, et C impellere D : motus corporum B, C, D, erit effectus vis corporis A, et A erit primum movens. Tolle jam illam causam primam A, et habes effectum sine causâ. Si fingas corpora illa moveri in orbem et à corpore A derivari successivè motum in B, C, D... Z, A ; fingis tantùm corpus A, seipsum movere mediantibus corpori-

« Dieu, je ne sais pas mauvais gré à ceux qui n'ont donné cette occasion de m'expliquer d'une manière qui pourra donner de bonnes impressions à quelques-uns. » Tom. II, Lettres, pag. 243, 251, 252.

« Voilà ce que pensait Leibnitz des causes finales ; écoutons à présent Newton :

« Telle était, dit M. Haüy dans son Introduction du *Traité élémentaire de physique*, telle était la disposition où se trouvait le grand Newton, lorsque après avoir considéré les rapports qui lient partout les effets à leurs causes, et font concourir tous les détails à l'économie de l'ensemble, il s'élevait jusqu'à l'idée d'un créateur et d'un premier moteur de la matière, en se demandant à lui-même pourquoi la nature ne fait rien de vain ? D'où vient que le soleil et les corps planétaires gravitent les uns vers les autres sans aucune matière dense intermédiaire ? Comment il serait possible que l'œil eût été construit sans la science de l'optique, et l'organe de l'âme sans l'intelligence des sons ? »
 « Et M. Haüy remarque ailleurs que l'on trouve dans tous les ouvrages de la nature ce qu'on pourrait appeler sa *devise familière* : Économie et simplicité dans les moyens ; richesse et variété inépuisable dans les effets. Nous pourrions encore citer Voltaire, partisan décidé des causes *finales*, si Voltaire faisait autorité en philosophie, même aux yeux de ses admirateurs. » (M. de Bonald, *Recherches philosophiques*, t. 9, pag. 127.) P. 8.

(1) Parte secundâ, prop. 13, lemm. 3. Corpus motum vel quiescens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, et illud iterum ab alio, et sic in infinitum.

bus B, C, D... Z ; adedque sui motus causam existere. Si fingas seriem infinitam, nihil proficiet : nam, sublatâ primâ causâ motus, habebis effectum infinitum sine causâ. Quod hæc comparatione elucidari potest. Finge catenam ex indefinitâ altitudine pendentem, cujus omnes annuli ponderent in terram ; si quæreretur, cur ista catena tam ponderosa non caderet in terram, num responsonem probabilem attulisse eum putaremus, qui diceret anulum infimum ab annulo immediatè superiori suspendi, hunc ab alio, et sic in infinitum ? Iterùm profectò quæreretur, quid efficeret ut omnes annuli suspensi manerent contra vim ponderis ? Nam si vis aliqua sit necessaria, ad suspendendum unum anulum, major vis requiritur ad suspendendos 20 annulos, major ad 100 suspendendos ; et ad pondus infinitum sustinendum necessaria esset vis infinita, nedùm nulla requireretur. Idem dicendum est de serie quâcumque causarum sese successivè producentium, in quâ si primam tollas, habebis, vel finitum, vel infinitum rerum numerum sine causâ efficiente. Adedque suppositio infiniti temporis difficultatem quodammodò ex conspectu removet, nullo modo solvit : et propterea hujus henè conscius Spinoza, cum ab amicis ratio aliqua suæ positionis postularetur, effugia semper quæsit, ut patet ex Epist. 63 et sequentibus.

2° Non inesse materiæ naturaliter et essentialiter vim motricem, multiplici ratione conficitur.

Primò : quod essentialis rei alicui est, ad ejus conceptum pertinet : atqui motus, seu vis motrix nullatenus in conspectu materiæ includitur : adæquatam habemus illius ideam, ut rei extensæ et solidæ, absque motu ; imò nedùm involvat contradictionem corpus aliquod quiescere, è contrario quietem nativum ejus statum esse intelligimus ; et Tolandus, qui sibi in animum induxit defendere illam absurdissimam et abhorrentem à communi omnium sensu opinionem, quòd in ideâ materiæ includatur idea motus, nihil afferre potuit quod non sit planè ineptum, ut modò videbimus. Secundò : omnis vis motrix repugnat naturæ materiæ. Nam in omni materiâ est vis quædam negativa et improprie dicta, quam significantissimo vocabulo philosophi appellant *vim inertie*, quâ corpus quodcumque statûs mutationi resistit. Hanc inertiam in omni corpore experimus ; corpus quiescens moventi resistit, et corpus motum resistit sistenti : si duplum fuerit, duplo plus

resistit; vel si idem corpus A movendum sit cum duplici velocitate, duplo etiam plus resistit, seu requiritur vis dupla, quod profectò non contingeret, nisi esset insita materiæ inertia quædam, quâ mutationi statûs resistat, tolle illam, et minimum corpus moveret maximum corpus, nullâ amissâ velocitate. Imò verò non tantum experimur vim hanc inesse materiæ, sed etiam sine illâ corpus concipere non possumus, laud magis quàm sine extensione vel impenetrabilitate: nam si ad movendum corpus A cum aliquâ datâ velocitate, necessaria sit vis aliqua V, fieri non potest ut ad movendum idem corpus A cum duplici velocitate, vel, quod eodem redit, ad movendum corpus duplum 2 A, non sit necessaria vis dupla 2 V: quia causa debet esse necessariò effectui proportionata, et repugnat ut eadem vis motrix producat diversos in infinitum gradus motûs. Atqui si ad movendum corpus aliquod cum variis velocitatis gradibus necessaria sit vis major vel minor, habitâ ratione molis movendæ, vel velocitatis producendæ, agnoscenda est necessariò in materiâ quæcumque inertia, quâ resistit mutationi statûs. Porrò hæc inertia, quam inesse corporibus experimur, et sine quâ corpora cogitare non possumus, excludit omnem vim motricem. Nam duo contraria, sese mutuò destruunt, eidem subjecto inhærere non possunt: quia res non potest esse simul talis et non talis. Atqui inertia et vis motrix sunt duo contraria et incompatibilia: et si simul essent insitæ in materiâ, materia esset iners et non iners; statum servare per inertiam, statum mutare per vim motricem eodem tempore niteretur. Ergo esse in corporibus vis motrix nulla potest.

Tertiò è ex suppositione vis motricis insitæ in materiâ plura sequuntur absurda. Nam, ut modò diximus, tolleretur à materiâ ista inertia, sine quâ tamen nullæ esse possunt leges motûs, et materia esset prorsus inutilis ad mundi constructionem.

Deinde, si inesset naturaliter materiæ particulis vis motrix, vel enim ista vis quaquaversum niteretur, vel in aliquam partem determinaretur: prius planè absurdum est; nam nisus in omnes simul partes contrarias repugnat: si quidem particula aliqua niteretur versus orientem, eo ipso niteretur recedere ab occidente. Non posterius, tum quia nulla particularis determinatio concipi potest necessaria: tum etiam quia si aliqua determinatio esset materiæ naturalis et necessaria, illam deter-

minationem non magis mutare posset quàm naturam: et si fortè contingeret ut à fortiore abriperetur in partem naturali conatui contrariam, reniteretur sanè semper, et primâ datâ occasione naturalem determinationem sequeretur. Jam verò cum hisce naturalibus inclinationibus consistere nequeunt leges motûs, quæ postulant, ut corpora sint naturâ suâ indifferentiâ ad quancumque determinationem.

Si naturaliter inesset corporibus motus, vel vis motrix, ista vis motrix vel ille motus idem semper esset; nec ulla essent motûs incrementa vel decrementa. Sed experientiâ constat motum in collisione corporum, nunc destrui, nunc augeri: in quâ re sunt jam philosophi consentientes.

Si vis motrix esset essentialis materiæ, nullæ particulæ, vel quiescerent unquam, vel nunc quiescerent, sed perpetuo motu particulæ agitæ semper à se invicem divellerentur: ergo nihil generari seu concrecere unquam potuisset, ullamve adipisci stabilitatem et constantiam. Manifestum quidem est res omnes universi certam quamdam justamque motûs et quietis mensuram requirere.

Si vis motrix esset materiæ essentialis, leges motûs essent naturâ, non voluntate determinatæ; vel potius esset lex unica, ubique uniformis, cujus necessitatem aliquam deprehenderemus. Sed experimur leges motûs esse planè arbitrarías (1) nec uniformes. Nam vires præcipuæ et universaliores sunt: gravitas seu vis quâ corpora quæque versus proprium centrum deprimuntur: vis cohesionis, quâ corporum minores particulæ colligantur et durities existit: vis elastica seu repulsionis, quâ corpora minutiora se mutuò repellunt et fugiunt: vis percussionis, quæ in corporum collisione manifesta est. Esse alias vires in rerum naturâ certissimum est, nam ex his non pendunt omnia phænomena, saltem quantum noscernere possumus: verbi gratiâ, omnis œconomia animalis, motus musculorum, sensationes. Atqui harum virium leges sunt planè arbitrarie: nam gravitas corporum non eadem est in variis à centro distantibus, sive intra terram, sive extra terram: intra terram corpora ponderare videntur in ratione directâ distantiarum à centro; id est, quâ proportionem ad centrum accedunt, eadem minuuntur eorum

(1) Dicit auctor leges motûs arbitrarías, id est, liberas, seu à motore primo intelligente liberè conditas, principiisque ordinis essentialibus semper convenientes. P.-S.

pondus. Sed extra terram ponderant aliter : nam quò magis receditur à centro, eò minus pondus est : sed non decrescit in ratione simplici distantiarum ; sed, ut loquuntur geometræ, in ratione duplicatâ inversâ distantiarum, id est, corpus in duplò majori distantia, quadruplò minùs ponderat ; quo nihil arbitrarium magis fingi potest. Sic quoque vis illa, quâ coheret particule materiæ in corporibus duris, aliam prorsùs legem sequitur, rationem triplicatam vel quadruplicatam inversam distantiarum ; nam minimo intervallo nulla est, in puncto verò contractus infinitè superat vim gravitatis. Quæcumque sit lex harum virium, quam determinare vis possibile est, liquet certè, quòd planè fuerit ad arbitrium facta ; nihil in materiæ naturâ reperies, quod hæc leges necessarias efficere potuerit. Idem dici potest de cæteris omnibus legibus quas sequuntur corpora.

Scimus quidem Epicureos olim et recentiores mechanicæ philosophiæ restauratores, docuisse omnia phænomena naturæ derivari posse ex his duobus simplicissimis legibus : *Corpus quodcumque servare statum motus et quietis nititur* ; et : *Quantitas motus communicatur pro quantitate motus corporum impingentium* (1). Sed scimus etiam id valdè temerè ab utrisque assertum fuisse ; vivique ullum esse phænomenon, cujus isti philosophi solutionem feliciter tentaverint. Et propterea quò magis in naturæ intima penetrant observando philosophi, tantò in dies minuitur apud omnes gentes illorum philosophorum auctoritas. Adeò ut illa ingeniosa philosophandi ratio per hypotheses arbitrarias inventa à Cartesio, ab omnibus curiosis naturæ exploratoribus deserta sit.

Objicies 1^o cum Tolando : Motus essentialis materiæ est, et in ejus ideâ includitur. Nam primùm materia omnis est naturâ suâ divisibilis : divisibilitas verò continet ideam motus. Deinde materia sine qualitibus sensibilibus concipi à nobis nequit : sed omnes qualitates sensibiles sunt effectus motus. Tertio denique omnis materia movetur, et consequenter concludere debemus motum pertinere ad essen-

tiam materiæ, uti colligimus omnem materiam esse extensam, quòd nullam ejus partem inextensam noverimus. — Respondeo 1^o : In ideâ materiæ includitur quidem divisibilitas, et consequenter capacitas motum recipiendi : sed multùm distant divisibilitas et divisio actualis per motum ; seu capacitas recipiendi motum et motus actualis. 2^o Ex eo quòd corpora nobis per motum sensibilia sint, non sequitur illa per motum necessariò esse sensibilia. Nam talia esse possunt, et reverà sunt, non ex naturis suis, sed ex instituto arbitrario creatoris, qui potuisset aliam occasionem sensationum constituere, si voluisset. Deinde, etsi per imaginationem nobis representare non possimus corpora sine aliquibus qualitibus sensibilibus, saltem illa sæpiùs existere sine aliquibus qualitibus sensibilibus novimus, et existere posse semper. Novi, v. g., sidera sole micante existere ; existunt tamen sine qualitibus sensibilibus respectu nostrî, et cum, consentientibus philosophis, qualitates sensibiles non sint in rebus ipsis, sed in animis, certè sublatiis animis tota universitas rerum sine istis qualitibus existeret. Qualitates ergo sensibiles ridiculè dicuntur pertinere ad essentiam corporum. 3^o Etiamsi concedamus omnem materiam in universo orbe in motu positam esse, quòd tamen non probatur : ex istâ universalitate nullo modo sequitur motum ad essentiam materiæ pertinere. Ipse Tolandus agnoscit inesse omnibus corporibus vim centripetam, negat tamen illam gravitationem versùs centrum esse materiæ essentialem. Oportuisset illum conficere eandem planè rationem esse motus et extensionis : ac sicut, sublata extensionis notione, tollitur omnis notio materiæ, sic sublato motu actuali nullam reliquit ejus ideam.

Objicies 2^o contra secundam rationem : Vis inertiae seu resistentia ad mutandum statum falsò dicitur essentialis materiæ. Nam omnes philosophi in hoc consentiunt, materiam esse indifferentem ad motum vel quietem. Atqui ista indifferentia consistere non potest cum prædictâ vi inertiae. — Respondeo omnes philosophos docere materiam esse indifferentem ad motum vel quietem, eo sensu quòd naturâ suâ non magis propendeat ad motum quàm ad quietem ; nec magis resistat transire à statu quietis ad motum, quàm à statu motus rursùs ad eandem quietem redire : sed non docent materiam esse indifferentem ad motum et quietem, eo sensu quòd in materiâ nulla sit resistentia ad motum in statu quietis, et ad

(1) « L'idée de ramener l'explication de tous les phénomenes à des principes mécaniques, est assurément grande et belle ; ce pas est le plus hardi qu'on pût faire en philosophie, et c'est Descartes qui l'a fait ; mais cette idée n'est qu'un projet : et ce projet est-il fondé ? Quand même il le serait, avons-nous les moyens de l'exécuter ? » etc. Vide Hist. nat. libid.

quietem in statu motûs (1). Deinde, etiamsi revocari possit in dubium à theistâ, an illa vis inertiae, quam in materiâ omnî sensibili experimur, sit materiae essentialis, an impressa extrinsecûs à Deo; id ab atheo revocari in dubium non potest: nam hic tenetur defendere id omne pertinere ad naturam materiae, quod omnî materiae inesse constantissimâ experientiâ novimus. Sed certè constanti experientiâ novimus materiam esse inertem.

Animadvertendum etiam est, majores difficultates, si fieri posset, premere atheos, si statuatur materiam non esse inertem, quàm si inertem illam esse concedant: nam in hâc hypothesi nulla esse posset materiae alicujus actio in aliam materiam. Omne enim corporis momentum pendet ex massâ, id est, inertîa massae, seu majori vel minori resistentiâ ad mutandum statum, et ex velocitate. Tolle massam seu inertiam massae, et finge corpus non resistens: post collisionem, vel corpus impingens statim quiescet, cum nullam habeat vim ad servandum statum motûs; vel nullâ amissâ velocitate rapiet secum corpus quiescens, quia hoc nullam habet vim ad servandum statum quietis. In neutrâ hypothesi posset hic mundus consistere; in primâ esset omnis materia tandem quiescens et moles segnis: in secundâ, omnis materia raperetur secundum eandem determinationem. Ad has ergo angustias reducitur atheus, ut vel asserat materiam inertem esse naturâ, et tunc carebit natura vi motrice; vel ponat non esse inertem, et tunc alterius materiae motrix esse non poterit.

COROLLARIA. — Ex his omnibus sequitur primò, vanissimam esse philosophiam Stratonis et Stoicorum supra descriptam, quae statuebat inesse materiae vim motricem, quamdam tendentiam ad motum et nisum elementarem. Quam opinionem etiam nostris temporibus secuti sunt Hobbius, Tolandus, necnon clarissimus Leibnitzius. 2º Sequitur non esse inhærentem materiae vim gravitatis et vim cohaesionis, quales admittebat Epicurus in individuâ illis particulis, quas atomos vocabat. In quâ ejus sententiâ hoc etiam perabsurdum fuit, quòd in spatio infinito superius esse aliquid et

inferius dicitaret, atque ibi gravitate suâ ferri et deprimi corpora, ubi nullus erat medius locus seu centrum. In eadem vanitate sunt quidam recentiores philosophi, qui attractionem inhærentem materiae qualitatem fecerunt: in quâ opinione hoc non solum est reprehendendum, quòd vis aliqua incerti materiae tribuatur: sed id perabsurdum est, quòd corpus dicatur agere in distans, ubi non sit, ubi est nihilum corporis, siquæ effectus ex nihilo oriri supponatur. Sequitur denique vires naturales esse ipsam divinam efficaciam; et omnia phaenomena, quae vocantur effectus virium naturae et legum motûs, nihil reverè esse, si propriè loqui velimus, nisi effectus divinae actionis, vel immediatè per se moventis materiam, vel mediatè per alia entia spiritalia: aut esse effectus particulares legum naturae generalium, quae leges generales sunt tantummodò effectus generales efficaciae divinae. Cursus ergo et ordo naturae nullus est propriè dictus, sed hoc nomine significatur divina voluntas, res omnes regens ratione constanti, perpetuâ et uniformi: ex quo sequitur illius virtute omnia etiam minutissima contineri, atque in ipso ac per ipsum omnia vivere, moveri et esse: et « Dei cognitionem ex phaenomenis pertinere ad philosophiam experimentalem, » ut posuit Newtonus. Vide de toto hoc argumento Cartesium, Malebranchium, Clarkium de Attr. Dei, et in resp. ad Leibnitz. Baxter de Immortalitate animae.

PROPOSITIO II. — *Deum existere, seu ens à materia segregatum, ostendit animis hominum inventa cogitandi vis.*

PROBATIO. — Si cogitatio (intellige vel perceptionem passivam, vel vim percipiendi, vel conscientiam, vel sensum, vel volitionem) à Deo non oritur, sed inhæret materiae, vel oritur accidentaliter ex alia materiae affectionibus, nempe magnitudine, figurâ, situ, motu, quamvis diversae sit naturae, uti posuit Epicurus; vel est una ex his materiae affectionibus, seu magnitudo, seu figura, seu situs, seu motus, uti Hobbius scripsit multis in locis; vel denique est facultas insita naturaliter in materia et distincta à motu, situ, figurâ et magnitudine, uti Strato olim docuisse dicitur. Atqui haec tres sententiae abhorrent à ratione.

1º Absurda est Epicureorum sententia. Nam ex magnitudine, figurâ, situ et motu nihil gignitur, praeter varietatem earumdem affectionum. Divide materiae magnitudinem, partes

(1) « Il semble, en considérant l'indifférence de la matière au mouvement et au repos, que le plus grand corps en repos pourrait être enporté sans aucune résistance par le moindre corps qui serait en mouvement, auquel cas il y aurait action sans réaction et un effet plus grand que sa cause. » Leibnitz Théod. p. 538.

divide in alias minores, easdem per totam æternitatem variâ ratione seca, nihil generabis unquam nisi diversas magnitudines. Compose mutatione sitûs varias illas partes, pone partem A nunc ad orientem, nunc ad occidentem, nunc ad septentrionem, muta partium distantiam, nihil habebis nisi diversas materiæ combinationes. Mollis figuram muta, muta partium configurationes, nihil habebis nisi mutationem figuræ seu mutatam figuram. Move nunc materiæ molem, velocitatem auge vel minue in infinitum, nihil movendo generabis, nisi motum varium. Et ratio est, quod res compositæ nullo modo differant naturâ à rebus simplicibus ex quibus componuntur; ut cum ex duobus triangulis quadratum efficias, quadratum illud nihil aliud erit quàm duo triangula: misce pulverem cæruleum cum pulvere flavo, habebis ex commixtione pulverem viridem, sed reverà iste pulvis viridis nihil est, nisi puris cæruleum cum flavo, uti ope perspicillorum ipsis oculis intueri licet. Et profectò si totum aliquod posset habere diversam naturam à partibus, esset diversæ naturæ à seipso; nam totum aliquod nihil est nisi complexio partium. Unde cum Epicurei supponant cogitationem naturâ ab aliis affectionibus differre, illam reverà ex nihilo educunt, et sine efficiente causâ.

Huic Epicureorum tam stultæ opinioni originem dedit eorum inscitia; existimârunt siquidem cum plebe qualitates corporum sensibiles, colorem, sonum, calorem, odorem esse ex primariis affectionibus prognatas et existere in ipsis rebus extra nos positâs, è quibus ad nos miris modis transferebantur. Sensationes igitur existimabant oriri ex crassioribus vaporibus, quæ perpetuò de corporibus manarent, seseque per sensus in nervos insinuarent; reliquas verò universas hominum cogitationes, sive vigilantibus sive somniantibus occurrentes, excitari ab alio quodam genere imaginum vel simulacrorum, multò tenuioris texturæ de corporibus quoque fluente. Hæc verò tenuiora simulacra, sive idola ad cerebrum dicebant, non per aperta organa sensuum deferri, sed per rara corporis seu poros penetrare, animumque intus afficere: vide Lucr. l. 4, v. 726. Alii verò hanc absconam philosophandi rationem emendare voluerunt: et ideò statuerunt non ipsas imagines è corporibus fluentes irrurere undique in animos, sed tendere, seu impellere lucem, seu aerem inter se et animum, et sic tangi sentirique per

animum in distans, quasi per baculum. Ista exposuisse, refutasse est: jam apud omnes certum est, qualitates corporum sensibiles esse animorum affectiones in rebus ipsis neutiquam existentes.

Secunda opinio, in quâ definitur cogitationem esse unam ex supradictis materiæ affectionibus, æquè absurda est. Nam de rerum naturis judicare non possumus nisi ex rerum ideis; tolle hoc principium, omnem scientiam sustulisti: ideò tantum affirmo triangulum non esse circulum, quia diversa est idea trianguli ab ideâ circuli. Atqui idea cogitationis diversa est ab ideâ magnitudinis, vel figuræ, vel sitûs, vel motûs; siquidem idea magnitudinis unius pollicis, vel pedis, vel exapedæ non est idea cogitationis, non est voluptas, non est conscientia. Circulus, seu triangulum, seu quadratum non est sensus. Systema quatuor atomorum, vel decem, vel centum, etc., non est sapientia. Motus circularis, seu parabolicus, seu spiralis, non est iudicii vis, præteritorum memoria, seu providentiâ futurorum. Hæc planè differunt, magisque inter se quàm circulus et triangulum; hæc duo eodem genere continentur; circulus verò, seu motus circularis toto genere distat à providentiâ futurorum, seu memoriâ, seu conscientiâ, seu sensu, seu volitione.

Cum verò soleant athei, et inprimis Hobbius (1), ex materiæ affectionibus motum seligere, cui attribuunt cogitationis dignitatem et prærogativam, illam sententiam diligentius expendamus. Primò, motus nihil aliud in materiâ procreare potest quàm divisionem, vel configurationem, vel diversum situm, seu coagmentationem, ut modò dictum est. Sed ab his omnibus multum differt cogitatio. Secundò, si motus esset cogitatio, omnis motus esset cogitatio, et eadem cogitatio: nam motus non est res varia, sed uniformis. Variæ ejus determinationes, vel ad orientem, vel ad occidentem, sunt tantum externæ et relativæ destinationes, non mutant ipsam naturam istius qualitatis, quam motum vocamus. Motus etiam

(1) Causa sensationis est externum corpus sive objectum, quod premit organum proprium; et prementis, mediantibus nervis et membranis, continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, et inde ad cor; unde nascitur cordis resistentia et contrapressio, sive conatus cordis liberantis se à pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum: atque apparitio hæc, sive phantasma, est id quod vocamus sensationem. Lev. c. 4. Vide etiam de Sensu et Motu animali.

circularis, vel ellipticus, non diversus est à motu recto. Quia omnis motus ex naturâ suâ est rectus, et in singulis punctis circuli nisus motûs est semper rectus, lecti propter impedimentum perpetuò nisûs recti determinatio mutetur: quovis ergo instanti motus habet nisum rectum, et motus circularis nunquam existit, sed fingitur tantùm per memoriam seu mentem ex conjunctione variorum motuum in successivis instantibus. Idem dicendum est de systemate corporum moventium, et de motu impulsivis: tunc quidem essent multæ partes et multi motus, et proinde multæ cogitationes. In omnibus casibus motus est res uniformis, et consequenter si motus sit cogitatio, omnis motus erit cogitatio. Quod absurdum putare videntur ipsi adversarii, qui reactionem quidem cogitationem nuncupaverunt, nunquam verò motum simplicem rectilineum. Tertiò, si cogitatio esset species quædam motûs, tunc motus esset generica potentia sub se continens cogitationem, uti genus continet speciem. Atqui nedùm motus, aut quævis alia materiæ affectio, sit generica potentia respectu cogitationis, è contrario cogitatio est genus respectu motûs, et affectionum omnium materiæ. Nam existunt tot ideæ motûs, quot sunt modi motûs; et insuper tot sunt ideæ figuræ, quot esse possunt figuræ; tot etiam sunt ideæ aliarum rerum quot res sunt quæ possunt existere: hæc omnes ideæ sunt modi cogitationis. Manifestè ergo cogitatio cum sit adeò generalis, adeò comprehensiva, et sub se contineat omnes figuras, omnes motus, omnes magnitudines, omnes situs, omnes colores, omnes sonos, omnia denique entia, non potest esse species aliqua motûs, sed est genus planè generalissimum. Quartò, si motus particularum materiæ esset cogitatio, esset ista cogitatio temeraria sine consilio nata. Nam cujus consilio nasceretur? Et consequenter nulla esse posset, nec libertas, nec sapientia, nec providentia, quæ tamen inesse cogitandi vi sentimus. Quintò, cogitatio seu conscientia est res permanens: non tantùm reminiscimur rerum gestarum 20, vel 30, vel 50 abhinc annis, sed conscii sumus à nobis ipsis easdem gestas fuisse. Atqui si conscientia esset motus materiæ, ut cerebri, vel sanguinis, subjectum cogitationis non esset permanens, et idem per multos annos, sed in perpetuo fluxu. Non haberemus memoriam, sed multò minùs conscientiam individuatioms. Neque hæc solvi potest difficultas, nisi defendatur conscientiam transferri ab uno systemate particu-

larum moventium in aliud systema successivè per plures annos: quo nihil absurdum magis esse potest, cum ex eo sequeretur qualitatem, qualis est conscientia individuatioms, carere posse subjecto, et unam substantiam consciam esse posse à se illa facta esse, quæ à centum aliis personis facta sunt; id est, se et centum alias personas esse eandem personam.

3º Absurdum est sentire cum Stratone materiam omnem esse per se percipientem, cogitationemque pertinere ad ejus essentiam. Primò, quia id solum materiæ essentialè dici potest, sine quo nequit materiæ concipi: idèò extensionem, divisibilitatem, figurabilitatem, mobilitatem, impenetrabilitatem, ad illius essentiam pertinere dicitur, quia istas proprietates à materiâ dividere cogitando non possumus. Atqui vim illam vitalem, illam perceptionem naturalem, qualem admittunt Stratonicæ, facilè à materiâ dividimus: imò nihil in materiâ præter prædictas qualitates concipere possumus. Secundò, si cogitatio esset essentialis materiæ, à materiâ non posset abesse, sed omnis materiæ illam contineret: et esset cogitationis eadem proportio, quæ extensionis seu magnitudinis. Atqui tamen experimur omnem materiam non habere illam vim cogitandi: in totâ illâ mole corporeâ, quâ induimur, nulla pars est quæ cogitet. Nullam aliam viam ad tollendam vim istius rationis invenire potuit Hobbius, nisi hanc: docet perceptionem differre à sensu seu conscientia perceptionis; perceptionem verò in omni materiâ esse; sensum verò et conscientiam ex memoriâ pendere, quæ in organizatione sita est: vel sensum nasci ex varietate perceptionum sibi invicem succedentium (1). Sed hæc distinctio

(1) Itaque, ait Physic. c. 25, sec. 5: « Sensiioni adheret propriè dictæ, ut ei aliqua insita sit perpetua phantasmatum varietas; ita ut aliud ab alio secerni possit. Si supponamus enim esse hominem, oculis quidem claris, cæterisque videndi organis rectè se habentibus compositum, nullo autem alio sensu præditum, eumque ad eandem rem eodem semper colore et specie, sine ullâ vel minimâ varietate apparentem obversum esse; mihi certè, quidquid dicitur alii, non videre videretur: attonitum esse, et fortasse aspectare eum, sed stupendum dicerem, videre non dicerem. Adeò sentire semper idem, atque non sentire ad idem recidunt. » *Ibid.* scribit: « Scio fuisse philosophos, eosdemque viros doctos, qui coram omnia sensu prædita esse sustinuerunt. Nec video si natura sensivis in reactione solâ collocaretur, quomodò refutari possint. Sed etsi ex reactione etiam corpo-

perceptionis et sensûs seu conscientiæ, vanissima est; neque ullo modo intelligitur, quomodo una ab alterâ divelli possit. Perceptio sine sensu et conscientiâ est perceptio sine perceptione. Tertio, si Stratonici philosophi agnoscant in materiæ particulis perceptionis tantummodo semen et vim genitricem sensûs et rationis, non sensum animale, rationem, cogitationem reflexam et conscientiam, nodum ergo non solvunt. Querere licet unde et quomodo gignatur in animalibus sensus, et in hominibus cogitatio reflexa. Si dicant vitam illam naturalem et genitricem diversimodè pro organorum diversitate sese exercere, incidunt in labyrinthos Epicureorum, et ipsis concedere coguntur per modificationem in organis factam rem oriri antea non existentem et nullum nexum cognitionemve habentem cum organizatione. Quarto, cogitatio planè repugnat naturæ materiæ, seu corporis. Nam corpus est substantia constans multis partibus extra se invicem positis et separabilibus, et æquè distinctis, ac sol et luna. Hanc materiæ naturam participant omnes illius proprietates: magnitudo corporis est multitudo partium juxta se positarum, et augetur vel minuitur, aut juxtapositione novarum partium, aut earum subtractione. Figura tota corporis enascitur ex figuris partium exteriorum. Inertia, gravitas, motus corporis alicujus, pendet ex inertia, gravitate et motu partium, adeò ut non possit dividere corpus in partes duas vel tres, quin has omnes pariter qualitates dividat. Atqui cum hæc partium multiplicitate, quam participant omnes materiæ qualitates, consistere non potest cogitatio. Nam cogitatio non tantum est disjuncta ab istis qualitatibus corporis (id est, non est longa, quadrata, ponderosa, iners, divisibilis, etc.), sed est planè simplex et individua; unâ tantum valet quisque vi, quâ res comparat, judicat, conficit; quâ præterita tenet, complectitur præsentia, futura providet; quâ per totam vitam quisque conscius est sibi, se eandem esse individuum personam successivis temporibus. Atqui hæc vis unica, simplex et individua in re multiplici esse non potest. Nam illa vis in multis parti-

rum aliorum, phantasma aliquod nasceretur, illud tamen, remoto objecto, statim cessaret. Nam nisi ad retinendum motum impressum, etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut habent animalia, ita tantum sentiant, ut nunquam sensisse se recorderentur. Sensui ergo quæ vulgò sic appellatur, necessariò adhaeret memoria aliqua.

bus esse individua non potest, nisi omnes partes habeant eandem individuum vim; aut ex omnibus simul conjunctis efflorescat illa vis individua. Pone, v. g., illam vim esse in corporibus A, B et C, vel erit in singulis, vel in conjunctione trium. Sed utrumque est absurdum. Primum certè est absurdum, quia qualitas individua corporis B, non potest esse qualitas individua corporis A, non magis quàm gravitas, seu motus, seu natura, seu existentia corporis A potest esse gravitas, seu motus, seu natura, seu existentia corporis B: non magis quàm mea cogitatio possit esse alterius eadem et individua cogitatio. Quæque res habet suam naturam, nec naturâ carere potest; quæque ergo res habet propriam individuationem, et individua qualitas, quæ adhaeret naturæ cujusque rei, non potest esse qualitas individua alterius rei, magis quàm natura A potest esse identica natura B. Secundum etiam non minùs absurdum est: nam qualitas totius alicujus non potest esse diversa à qualitatibus partium; cùm totum sit complexio partium, si natura aut qualitas totius differret à naturâ et qualitate partium, differret à seipsâ, quod repugnat. Sic totum non potest esse extensum, nisi partes sint extensæ; totum non potest moveri, quin partes totius moveantur. Sed, inquires, rotunditas in circulo, globositas in globo, est affectio totius, quæ non est in partibus. Nequaquàm: nam rotunditas esse non posset, nisi essent arcus seu partes efficientes rotunditatem: nec globus esse posset, nisi essent partes sphericitatis.

Usi sumus solummodo hoc loco rationibus petitis ex multiplicitate partium materiæ et eandem divisibilitate: alia argumenta contra animi extensionem quære infra, ubi de Immensitate Dei. Vide de toto hoc argumento Cartesium, Mallebranchium, Dangeau, Clarckium, Baxter de Immortalitate animæ.

ARGUMENTUM VII.—*Ex materiæ et animi existentia.*

PROPOSITIO.

Deum esse, qui cuncta in initio creavit et suâ efficacità perpetuò conservat, ostendunt omnes, quibus constat mundus, substantiæ.

PROBATIO. — Ex superiori propositione patet duplicem esse in mundo substantiam, materiam nempe, motûs subjectum, et spiritum cui insit cogitatio. Atqui utraque illa substantia non est per se existens, sed alterius entis arbitrarium figmentum. Et primò quod em na-

teriam rem creatam esse multiplici hæc ratione conficitur.

1° Illud ens non est per se subsistens et independens, in cuius ideâ nullo modo includitur necessitas existendi, sed è contrario contingentia : nam si de rerum naturis iudicandum sit, iudicandum sanè est ex ideis. Atqui in materiæ ideâ non includitur existendi necessitas, quia potest concipi non existens; nam id solùm necessarium cogitatur, quod non potest cogitari non existens; sic dicimus partem necessariò esse minorem toto, quia repugnat partem esse æqualem vel majorem toto : et dicimus è contrario motum corporis alicujus versùs quadam partem determinatam esse contingentem, quia idem corpus motum in contrariam partem facillè cogitamus. Atqui materiæ partes omnes non existere facillè cogitamus, ut lunam, aut aliam quamvis, aut omnes simul.

2° Illud ens non potest esse necessarium, sed est dependens, quòd nullos habet modos existendi necessarios, sed omnes contingentes et mutabiles. Atqui materia nullos habet modos necessarios.

Major propositio evidens est; nam quod necessariò existit et sine causâ, debet etiam habere modum existendi independentem à quâvis causâ; repugnat planè ut ens sit necessarium et independens ad esse, et contingens ac dependens ad modum existendi : quia cùm existentia sine modo existendi esse nequeat, talis est modus existendi qualis existentia : imò res quævis necessaria vel contingens denominatur ex nullâ re aliâ, quàm ex modo existendi. Proindeque quod contingens est, mutabile et dependens ratione modi existendi, dependens quoque est ratione existentia.

Minor propositio nullam habet obscuritatem: quis enim modus materiæ necessarius et immutabilis est? Cogita illam in massam homogeneam et uniformem conglobatam, vel divisam in partes, cum his aut illis figuris, in hoc vel illo situ, in motu vel quiete, in statu fluiditatis vel soliditatis; nullum ex his modis dicere possis necessarium, quia modus contrarius æquè possibilis est, illosque omnes successivè induit materia: ergo ipsa materiæ existentia, quæ sine his modis contingentibus et mutabilibus esse nequit, est etiam contingens.

3° Materia est ens merè passivum, est enim res divisibilis, mobilis, figurabilis, locabilis, etc.; est res divisa, mota, figurata, etc., quæ qualitates certè sunt passivæ, seu significant hoc unum, materiam posse ab agente variè modi-

ficari, et esse jam modificatam. Tolle hanc capacitatem passivam à notione materiæ, omnem materiæ notionem sustulisti. Atqui quod passivum est, id factum et productum esse necesse est. Nam passivitas non magis concipi potest sine activitate, quàm effectus sine causâ; eadem omninò est connexio, seu relatio inter id, quod passivum est, et id per quod est passivum; quæ est inter effectum, et id per quod effectus existit. Passivum quippe et activum voces sunt, quæ habent eandem potestatem ac istæ, effectum èt efficiens; quia activitas omnis est vera efficientia, et passio est reverà effectus, et vice versâ : et proinde si fieri posset, ut substantia passiva non esset effectus causæ alicujus, tunc effectus quilibet posset esse à se et independens : quod planè absurdum est. Ergo ex naturâ materiæ passivâ concluditur materiam esse effectum. Hæc lucem et firmitatem ex sequentibus accipiunt.

4° Illud ens non potest esse necessarium et independens, cuius omnes proprietates non possunt aliter concipi, quàm ut effectus causæ alicujus, imò ut effectus arbitrarii. Atqui omnes materiæ proprietates tales sunt. Proprietates corporum sunt, magnitudo, figura, situs, soliditas, motus, inertia, etc. Atqui hæc omnes proprietates seu modi non possunt aliter concipi, quàm ut effectus causæ à materiâ distinctæ. Quid enim est magnitudo finita, nisi moles contingenter et arbitrariè determinata, quam sine causâ determinante cogitare non possumus? Sic quoque figura quævis, seu circularis, seu triangularis, etc., non necessitatis, sed voluntatis opus est; res figurata sine figurante effectus est sine causâ. Sic motus seu corporis ex uno in alium locum translatio nullâ aliâ ratione potest cogitari, quàm ut effectus vis motricis. Sic soliditas sine cohesione partium non est; cohesio autem effectus est vis alicujus materiæ partes compingentis. Denique ista vis inertiae, quam inesse materiæ supra diximus, non alio modo intelligitur, quàm ut effectus divini decreti, quo statuit materiam ad mutandum statum allaturam esse resistentiam. Ergo quidquid in materiâ experimur, non potest aliter concipi, quàm ut effectus causæ à materiâ distinctæ; et in unâquâque atomo vis divina variâ ratione conspicua est in determinatione magnitudinis, figuræ, situs, soliditatis, motus, inertiae, etc. Dices fortassè atomum quamlibet naturâ suâ finire et ad talem magnitudinem, figuram, motum, duritiem, inertiam determinari. At per naturam vel intelligis ens

aliquid, aliquam vim, distinctam a figurâ, duritiâ, etc., vel nihil. Sin primum, habemus quod volumus. Sin secundum, absurdè loqueris.

Hoc idem sic brevius confici potest. Corpus vel habet necessariò omnes magnitudines possibiles, omnes figuras, omnes situs, etc., vel habet necessariò nullam magnitudinem, nullam figuram, etc., vel habet necessariò unam figuram, unam magnitudinem, etc., vel denique habet magnitudinem, figuram, etc., contingenter et ex voluntate entis alienjus. Primum contradictionem involvit, nempe corpus habere necessariò omnes simul magnitudines, omnes figuras, etc. Secundum repugnat: nam corpus sine aliquo ex illis modis existere non potest. Tertium contra experientiam est; nam corpora perpetuis vicissitudinibus obnoxia sunt. Ergo hæc omnia voluntate determinantur. Vide alia argumenta infra, ubi de ente necessario. Eadem rationes facilè conferri possunt ad conficiendum animos etiã esse substantias creatas. Nam omnia quoque in animis, sensus, affectiones internæ, vis intelligendi, et cætera sunt arbitrariâ voluntate determinata.

Obijcies: Est illud philosophiæ omnis certissimum principium, et ab omnibus philosophis admissum: *Ex nihilo nihil existere*. Ergo. Respondeo, principium esse philosophiæ certissimum, ex nihilo nihil existere, hoc sensu intellectum, quòd nihil, quòd non fuit ante, possit existere sine efficientiâ causæ alicujus, vel quòd à *nihilo nihil effici possit*. Idem principium esse falsum, eo sensu, quòd nihil, quòd non fuit antea, ad existentiam adduci queat. Igitur fatemur sine efficiente causâ ex nihilo nihil posse oriri, quia rei non existentis nulla est efficientia: ex quo etiã conficitur nunquam fuisse nihil seu non omnia entia esse facta, sed naturam aliquam per se et necessariò ab infinito tempore fuisse. Ex eodem principio sequitur, nihil produci posse, nisi ab eâ naturâ, quæ parcm saltem rei productæ perfectionem habet, et facultatem tantam, quantam sufficit ad illam producendum: effectus qui perfectior est causâ suâ, sine causâ necesse est ortus sit, cum suæ causæ efficientiam excedat. Ideò que si nullus in orbe motus foret, neque ulla præter corpora natura existeret, nullus motus unquam posset existere, cum corpora careant vi motrice. Idcirco etiã videtur nullam naturam finitam et imperfectam, novam substantiam producere posse, tametsi novis modis producendis par sit: quia efficientiam creatricem

continere non posse videtur. Hæc ipsa tamen verba sensum falsum continent, si nimirum per istas voces *ex nihilo*, terminus à quo tantum designetur, et hic illis sensus tribuatur, nihil quòd non fuit antea ad existentiam ullo modo adduci posse. Hoc enim si universè verum esset, nulla posset esse productio seu efficientia, nullus motus, nulla cogitatio. Sed in nobis ipsis experimur facultatem, novas cogitationes in animis nostris, novasque motus in corporibus producendi; quòd ipsum cogit atheos, ut hanc propositionem restringant, et de substantiis unicè accipiendam statuant. Quo etiã sensu falsa est propter rationes supra allatas et hanc aliam: quia negari non potest creatio quin tollatur potentia infinita. Nam quid est infinita potentia, nisi facultas perficiendi id omne quòd non repugnat? Atqui non repugnat existere aliquam substantiam finitam et imperfectam, quæ antea non fuit, atomum, v. g., vel animum. Qui ergo istud principium hoc sensu assumunt, assumunt nullam esse potentiam infinitam, quòd est petitio principii.

At, inquit, istud principium, *ex nihilo nihil fit*, est etiã certissimum eo sensu, quòd à causâ efficiente etiã infinitâ nulla substantia produci possit. Nam 1^o nequaquam creationem substantiæ ex nihilo cogitatione complecti possumus. 2^o Istud principium experientiâ confirmatur: nam in naturalibus mutationibus, in generatione et corruptione corporum, nulla pars substantiæ vel destruitur, vel creatur; sed si ex nihilo substantiæ orirentur, res aliter sese haberet, ut observavit Lucretius:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret.
E mare primùm homines, è terrâ posset ariri
Squamigerum genus et volucres, erumpere caelo
Armenta et alie pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta tenerent,
Nec fractus isdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.

3^o Quia, ut idem poeta argumentatur:

Præterea nisi materies æterna fuisset
Antehac ad nihilum penitus res quæque realisset
De nihiloque renata forent quæcumque videmus.

Respondeo: tam vanas esse illas atheorum rationes, præter quas nullas habent alias, ut magnam ex ipsis accipiat auctoritatem nostra conclusio. Prima ratio sic procedit: non intelligo quomodo substantia ex nihilo producat: ergo substantia est nulla creata. Licet ergo homini cæco à nativitate concludere nullos

esse colores, nec corporum distantium situm et figuram posse cerni? Licebit ergo nobis omnibus concludere nullum esse in mundo motum, seu cogitationem? Nam non magis intelligimus, quomodo nascentur, quam quomodo oriantur substantiæ. Quod obscurum est in creatione est transitus à nihilo ad esse, qui transitus æquè obinet in motûs et cogitationis productione. Si ergo ex motu et cogitatione concludere liceat esse vim motricem, et vim cogitandi, quam non habeo comprehensam, cur citam non licebit concludere ex naturalibus et essentialibus proprietatibus rerum finitarum, quæ evidenter sunt contingentes, mutabiles et effectus arbitrarii, esse vim creatricem, etsi illam non complectar cogitatione? Profectò si sit vis aliqua necessaria, illa infinita est, ut nodò ostendemus; et consequenter æquè certum et certiores, illam existere quæ par sit omnibus rebus possibilibus producendis, quàm esse vim aliquam finitam illius participationem. Secunda ratio Lucretii planè ridicula est, et efficit solummodò res non oriri ex seipsis, seu sponte suâ, temerè et sine consilio ac vi causæ efficientis. Tertia ratio æquè est inepta : si res quidem sponte suâ temerè prodirent ex nihilo, sine causâ etiâ interire et renasci iterum possent. Sed ubi existunt tantam efficaciam potentiam infinitam, in nihilum redire non possunt, nisi subtractione istius efficaciam per quam existunt. Hæc omnia multò melius retorqueri possunt adversus Epicuri et Lucretii hypothesim : in quâ temerè et sine causâ cuncta, præter brutam materiam, ex nihilo erumpunt.

ARGUMENTA METAPHYSICA.

Esse Deum seu ens hominibus excellentius, cujus numine et procuracione cuncta regantur, cum summâ vi et auctoritate suadent argumenta moralia, sed parùm explicant naturam illam divinam (1) : ideòque videmus hominum vulgus, quod solummodò ex istis argumentis moralibus Deum intellexit, neque sese contulit ad rerum physicarum et metaphysicarum contemplationem, in magnâ opinionum perversitate

(1) Notitia quæ de Deo ex consensu populorum habetur, præcipuas licet erroribus foedatas complectitur ejus perfectiones, ut cum unitate omnipotentiam, bonitatem, summam denique perfectionem, quod ex infra dicendis de unitate Dei liquebit. Philosophi verò eas evolvunt notiones in argumentis physicis et metaphysicis, singuli pro suo ingenio, sed non eadem certitudine, ut mox ipsi infra notabimus.

P.-S.

circa Dei naturam ejusque virtutem fuisse. Argumenta physica, quæ exposuimus modò, in perfectiorem nos ducunt Dei cognitionem; dum ostendunt eum esse totius universitatis artificem solertissimum; totius naturæ, diffusionem suæ virtutis, rectorem et quodammodò animam, et ipsarum etiam substantiarum omnium creatorem et administrum. Sed quæ jam exposituri sumus argumenta metaphysica interiorum Dei notitiam dabunt; scilicet, in quibus non tantum videbimus, quam habeat cum hominibus habitudinem, aut cum rebus creatis connexionem; sed qualis in se sit intelligimus. Et sicut profectò in locis jam explicatis, in moralibus et physicis rebus, nihil est, à quo profecti non possimus ad Deum ascendere, ita in mentis nostræ abstractis ideis, seu in mundo intelligibili nihil quoque est, quod divinam existentiam non demonstrat : penè dixerim quòd ipse Deus non sit. Id triplici argumento conficiemus : in primo existentiam *entis summè perfecti*, ex existentia *entis necessarii* colligemus. In secundo *perfecti et imperfecti, infiniti et finiti* notiones eandem Dei existentiam efficere probabimus. In tertio ostendemus *essentialias rerum necessarias, et immutabiles earum relationes*, seu omnem *veritatem* conjunctam esse cum existentia Dei, qui *est sempiterna et immutabilis veritas*. Inter argumenta hæc, quædam subtilia nimis et levia videntur multis, neque nos ipsis eandem vim omnibus inesse existimamus; tamen illa omnia breviter exponere constitutum est, quòd nobis haudquam æquum videatur nostrum ingenium aliis, ut judicii normam, proponere, et moveat præterea summorum philosophorum auctoritas, quibus hæc omnia argumenta summo placuerunt.

ARGUMENTUM VIII.—*Ab existentia entis necessarii.*

PROPOSITIO.

Existere Deum, quo nomine hæc intelligimus ens infinitè perfectum, demonstratur ab existentia entis necessarii.

PROBATIO. — Nam profectò existit in rerum naturâ *ens necessarium*. Atqui ens necessarium est *infinitè perfectum*.

Major propositio ab omnibus seu veteribus, seu recentioribus atheis admissa est : et reverè evidentissimis argumentis sic conficitur.

1º Aliquid existit. Atqui nisi esset ens aliquod necessarium, nullum ens existeret. Nam si nullum esset ens necessarium, entia quævis essent

naturâ suâ contingentia. Atqui si entia quævis essent naturâ suâ contingentia nullum ens existeret. Ens siquidem contingens illud est, quod ex se et ex naturâ suâ ad existendum vel non existendum indifferens est, quod proinde nisi ad existendum aliâ re, quàm naturâ suâ determinaretur, nunquam existeret. Atqui in hæc hypothesi nulla alia res est, à quâ determinaretur entis alicujus existentia. Ergo nullum ens existeret, quod falsum est. Vel sic brevius confice : Omnia entia existant, vel ob causam aliquam externam, vel ob causam aliquam internam. Prius contradictionem involvit; si posterius verum sit, ergo entia omnia non sunt contingentia, sed est aliquod necessarium : nam ens necessarium illud est, quod in naturâ suâ continet rationem existentiaæ suæ.

2° Vel existit ens necessarium quod naturâ suâ necessariò existit : vel entia seipsis dedere originem contingenter, cum antea non existissent : vel omnia entia producta fuerunt, uno ente aliud successivè generante per totam æternitatem. Atqui dici nequit, 1° entia omnia contingenter sibi dedisse originem, cum antea non existissent : quia in istâ hypothesi res orirentur ex nihilo sine causâ; nam res antequàm existat est nihilum, et nullam habet efficientiam. 2° Dicitur nequit entia omnia fuisse successivè procreata, nullamque esse primam causam improductam : nam jam demonstravimus progressum ejusmodi in causis producendis supponi non posse, nec solvere difficultatem, quia tota illa series entium cogitari potest, ut unum ens continuum sine principio et sine fine, nec tamen necessarium et independens, sed productum. Quod repugnat, cum nullum sit ens à quo producat.

Minor propositio quoque certa est; nam 1° vel ens illud quod est necessarium, est necessariò finitum et imperfectum, vel est infinitum et perfectum. Seu, conversâ propositione, vel finitum et imperfectum est necessarium, vel infinitum et perfectum est necessarium, Atqui finitum et imperfectum nullo modo est necessarium : bene verò quod infinitum et perfectum est. Nam quod multiplex est, quod varium est, quod in suo conceptu includit arbitriam et contingentem determinationem, non potest dici necessarium : sed id solùm quod simplex, quod unum et in ejus conceptu nihil arbitrium et contingens includitur. Atqui finitum et imperfectum est multiplex et varium, in ejus conceptu includitur contingens et arbitriaria determinatio perfectionis, ut patet. Ens verò

infinitum et perfectum unicum est et simplex, et in ejus conceptu nulla perfectionis contingens et arbitriaria determinatio includitur. Ergo finitum et imperfectum non est necessarium, sed potius infinitum et perfectum.

2° Ens necessarium continet in naturâ suâ necessitatem existendi ; seu ens necessarium illud est, de quo existentia necessaria nequit negari sine contradictione. Etenim si aliquid posset necessariò existere præter id unum, quod in ipsâ suâ naturâ necessitatem existendi continet, sequeretur necessitatem illam existendi, quam res illa haberet, ex nihilo ortam esse, et in nihilo fundatam, eò quòd neque ab ipsâ rei naturâ, neque ab aliâ quâvis causâ oriri potuisset. Atqui solum ens infinitum et perfectum in suâ naturâ necessitatem existendi continet : de solo illo ente cum contradictione negatur existentia necessaria. Quia in notione solius entis infiniti includitur existentia, non verò in notione cujuscumque entis finiti et imperfecti. Ergo ens necessarium est infinitè perfectum.

3° Ens necessarium illud est cujus existentia posita est in necessitate absolutâ et antecedente insitâ in naturâ : nam juxta nostrum cogitandi modum ens necessarium non est necessarium quia existit ab æterno, seu consequenter ad æternam existentiam; sed existit ab æterno quia necessarium est, seu quia necessitas quædam absoluta et quodammodo antecedens juxta nostrum concipiendi modum ratio formalis est existentiaæ. Atqui ens cujus ratio existendi est absoluta et antecedens necessitas non potest esse finitum et imperfectum. Nam illa necessitas absoluta et antecedens, quæ ratio existendi supponitur, nullum habet limitem, et exigit æqualiter omnem realitatem, omnes gradus perfectionis, totam entis amplitudinem. Non potes cogitare illam unquam in arbitrario aliquo gradu perfectionis aut aliqua contingententi realitatis limitatione consistere, quin statim, sublatâ necessitate illâ absolutâ, arbitrium supponas. Ergo ens necessarium, quod existit ex absolutâ et antecedente necessitate, quam nulla res coeret, quam nullum arbitrium regit, est necessariò infinitum et perfectum.

4° Si finitum et imperfectum esset necessarium, ens et nihil haberent quodammodò divinum imperium, et de nihilo plura possent prædicari quàm de ente. Cum finitum non contineret omnem realitatem possibilem, omnes metaphysicas rerum possibilitium essentias, nihilum esset necessarium, esset æternum, esse immensum, esset infinitum, esset cogn-

scibile, imò contineret essentias rerum omnium possibilem, omnes earum rationes (1). Atqui absurdum videtur asserere nihilum habere proprietates illas omnes entis, immensitatem, cognoscibilitatem, etc. Ergo infinitum et perfectum quod continet omnem realitatem, excluditque omne nihilum, est necessarium.

5° Ens necessarium unicum est, ut satis patet, et infra probabitur. Atqui ens unicum est necessariò infinitè perfectum. Nam habet omnes perfectiones posibles, et illæ perfectiones posibles sunt infinitæ. Habet quidem omnes perfectiones posibles: nam nulla est perfectio possibilis, nisi quatenus alicui subjecto inhærere potest. Atqui ens necessarium habet omnes perfectiones quæ alicui subjecto possunt inhærere. Duo tantum sunt perfectionum subjecta, ens necessarium et ens contingens. Sed ens necessarium unicum habet manifestò omnes perfectiones proprias enti necessario: habet etiam omnes perfectiones entium contingentium, cum hæc non possint habere nisi illas quas ab ente necessario acceperunt. Ergo habet omnes perfectiones posibles. Deinde illæ perfectiones posibles numero sunt infinitæ: ille quippe numerus infinitus dicitur, qui absolutus est et cui nihil addi potest. Atqui perfectionum possibilem numero nihil addi potest. Quidquid enim extra perfectiones posibles positum est, id non est in genere perfectionum. Ergo perfectiones posibles sunt infinitæ. Ergo ens necessarium habet infinitas perfectiones; vel saltem tot et tantas habet, quot et quantæ haberi possunt; ita ut nihil ipso sit perfectius, nihil majus, nihil melius: sed tale ens Deus est. Ergo. Vide Clarkium, de Existentiâ et Attributis Dei, et in resp. ad plures litteras ad calcem ejusdem operis.

ARGUMENTUM IX.—*Ab ideâ entis infiniti et perfecti.*

PROPOSITIO.

Deum esse seu existere ens infinitum et perfectum probat ipsa ideâ infiniti et perfecti.

PROBATIO.—Nam certissimè indita est mentibus nostris ideâ infiniti et perfecti. Sed hæc ideâ multiplicem suppeditat conficiendæ existentiae Dei rationem. Major propositio sic conficitur: Finitum ab infinito, imperfectum à perfecto cogitando distinguimus. Atqui nisi animis informata esset ideâ aliqua infiniti et perfecti, nec finitum ab infinito, nec imperfectum à perfecto distinguere possemus. Quæcumque enim cogitatione dividimus, aliquid nobis exploratum distinctionis fundamentum habere

(1) Vide argumentum decimum infra.

debent: quod aliud esse nequit præter interiorem sensum aut ideam. Quæ nec sensu nec ideâ percipiuntur, nec comparari, nec dividi possunt, suntque respectu nostri quasi non existant. Ergo infinitum et perfectum, si compararentur cum finito et imperfecto, ab hisque cogitando dividantur, necesse est, aut sensum aliquem, aut ideam infiniti et perfecti habeamus (1).

Et profectò ridiculè satis diceretur nos nullam habere illius rei notitiam, cujus existentiam multiplici argumento demonstramus, quam et athei quoque admittere coguntur. Sed entis infiniti et perfecti existentiam superioribus argumentis jam confecimus, et etiam in hypothesi atheorum, si tollatur mens infinita et perfectionibus absoluta, admittendum erit aliquid aliud infinitum, tum duratione, tum extensione: quod adeò verum est, ut omnes athei arcem causæ suæ in infinitâ materiâ posuerint. Neque movere quemquam debet quòd infinitum comprehendere non possimus, aut informare talem notionem, quæ totam ejus infinitatem exhauriat. Nam habere ideam entis infiniti, est apprehendere ens, cujus naturæ sit nullos terminos habere: v. g., si immensitas esset adjuncta naturæ spatii, vel æternitas esset adjuncta naturæ temporis, cogitando spatium et tempus res infinitas apprehenderemus, licet ipsam earum infinitatem non complete remur animo. Nullam rem etiam finitam comprehendimus, ita ut ejus noscamus essentiam, aut omnes proprietates et virtutes; num ergo dicendum est, nos rei nullius habere ideam (2)?

Jam verò hæc ideâ entis infiniti et perfecti multiplici ratione confirmat existentiam Dei: 1° Si consideres illius originem et causam; 2° si attendas ad ejus constantiam; 3° si ejusdem naturam perspicias.

1° Videtur quòd à nullâ aliâ causâ quàm ab ente infinitè perfecto oriri potuerit. Nam primò, prædicta ideâ non oritur directè et immediatò à sensibus externis: quia est longissimè disjuncta ab omni qualitate sensibili, seu coloris, seu soni, seu saporis, etc., ab omni etiam affectione qualitatem sensibilem comitante, extensione, motu, figurâ, inertia, cohesione, divisibilitate, etc. Quia etiam quidquid est realitæ

(1) Ideâ nomine, inquit Cartesius in resp. ad obj. tertiam, intelligo cujuslibet cogitationi formam, per cujus immediatam perceptionem, ipsius ejusdem cogitationis conscius sum, adeò ut nihil possim verbis exprimere intelligendo id quod dico, quin ex hoc ipso certum sit in me esse ideam ejus, quod verbis illis significatur.

(2) Cartes. resp. ad obj. primam.

tis seu perfectionis in aliquâ re, id est formaliter vel eminenter in causâ suâ primâ et adæquatâ; aliâs effectus existeret ex nihilo. Unde sequitur realitatem objectivam ideæ entis perfecti, debere formaliter contineri in ejus causâ: sed realitas objectiva ideæ entis perfecti, seu omnis perfectio non continetur in objectis sensibilibus. Secundò: eadem idea non est ab ipsâ mente conficta per aggregationem omnium perfectionum rerum finitarum, earumque mentalem amplificationem, uti contendunt Cassendus, Lockius, etc., quia 1^o non mihi conscius sum, illam ideam à me aliquando confictam fuisse, conquisitis undique perfectionibus: congrua est menti mææ, domestica, nativa. Infirmior et imperfectior est mens humana, quàm ut rei ad eò præstantis notionem sibi informare queat: colligat omnes perfectionum ideas ex sensibus advenientes, omnes suarum perfectionum notiones adjungat, quantum poterit amplifcet: illa idea factitia multùm aberit ab infiniti et perfecti notione, quam gerimus in animis, et cum illâ comparata vanitatis convincetur. Quia 2^o mens non cudit suas ideæ simplicies, aut ex phantasmatibus educit, uti credebant Aristotelici quidam, sed eas sibi informatas habet à naturâ, id est, sensu quodam interiori et nativo percipiuntur. At ista idea infiniti seu perfecti est simplicissima, omnisque compositionis experta. Nam infinitas seu perfectio est ens absolutè, cui nulli limites adjunguntur. Perfecta seu infinita cognitio est cognitio absolutà, cui nulla ignorantia adjuncta est, seu cognitio sine ignorantia. Similiter infinita et perfecta potentia, nihil est nisi potentia absolutè, in quâ nihil cogitatur debilitatis et impotentia, seu virtus operandi sine adjunctâ notione imbecillitatis. Hincque illam ideam infiniti seu perfecti nullo modo neque amplificare, neque imminuere, neque ullo modo discernere possumus; sicut ideas omnes factitias mens ad arbitrium variâ ratione componit: hæc planè immutabilis, et à mente independens videtur. Propterea etiam sicut circulus imperfectus malè diceretur defectus circuli perfecti, sed è contrario circulus imperfectus deficit à normâ stabili circuli perfecti: sic quoque imperfectum omne et finitum, quod in suâ notione semper includit arbitrariam limitationem, deficit à normâ simplici, et nequiquàm arbitrariâ, infiniti et perfecti. Ideæ hæc perfecti et infiniti non tantùm simplices sunt, sed omninò clariore: quia ut quanto plus in re quæque lucis est, tantò illa clarior est et illustrior; sic quanto plus virtutis

et veræ perfectionis natura quædam habet, tantò illa meliùs cognoscitur et faciliùs sentitur, vis ejus mentem potentius commovet: notioni limitationis, ignorantia, impotentia, etc., quid tenebrosos inest.

Addit Cartesius, si omninò velis mentem activam esse et suas omnes ideas cudere, et inter alias hanc infiniti et perfecti, eadem ratione argumentari licebit ab origine tantæ activitatis tam præclaræ facultatis, quæ valeat ipsius infiniti speciem sibi informare; quæ tanta facultas non minùs requirit causam infinitam quàm idea ipsa infiniti.

Vis omnis hujus argumenti, ut satis liquet, pendet ex naturâ et origine ideæ infiniti et perfecti: si sit accepta à sensibus, factitia, negativa, ut contendunt Cassendus et Lockius, evanescit omnis hujus rationis auctoritas.

2^o Confirmat Dei existentiam prædictæ ideæ constantia. Nam quarumcumque rerum notiones tam altè animis nostris infixæ sunt, ut nullo modo, quidquid molamur, ejici vel evelli queant, illæ res existunt. Nam tunc existentia illarum rerum æquè certa erit et eodem nitetur fundamento, ac quævis alia veritas: v. g., illa veritas, bis duo sunt quatuor, ideò certa est, quia illam idearum convenientiam nec mutare nec eliminare ex mente ullo modo licet. Atqui notio entis infiniti, æterni, inmensi, potentissimi, omniscientis, ex harum idearum ordine est, quas nec mutare ullo modo, nec ex mente extirpare possumus, sed semper nobis invitis sese obrudunt. Finge nullam esse omninò substantiam, etiam factâ hæc absurdâ hypothesi, obversabitur semper menti forma æternitatis, immensitatis; cogitabis infinitam multitudinem rerum possibilem et veritatum: hasque formas ad nihilum pertinere statuendum erit, dicendumque nihilum esse æternum et immensum, in nihilo contineri infinitas relationes et veritates, atque rerum infinitarum possibilitatem: quod videtur contradictionem involvere. Hoc argumento utitur Clarkius ad demonstrandam existentiam æternitatis successivæ, et spatii infiniti; sed multò meliùs confertur ad conficiendam existentiam entis infiniti et perfecti, sine quo æternitas et infinita extensio esse non possunt, at quòd fortassè existere potest sine illâ temporis successione et spatii diffusionem.

3^o Quidquid clarè et distinctè percipitur, illud est aut esse potest. Sed si ens perfectum esse potest, reverà existit. Alias esset simul possibile et impossibile: possibile quidem ex

hypothesi: impossibile quoque, tum quia, eo ipso quod non existeret, necesse esset non existere; tum etiam, quia non posset ullâ ratione ad existentiam perducî; neque à se, quod res nulla sibi dare existentiam possit; neque ab aliis, quia infinitum et perfectum non potest produci ab imperfecto et finito. Valet argumentum hoc, sive idea Dei supponatur positiva, sive negativa.

4^o Quidquid in ideâ clarâ et distinctâ alicujus rei continetur, id de illâ re affirmari potest, modò illa idea sit simplex et ab ipsâ naturâ mentibus nostris insita, non conflictâ à mente. Atqui in ideâ simplici et naturali entis perfecti includitur existentia necessaria, æterna et independens, utpote quæ non tantum perfectio est, sed fundamentum omnis perfectionis. Ergo.

Loquatur ipse pro se Cartesius magnus hujus argumenti, si non inventor, saltem defensor (1): «Animus meus considerans inter diversas ideas, quas apud se habet, unam esse entis summè intelligentis, summè potentis, et summè perfecti, quæ omnium longè præcipua est, agnoscit in ipsâ existentiam non possibilem et contingentem tantum quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas distinctè percipit, sed omninò necessariam et æternam. Atqui ex eo quod exempli gratiâ, percipiat in ideâ trianguli necessariò contineri, tres ejus angulos æquales esse duobus rectis, planè sibi persuadet triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis: ita ex eo solo quod percipiat existentiam necessariam et æternam in entis summè perfecti ideâ contineri, planè concludere debet, ens summè perfectum existere. Magisque hoc credet, si attendat nullius alterius rei ideam apud se inveniri, in quâ eodem modo necessariam existentiam contineri animadvertat. Ex hoc enim intelliget, istam ideam entis summè perfecti non esse à se effectam, nec exhibere chimericam quamdam, sed veram et immutabilem naturam, quæque non potest non existere, cùm necessaria existentia in eâ contineatur (2).»

Hoc argumentum cujusque judicio sine defensione relinquemus; dicemus tantum magnam illi accedere auctoritatem ex suffragiis summorum in omni gente philosophorum (3),

(1) Princ. philos. p. 1, c. 14.

(2) Vide med. 5 Cartesii.

(3) Jaquetot, Saurin, H. More, Gastrel, Lamy, Malebranche, Stillingfleet, etc.

et ex dissensione eorum, qui illud confitentur, qui videntur potius suspicari vitium in argumento, quàm perspectum illud habere.

«Buddæus, inquit Fabricius, in Cartesii argumento reprehendit quòd ideam infiniti et perfecti, pro re infinitâ et perfectâ, quæ non nisi à Deo esse possit, venditet; et fallaciâ ambigüe locutionis delusus ex eo, quòd ens perfectissimum, siquidem existat, necessariò existat, concluderit illud etiam existere.

«Joannes Norris negat primam ideam Dei esse, ut ens perfectissimum cogitemus, sed illud demum ideam Dei existentis consequi, veluti ideam trianguli consequitur, quòd dico in illo latera junctim accepta sunt tertio majora. A Christiano Wolfio notatur Cartesii supponere rem ab atheo vocatam in dubium, quòd ens perfectissimum existere possit. Samueli Clarkio argumenti hujus obscuritas et defectus videtur latere in eo, quòd ad ideam nominalem, sive definitivam entis per se existentis præcipuè se extendit, neque sufficienti evidentia et consequentiarum valido nexu applicatur ad ideam realem istius entis actu extra nos existentis.» Delect. argum. cap. 10, pag. 329.

Exceptiones hæc longè majorem obscuritatem habere videntur, quàm habet ipsum argumentum Cartesii. Adde etiam quòd etsi viri perspicacissimi omnes ingenii nervos contenderint, ut hoc argumentum convincerent vanitatis, et varia exempla paralogismorum protulerint, quæ ejusdem generis esse asseruerunt, tamen successu caruerunt exempla illa: eorum vitia, et cum argumento hoc discrepantiam Cartesiani prodiderunt. Hoc exemplum, v. g., aliquibus probatum est: Quidquid in ideâ clarâ percipitur alicujus rei, id de illâ re potest affirmari. Atqui in ideâ horologii loquentis includitur existentia actualis. Ergo.

Sed illa idea horologii loquentis factitia est, non simplex, ut est idea perfecti, et ideò tantum concluditur de illo existentia actualis, quia jam in præmissis conjuncta fuit cum horologio idea neutiquàm cognata et necessariò cum eo conjuncta, videlicet actualis loquentis. Alii hoc exemplo utuntur: Quidquid in ideâ clarâ, etc. Atqui in ideâ æternæ materiæ includitur existentia necessaria. Ergo existit necessariò materia æterna. Sed in hoc argumento idem vitium est. Idea æternæ materiæ factitia est falsum potius judicium, quàm idea simplex et nobis connaturalis. Et perfectio manifestum est exemplum nullum proferri posse, quia, ut observa-

vit Cartesius, ad essentiam nullius rei imperfectæ pertinet necessitas existendi, sed è contrariò dependentia et arbitraria limitatio.

ARGUMENTUM X. — Ex scientiæ immutabili nativâ, seu æternis rerum ideis et necessariis earum rationibus.

PROPOSITIO.

Deum esse, ad est, mentem infinitam, æternam, necessariam, universalem, immutabilem, præsentem immutabiles rerum essentia et rationes, in quibus posita est omnis veritas et scientia.

PROBATIO. — Nam intelligitur à nobis veritas ut res infinita, æterna, universalis, necessaria et immutabilis, quæ posita sit in immutabilibus et necessariis rerum rationibus. Atqui illa immutabilis, infinita et necessaria veritas, quæ à nobis intelligitur, est modus mentis infinite, æternæ, universalis, necessariæ et immutabilis.

Major propositio per se evidens est, vixque potest ex argumentatione accipere auctoritatem. Concipitur quidem veritas, ut infinita: idque vel sola geometria, quæ circa figuras et abstractas extensionis modificationes occupatur, satis declarat: infinite quippe figurarum sunt species, et infinite figuræ cujuslibet proprietates, et figurarum inter se rationes. Est veritas res æterna, quæ semper fuit, eritque semper. Estne aliquis, qui sibi persuadeat, ante Euclidem, Archimodem, cæterosque geometras propositiones eas, quarum veritatem detexerunt, veras non fuisse, aut fuisse ad veritatem et falsitatem indifferentes? Erant ergo veræ antequam detegerentur; nec, quantumvis conitamar animo, ullum potest tempus concipi, quo figuræ geometricæ, triangulum, v. g., determinatam formam non haberet, aut non esset relatio certa et determinata inter latera trianguli; quæ cum omni tempore existerit et demonstrari potuerit, non conficta sed inventa à geometris fuit. Est veritas res universalis: rerum enim essentia et earum rationes, etiamsi tot in mentibus existant, hand tamen hęcircò discernuntur, amplificantur, aut ullo modo commutantur; verùm in omnibus uniusmodi, ejusdemque generis sunt. Quomodò unum eundemque vultum infinita referunt specula; unius solis imaginem innumerabiles simul oculi conspiciunt; unam eandemque vocem mille hauriunt aures: ita infinita mentium multitudo unam eandemque audiit vocem sempiterni verbi; easdem rerum

immutabiles formas videt; eadem æternâ luce collustratur, cujus radii in mundum spirituales universum, non secus ac solares in totum orbem corporeumⁿ diffunduntur. Est denique veritas res necessaria et immutabilis, id est, perpetuò et constanter eadem; quæ sicut nunquam esse coepit, ita nunquam esse, aut eodem esse modo, desinet. Fac omnes percant geometræ, non ideò geometricæ rationes peribunt. Universus hic corporeus mundus evanescat, et omnes qui in eo sunt intelligentiæ tollantur, impossibile tamen erit, ut rationes quæ nunc ab illis intelligentiis clarè et evidenter percipiuntur, salvæ et incolumes non permaneant. Verum semper erit, tres angulos trianguli æquales esse duobus angulis rectis; in circulo lineam ordinatam perpendiculariter ad diametrum esse mediam proportionalem inter duas partes abscissas diametri. Nullum igitur dubium est, quin invitè concipiamus veritatem, ut quid æternum, infinitum, universale, necessarium et immutabile. Deinde in veritate, in rationibus his æternis et immutabilibus posita est omnis ars et sapientiæ: et arte ac sapientiæ omnia constituta sunt. Nam nullum ordinem, nullum artificium sine illis concipimus; multòque minùs intelligimus quomodò ipsa ars et sapientiæ ex re brutâ oriri potuerit: sunt ergo ipsa per se et rerum omnium principia. Nihilne ergo illud erit, quo cuncta constant atque fundantur? Quod viri ætatum omnium sapientissimi tanto studio, tot curis et laboribus detegere conati sunt, rati nihil veritate et sapientiâ illustrius, et in ejus participatione vitæ hujus felicitatem positam esse?

Præterea certum est nos res nullas attingere in seipsis, sed tantùm interventu alicujus ideæ: objecta sensibilia percipimus per ideas qualitatum sensibilibus, et alias qualitates sensibiles comitantes, ut extensio, motus, etc.; et quia cogimur ab ipsâ naturâ ideas has referre ad res externas, tanquam eorum imagines, ideò res externas existere certò judicamus. At æquè reales sunt perceptiones intellectuales rerum et earum relationum, easdemque naturâ cogente credimus immutabiles et necessarias, et à nostrâ perceptione vel existentia independentes. Vel, ut verbis utar auctoris recentioris nobis in hæc parte contrarij, « illæ res sensibiles haberi debent reales et existentes, de quibus sensus externi in omni tempore idem testimonium tulerunt: et illæ res certæ sunt, quæ sese offerunt sem-

« per eodem modo. » Ergo et illæ res intellectuales debent haberi reales et existentes, de quibus sensus interni et intellectuales idem in omni tempore testimonium ferunt : et illæ res intellectuales certæ sunt, quæ sub eadem formâ semper et omnibus sese offerunt : cur fidem habebimus sensui externo, non habebimus interno et intellectui? Cur major illius, quàm hujus auctoritas? Cur sensitivam certitudinem admittemus, intellectualem et metaphysicam aspernabimur? Minor propositio facilè probatur, scilicet, veritatem necessariam, immutabilem et æternam esse modum mentis necessariæ, immutabilis et æternæ : nam quiddam reale et positivum est, vel est substantia, vel substantiæ modus : ergo infinita, æterna, immutabilis et necessaria veritas, vel est substantia aut alius substantiæ modus. Substantia autem illa quæcumque sit, æterna, infinita, necessaria et immutabilis est, ejusdem nempe generis, cujus est veritas, quæ in ipsâ fundatur : substantiam certè finitam, recentem, contingentem, particularem, mutabilem, fundamentum esse modi infiniti, æterni, universalis, necessari et immutabilis repugnat. Neque enim ullo modo potest in temporaneo fundari quod æternum est, in finito quod infinitum est, in particulari quod universale est, in contingenti quod necessarium est, in mutabili quod immutabile est. Deinde si prædictæ veritates nihil aliud essent quàm substantiæ finitæ, contingentes, mutabiles, aut harum substantiarum modi; suppositâ, quod fieri potest, earum destructione, ipsas quoque veritates perire necesse esset sicut extinctâ luce pereunt colores, vel destructo corpore interit motus. Sed absurdum est veritatem æternam, immutabilem et necessariam, perire. Ergo veritas hæc supponit mentem infinitam, et ejus existentiam demonstrat. Tandem omnes res finitæ et earum modi in suo conceptu dicunt aliquam relationem ad tempus et causam, pleræque etiam ad locum. Sed essentia rerum et earum rationes nullam talem dicunt relationem, quæ reverâ, nec in loco existunt, nec tempore conditæ sunt, nec ullo modo creatæ, sed æternæ sunt et necessariæ.

His argumentis usi sunt clarissimi philosophi. Platonis mentem sic expressit Cicero : « Essentias Plato negat gigni, sed semper esse, et ratione et intelligentia contineri. » Aristoteles, etsi irriserit ideas Platonis, hoc idem docuit : « Formam seu speciem rei nemo facit, nec ea generatur ullo modo. » Alii easdem

formas vocat « naturam immutabilem et immobilem (1). » Idem affirmat Cicero multis in locis, præsertim in libris de Legibus (2) : quos secutus S. Augustinus præclarè scribit (3) : « Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem, hæc omnia, quæ incommutabiliter vera sunt, continentem, quam non possis dicere tuam, vel meam, vel cujusvis hominis; sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tanquàm miris modis secretum et publicum lumen præstò esse ac se præbere communiter. Omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus etque intelligentibus præstò est, ad ullius eorum propriè naturam pertinere quis dixerit (4)? » Huic etiam argumento subscribere

(1) Aristoteles, quævis contra Platonem defenderit, nihil esse in intellectu quod prius non fuerit in sensu, tamen longissimè distabat ab eorum mente, qui omnem scientiam cum sensu confundunt. Præter quinque sensus externos alium interiorum admittebat, quem communem dicebat, cujus esset murus sensationes ex variis sensibus advenientes unire. Omnem sentiendi facultatem multum discrepare dicebat à facultate percipiendi et judicandi, quam intellectum vocabat : priorem cum animantibus communem, hanc hominis propriam affirmabat. Intellectum autem dividebat in patientem et agentem. Patiens ipsi dicebatur facultas recipiendi ideas intellectuales, quæ juxta cum erant immobiles et æternæ; idèoque proprium scientiæ objectum. Intellectus agens ipsi erat vis illa animi, quæ pollet, advocandi ideas, eas contemplandi, inter se conferendi, methodicè disponendi ad veritatem detegendam. Hanc vim ab animâ inseparabilem et inextinguibilem docuit, et tantum abfuit ut illam cum sensu confederit, ut hanc doctrinam defensam ab Heraclito et aliis atheis confutaverit, ut etiam animam sensitivam belluis tribuerit et mortalem fecerit; intellectualem solum in actibus suis à corpore independentem et immortalem asseruerit. « Omnes animas, » inquit, ante existisse non esse verisimile, « his rationibus ostenditur. Quorum principiorum actio est corporea, hæc sine corpore esse non posse certum est; uti ambulare quis non potest sine pedibus, ita fieri non potest, ut istæ animæ inextrinsecis in corpora veniant... cum sint inseparabiles à corpore... Restat igitur ut mentem solum extrinsecus in corpora ingredi concludamus, et eamque solum divinam esse. Nihil enim cum ejus actione commune habet actio corporea. » L. 2 de Gen. anim. c. 3, p. 618, t. 2, opp.

(2) Vide infra, ubi de immutabili naturâ legitimè naturalis.

(3) L. de libero Arbitrio.

(4) Vide de hoc argumento Cudw. syst. intellect. et l. de æternis justis et injustis Mensuris. Malebranche, Entret. metaphys. Œuvres polémiques, t. 1.

debet illi omnes, qui ex ideis spatii et temporis infiniti concludunt eorundem existentiam.

Ex aliâ parte adversus doctrinam hanc disputarunt olim et nostris temporibus quàmplurimi. 1° Protagoras Abderites, uti constat ex Platonis Theaeteto, assererat nullam esse immobilem essentiam, nullam absolutam et universalem veritatem, sed tantum relativam; omnem scientiam non esse comprehensionem naturæ immutabilis, sed esse sensum ex motu corporum exortum: animam ipsissimos sensus esse dicebat; et consequenter uniuersusque « hominis sensum aut opinionem unicam esse regulam omnis veritatis.... Quæcumque alicui videntur esse, ea esse illi cui videntur... Omnem visionem seu opinionem veram esse. » Ex quibus etiam sic concludebat: « Quæcumque civitas quædam sancti pro honestis vel inhonestis, pro iustis et iniustis, pro sanctis et profanis habenda esse, ea civitati illi reapse talia sunt: nec in ejusmodi rebus ullus privatus alio privato, aut civitas civitate sapientior est. » Hæc Protagoræ sententia duobus nitetur fundamentis (1), nempe doctrinâ Heracliti, qui nihil stare, sed omnia instar fluminis perpetuò fluere affirmabat, et atomicâ philosophiâ, quæ nihil nisi materiam et motum admittebat. Ex quibus principiis manifestè sequitur, nullam esse cognitionem præter fluxam et mutabilem sensationem; hæcque sensationem à nullâ aliâ facultate vanitatis argui posse.

2° Eandem cum Protagorâ opinionem tenere deberent omnes Democriti et Epicuri discipuli; neque minùs vani sunt, dum scientiam seu comprehensionem veri immutabilis ex fluxu atomorum temerè vagantium educunt, quàm cum ex earundem motu ortam fingunt libertatem. Attamea non eò usque processerunt, sed contra in sensu judicium veritatis posuerunt. Dicebant res triplici ratione percipi, sensu, mente et affectione; sed mentem et affectionem ex sensu derivabant: mentem quidem, quòd omnis idea, seu notio, seu species mentalis, quam vocabant anticipationem vel prænotionem, gigneretur vel incursione, cum res sensibilis directè incidit in sensum; vel proportionè, cum res accepta per sensum amplificatur vel minuitur; vel similitudine, cum ad instar rei, quæ fuerit sensu percepta, similem aliam cogitamus; vel compositione denique, cum duarum aut plurium rerum distinctas notiones in unam compingimus. Adeoque juxta

(1) Vide Bruckerum p. 2, l. 2, c. 11.

ipsos notiones mentis abstracte et universales, quas Plato et Aristoteles dicebant per se intelligibiles et menti domesticas ac natives, ex rebus sensibilibus arripiuntur: scilicet, mens visis pluribus singularibus, eorum variis discriminibus quasi sepositis, anticipationem ejus, quòd commune est, effingit. Hanc philosophandi rationem, at emendatam et illustratam, nostris temporibus secuti sunt Gassendus, Lockius et alii (1).

(1) Illi, qui nostris temporibus omnem cognitionem humanam cum sensu confundunt, suæ doctrinæ patronos laudare solent Aristotelem, Gassendum, Lockium; quòd scilicet isti omnis cognitionis primum principium in sensu esse dixerint. Quæ fuerit Aristotelis doctrina in notâ superiori vidimus. Quòd ad Gassendum atinet, certum est illum philosophum animam humanam, et spiritum, et liberam, et immortalem credidisse eique tribuisse vim activam ideas ex sensibus acceptas variâ ratione augendi, et minuendi, componendi vel discernendi, et generales notiones informandi: quæ omnia placita sunt multum aliena à mente nostrorum minorum philosophorum. Lockius autem pro se ipse loquitur: « D'où l'âme puise-t-elle tous les matériaux qui font comme le fonds de tous ses raisonnements et de toutes ses conceptions ? A cela je réponds en un mot, de l'expérience. C'est là le fondement de toutes nos connaissances; les observations que nous faisons sur les objets extérieurs et sensibles, et sur les opérations intérieures de notre âme, que nous apercevons et sur lesquelles nous réfléchissons nous-mêmes, fournissent à notre esprit les matériaux de toutes les pensées. Ce sont là les deux sources d'où découlent toutes les idées que nous avons et que nous pouvons avoir. Et premièrement nos sens étant frappés par certains objets extérieurs font entrer dans notre âme plusieurs perceptions distinctes des choses, selon les diverses manières dont ils agissent sur nos sens. C'est ainsi que nous acquérons les idées que nous avons du blanc, du jaune, du chaud, du froid, du dur, du mou, du doux, de l'amer, et de tout ce que nous appelons qualités sensibles. Nos sens, dis-je, font entrer toutes ces idées dans notre âme; par où j'entends qu'étant frappés par les objets extérieurs, ils excitent dans l'âme ce qui y produit ces sortes de perceptions; et comme cette grande source de la plupart des idées que nous avons, dépend entièrement de nos sens, et se communique à l'entendement par leur moyen, je l'appelle sensation. L'autre source d'où l'entendement vient à recevoir des idées, c'est la perception des opérations de notre âme sur les idées qu'elle a reçues par les sens; opérations qui, devenant l'objet des réflexions de l'âme, produisent dans l'entendement une autre espèce d'idées, que les objets extérieurs n'auraient pu lui fournir; telles que sont les idées de ce qu'on appelle apercevoir, penser, douter, croire, raisonner, connaître, vouloir, et toutes les différentes actions de notre âme; de l'existence des-

3^o Hobbius quoque philosophiæ Epicuri sese addidit, sed suo more quædam immutavit, vel enucleatius exposuit. Docet originem omnium cogitationum esse sensum : nullam esse animi conceptionem, quæ non fuerit ante gentia in aliquo sensuum, vel totam simul, vel per partes : causam autem sensationis esse externum corpus, sive objectum quod premit uniuscujusque organum, et premendo continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, et inde ad cor ; unde nascitur cordis resistentia et contrapressio, sive conatus cordis liberantis se à pressione per motum tendentem extrorsum ; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum. Atque apparatus hæc sive phantasma, est id quod vocamus sensationem..... Postquam enim objectum remotum est, vel oculus clausus, imaginem tamen rei visæ retinemus, quanquam aliquantò obscuriorem; atque hæc est imago, à quâ facultatem appellamus imaginationem, quæ nihil aliud est quam sensio deficiens sive phantasma dilutum et evanidum ; et est hominibus cum animalibus cæteris ferè omnibus communis, sive vigilant, sive somniant..... Eadem est

quelles étant pleinement convaincus, par-
 que nous les trouvons en nous-mêmes, nous
 recevons par leur moyen des idées aussi dis-
 tinctes que celles que les corps produisent en
 nous, lorsqu'ils viennent à frapper nos sens.
 C'est là une source d'idées que chaque
 homme a toujours en lui-même ; et quoique
 cette faculté ne soit pas un sens, puisqu'elle
 n'a rien de commun avec les objets exté-
 rieurs, elle en approche beaucoup, et le nom
 de sens intérieur ne lui conviendrait pas
 mal. Mais comme j'appelle l'autre source de
 nos idées *sensation*, je nomme celle-ci *ré-
 flexion* ; parce que l'âme ne reçoit par son
 moyen que les idées qu'elle acquiert en ré-
 flechissant sur ses propres opérations. . . .
 J'emploie ici le mot d'opérations dans un
 sens étendu, non seulement pour signifier les
 actions de l'âme concernant ses idées, mais
 encore certaines passions, qui sont produites
 quelquefois par ces idées, telles que le plaisir
 et la douleur que cause quelque pensée que
 ce soit. » *Essai sur l'entendement humain, l. 2,
 ch. 1.* Expositæ modò Lockii de origine idearum
 ex sensatione et reflexione sententiæ, quæ
 multorum hæc nostrâ ætate philosophorum ap-
 probationem habet, *vestigia deprehenduntur*
 apud S. Augustinum de Trinitate l. 9, c. 3 :
 « Mens ipsa sicut corporearum rerum notitias
 per sensus colligit, sic incorporearum per
 semetipsam : ergo et semetipsam per semet-
 ipsam novit, quoniam est incorporea. » Et
 Aristoteles ipse scripserat l. 3 de Animâ c. 6 :
 « In iis quæ sunt sine materiâ, idem est intelli-
 gens et quod intelligitur : scientia enim con-
 templativa et objectum immediatum scientiæ
 idem est. »

res imaginatio et memoria, sed propter di-
 versas considerationes diversis nominibus
 significata. Memoria multarum rerum dicitur
 experientia. . . . Imaginationes dormientium
 sunt somnia. . . . Difficile est, inquit, et mul-
 tis videtur impossibile inter sensum et som-
 nium distinguere accuratè. Ergo quoties
 considero, quod in somniis, neque sæpè,
 neque constanter, eadem objecta, loca, per-
 sonas actionesque imaginor, quæ vigilans ;
 neque tam longam seriem cogitationum
 coherens tantum reminiscor somnians, quam
 aliàs ; et quoniam vigilans absurditatem
 somniorum meorum sæpè video, somnians
 autem cogitationum mearum vigilantis ab-
 surditates non video, satis persuasus sum
 vigilantem me scire quod non somniam,
 quanquam somnians videor mihi vigilare.....
 Imaginatio, quæ in homine a liove animalî, à
 sermone vel aliis signis voluntatis nascitur,
 appellatur intellectus..... (1). Series imagi-
 nationum est discursus, ad quem revocatur
 facultas inveniendi, seu sagacitas, reminiscen-
 tia, prudentia..... (2). Ratio, nihil aliud est
 præter computationem, sive additionem et
 subtractionem nominum generalium, quæ ad
 notationem sive significationem cogitationum
 recipiuntur..... Apparet hinc rationem non
 esse, sicut sensus et memoria, nobiscum na-
 tam ; neque solâ, ut prudentiâ, experientiâ
 acquisitam, sed industriâ, scil. aptâ inprimis
 impositionem nominum ; deinde methodo rectâ
 procedendo à nominibus ad propositiones, et
 ad propositionibus ad syllogismos, donec ve-
 niatur ad cognitionem consequentiarum no-
 minum omnium quæ ad scientiam pertinent.
 . . . (3). Cognitionum duæ sunt species :
 altera facti, et est cognitio propria testium,
 cujus conscriptio est historia : altera est con-
 sequentiarum, vocaturque scientia, conscri-
 ptio autem ejus appellari solet philosophia. »
 Doctrinam hanc brevius expositam habemus in
 objectionibus ad medit. Cartesii, his verbis :
 « Quid dicemus, si fortè ratiocinatio nihil aliud
 sit quam copulatio et concatenatio nominum
 sive appellationum per verbum est? Unde col-
 ligimus ratione nihil omninò de naturâ re-
 rum, sed de earum appellationibus, nimirum
 utrùm copulemus rerum nomina secundum
 pacta, vel non. Si hoc ita sit, sicut esse po-
 test, ratiocinatio dependebit à nominibus,
 nomina ab imaginatione, et imaginatio ab

(1) Lev. de homine c. 1.

(2) *Ibid.* c. 3. (3) *Ibid.* c. 9.

« organorum corporeorum motu. Et sic mens
« nihil aliud erit, præterquam motus in parti-
« bus quibusdam corporis organici. »

4^o Doctrina omnis Hobbii, sicut et aliorum
atheorum, exposita est et asserta duobus fa-
mosis libris, non ita pridem apud nos editis,
quorum unus inscriptus est de *l'Esprit*, alter
Système de la Nature, quorum peculiarem in-
stituere confutationem non est necesse, cum
nihil planè novi contineant; etsi auctores glo-
riantur, ille quòd principia humana scientiæ,
parùm ante ipsum enucleata, primus plenè
exposuerit; alter quòd systemati atheistico co-
ronidem tandem imposuerit. Cùm facultas cogi-
tandi illa in homine perfectio sit, quæ præ-
stare animantibus, et à materiâ quoad animam
longissimè disjunctus creditur, omnem inprini-
sum opem contulit auctor libri de *l'Esprit*, ut
illam vim divinam deprimeret; eoque consilio
eam revocat ad facultatem merè passivam reci-
piendi sensationes ex impressione corporum,
quam dicit sensibilitatem physicam, eujus quæ-
dam appendix sit memoria seu facultas ead-
dem sensationes retinendi: quæ facultates
omnium idearum et cognitionum humanarum
fontes statuuntur: adèd ut percipere, remi-
nisci, judicare, ratiocinari, nihil aliud sit
quàm sentire (1). Hanc deinde sensibilitatem
physicam homini et belluis communem facit,
cum nullo discrimine, quàm in organorum
conformatione externâ (2): imò non abhor-
rere putat à vero illam omni materiæ compe-
tere (3). His positis principiis, ut par erat, spi-
ritualitatem animæ, ejusque immortalitatem
ut evanida somnia representat (4), et sublatâ
penitùs libertate concludit hominem nihil aliud
esse, quàm machinam sentientem fatali paren-
tem in omnibus necessitati (5). Deinde ad mor-
ralis disciplinæ considerationem delapsus,
omnia morum principia generis humani au-
toritate et usu comprobata sugillat, ut temerè
et sine consilio initio admissa, et tyrannorum
vi atque sacerdotum fraudibus conservata:
novamque monet adornandam esse ethicam
experimentalem, in quâ nullo admissa inter
bonum et malum morale discrimine, nullo
jure naturali aut officis hominum erga se mu-
tuò positis in naturâ rerum, omnia præcepta
ex sensibilitate physicâ concludantur; utpote
quæ non modò sit omnis cognitionis princi-
pium, sed et omnium instinctuum, propensio-
num et passionum fons, quatenùs per volupta-

(1) Disc. 1, c. 1. (2) Ibid. (3) Ibid. (4) Ibid.
(5) Ibid. c. 4.

tis et doloris sensum evolvitur (4). De hæc novâ
ethicâ experimentalis dicemus infra ubi de legè
naturali. Quòd talibus insistentis principiis nihil
de religione præceperit, nullius habere debet
admirationem, quippe cùm Dei omnem primùm
cognitionem, deinde legislationem sustulerit;
imò verò ex naturâ, tanquam mundo regendo
inutilem dimiserit (2): sic etiam necesse fuit,
ut omne jus gentium, seu mutua supremarum
potestatum officia tolleret, statueretque inter
illas nullum existere jus aliud quàm potentia
et astutiæ, neque valere fœderum religionem;
sed eorum omnium quantumvis solemnius
violationem, tacitam esse semper eorum con-
ditionem, quotiescumque utilitas cum perfidia
conjuncta sit (3).

Auctor libri dicti *Système de la Nature* ea-
dem ferè principia admittit, ad omni abjectâ
dissimulatione, quâ superior quandoque utitur,
universum atheismi systema apertè complexus
est:

Ille impiger hausit

Spumantem pateram.

Huic præter *naturam*, seu universitatem re-
rum corpoream nihil est. Naturæ autem anima
est motus, quo quandoque moles seu massæ
integræ feruntur; quandoque partes interiores
ciantur; huic intestino motui debetur fermenta-
tio, et vita seu vegetativa, seu animalis, seu
rationalis, cum omnibus adjunctis. — Motus
est materiæ omni essentialis, necessariò fluens
ex aliis ejus proprietatibus, extensione, pon-
dere, impenetrabilitate, figurâ: sequiturque
leges constantes, quarum nos quasdam novi-
mus simpliciores et generatioris, videlicet per-
cussionis, attractionis et repulsionis, gravita-
tionis in se et inertia, amoris et odii, philautiæ
seu amoris sui. Nihilominùs omnis motus est
acquisitus, nullus spontaneus; et omnia phæ-
nomena necessariò exoriuntur, efficiuntque
æternam et immensam causarum et effectuum
catenam; unde causæ finales nullæ sunt, nec
dicere possis existere ordinem vel confusio-
nem; mundumque subdere regimini entis ab
eo distincti, est multiplicare entia sine neces-
sitate. — Anima autem humana est pars cor-
poris, seu ipsum corpus consideratum relativè
ad certas functiones quarum est capax. Omnes
cogitationes in cerebro nascuntur ex sensibili-
tate physicâ et ad sensum ultimò reducuntur.
Sensus strictè sumptus est motus proprius
certorum organorum corporis animati, ortus

(1) Disc. 2 et 3.

(2) Disc. 3, c. 9. (3) Disc. 3, c. 4.

in organo ex præsentia alicujus corporis externi, et transmissis per organa usque ad cerebrum. — Impressio facta in organo interiori, seu ejus modificatio, est conscientia. — Mutationes quæ in cerebro contingunt ex impressione objectorum externorum in organa, vocantur ideæ, quando cerebrum refert mutationes has ad objecta, quæ earum causæ extiterunt. — Cogitatio est perceptio modificationis, quam cerebrum aut accipit extrinsecus, aut intra se procreavit : nam (quod vix credideris) cerebrum gaudet facultate sese modificandi, considerandique modificationes, quibus obnoxium est. — Facultatis hujus exercitium, ex quo novæ nascuntur ideæ, est reflexio. — Memoria est facultas, quæ organum interius valet renovare modos præteritos. — Imaginatio est facultas, quam habet cerebrum fingendi novas perceptiones ad exemplar aliarum jam per sensus acceptarum. — Judicium appellamus illam facultatem, quæ pollet cerebrum suas ideas inter se conferendi, detegendique earum convenientiam vel inconvenientiam. — Voluntas est modus cerebri, quo disponitur ad movenda organa corporis ad acquirenda ea quæ sunt corpori congrua, vitandaque contraria : objecta autem externa et ideæ interiores, quæ hanc dispositionem gignunt, dicuntur motiva; et ejusmodi esse possunt omnes sensationes, perceptiones et ideæ; quæ omnes sunt gratæ vel ingratiæ, et inclinant cerebrum ad agendum, quod facit propria sua energia. — Passiones sunt modificationes cerebri, vel attracti, vel repulsi, per objecta externa secundum leges physicas, quibus cerebrum paret. — Nominatur intellectus facultas cerebri, quæ percipit objecta externa et proprias ideas. — Intelligentia verò est harum omnium facultatum complexio. — Denique ingenium, sapientia, prudentia, virtus, sunt dispositiones stabiles vel instabiles organi interioris, quæ homines excitant ad agendum.

Hæc certè omnia ipsa sua obscuritate et absurditate satis refelluntur; caque auctor tam fastidiosè per duo volumina haud parva sine ullâ probatione perpetuò repetit, ut ei quamvis satis deserto vix contingerit invenire quemquam, qui ab initio ad finem librum, quamvis professum nova et grandia, perlegere potuerit; adeò ut omnis ejus labor videatur jam penè oblivione delctus. Haud conscius fuisse videtur arceam causæ atheisticæ non esse in explanationibus physicis, quæ semper fuerunt risu exceptæ, sed in impudenti negatione earum

omnium rerum, quæ hominibus videntur notissimæ et certissimæ ex sensibus, ex affectibus, ex ratione, ex fide et auctoritate humanâ; quæ sunt etiam charissimæ propter multas et magnas omnis generis utilitates; etiam propter nativam menti humane ambitionem, quæ spontè de se magnificè sensit, neque ullo modo vult in classem atomorum detrudi.

5° Cl. auctor Historiæ naturalis nuper vulgatæ superiorem doctrinam suam in multis partibus fecit. Docet omnem veram et realem cognitionem esse sensum, omnem scientiam esse experientiam; ideas abstractas principia cognitionis esse non posse, neque in talibus fundamentis quidquam poni præter templum errori sacrum (1). Hinc quoque alibi scribit veritatem esse rem vagam, quæ nullam habeat definitionem : veritates ipsas mathematicas, quæ primi ordinis censentur, esse positas in definitionibus seu suppositionibus arbitrariis et relativis : et ideò ipsas veritates, quæ ex talibus principiis deducuntur, esse quoque arbitrarias et relativas (2).

6° Denique adversus expositam supra doctrinam disseruit Cartesius in Meditationibus suis metaphysicis, et in responsionibus ad objectiones adversus easdem Meditationes. Non quidem cum Protagorâ sustulit omnem absolutam veritatem aut essentias rerum immutabiles; neque cum atomicis philosophis et recentioribus metaphysicis sensum principium omnis scientiæ fecit, sed essentias ex Dei arbitrio dependere asseruit. « Repugnat, inquit, Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt, aut unquam fieri; quia nulum bonum vel verum, nullumve credendum, vel faciendum, vel omitendum fingi potest, cujus idea in intellectu divino priùs fuerit, quàm ejus voluntas se determinârit ad efficiendum ut id tale esset : neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem priùs fuit ordine, vel naturâ, vel ratione ratiocinatâ, ut vocant. Exempli causâ, non voluit tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, sed contra, quia voluit tres angulos trianguli necessariò æquales esse duobus rectis, idcirco jam hoc verum, et aliter fieri non potest. » Et alibi scribit (3) : « Quemadmodum poetæ fingunt à Jove quidem fata fuisse condita, sed postquàm condita fuere ipsum se iis servandis obstrinxisse, ita ego non puto

(1) T. 2. c. 5. p. 77. (2) T. 1. p. 53. in-4°.

(3) In resp. ad obj. Gassend. adv. med. 5.

« essentias rerum, mathematicasque ullas ve-
« ritates, quæ de ipsis cognosci possunt, esse
« independentes à Deo; sed puto nihilominus,
« quia Deus sic voluit, quia sic disposuit, ipsas
« esse immutabiles et æternas. » Cum his
igitur,

Objicies 1^o: Omnis intelligentia nihil aliud
est quàm sensatio à rebus corporeis excitata.
Atqui per sensationem non percipiuntur nisi
res singulares, mutabiles et temporariæ.—
Respondeo: Nego majorem, idque ob multipli-
cem causam: 1^o Quia ex prædicto principio
multa sequuntur absurdissima: videlicet, om-
nem opinionem esse veram, cum omnis sensus
sit verus sensus: sequitur opiniones contradi-
ctorias posse esse simul veras, opinionem, verbi
gratiâ, Protagoræ, et opinionem contrariam
Platonis; nullumque esse commune criterium
veritatis, sed privatum in uniuscujusque sensu.
Sequitur nullum esse discrimen inter concep-
tiones vigilantis et phantasmatum somniantis,
vel deliria fabricantium. Hæc consectaria à
Protagorâ et Heraclito admissa olim sunt, ideò
quæ asserebant falsum illud esse principium:
Impossibile est aliquid simul esse et non esse,
quòd opinio posset esse simul vera et falsa.

2^o Experimur inesse animis nostris nobilio-
rem facultatem concipiendi, judicandi et ratio-
cinandi, quæ de sensibus ipsis fert sententiam,
fallacias et errores eorum aperit, docetque
nihil in rebus externis esse simile qualitibus
sensibilibus, coloribus, sonis, calori, etc., quæ
in nobis ex eorum præsentia excitantur. Hoc
etiam conlitteri cogebatur Democritus atheisticæ
sectæ princeps unus: « Democritus, inquit
« Sextus Empiricus, in regulis duas dicit esse
« cognitiones; alteram quidem per sensus,
« alteram verò per cogitationem. Ex quibus
« cognitioni quidem per cogitationem tribuit
« judicium veritatis, ac genuinam et fide dig-
« nam esse testatur: cognitionem autem per sen-
« sus nominat tenebrosam, eripitque ei hoc,
« quòd in vero discernendo errare nequeat. »

3^o Si intelligentia esset sensatio, nullæ essent
in mente notiones, nisi rerum corporearum.
Attamen innumeræ insunt animis notiones,
quæ ad corpora nullo modo, aut ad ea sola
non pertinent: tales sunt omnes conceptiones
perfectionum spiritualium, sapientiæ, justitiæ,
bonitatis, veritatis et falsitatis, conscientiæ,
memoriæ, judicii. Hæc nec visu, nec tactu,
nec olfactu intelliguntur; tantùmque abest ut
à corporibus adveniant, ut nullo modo illas
notiones cum materiâ conjungere possimus.

Tales sunt conceptiones respectuum seu rela-
tionum, quæ existunt inter res corporeas et
ex quibus exsurgit id quod pulchrum vel de-
forme nominamus: perceptio convenientiæ
plurium rerum, vel inter se, vel cum fine ali-
quo, longissimè distat à sensatione ab ipsis
rebus excitatâ. Ex. gr., non sensu externo per-
cipitur pulchritudo vel convenientia partium
Æneidos, neque systematis Copernicani, neque
magni ædificii, aut cujuscumque compositi, in
quo spectanda convenientia partium inter se,
et omnium cum intento fine. Tales sunt ideæ
numerorum, quæ sine corporum ideis perfe-
ctissimæ esse possunt; durationis, quæ comi-
tatur omnes operationes mentis; extensionis,
et spatii, et motus, et quietis, quæ dicuntur
affectiones sensationem comitantis. Tales deni-
que sunt ideæ simplices figurarum perfectarum,
circuli, trianguli, quadrati, etc., quarum
nulla sunt corporea exemplaria; sed cum menti
nativæ et domesticæ sint, eas ad res corporeas
applicat: vel accidit nobis res corporeas con-
templantibus, quod homini qui pictam amici
absentis imaginem contemplatur. In illius ho-
minis animo lineæ sunt eodem tempore imagines
et diversæ formæ, quarum altera impressa est
à tabulâ, altera jam ante in mente extitit; hæc
que norma et exemplar est ad quod illam ex-
pendit, et variorum vitiorum convincit. Ita in
mente geometræ res corporeæ non generant
illas simplices et perfectas notiones, sed exci-
tant solummodò; quæ excitatæ fiunt mensuræ
imaginum corporearum (1). Atque, ut observat
Aristoteles, earum rationes quamvis per sen-
sum aliquo modo perciperemus, tamen illas per
sensum non sciremus, demonstrationem requi-
reremus: quia scire est id, quod universale
est, cognoscere (2).

(1) Vide Cartesii Med. 5, initio.

(2) Nec per sensum fit, ut sciamus, sed quod
sentimus necesse est hoc esse quid particulare
et alicubi et nunc. Quod autem est universale,
et in omnibus, id sentiri nequit, quia non est
hoc aliquid, neque nunc; alioqui non esset
universale; quod enim est semper et ubique,
id dicimus esse universale. Quoniam igitur de-
monstrationes sunt universales, universalis
verò non licet sentire, perspicuum est non fieri
per sensum, ut sciamus. Imò planum est,
etiâmsi sensu percipi posset triangulum duobus
rectis æquales angulos habere, nos esse requi-
situros demonstrationem, nec enim (ut qui-
dam inquirunt) sciremus. Sensus scilicet attingit
tantùm singularia: scientia verò est quæ
universale cognoscitur. *Analy. post. l. 1, c. 31,*
p. 236.

Aliud multiplex discrimen inter sensum et

At, inquit cum auctore libri qui inscribitur de *l'Esprit*: Omnes mentis operationes revocari possunt ad iudicium. Sed iudicare est sentire; nam iudicare est percipere convenientias vel inconvenientias obiectorum. Sed percipere convenientias illas, est easdem sentire; ergo

intelligentiam notavit Plato. 1^o Sensus est pura passio in organis sensuum per motum externum facta, cujus occasione alia succedit passio spiritalis in mente, aut est quædam cum corpore compassio, quæ de his rebus quæ pertinent ad statum corporis mens conscia fit: caret omni vi activâ, quâ possit ejus, quod recipit, notitiam comparare. Intelligere verò est interiori quædam mentis vi, eademque insitâ, nativâ et domesticâ, rei cujusdam notitiam consequi. 2^o Sensus est mera perceptio formarum quarundam corporearum; humilis et depressus jacet in rebus sensibilibus, nec sese erigere potest atque ad notionem abstractam et universalem ascendere. Intelligere est rem aliquam reapse comprehendere operationum quarundam abstractarum et universalium, per quas, ut Boetius loquitur, mens quasi desuper spectans, conceptâ formâ quæ subsunt dijudicat. 3^o Sensus obscura est et parùm accurata perceptio extremitatum naturæ cujusdam corporeæ, et accidentium ejus; interiorum statum, indolem et rationes sensus non assequitur: hincque fieri potest ut res quædam eadem maneat, et nihil tamen minùs respectu omnium sensuum mutetur, sub aliis nempe qualitatibus sensibilibus apparcat, alio colore, odore, calore, etc. Solus intellectus veram rerum naturam et immutabiles rationes perspicit atque comprehendit. 4^o Sensus qui extra corpus percipiunt, et rem obiectam contemplantur, distant Intervallo ab eâ re quam contemplantur. Intellectus autem rem quam novit et intelligit, interiùs et sine ullo intervallo expendit; ac quod vocabuli intellectus origo indicat, in interioribus legit, intra se collecta ipsam rem complectitur. 5^o Sensus corpora singularia externa, ope rei alicujus ab illis fluentis et quodammodo à posteriori percipit; omne enim quod in nobis per res sensibus subjectas extrinsecus producit, nihil est quàm motus in organis sensuum. At intelligere non est percipere per impulsum organorum, sed per excitationem interiorum animi facultatum. 6^o Sensus non est perceptio rei extra mentem positæ, sed passionis solummodo animæ; corpus eum aut acu pungitur, aut gladio vulneratur, nemo sibi persuaserit dolores exinde natos veras esse et absolutas qualitates in acu seu gladio ante sensum nostrum existentes: et idem verum est de omnibus aliis sensationibus. Imò verò adsunt hæc sensationes, ubi nulla est objectiva realitas, quod contingit iis, qui post abscessam manum sentiunt dolorem quasi in digitis, qui non sunt sui corporis: quod accidit etiam dormientibus, furiosis, febricitantibus, quibus phantasmata observantur. Et quamvis in vigilantibus phantasmata minùs vividâ sint, sensationes validiores, accidit tamen etiam in vigilantibus, seu metu, seu aliâ passione graviter commotus, ut sensationes phantasmaticas videantur; et propterea multa cernant, vel audiant, quæ extra

iudicium est sensatio (1). Imò verò si convenientiæ obiectorum sentirentur per visionem,

mentem non existunt. Intellectus verò ipsas rerum naturas attingit; id patet ex ipso iudicio quod de sensibus fert; nam ea res, quæ in nobis pronuntiat, notiones rerum, quas sensus nobis informant, non absolutè veras esse, phantasmaticas non semper credendum, non potest non sensu et imaginatione præstantior esse. Benè ergo scripsit Cartesius: Ipsammet coram pora non propriè à sensibus, vel ab imaginandi facultate, sed solo intellectu percipi, nec ex eo percipi quòd tangantur aut videantur, sed tantùm ex eo quòd intelligantur. 7^o Sensus ubi nimio splendore rerum percillitur, tunc obtunditur, frangitur. Intelligentia per veritates maximè splendidas haud debilitatur, sed è contrario roboratur. Quod discernim ex eo nascitur, quòd sensus nihil sit quàm passio mediantibus organis corporis excitata, intellectus sine organis exerceat sese.

(1) « Toutes les opérations de l'esprit se réduisent à juger. Juger, c'est apercevoir les ressemblances et les différences, les convenances et les disconvenances qu'ont entr'eux les objets divers. Or, apercevoir les convenances et les disconvenances des objets, c'est les sentir. Donc le jugement est une sensation... Quand je juge de la grandeur et de la couleur des objets qu'on me présente, il est évident que le jugement porté sur les différentes impressions que ces objets ont faites sur mes sens, n'est proprement qu'une sensation; que je puis dire également: Je juge, ou je sens; que de deux objets, l'un, que j'appelle toise fait sur moi une impression différente que celui que j'appelle pied; j'en conclus qu'en pareil cas juger n'est ja mais que sentir. » Ergo et canis qui videt et tangit duo corpora A et B, percipit quoque eorum convenientiam, et si habeant rationem pedis ad exapedam, percipit unum esse sextuplum alterius. Nequaquam certè: ut in ratione 2 5 6 numerus 3 exprimens relationem est diversus à numeris 2 et 6; sic manifestò perceptio istius relationis est modus mentis distinctus à perceptione duorum numerorum; et qui duos numeros percipit, non statim percipit convenientiam. Et cerlè in principiis mechanicis philosophiæ Hobbianæ facilitè est demonstrare iudicium ex sensationibus oriri non posse; sint ob oculos duo corpora A et B. Reactio cerebri adversus A erit perceptio corporis A, et reactio cerebri adversus B erit perceptio corporis B. Et ut sunt duorum corporum impressiones distinctæ, sic sunt cerebri reactiones. Jam verò si ponas existere tertiam perceptionem, nempe convenientiæ utriusque, quæ neque sit reactio prior nec posterior, supponis effectum sine causâ. Nec dicas ex duabus reactionibus enasci mediàm quandam, quæ sit perceptio convenientiæ. Nam intelligimus quomodo ex duobus motibus confusis nascatur motus secundùm diagonalem ex utroque compositus; sed ex duobus motibus intermixtis et in suo statu permanentibus tertia motio ex nihilo enasci non potest. Aliunde, ut supra diximus, ideæ abstractæ numerorum et omnium relationum non sunt sensationes.

vel auditum, vel olfactum, vel gustum, vel tactum, aut per ullum sensum corporeum; sed non ita est. Apprehenduntur facultate spiritali, qui sensus interior nominari potest; sed idem nullo modo est cum sensationibus per organa ad mentem propagatis. Ut cum his confundi possit, ostendendum est sensum convenientiæ vel disconvenientiæ duorum objectorum non distingui à sensationibus duorum objectorum; et ubi sunt duæ sensationes, ibi esse perceptionem convenientiæ vel disconvenientiæ. An quisquam seriò defendere potest veritates omnes mathematicas deberi cerebri reactionibus occasione impressionum in organis factarum; aut illam æquationem, quæ complexus est Newtonus numerum et proprietates omnium curvarum tertii generis, antequàm illæ curvæ ipsius non modò oculis, sed cogitationi præsentibus fuissent, esse etiam sensationem? Quàm absurdum est vim illam divinam, illam celeritatem cogitationis, quæ universum mundum perlustrat; spatiorum cælestium profunditates metitur; astrorum situs, distantias, magnitudines, densitates, motus, leges investigat; deinde in seipsum conversus, his omnibus se excellentiorem agnoscens, et ad entis infiniti et perfecti contemplationem assurgens, in ejus virtute et sapientiâ, omnis ordinis, omnium virium, omnium finitarum rerum fontem cernit: quàm, inquam, absurdum est vim tantam cogitationis cum sensatione, cum cerebri contra corpora reactione velle contunderi!

Objicies 2^o: Abstractæ rerum ideæ, quales omnes perceptiones præter sensationes rerum particularium in sensibus externis genitas, sunt signa animi humani. Scilicet inest homini facultas idearum complexas ex sensibus advenientes variâ ratione dividendi, et unam qualitatem, cum aliis multis in ipsis rebus conjunctam, separatim considerandi, abstraehendi: hincque natæ sunt omnes prædictæ ideæ abstractæ, quæ eò magis dissimiles sunt rerum particularium, quò subtilior est abstractio (1). Imò verò fortassè nihil aliud sunt quàm voces generales, quibus nulla respondet idea, sed significatur multitudo rerum particularium (2). Jam verò hæc animi signa arbitraria sunt et relativa, utpote meræ suppositiones vel appellaciones ex arbitrio pendentes,

nullatenus verò naturis rerum congruentes (1). Ergo ad nullam realem cognitionem nos ducere possunt. — Respondeo omnes hujus argumenti partes non minùs à veritate, quàm à communi omnium fermè veterum et recentiorum opinione abhorrere. Nam 1^o falsum est omnes nostras ideas, quæ non sunt rerum particularium per sensus externos, animi esse signa. Quia ex modò dictis manifestum est habere nos sensum interiozem, vim intelligendi sensu præstantiorem, cujus facultatis objecta naturalia sunt virtutes animi spirituales, ideæ incorporeæ et relationes omnes; cujusque ope spirituum æquè perfecta est notitia ac corporum; Jacet intima utriusque natura, notæ sunt affectiones. Istud ergo axioma: *Nihil est in intellectu quod priùs non fuerit in sensu*, verum esse poterit hoc tantùm sensu, quòd in intellectu nihil sit, cujus sensus occasio non exiterit. Neque hoc negat Cl. Lockius, at ejus quidam discipuli nobis vendunt doctrinam in objectione contentam, ut clavem novam omnis cognitionis humanæ, cujus ope omnem ex scientiis obscuritatem et errorem liceat depellere, et veritatis interiora adyta penetrare: miseranturque omnium hactenus philosophorum sortem, qui sine hoc filo scientiarum labyrinthos ingressi sunt. Sed, quæso, hujus tam præclari inventi qui hactenus fructus exitière? Aut in quo tantùm differt (differt sanè quoad verba) ab obsoletâ Peripateticorum doctrinâ, quòd conceptus animi et rerum rationes ex phantasmatibus ab intellectu agente educantur? Objicerent eis Platonici quod olim Peripateticis, quòd intellectui tantùm facultatis et vigoris concedant, quantum ipsi ei tribuunt, tantùmque intersit inter utrosque quantum inter eum qui diceret, soli esse potentiam lucem ex nocte seu caliginoso aere educendi, aliamque qui solem contenderet pollere facultate lucem ex ipso corpore suo protrudendi. Utrique hi parem soli largiantur vim et potestatem: veràm hic aptè magis et propriè enuntiat, quod ille minùs accuratè ac propriè tradit (2).

Quod verò spectat illos, qui abstractas et generales rerum notiones et rationes nihil esse statuunt, quàm mera vocabula, quibus nulla subiecta potestas est, judicat Cudworthus (3) eos indignos esse cum quibus aliquis congruatur, cujus sequimur judicium.

(1) Locke de Intell. hum. l. 3, c. 67. Essai sur l'origine des connaissances humaines, sect. 5.

(2) Hobbes supra. Berkeley de Princ. cog. hum.

(1) Hist. nat. supra.

(2) Cudw. de æt. just. not. l. 4, c. 1.

(3) *Ibid.*

2° Parum refert in præsentī nostrā disputatione, quā habeant originem, seu existendi occasionem prædictæ ideæ : quia argumentum nostrum petitur ex earum naturā. Docuit Plato illos ideas ab ipsā mente naturali energiā gigni. Docuit Mallebranchius illas perceptiones esse passiones ab immutabili et universali naturā : quæ sententiā, quamvis habeat aliquam obscuritatem, tamen melius intelligitur, quā illa passio, quā defendunt athei, ex rebus corporeis : cum major cognatio sit inter mentem et Deum, ideō clarior est cogitatio quomodō ab ipsā Dei naturā afficiar, et de ejus modis certior fiam, quā quomodō à naturā tangar corporeā, et de ejus admonear affectionibus et proprietatibus. Quidam tandem recentiores, non sine supercilio et optimorum philosophorum aspersione pronuntiant ideas omnes abstractas ortas esse primū in sensibus, et per mentis operationem à rebus particularibus esse separatas. Hanc sententiā longissimē distare à veritate putamus : at etsi vera esset, num ideæ abstractæ, et earum rationes erunt idcirco figmenta relativa et arbitraria? Nequaquam. Etiam in hac hypothesis ideæ simplices circuli et trianguli tam erunt passiones mentis, occasione sensationum exortæ, quā sensationes coloris et soni : et earum quoque rationes, ubi mens illas figuras contemplabitur, erunt quoque passiones ineluctabiles : non potest mathematicus non sentire tres angulos in triangulo esse æquales duobus rectis. Quomodō ergo figmenta sunt? Deinde dicimus sensationem quamvis calor, vel saporis, etc., esse relativam, quia ex meā sensatione colligere non possum, quid alia entia rationalia ad præsentiam talis objecti sentiant; habet cum me solo relationem; et ex eā intelligo, quomodō se habeat objectum relativē ad corpus meum. Sed ex abstractis ideis colligo quid omnia entia rationalia intelligunt : ex. gr., novi omnes intelligere tres angulos in triangulo esse æquales duobus rectis. Per hanc intelligentiam communem est inter omnes rationales societas et omnium ratio, lexque una communis : per sensationem verō, quia particularis et relativa est, nulla talis constituitur societas, et consonantia animorum. Sic etiam, variæ ideæ factitiæ arbitrariæ sunt; hippocentaurum fingere possum, ipsi alas addere, aliasque partes novas; deinde formam fictam discernere, et aliā ratione componere : estne idea circuli ejusdem generis? Possumne illam amplificare, discernere, aut ullā ratione

mutare? Nonne circuli ratio independens est à mente meā et in se necessaria : et propter hanc causam eadem et immutabilis in omnium mentibus? Ubi duæ ideæ componuntur, an cernitur quævis habitudo vel relatio, an non una sola quæ utriusque naturis convenit; et quam intelligimus Deum ipsum immutare non posse? Quisquamne intelligere potest, quid sit veritas arbitraria, scientia arbitraria, sapientia arbitraria? Nonne melius definierunt veritatem veteres, *κατάληψιν τοῦ ὄντος*, id est, comprehensionem ejus quod necessariō est : rem omnium minimē vagam, sed clarissimam, certissimam et firmissimam, quā si homines ab ipso Deo non essent imbuti, omnia quæ condita sunt, nihil forent quā ludibria fortunæ et atomorum, somnia, umbræ ac vanitas?

3° Propter has causas consequentiam nullo modo admittere possumus, quōd ad nullam veram et realem cognitionem abstractæ perceptiones nos ducere valeant. Nam primō cum ideæ abstractæ, quocumque modo gignantur, habeant objectivam realitatem, eamque necessariam, immutabilem, et omnibus mentibus communem, per omnes scientias etiam speculativas, in quibus investigantur earum convenientiæ, acquiritur scientia realis : veritas omnis est res solida, non ficta et evanida. Deinde in omnibus scientiis mixtis, seu physico-mathematicis, in omnibus artibus, in quibus ex cognitīs observatione viribus determinatur ope abstractarum relationum quomodō applicandæ sunt vires ad producendos certos effectus, comparatur etiam sine dubio scientia realis, quamvis non sit rerum actu extra nos existentium : ex. gr., quando determinatur geometricè quæ inclinatio tormento bellico danda est, ut globus ferreus ad certam distantiam deferatur, vel quæ curvatura danda sit proræ navis, ut cum maximā celeritate sulect mare. Quæ scientia si ficta et vana esset, non afferret tantas vitæ hominum utilitates. Sic quoque ex abstractis relationibus inter causas et effectus, nunc ex effectibus causarum realem cognitionem, nunc ex causis realem cognitionem effectuum comparamus. Ex. gr., determinat physici ex lege gravitatis motus planetarum, et vicissim ex motu planetarum colligunt legem gravitatis. Sic quoque et nos colligimus ex causis finalibus, ex virium naturalium temperatione, ex omnium rerum aptitudine, existentiam causæ intelligentis res mundanas procurantis : quæ cognitio, quamvis ex abstractis ideis relationum habeatur, realis tamen est

certiorque, quàm est ea quæ solo sensuum fundamentò nititur.

Objicies 3^o, cum Cartesio : Quamvis voluntati humanæ tantùm tribui non debeat, ut rerum essentias pro lubitu fingere, destruere et immutare possit, saltem hoc concedendum est voluntati divinæ. † Nam repugnat Dei † voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt aut unquam † fieri, quia nullum bonum vel verum, nullum † ve credendum, vel faciendum, vel omittendum fingi potest, ejus idea in intellectu † divino priùs fuerit, quàm ejus voluntas se de † terminarit ad efficiendum ut id tale esset. »

Respondet rerum quidem vocabula et nomina mutari posse à voluntate; figura quæ quadratum dicitur, circulus dici potest. Verùm, si quis naturam quadrati dixerit, non id necessariò esse quod est, sed in naturam circuli ex arbitrio Dei converti posse; essentiam circuli adsciscere posse essentiam trianguli sine ullà physicà et reali mutatione, per metaphysicam quamdam essentiarum conversionem; non tantùm quæ cogitatione consequi non possumus, sed apertè repugnantia nobis credenda reponit. Fuit quidem in Deo ab æterno voluntas, sed fuit etiam sapientia. Ultra harum perfectionum, quas in Deo esse necessariò intelligimus, alteri pareat, facilè cognoscitur ex utriusque naturâ. Sapientia, uti à nobis concipitur, res est planè determinata, constans, immota, flecti nescia, neque ullo modo mutabilis; ideòque per se norma est et regula. Voluntas verò in se spectata, separata ab intellectu, cæca est et omni luce destituta, nullà ex parte definita, varia, mutabilis; regula igitur et norma esse non potest. Quapropter tum voluntas perfecta intelligitur, cùm à veritate et sapientiâ dirigitur et inclinatur; non tollitur, sed moderatur. E contrario sapientiam et veritatem voluntatis arbitrio subjicere, et ad hanc tam variam et mutabilem facultatem componere non possis, quin sapientiam et veritatem sustuleris (1).

(1) Inter argumenta ab auctore adducta ad demonstrandam existentiam Dei, quædam sunt de quibus inter Doctores disputatur an vim ineluctabilem habeant; illud præsertim in controversiam venit quod Cartesiani deducunt ab ipsamet ideâ entis infiniti; alia autem apud omnes habentur demonstrativa, adeò ut nemo possit illa perpendere, animo à præjudiciis evnto, sinceroque veritatis amore, qui illicò absolutam certitudinem de Deo existente acquirat: hujusmodi sunt probationes deductæ ex consensu communi hominum, ex mundi

COROLLARIA. — Primum. Existentia Dei demonstratur à posteriori. Nam demonstratio à posteriori illa est, in quâ proceditur à notis ordine, ex entis infiniti necessitate quo fuerint producta entia contingentia, etc.

Hodiernâ ætate prodierunt quidam scholæ, ut aiunt, Melesianæ addicti, qui acriter propugnant omnem argumentationem philosophicam esse prorsus insufficientem ad producendam certitudinem rationalem: quapropter unicuique argumentum convincens de existentia Dei adduci posse arbitrati sunt, nempe consensum communem, auctoritatem generalem. His assentiri non possumus; vel enim unicum istud argumentum demonstrativum diceremus, quia certitudinis principium solùm reponi debet in sensu communi qualem exponebat D. Lamennais, vel quia sola hæc via foret ad componendam controversiam cum atheo reluctanti. Atqui non primum dici potest. Hoc enim est *fallax* systema et *planè improbandum*, ut declarat S. P. Gregorius XVI in Encycl. 1834 quæ incipit: *Singulari nos affecterant, quo veritatem ipsam fulciri vaussimi homines perperam arbitrantur*, eo tollitur omnis certitudo individua: cùm enim individuus credere tutò nequeat auctoritati, nisi priùs sibi constet existere consensum generalem et consensum illum sufficere ad certam elicendum fidem de Existentiâ Dei, consequens erit inevitè ineluctabiliter scepticismum, si individuus non habet in se media quibus sibi certò ac tutò applicetur veritas per auctoritatem generalem tradita, mediante ipsius ratione individua. Non secundum. Nam si atheus vel scepticus nollet admittere principia per se evidentia et consecutaria manifestà deductione ex his principis eruta, in vanum præsumitur illum facilis fidem præstiturum esse huic consensui communi, inprimis cùm hujus consensûs auctoritatem elevare posset experientiâ errorum in quos olim iniegit circa polytheismum, idololatriam, cultum Dei per humana sacrificia, etc.

Alii sunt recentioris adhuc scholæ sectatores, qui existimant omnem certitudinem de Deo existente procedere à fide et supponi non posse hominem ratiocinio ativeque mediis naturalibus assurgere ad notitiam certam de Deo, quæ derogetur gratiæ divinæ et renouentur errores sempelagianismi. Hi vera falsis miscent. Certum est gratiam esse ad fidem necessariam, unde nisi præveniat auxilium Spiritûs sancti, homo adherere non potest veritatibus revelatis assensu supernaturali; certum etiam est auxilium Dei esse necessarium ut incredulus perveniat ad admittendas veritates quæ, licet ordinis naturalis, pertinent tamen ad religionem, ut sunt multa quæ simul et per fidem et per scientiam cognoscuntur; huic enim adhesionis sæpè obstant præjudicia, cupiditates, etc., quæ viribus naturæ homo non superabit. Hæc ultrò agnoscimus. Verùm in eo errant quòd velint existentiam Dei, facta evangelicâ et alia hujusmodi certò cognosci non posse nisi per fidem, unde gratia fidei esset ultimum motivum adhesionis his veritatibus. Hoc systema adversatur tum Scripturis, quæ supponunt Deum à nobis cognosci posse per testimonium creaturarum visibilium (Act. apost. 14; Ep.

effectibus ad ignotæ causæ investigationem, et consequenter argumenta à posteriori existentiae Dei illa sunt, in quibus colligitur ex effectibus naturalibus existentia entis supra naturam, et omnium rerum moderantis. Atqui in præcedentibus argumentis multa talia sunt : ut moralia, et physica, et illa metaphysica ex ideâ Dei, quam ostendimus à solo Deo mentibus nostris inculpam esse.

Secundum. Existentia Dei demonstratur à simultaneo. Nam demonstratio à simultaneo ea est, in quâ nec proceditur ab effectibus ad causam, nec à causâ ad investigationem effectûs ; sed in quâ existentia alicujus entis probatur per quædam attributa magis nota, quæ soli illi enti convenire posse demonstrantur. Sic, verbi gratiâ, cum concludimus ex vi cogitandi, et ex vi movendi esse in mundo substantiam spiritalem à corpore secretam, cujus hæ vires attributa sunt, ista demonstratio est à simultaneo ; non à priori certè, quia vis cogitandi non est causa substantiæ spiritualis ; non etiam à posteriori, quia vis cogitandi non est effectus naturæ spiritualis, sed ipsa ejus natura seu essentialè attributum. Multa quoque exempla demonstrationum à simultaneo suppeditat geometria ; ut cum datis basi et altitudine trianguli

ad Rom. c. 1, v. 20) ; tum traditioni SS. PP. et doctrinæ communi theologorum qui constanter duplicem ordinem admiserunt, *alium fidei, alium scientiæ* ; tum denique principiis sanæ philosophiæ. 1° De naturâ est substantiæ intelligentis, ut quasdam veritates indagare et certò attingere valeat, præsertim sui auctoris existentiam, saltem quando illi fuerit proposita. 2° Vel systema de quo agitur laborat vitioso circulo, vel prolabitur in errorem Enthusiastarum. Etenim adierit circulus vitiosus si quis fide adherat veritatibus in Scripturâ aliusve monumentis traditionis consignatis, propter Dei auctoritatem, quàm, juxta systema quod confutamus, non possimus certò cognoscere Deum nisi per hanc revelationem, de illius autem revelationis existentia et auctoritate certè tantum simus per fidem in Deum à quo suam habet originem. Solum medium quod superesset ad se expediendum ab eo circulo vitioso, foret instinctus fidei seu quædam impulsio interna per gratiam animæ impressa ; hoc autem viam enthusiasmo aperit, siquidem nullam occurreret criterium certum quo distinguantur vera impulsio, vera inspiratio à falsis : « Il ne vous reste, conclut auctor recens, « il ne vous reste et il ne saurait vous rester « que la foi d'enthousiasme et l'impossibilité « de nous rendre compte pourquoi vous croyez « à la divine mission de Moïse plutôt qu'à « celle de Numa, à Jésus-Christ plutôt qu'à « Mahomet (*) ».

(*) Coup d'œil sur l'enseignement de M. l'abbé B., Auctore D. Dietrich.

demonstratur area, vel datis areâ et altitudine demonstratur basis. Atqui existentia Dei demonstratur per attributa quædam, quæ supponuntur magis nota, quæque demonstrantur soli enti perfectissimo posse convenire : talis est illa demonstratio metaphysica ducta ex æternis veritatibus, quæ supponuntur magis notæ, quàm substantiæ æternæ spiritualis existentia, et quæ demonstrantur nihil aliud esse quàm modos immutabiles æternæ et infinitæ mentis.

Tertium. Existentia Dei demonstratur à priori. Nam demonstratio à priori illa est, in quâ proceditur à causâ cognitâ ad investigationem effectûs ; vel à ratione aliquâ antecedente ad consequentem ex illâ rei alicujus existentiam : sive in quâ existentia rei alicujus colligitur, vel ex causâ ejus efficiente vel ex causâ formali, quæ per mentem concipitur ut antecedens rei existentiam et determinans modum existendi. Atqui etsi Deus nullam habeat propriè dictam suæ existentiae causam, nihilque sit tempore prius Deo, tamen nostro concipiendi modo et in ordine nostrarum idearum, est aliquid Dei existentia prius, nempe necessitas existendi : ex quâ Deum existere et talem esse probamus ; quæque proinde concipitur, ut causa formalis Dei existentiae, ejusque perfectionum, ut patet ex illâ demonstratione metaphysicâ ductâ ab ente necessario. Nisi existentia Dei hanc haberet rationem fundamentalem, dici posset Deum existere casu et fortuito, vel existere sine causâ ; saltem nullam aliam rationem afferre possemus, nisi hanc atheorum pro cuju-cumque rei existentia, ideò nempe existere, quia existit. Et tunc non repugnaret, ut existere desineret, aut non existeret ubique. Uti Epicureus dicit atomum existere quia existit, et existere hoc in loco, quia existit in hoc loco. Ita Clarkius ; at plerique hanc demonstrationem demonstrationibus à simultaneo annumerant.

Quartum. Illa propositio, *Deus est*, nota est per se, quoad se. Nam scholastici illam propositionem notam per se, quoad se, dicunt, cujus prædicatum est de naturâ seu essentiâ subjecti, qualis est illa : Homo est animal. Atqui in istâ propositione : *Deus existit*, prædicatum est de essentiâ subjecti. Non minùs quippe existentia essentialis est Deo, quàm animalitas homini, ut confectum est in argumentis metaphysicis.

Quintum. Illa propositio : *Deus est*, nota est per se, quoad nos. Nam illa propositio dicitur nota per se, quoad nos, cui auditus et intellectus terminis mens statim acquiescit. Atqui

talis est illa propositio, cum demonstratum fuerit in argumentis moralibus sensum numinis esse omnibus hominibus naturalem et sponte nasci et adolescere, ut nascitur quævis alia affectio naturalis : et ex argumentis physicis pateat omnem naturam parentem suam tam altè prædicare, ut ad ejus vocem obsurdescere homines nequeant : et denique in metaphysicis confectum sit, nos statim atque rec am Dei notionem animis informavimus, non posse ab ejus ideâ existentiam dividere.

Sextum. Ergo non solum existentia Dei à nullo invincibiliter ignoratur, sed reverà nulli sunt athei speculativi, sed tantum practici. Atheus practicus ille dicitur, qui ita vivit ac si nullus Deus esset, sensumque numinis animo insitum præfocare conatur. Tales quidem multi sunt. Atheus speculativus ille est, qui Deum nullum reverà agnoscit : vel quia de Deo illi nunquam contigit cogitare, Deumque ideò ignorat ; vel quia rationibus convictus est, nullum esse Deum. Tales omnino nullos esse sequitur ex his omnibus, quæ hactenus disputata sunt. Adèoque haud dubitandum, quin illi omnes, qui olim et hisce nostris temporibus atheisticam impietatem professi sunt, id fecerint, non ex interiore persuasione, quam habere nunquam potuerunt, sed à quâdam singularitatis affectione, aut ingenii levitate, aut perversitate cordis. Inprimis hoc certum est, multos esse homines, qui non tam ex sincero amore veri scientiis adjungunt animos, seseque conferunt ad scribendum, quam ex famæ atque existimationis cupiditate ; eosque in id maxime conitui, ut omnium in se oculos convertant doctrinæ singularitate : tantaque esse solet singularitatis hæc illecebra, ut ad absurdissimas defendendas opiniones et ab omni sensu abhorrentes traduci se facillimè patiantur. Hinc sine dubio factum est, ut quidam de omnibus dubitare se dixerint ; alii materiæ existentiam, alii motum, alii quietem negaverint ; alii hujus principii veritatem : *Impossibile est aliquid esse simul et non esse* ; et uno verbo quidquid in opinionibus certissimum est, inficiati sint. Deinde illi qui adversus Religionem sermonibus vel scriptis perorant, non id faciunt quia sunt soluti metu numinis ; sed plerumque quia magis illo metu interius eliduntur, à quo solvere se omnibus modis conantur : observatur quippe ab ipso Lucretio atheos esse omnium hominum maxime meticulosos, omnibus ærumnis affectos vivere, in rebus adversis acriter advertere animos ad Religionem, verasque tunc

voces pectore ejici, eripi personam, manere rem : et hoc suum in scribendo poemate consilium fuisse fatetur, ut metum hunc Acherontis ageret funditus ex suorum in scholâ Epicuri condiscipulorum animis (1).

(1) Ex istis corollariis, primum et quartum à theistis ut certa admittuntur. De cæteris varix sunt etiam inter theologos sententiæ. Quod verò ad hoc ultimum spectat, distinguimus, præter *practicum* et *speculativum*, etiam *atheum negativum*, qui nempe nullâ Dei notionem imbutus, eum potius nesciret quam negaret. Nemo quidem dicitur multos existere atheos practicos. Communior sententia affirmat eum autem nullum verè speculativum atheum existere. « S'ils sont assez fous, inquit Montaigne, ils ne sont pas assez forts, ils ne lairront pas de joindre leurs mains vers le ciel, si vous leur attachez un bon coup d'épée dans la poitrine ; et quand la maladie aura appesanti cette licenceuse ferveur d'humeur volage, ils ne lairront pas de revenir et de se laisser manier tout discrètement aux créances et exemples publiques. Autre chose est un dogme séricusement digéré, autre chose ces impressions superficielles, lesquelles, nées de la débauche d'un esprit démanché, vont nageant temérairement et incertainement dans la fantaisie. Hommes bien misérables et écerclés, qui tâchent d'être pires qu'ils ne peuvent. — Tandem atheos negativos non existere contendimus 1º ex supra dictis tum apud auctorem, tum in annotationibus : satis constat nullam societatem absque theismi fide et principijs stare posse. 2º Homo privatus, cum rationis exercitium omnisi sociali aliquâ educatione valeat adipisci, ut nunc communis est sententia, simul Dei notionem eum imbuti necesse est. Sic proinde intelligendi sunt theologi, de homine sociali seu à suo statu naturali accidentaliter non avulso, ubi affirmant hominem non posse invincibiliter Deum ignorare. Et reverà, quoties de homine aliquid ex ratione oriendum asserimus, non puerum profecto, neque alium quocumque modo rationis usum non adeptum significamus.

Hæc quæri potest quænam sint Atheismi causæ ? Inter varias causas Baco annumerat schismata atque multiplices de Religione disputationes, ex quo quantum licentiæ atque impietati laverit protestantismus, videre licet. Idem philosophus consuetudine de rebus sacris sæpè irreverenter jocandi, imò literis, malè quidem cultus, atque pacis tranquillitate nec non et magnâ divitarum copiâ, pestem atheisticam asserit ali atque foveri. — Clarkius ad tres causas revocat Atheismum, nempe ad ignorantiam mentisque stupiditatem, ad corruptionem morum, denique ad sophisticum morem philosophandi. Pascal aliquantum mentis tribuit imbecillitati Atheismum : « L'Athéisme, inquit, manque de force d'esprit, mais jusqu'à un certain point seulement. » *Pensées morales*, LXV. — Hæc omnia vera sunt sub aliquo respectu. Nos verò hominem dicimus esse atheum *negativum*, ex accidentali facultatum intellectualium earumve usûs privatione, *practicam*, ex libidinibus infrenatis, quippè qui

EXAMEN

PRIMÆ PARTIS ETHICES SPINOSÆ.

QUÆ EST DE DEO.

Cùm hujus athei systema, propter novam, quam invenit, loquendi formam, abhorrentem à communi sermone, vix intelligi queat et multorum acutissimorum hominum torserit ingenia; necesse inprimis est illud breviter enucleare: quod melius fieri non posse putamus, quàm comparando hanc novam doctrinam cum veterum atheorum opinionibus, et investigando quâ in re consentiant, et in quâ videantur dissentire. Sic quippe veterum atheorum aperta et perspicua placita Spinosa tenebris lucem aliquam fortassè afferent. Deinde expendemus novi systematis principia, ut intelligamus an ex illis aliqua addita sit athei-smo auctoritas. Et denique breviter quibus argumentis universum ædificium convelli possit, indicabimus.

EXPOSITIO DOCTRINÆ. — 1^o Hoc commune atheorum omnium principium semper fuit et esse debet, unicam existere substantiam, necessariam, improductam, infinitam, quam veteres, vel, materiam primam, vel extensionem infinitam, vel atomos vocabant, Spinosa verò dicere amat Deum, quâ appellatione quandoque etiam veteres utebantur. 2^o Sequitur hujus unice substantiæ attributa vel affectiones esse extensionem et cogitationem, quod etiam probat Spinosa. 3^o Sequitur omnia entia particularia, corpora et mentes, esse partes illius unice substantiæ, uti etiam docet Spinosa. Corpus est pars extensionis certâ ratione modificata: mens est singularis cogitatio seu idea rei alicujus singularis actu existentis. Sed amat quoque illa vocare modos extensionis et cogitationis; quia partium distinctam ingratam multiplicatis notionem adjunctam habet: de quâ appellatione modò dicemus. 4^o Athei omnes, præter Stoicos, docebant nullam esse communem toti substantiæ, vel vim fictricem arte et viâ progredientem, vel sapientiam universi moderatricem; proindeque nullas esse causas finales, contra quas fusè disputat Spinosa; neque ens aliquid

dicit in corde suo: Non est Deus; tandem speculativum non quidem sinceræ fidei, ex superbiâ quæ sese supra vulgus hominum tam insolitis opinionibus extollere conatur, simul ac, ut solet, foedissimis etiam cupiditatibus atheus ille sophista indulget.

Vid. etiam Valsecchi ad calcem voluminis. P.-S.

perfectâ intelligentiâ, bonitate et felicitate præditam, qualem nos Deum esse putamus; sed hoc tantum sensu substantiam unicam dici posse perfectam, quatenus infinita est et infinitorum numero modorum subjectum, ita quoque Spinosa: in scholio ad prop. 17, habet: « Infra absque ope hujus prop. ostendam, ad « Dei naturam neque intellectum, neque voluntatem pertinere..... Si ad æternam Dei « essentiam intellectus et voluntas pertineant, « aliud sanè per utrumque hoc attributum intelligendum est, quàm quod vulgò solent « homines. Nam intellectus et voluntas, quæ « Dei essentiam constituerent, à nostro intellectu et voluntate toto cœlo differre deberent, nec in ullâ re præterquam in nomine « convenire possent, non aliter scil. quàm « inter se conveniunt canis signum cœlestis et « canis animal latrans. » 5^o Veteres atomici philosophi nullam aliam vim præter motum agnoscebant, qui repetitis impulsibus in æternum propagaretur, et esset omnium modorum tum corporeorum, tum spiritualium, quos accidentaliter producebat, temerarius artifex. At Hylozoitæ seu Stratonici præter motum, vim cogitationum, appetituum et volitionum per se et naturaliter effectricem admitebant. In illo Epicureos, in hoc Stratonicos sequitur Spinosa.

Juxta ipsum Deum seu unica substantia agit necessariò, sive quatenus res cogitans, sive quatenus res extensa. Quatenus res cogitans, producit cogitationes singulares, quæ mentes hominum sunt. Quatenus res extensa, producit corpora, cum omnibus eorum mutabilibus affectionibus. Sed tum corpora, tum mentes non producantur ab unice substantiâ exerente aliquam agendi facultatem, sed per seriem successivam infinitam causarum finitarum.

At quoniam mens et corpus idem sunt, et eadem potentia est movens et cogitans, existit inter cogitationes mentis et affectiones corporis mutua sympathia, seu harmonia naturalis, et ordo et connexio idearum, et ut ponit Spinosa prop. 7, p. 2, idem est et ac ordo et connexio rerum: modus extensionis, et idea illius modi, una eademque res est; sed duobus modis expressa. Ex. gr., et circulus in naturâ existens, et idea circuli existens, una eademque est res, quæ per diversa attributa explicatur, et ideò sive naturam sub attributo extensionis, sive sub attributo cogitationis, sive sub alio quocumque concipiamus, unum eundemque

« ordinem, sive unam eandemque causarum
 « connexionem, hoc est, eandem res sequi re-
 « periemus. Neque ullâ aliâ de causâ dixi,
 « quod Deus sit causa ideæ, v. g., circuli, qua
 « tenus tantum est res cogitans, et circuli,
 « quatenus tantum est res extensa, nisi quia
 « esse formale ideæ circuli, nisi per alium
 « cogitandi modum tanquam causam provi-
 « diam, et ille iterum per alium et sic in infi-
 « nitum potest percipi; ita ut quamdiu res
 « ut cogitandi modi considerantur, ordinem
 « totius naturæ, sive causarum connexionem,
 « per solum cogitationis attributum explicare
 « debemus, et quatenus ut modi extensionis
 « considerantur, ordo etiam totius naturæ
 « per solum extensionis attributum explicari
 « debet, et idem de aliis attributis intel-
 « ligo (1). »

6° Tandem ex his principiis sequitur omnia
 evenire ex necessitate naturæ illius unicæ sub-
 stantiæ (2); hanc unicam substantiam, cum
 extra illam nihil existat, dici posse rerum
 omnium causam immanentem (3); et res nullo
 alio modo, neque alio ordine à Deo produci
 potuisse (4).

Cum hæc principia atheis veteribus et Spi-
 nosæ communia sint, liquet certè illos reipsâ
 non dissentire: videamus ergo quid sibi hic
 velit novis illis, quibus utitur, formis lo-
 quendi.

1° Duplicem distinguit naturam cum veto-
 ribus Cabalisticis naturantem et naturatam :
 per priorem intelligit, « id quod per se est,
 « et per se concipitur; seu talia substantiæ attri-
 « buta, quæ æternam et infinitam essentiam ex-
 « primunt, hoc est, Deum, quatenus ut causa
 « libera consideratur. » Per naturam autem natu-
 ratam intelligit, « id omne quod ex necessi-

« tate Dei naturæ, sive uniuscujusque Dei
 « attributorum sequitur, hoc est, omnes Dei
 « attributorum modos, quatenus consideran-
 « tur ut res quæ in Deo sunt, et quæ sine
 « Deo nec esse, nec concipi possunt (1). »
 Ex hisce definitionibus liquet istas voces novas
 designare solummodò unius et ejusdem rei,
 seipsam modificantis et per seipsam modi-
 cata, varios aspectus.

2° Docet naturam naturantem esse liberam,
 quia ex solis naturæ legibus et à nemine co-
 acta agit, quam libertatem sic explicat in
 ep. 23 ad Oldenh. : « Illic paucis explicare volo,
 « quâ ratione ego fatalem omnium rerum et
 « actionum necessitatem statuum : nam Deum
 « nullo modo fato subjecio, sed omnia ine-
 « vitabili necessitate ex Dei naturâ sequi
 « concipio, eodem modo ac omnes concipiunt
 « ex ipsius Dei naturâ sequi, ut seipsam
 « intelligat; quod sanè nemo negat ex divinâ
 « naturâ necessariò sequi, et tamen nemo
 « concipit, Deum fato aliquo coactum, sed
 « omninò liberè, tametsi necessariò seipsam
 « intelligere. » Primus Spinosæ necessitatem
 physicam et libertatem conjunxit. Naturam
 verò naturatam negat esse liberam, quia de-
 terminatur ad existendum à naturâ naturante :
 et cum omnia corpora et mentes pertineant
 ad naturam naturatam, nullam agnoscit in
 hominibus aut quavis mente particulari li-
 bertatem. Nihil hic habemus præter verba
 nova.

3° Docet unicam substantiam concipi posse
 duplici ratione, abstractè scilicet et superficialiter,
 prout nempe ipsam imaginamur : vel ut sub-
 stantia, quod fit per intellectum : quòd si ad
 quantitatem attendamus, prout in imagina-
 tione est, quod sæpè et faciliùs à nobis fit,
 reperietur finita, divisibilis, et ex partibus
 conflata. Si ad quantitatem verò prout in in-
 tellectu est attendamus, et eam, quatenus
 substantia est, concipiamus, quod difficillimè
 fit, tum infinita, unica et indivisibilis reperietur.
 « Nam cum vacuum in naturâ non detur,
 « substantia corporea, quatenus substantia,
 « non potest habere partes realiter distinctas
 « et consequenter non potest dividi : est illa
 « ubique eadem, nec partes in eadem distin-
 « guuntur, nisi quatenus materiam diversi-
 « modè affectam esse concipimus : unde ejus
 « partes modaliter tantum distinguuntur, non
 « autem realiter. Ex. g., aquam quatenus aqua
 « est, dividi concipimus, ejusque partes ab

(1) Parte quint. prop. primâ habet : Prout
 cogitationes, rerumque ideæ ordinantur, et
 concatenantur in mente, ita corporis affectio-
 nes, seu rerum imagines ad amissim ordinan-
 tur et concatenantur in corpore. Et ep. 15 :
 Quod autem ad mentem humanam attinet,
 eam etiam partem naturæ esse censeo, nempe
 quia statuo, dari etiam in naturâ potentiam
 infinitam cogitandi; quæ quatenus infinita in
 se continet totam naturam objectivè, et ejus
 cogitationes procedunt eodem modo ac na-
 tura ejus idearum. Deinde mentem humanam
 hanc eandem potentiam statuo, non quatenus
 infinitam, et totam naturam percipientem;
 sed finitam, nempe quatenus tantum huma-
 num corpus percipit, et hæc ratione mentem
 humanam partem cujusdam infiniti intellectus
 statuo.

(2) Prop. 16 primæ partis.

(3) *Ibid.* prop. 18. (4) Prop. 33, *ibid.*

(1) Schol. ad prop. 20.

« invicem separari; at non quatenus substantia est corporea, eatenus enim (quia vacuum est impossibile) neque separatur neque dividitur. Porrò aqua, quatenus aqua, generatur et corrumpitur: at quatenus substantia, nec generatur nec corrumpitur. » Ex hisce valde manifestum est, Spinosam in unicâ suâ substantiâ partes reverâ agnoscere, quæ sint subjecta variarum actionum seu motus, seu cogitationis; alias quadratas, alias rotundas, alias motas in orientem, alias in occidentem; alias lætas alias tristes, etc., et in hoc solummodo dissentire ab aliis philosophis, quòd sermonem immutare velit, illasque partes modos appellare, propterea quòd illæ unicam ubique coherentem substantiam efficiant, et non sint à se invicem diversæ, nisi propter diversitatem modificationum et singularum existentiam. Sæpius ipse communi formæ loquendi sese accommodat, et in loco modò laudato scribit: « Quamvis hoc non esset, (id est, quamvis materia non esset indivisibilis et ex partibus conflaretur) nescio cur materia divinâ naturâ indigna esset, quandoquidem extra Deum nulla substantia dari potest, à quâ pateret..... Quare nullâ ratione dici potest substantiam extensam divinâ naturâ indignam esse, tametsi divisibilis supponatur, dummodo æterna infinita concedatur. »

SYSTEMATIS SPINOSE FUNDAMENTA. — Cùm nihil novi, præter voces, referat Spinosæ doctrina, videamus jam an attulerit aliquam atheismo suis rationibus auctoritatem: an non tota celebritas systematis orta sit ex principiorum obscuritate et illâ admiratione, quem in hominibus indoctis et levibus pariunt res reconditæ, et à vulgi intelligentiâ disjunctæ. Certè Spinosæ principia, quæ per se clara esse deberent, adeò sunt involuta, ut nullâ aliâ ratione possimus illa exponere, quàm explicari solent arcanæ notæ et verba quædam minùs usitata linguæ alicujus, uti dicitur, mortuæ: videlicet comparando loca variâ, in quibus eadem verba usurpantur, sicut sensum ex concordantibus locis exprimendo. Hoc ergo modo rem tentemus.

Definitiones. — Prima: « Per causam ut intelligo id, cujus essentia involvit existentiam, sive id, cujus natura non potest concipi, nisi existens. »

Satis ineptum est definire causam sui, quæ nulla est: ens necessarium non nisi valde improprie sic dici potest.

Secunda: « Ea res dicitur in suo genere finita, quæ aliâ ejusdem naturæ terminari potest. Ex. gr., corpus dicitur finitum, quia aliud semper majus concipimus. Sic cogitatio aliâ cogitatione terminatur: at corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore. »

Ex hæc definitione sequitur, infinitum in suo genere esse id quod aliâ re ejusdem naturæ terminari non potest, seu de quo nulla res ejusdem naturæ negari potest. Et infinitum in omni genere erit illud, quod nullâ aliâ re cujuscumque naturæ terminari potest, seu, de quo nulla res negari potest. Ergo Deus, qui est illud infinitum in omni genere, est congeries omnium rerum. En universum systema in unicâ definitione. Deinde, quamvis illam vocem, *potest*, adjecerit Spinosâ ad fucum faciendum, illius tamen hic reverâ sensus est: « Ea res dicitur finita in suo genere, quæ aliâ ejusdem naturæ terminari, ut patet ex prop. 8; ex quâ definitione directè sequitur substantiam extensam et materialem esse infinitam, neque vi creatrice, quæ diversæ naturæ est, posse finiri. Certè hæc definitio planè absurda est, cùm finitum non definiatur per causam finitudinis, seu efficientem, seu formalem, et sit contraria communi hominum intelligentiæ. Nam concipimus corpus aliquod finitum esse, etiamsi nulla alia corpora existerent, aut etiam possent existere; et etiam ex alterâ parte concipimus rem infinitam, etiamsi res finita ejusdem naturæ genericæ existat: nempe concipimus intelligentiam seu cogitationem infinitam in Deo et finitam in mente humanâ.

Tertia: « Per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur: hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius à quo formari debeat. »

Hujus definitionis duplex sensus est: alius generalior, ut substantia sit id quod in se est et per se concipitur absque conceptu, seu subjecti cui inhæreat, seu causæ à qua producat. Alter sensus est minùs generalis, ut substantia sit id quod in se est et per se concipitur sine subjecto inhærensionis. Hic posterior est omnium philosophorum, juxta quem substantia aliâ potest esse creata, aliâ increata. Sed non est sensus Spinosæ: nam ad priorem sensum determinatur in propos. secundâ, et in cor. prop. quart. et in scholio ad prop. dec. In hæc ergo definitione, assumit substantiam esse ens necessarium et independens. Quæ positio universæ doctrinæ summa est. Imò falsa est hæc definitio, si substantia consideretur relativè ad

modos suos : nam substantia neque existere, nec concipi potest sine modis existendi; et per modos existendi cognoscitur, saltem à nobis, qui rerum essentias non habemus perspectas.

Quarta : « Per attributum intelligo id quod intellectus de substantiâ percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens. »

Difficilis est hujus definitionis sensus. Nam in definitione sextâ et propositione nonâ videtur distinguere attributum à substantiâ; cùm illud multiplex, hæc unica dicatur. At axiome primo et prop. quartâ et alibi attributum cum substantiâ confunditur : « Extra intellectum, » inquit, nihil datur præter substantias et affectiones, id est, modos. » Exemplis quibus utitur Spinoza, melius intelligitur, quid sit attributum, quàm ex ejus definitionibus. Extensio est attributum, cogitatio est attributum unice, quam admittit, substantiâ; aliaque infinita attributa esse supponit, quæ tamen nullibi explicat. Videbimus modò attributum in systemate Spinozæ non esse ens reale, sed abstractam mentis notionem.

Quinta : « Per modum intelligo substantiæ affectiones, sive id quod in alio est, per quod etiam concipitur. » Clariùs exprimitur hæc definitio prop. 13 : « Modi sine substantiâ nec esse nec concipi possunt; » et in scholio ad prop. 10 habet : « Per modificationem autem intelligo id quod in alio est, et cujus conceptus à conceptu rei, in quâ est, formatur. » Si exempla quidquam conferre possunt ad sensum Spinozæ pervidendum, nosce corpora omnia esse modos unice substantiæ quatenus extensæ, et mentes omnes esse modos ejusdem quatenus cogitantis; motum esse quoque modum corporis, id est, modum modi.

Manifestum est falsam esse definitionem sensu exposito : nam nedum modus, uti definitur à Spinozâ, sine substantiâ non possit concipi, contra substantiam non concipimus nisi per modos. Ex corporibus arripimus notionem substantiæ spiritualis. Et etiam motus, qui apud Spinosam est modus modi, non includitur in conceptu substantiæ corporeæ, sed est aliquid reale substantiæ corporeæ adjectum.

Sexta : « Per Deum intelligo ens absolutè infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam et infinitam essentiam exprimit. »

« Explicatio. Dico absolutè infinitum, non autem in suo genere; quidquid enim in suo genere tantum infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus; quod autem ab-

« solutè infinitum est, ad ejus essentiam pertinet quidquid essentiam exprimit et negationem nullam involvit. » Hæc definitio respondet aptissimè definitioni finiti supra traditæ, et ex utrâque sequitur ens infinitum esse collectionem omnium realitatum.

Septima : « Ea res libera dicitur, quæ ex solâ suæ naturæ necessitate existit, à se solâ determinatur (quamvis necessitate physicâ et cæcâ, ut prop. 17); necessaria autem, seu potius coacta, quæ ab alio determinatur, ad existendum et operandum certâ et determinatâ ratione. »

Singularis sanè libertas, quæ atomis Epicuri convenit!

Octava : « Per æternitatem intelligo ipsam existentiam quatenus ex solâ rei æternæ definitione necessariò sequi concipitur. »

« Explicatio. Talis enim existentia ut æterna veritas, sicut essentia concipitur, propterea que per durationem auct tempus explicari non potest, tametsi duratio principio et sine carere concipitur. » Est hæc definitio necessariæ existentiæ, non æternitatis, et ex eâ sequitur nullâ esse decreta æterna, quæ necessaria non sint.

Axiomata. — Primum : *Omnia quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt.*

Verum est duplici sensu. 1^o Omnia quæ sunt, vel existunt in se et independentem ab alio, vel in alio, id est, dependentem à virtute alterius. 2^o Omnia quæ sunt, vel sunt in se, id est, sunt subjecta, vel in alio, id est, sunt qualitates subjecto inhærentes. Sed falsum est tertio sensu, si intelligas omnia quæ sunt esse in se et independentia, vel in alio, id est, esse qualitates subjecto independenti inhærentes; et hic obscurior sensus, est sensus Spinozæ. Ex quo sequitur nihil existere præter substantiam in se et independentem, atque ejus modos.

Secundum : *Id quod per aliud non potest concipi, per se concipi debet.*

Ambiguitatem habet propter voces *per se*. Etsi non concipiamus quomodò materia creata sit, tamen non debet concipi ut increata.

Tertium : *Ex datâ causâ determinatâ necessariò sequitur effectus : et contra, si nulla datur determinata causa, impossibile est ut effectus sequatur.*

Ambiguum est. Verum quidem, ubi agitur de causis necessariis vel actualibus; falsum, si transferatur ad causas liberas et potentiales. Hisce existentibus non necessariò sequitur effectus, sed est solummodò *possibilis*.

Quartum : *Effectus cognitio à cognitione causæ dependet et eandem involvit.*

Ambiguum est. Imò verò, effectus formaliter, ut aiunt, spectatus, involvit cognitionem causæ suæ, quia duo correlata sunt simul cognitione : non verò effectus materialiter spectatus. At prop. sextâ, et prop. 25, hoc sensu generali sumitur et concluditur mundum non posse esse creatum, si ejus conceptio non involvat conceptionem Dei. Ex hoc axioma conjuncto cum definitione sextâ concluditur omnes effectus, cum per causam suam concipiuntur, esse modos causæ suæ.

Quintum : *Quæ nihil commune inter se invicem habent, etiam per se invicem intelligi non possunt, sive conceptus unius alterius conceptum non involvit.*

Ambiguum est ; verum, si intelligas communitatem relationis et naturæ genericæ : qualem admittimus inter mentem omnipotentem et res creatas. Falsum verò est, si intelligas communitatem naturæ specificæ. Nam etsi causæ et effectus non sit eadem specifica natura, v. g., intelligentiæ et mundi, tamen ex ordine mundi intelligentiæ colligo existentiam. Quamvis corporum translatio sit diversæ naturæ à vi motrice, ex corporum tamen translatione colligo existentiam vis motricis.

Sextum : *Idea vera debet cum suo ideato convenire.*

Falsum est eo sensu, quo illud interpretatur Spinoza, sed ad rem nostram non pertinet fallaciam aperire.

Septimum : *Quidquid ut non existens potest concipi, ejus essentia non involvit existentiam.*

PROPOSITIONES. — Prima : « Substantia prior est naturâ suis affectionibus. Demonstratio patet ex definitione tertiâ et quintâ. »

Substantia neque esse, neque concipi potest sine modo existendi ; ergo non est prior naturâ modo suo.

Secunda : « Duæ substantiæ diversa habentes attributa nihil inter se commune habent. »

« Demonstratio patet ex definitione tertiâ. Unaquæque enim debet esse et per se concipi, sive conceptus unius conceptum alterius non involvit. »

In falsâ vel captiosâ definitione non potest poni nisi falsa vel captiosa propositio. Sensus hic est : Deus et materia si essent duæ substantiæ diversa habentes attributa, uti vulgò putatur, nihil inter se commune haberent, id est, ut modò videbimus, una alterius causa

esse non posset. Nos verò ex aliâ parte dicimus duas substantias diversa habentes attributa habere communem relationem causæ et effectus, et posse unam per aliam concipi, causam per effectum, creatorem per creaturam.

Tertia : « Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest. »

« Demonstratio. Si nihil commune cum se invicem habent, ergo per axioma quintum nec per se invicem intelligi possunt, adedque per axioma quartum una alterius causa esse non potest. »

Axioma quartum et quintum captiosa sunt, ut supra diximus : ergo et hæc propositio. Nihil commune est inter tremorem nervorum optico-um et visionem, aut quemvis alium motum in sensuum organis et sensationes : unum tamen alterius causa est, vel moralis seu occasionalis, vel physica. Nihil commune est inter vim motricem, vel volitionem mentis et membrorum motum, experimur tamen hunc motum esse earum causarum effectum. Sic quamvis inter corpora et vim creatricem nihil commune concipiam, cum cogito eorum attributa, tamen hanc illorum causam esse intelligo. Imò idem admittendum est in ipso Spinosæ systemate, in quo natura naturata, ad quam juxta Spinosam pertinent omnia corpora et omnis intellectus, seu finitus, seu infinitus, producit à naturâ naturante, quæ non majorem habet analogiam cum naturâ naturatâ, quàm canis signum cœlestis, et canis animal latrans. Scilicet Spinoza in naturâ naturante nihil concipit, præter vim cæcam procreatricem omnium modorum corporeorum et spiritualium, finitorum et infinitorum, mentium humanarum et intellectus divini. Hæret ergo in iisdem difficultatibus quas nobis objicit.

Quarta : « Duæ aut plures res distinctæ, vel inter se distinguuntur ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum. »

« Demonstratio. Omnia quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt, per axioma primum : hoc est, per definitionem tertiâ et quintam extra intellectum nihil datur præter substantias, earundemque affectiones ; nihil ergo extra intellectum datur per quod plures res distingui possunt præter substantias (sive quod idem est per definitionem quartam) earum attributa, earumque affectiones. »

Falsa est hæc propositio, quia manifestum est res non tantum distingui per diversitatem attributorum et affectionum, sed etiam per se-

paratam existentiam : circulus A et circulus B, eo ipso quod separatim existant, diversi sunt. Ipsius spatii et temporis partes, quamvis similitudine, habent tamen distinctam existentiam : et sine dubio in Spinosæ unicâ substantiâ infinitè extensâ partes admittendæ sunt distinctæ et diversæ, nisi commune loquendi formam et communem sensum quis aspernari velit.

Quinta : « In rerum naturâ non possunt dari duæ aut plures substantiæ ejusdem naturæ sive attributi. »

« Demonstratio. Si darentur plures distinctæ, deberent inter se distingui, vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum, per propositionem quartam. Non ex diversitate attributorum, quia supponuntur ejusdem esse naturæ sive attributi. At si ex diversitate affectionum tantum distinguuntur, cum substantiâ sit prior suis affectionibus per propositionem primam, depositis ergo affectionibus et in se considerata, hoc est, per definitionem tertiam et quartam, verè considerata, non poterit concipi ab aliâ distingui : hoc est, per propositionem præcedentem non poterunt dari plures, sed tantum una. »

Hæc propositio in priori posita est ; confundit Spinosæ notiones maximè communes, seu potius formam loquendi mutat ; eas res solummodo distinctas esse vult, quæ habent diversam essentiam ; cum alii omnes illas distinguunt, quæ habent diversam existentiam.

Sexta : « Una substantia non potest produci ab aliâ substantiâ. »

« Demonstratio. In rerum naturâ non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi, per propositionem præcedentem, hoc est, per propositionem secundam, quæ aliquid inter se commune habent. Adeoque per propositionem tertiam una alterius causa esse nequit, sive una ab aliâ produci nequit. »

Propositio hæc deducitur ex tribus falsis propositionibus : et eadem est vanitas sequentium omnium.

Septima : « Ad naturam substantiæ pertinet existere. »

« Demonstratio. Substantia non potest produci ab aliâ, per propositionem præcedentem ; erit itaque causa sui, id est, per definitionem primam, ipsius essentia involvit necessariò existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere. »

Octava : « Omnis substantia est necessariò infinita. »

« Demonstratio. Substantia unius attributi, non nisi unica existit, per propositionem quintam ; ad ipsius naturam pertinet existere, per propositionem septimam : erit ergo ipsius natura vel finita vel infinita. At non finita, nam per definitionem secundam debet terminari ab aliâ ejusdem naturæ, quæ etiam necessariò debet existere, per propositionem septimam. Adeoque darentur duæ substantiæ ejusdem attributi : quod est absurdum, per propositionem quintam. Existit ergo infinita. »

Nonna : « Quò plus realitatis aut esse unaquæque res habet, eò plura attributa ipsi competunt. »

« Demonstratio patet ex definitione quartâ. »

Decima : « Unumquodque unius substantiæ attributum per se concipi debet. »

« Demonstratio. Attributum est id quod intellectus de substantiâ percipit tanquam ejus essentiam constituens per definitionem quartam. Adeoque per definitionem tertiam per se concipi debet. »

Hanc propositionem addidit Spinosæ, ut obviam iret Cartesii argumento, in quo ex diversitate conceptuum, quibus extensio et cogitatio apprehenduntur, concluditur rem extensam et rem cogitantem esse entia diversa : cumque illam ponat in duabus definitionibus pro lubitu conflictis, manifestum est hic esse petitionem principii. Si stemus definitioni substantiæ traditæ à Spinosâ, sequetur extensionem esse substantiam, quia per se concipitur : et juxta axioma quintum has substantias nihil commune inter se habere, quia *conceptus unius conceptum alterius non involvit*.

Undecima : « Deus sive substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam et infinitam essentiam exprimit, necessariò existit. »

« Demonstratio. Si negas, concipe, si fieri potest, Deum non existere. Ergo per axioma septimum ejus essentia non involvit existentiam. Atqui hoc per propositionem septimam est absurdum. Ergo Deus necessariò existit. »

Duodecima : « Nullum substantiæ attributum potest verè concipi, ex quo sequatur substantiam posse dividi. »

« Demonstratio. Partes enim in quas substantia, sic concepta, divideretur, vel naturam substantiæ retinebunt, vel non. Si

« primum, tum per propositionem octavam
 « unaquæque pars debet esse infinita, et per
 « propositionem sextam causa sui, et per pro-
 « positionem quintam constare debet ex diverso
 « attributo, adeoque ex unâ substantiâ plures
 « consutui poterunt, quod per propositionem
 « sextam est absurdum. Adde quòd partes per
 « propositionem secundam nihil commune cum
 « suo toto haberent, et totum per definitionem
 « quartam et propositionem decimam absque
 « suis partibus, et esse et concipi posset, quod
 « absurdum esse nemo dubitare poterit. Si au-
 « tem secundum ponatur, quòd scilicet partes
 « naturam substantiæ non retinebunt: èrgo
 « cum tota substantia in æquales partes esset
 « divisa, naturam substantiæ amitteret et esse
 « desineret; quod per propositionem septimam
 « est absurdum. »

Decima tertia: « Substantia absolutè infinita
 « est indivisibilis. »

Demonstratio eadem est quæ propositionis
 duodecimæ. Addit: « Ex his sequitur, nullam
 « substantiam corpoream, quatenus substantia
 « est, esse divisibilem. »

Decima quarta: « Præter Deum nulla dari,
 « neque concipi potest substantia. »

« Demonstratio. Cùm Deus sit ens absolutè
 « infinitum, de quo nullum attributum, quod
 « essentiam substantiæ exprimit, negari po-
 « test per definitionem sextam, isque necessa-
 « riò existat per propositionem undecimam:
 « si aliqua substantia præter Deum daretur,
 « ea explicari deberet per aliquod attributum
 « Dei, sicque dux substantiæ ejusdem attributi
 « existerent, quod per propositionem quintam
 « est absurdum; adeoque nulla substantia ex-
 « tra Deum dari potest, et consequenter concipi
 «; nam si posset concipi, deberet necessa-
 « riò concipi ut existens. Atqui hoc per primam
 « partem hujus demonstrationis est absurdum.
 « Ergo extra Deum nulla dari, neque concipi
 « potest substantia. »

Pergit: « Hinc clarissimè sequitur 4^o Deum
 « esse unicum; hoc est per definitionem sex-
 « tam, in rerum naturâ nonnisi unam sub-
 « stantiam dari, eamque absolutè infinitam esse.
 « Sequitur 2^o rem extensam et rem cogitan-
 « tem, vel Dei attributa esse, vel per axioma
 « primum affectiones attributorum Dei. »

Decima sexta: « Ex necessitate diviniæ na-
 « turæ, infinita infinitis modis, hoc est omnia
 « quæ sub intellectum infinitum cadere pos-
 « sunt, sequi debent. »

« Demonstratio. Hæc propositio unicuique

« manifesta esse debet, si modò ad hoc atten-
 « dat, quòd datâ cujuscumque rei definitione
 « plures proprietates concludit, quæ reverà ex
 « eâdem (hoc est, ipsâ rei essentiâ) necessariò
 « sequuntur, et eò plures, quò plus realitatis
 « rei definitio exprimit, hoc est quò plus rea-
 « litatis rei definitæ essentia involvit. Cùm
 « autem natura divina infinita absolutè attri-
 « buta habeat, per definitionem sextam, quo-
 « rum etiam unumquodque infinitam essen-
 « tiam in suo genere exprimit, ex ejusdem
 « ergo necessitate infinita infinitis modis (hoc
 « est, omnia quæ sub intellectum infinitum
 « cadere possunt), necessariò sequi debent. »

Omnia hic assumit Spinoza sine ullâ proba-
 tionem.

Vigesima nona: « In rerum naturâ nullum
 « datur contingens; sed omnia ex necessitate
 « diviniæ naturæ determinata sunt ad certo
 « modo existendum et operandum. »

CONFUTATIO SYSTEMATIS SPINOSÆ. — Revocari
 potest Spinosæ doctrina ad propositiones tres.
 Prima est unicam existere substantiam, exten-
 sam et cogitantem, ex cujus naturali vi et ef-
 ficientiâ, sed cæcâ et brutâ, omnia intrâ se
 produciuntur necessariò, ita ut nihil detur
 contingens, sed omnia determinata sint ex ne-
 cessitate naturali ad certo modo existendum
 et operandum. Secunda est, hanc substantiam
 unicam nullas habere partes et esse planè in-
 divisibilem et immutabilem. Tertia est, hanc
 substantiam esse summè perfectam, quòd conti-
 neat omnem realitatem, omnes modos entis.
 Prima propositio continet doctrinam omnium
 atheorum, et directè confutatur omnibus ar-
 gumentis, seu moralibus, seu physicis, seu
 metaphysicis, quæ hætenus explicata sunt.
 Confutabitur etiam in sequentibus hujus ope-
 ris partibus, speciatim verò, in articulis de
Immensitate Dei, ubi ostendemus extensionem
 et cogitationem in eodem subjecto consistere
 non posse; de *Libertate Dei*, ubi conficiemus
 omnia in rerum universitate esse arbitrariè
 constituta; de *Attributis Dei moralibus*, quæ
 cum necessitate illâ ferreâ et cæcâ existere
 nequeunt; et ubi de *Libertate hominis et lege
 naturali*.

Secunda et tertia propositio formam la-
 quendi continent Spinosæ propriam, quam si
 ostenderimus non tantum esse abhorrentem à
 communi sermone, sed alienam ab omni ra-
 tione, erit certè Spinosæ systema ex omni parte
 confutatum.

PROPOSITIO PRIMA.

Unica Spinosæ substantia cogitans et extensa composita est ex partibus realiter distinctis, divisibilis est et mutabilis, et consequenter non est ens necessarium propter rationes in argumentis superioribus allatas.

PROBATIO. — 1^o Ut principiis Spinosæ utar : « Substantia est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius à quo formari debeat. » Atqui juxta eundem Spinosam cogitatio non indiget conceptu extensionis, à quo formari debeat, sed per se concipitur : sic quoque extensio non indiget conceptu cogitationis à quo formari debeat. Ergo extensio et cogitatio sunt duæ substantiæ. Imò hujusmodi attributa, quæ per se concipiuntur infinita agnoscit in Deo Spinosæ. Ergo vel falsa est substantiæ definitio, vel infinitæ sunt substantiæ.

Hanc objectionem in scholio ad propositionem decimam præoccupare voluit, ubi sic legimus : « Ex his apparet quòd, quamvis duo attributa realiter distincta concipiuntur, non possumus tamen inde concludere ipsa duo entia, sive duas substantias constituere. » Quidni? « Quia id est de naturâ substantiæ ut unumquodque ejus attributorum per se concipiatur, quandoquidem omnia, quæ habet, simul in ipsâ semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque realitatem seu esse substantiæ exprimit. » Hoc eòdem redit, ac si dixisset : Nolo agnoscere plures partes substantiales esse realiter distinctas, si simul semper conjunctæ fuerint, neque una fuerit ab aliâ producta, et unaquæque realitatem substantiæ exprimat. Potest certè Spinosæ rerum nomina mutare pro arbitrio, sed hæc mutatione existimare se novam doctrinam condere, eamque demonstrare, hominis delirantis est. In eodem scholio habet : « Si quis autem jam quærit, ex quo ergo signo diversitatem substantiarum poterimus agnoscere, legat sequentes propositiones, quæ ostendunt in rerum naturâ nonnisi unam substantiam existere, eamque absolutè infinitam esse, quapropter id signum frustra quaeretur. » Quod eòdem redit, ac si dixisset nullum haberi tale signum. Et reverà nullum aliud signum præter conceptum clarum realis distinctionis esse potest. Quod signum nunc admittere, nunc non admittere, hominis est ridiculè secum dissentientis.

2^o In illâ substantiâ sunt partes realiter distinctæ, ubi sunt modificationes contrariæ et repugnantes quæ in eadem parte esse ne-

queunt : v. g., si finita extensio A moveatur versùs orientem, et alia extensio finita B moveatur versùs occidentem, negat communis hominum intelligentia A esse B, quia tunc moveretur eodem tempore in contrarias partes, quod est absurdum. Atqui Spinosæ in Deo agnoscit modos ejusmodi infinitos, contrarios et incompatibiles. Ergo necesse est ut illos distribuât in partes diversas unicæ suæ substantiæ. Et reverà, quamvis placuerit Spinosæ varias partes substantiæ unicæ modos appellare, illis modis tribuit ea omnia quæ nos tribuimus partibus, separatam existentiam, efficientiam propriam, certas affectiones particulares seu modos, ut patet ex propositione 26 : « Quodcumque singulare, sive quævis res, quæ finita est et determinatam habet existentiam, non potest existere nec ad operandum determinari, nisi ad existendum et operandum determinetur ab aliâ causâ, quæ etiam finita est et determinatam habet existentiam, et rursùs hæc causa non potest existere, neque ad operandum determinari, nisi ab aliâ, quæ etiam finita est et determinatam habet existentiam, determinetur ad existendum et operandum, et sic in infinitum. » Et parte secundâ inter prævias definitiones hæc septima est : « Per res singulares, intelligi res quæ finitæ sunt et determinatam habent existentiam. Quòd si plura individua in unâ actione ita concurrant, ut omnia simul unius effectus sint causa, eadem omnia eatenus, ut unam rem singularem considero. » Et axioma quartum ibidem est : « Nos corpus quoddam multis modis affeclimus. » Ineptè ergo solummodò formam loquendi immutavit, dum partes substantiæ modos appellat, eosdemque contra communem sensum aliorum modorum subjecta efficit.

3^o Expendamus rationes, quibus Spinosæ substantiæ extensæ et modorum infinitâ varietate distinctæ indivisibilitatem confirmavit. Primò hujus indivisibilitatis hæc legitur demonstratio propos. 13 : « Si enim divisibilis esset, partes in quas divideretur, vel naturam substantiæ absolutè infinitæ retinebunt, vel non. Si primùm, dabuntur ergo plures substantiæ ejusdem naturæ, quod per propositionem quintam est absurdum. » Sed supra ostendimus propositionem quintam, in quâ hæc demonstratio ponitur, esse falsam. Secundò. In scholio ad eandem propositionem invenimus hanc aliam demonstrationem : « Quòd substantia sit indivisibilis, simplicius ex hoc

« solo intelligitur, quòd natura substantiæ non
 « potest concipi, nisi infinita; et quòd per
 « partem substantiæ nihil aliud potest intelligi
 « quàm substantia finita, quod per propositio-
 « nem octavam manifestam contradictionem
 « implicat. » Propositio quarta deducitur ex
 « propositionibus evidenter falsis et temerè as-
 « sumptis: fidenter adversari communi omnium
 « intelligentiæ, hoc apud Spinosam est demon-
 « strare. Tertio. In scholio ad propositionem 13
 « habet: « Non minùs absurdum est ponere,
 « quòd substantia corporea ex corporibus sive
 « partibus componatur, quàm quòd corpus ex
 « superficiebus, superficies ex lineis, lineæ
 « denique ex punctis componatur. » Quis hoc
 « concedet Spinosæ, non esse difficiliorem cogi-
 « tationem puncti mathematici, quàm corporis
 « solidi, aut non magis repugnare, ut substantia
 « corporea ex punctis inextensis, quàm ex par-
 « tibus extensis componatur. Quarto. Pergit ibi-
 « dem: « Atque hoc omnes, qui claram rationem
 « infallibilem esse sciunt, fateri debent, et
 « imprimis ii, qui negant dari vacuum. Nam
 « si substantia corporea ita posset dividi, ut
 « ejus partes realiter distinctæ essent, cur
 « ergo una pars non posset annihilari, manen-
 « tibus reliquis, ut ante, inter se connexis?
 « Et cur omnes ita aptari debent, ne detur
 « vacuum? Sanè rerum, quæ realiter ab invi-
 « cem distinctæ sunt, una sine aliâ esse et in
 « suo statu manere potest. Cùm igitur vacuum
 « in naturâ non detur, sed omnes partes ita
 « concurrere debent, ne detur vacuum, sequi-
 « tur hinc etiam easdem non posse realiter
 « distingui, hoc est, substantiam corpoream,
 « quatenùs substantia est, non posse dividi. »
 « Estne hominis prudentis ponere sententiam
 « tam abhorrentem à communi omnium intelli-
 « gentiâ in opinione tam incertâ et explosâ à
 « maximâ parte physicorum, qui sine vacuo mo-
 « tum existere non posse contendunt? Sed quid-
 « quid sit de hæc controversiâ, manifestum est
 « materiam tam esse partibus distinctam, in sy-
 « stemate Cartesii, qui vacuum negat, quàm in
 « systemate Newtoni vacuum admittentis, quia
 « in utroque corpora omnia, v. g., sol et luna
 « separatam habent et independentem à se mu-
 « tuo existentiam, nec magis identificantur per
 « interjectum æther, quàm per vacuum interpo-
 « situm. Quinto. Tandem omnes objectiones ibi-
 « dem sic præoccupat: « Si quis tamen jam quæ-
 « rat cur non ex naturâ ita propensi simus ad
 « dividendam quantitatem, ei respondeo, quòd
 « quantitas duobus modis à nobis concipitur,

« abstractè scilicet sive superficialiter, prout
 « nempe ipsam imaginamur; vel ut substantia,
 « quod à solo intellectu fit. Si itaque ad quan-
 « titatem attendamus, prout in imaginatione
 « est, quod sæpè et faciliùs à nobis fit, reperie-
 « tur finita, divisibilis et ex partibus conflata:
 « si autem ad ipsam, prout in intellectu est,
 « attendamus, et eam, quatenùs substantia est,
 « concipiamus, quod difficillimè fit, tum ut jam
 « satis demonstravimus, infinita, unica et in-
 « divisibilis reperietur. Quod omnibus, qui in-
 « ter imaginationem et intellectum distinguere
 « sciverint, satis manifestum erit; præcipuè
 « si ad hoc etiam attendatur, quòd materia
 « ubique eadem est, nec partes in eadem dis-
 « tinguntur, nisi quatenùs materiam diversi-
 « modè affectam esse concipimus, unde ejus
 « partes modaliter tantùm distinguuntur, non
 « autem realiter. Ex. gr., aquam, quatenùs
 « aqua est, dividi concipimus, ejusque partes
 « ab invicem separari; at non, quatenùs sub-
 « stantia est corporea: eatenùs enim neque
 « separatur, neque dividitur. Porrò aqua, qua-
 « tenùs aqua, generatur et corrumpitur; at
 « quatenùs substantia, nec generatur, nec cor-
 « rumpitur. » At vanissima est hæc distinctio:
 « nam substantia unica considerata per intelle-
 « ctum est pura abstractio mentalis nullum ha-
 « bens objectum reale. Substantia considerata
 « per intellectum est substantia sine modo exi-
 « stentiæ. Atqui substantia existere non potest
 « sine modo existendi. Seu quòd eòdem redit,
 « nullæ res existunt nisi res singulares, nullæ
 « cogitationes nisi singulares. nulli motus nisi
 « singulares, juxta propositionem 28 primæ par-
 « tis. Et juxta axioma 5 secundæ partis nullas
 « res singulares præter corpora et cogitandi mo-
 « dos percipimus, quæ omnia pertinent ad na-
 « turam naturatam juxta scholium propos. 29, et
 « concipiuntur per imaginationem. Quid ergo
 « erit natura naturans, quæ concipitur per in-
 « tellectum? An substantia sine modo et sine
 « attributis? Sed nulla talis esse nec concipi
 « potest. An substantia cum vi motrice vel vi
 « cogitandi? At juxta Spinosam propos. 28, jam
 « laudatâ, nulla est in unicâ suâ substantiâ facul-
 « tas, nihil præter actuales motus et cogitationes.
 « In scholio ad propos. 48, parte secundâ scribit:
 « Eodem modo demonstratur in mente nullam
 « dari facultatem absolutam intelligendi, cu-
 « piendi; unde sequitur has et similes faculta-
 « tes, vel prorsùs fictitias, vel nihil esse præter
 « entia metaphysica, sive universalia, quæ ex
 « particularibus formare solemus. » Natura ergo

naturans, quatenus distinguitur à naturâ naturatâ, est pura abstractio mentalis.

PROPOSITIO II. — *Substantia unica Spinosæ non est ens infinitè perfectum.*

PROBATIO. — 1^o Substantia unica Spinosæ vel diceretur infinitè perfecta, quatenus est naturans et concipitur per intellectum, vel quatenus est naturata et concipitur per imaginationem: sed neutrum dici potest. Natura naturans nullam habet facultatem, nullam vim, nullum modum, ut modò dictum est; nihil est aliud quàm abstracta idea substantiæ vel extensionis cum abstractâ ideâ cogitationis et virium, quæ actualiter tantum existunt in naturâ naturatâ. Atqui idea abstracta nullum habens objectum actuale non est certè ens infinitè perfectum, sed ens rationis. Neque natura naturata, quæ reverà sola actualiter existit, est ens infinitè perfectum. Nam Spinosæ in scholio ad propos. 15 docet extensionem corpoream non constare ex partibus, quia partes finitæ infinitum componere nequeunt. Atqui naturæ naturatæ modi sunt finiti. Ergo infinitum nequeunt constituere.

2^o Ens infinitè perfectum illud dicere solemus, quod habet omnes perfectiones in infinito gradu, scientiam, bonitatem, omnipotentiam, libertatem, imperium; quod nullas ex aliâ parte habet imperfectiones. Atqui juxta Spinosam unica substantia quovis modo consideretur non habet illas perfectiones, nisi nomine, ut patet ex superiori expositione: habet verò omnes imperfectiones corporum et spirituum, cum ex illis conficitur; in Deo existunt omnes figuræ motusque corporum; omnes sensationes etiam molestissimæ animorum, quas omnes imperfectiones à Deo non amovet Spinosæ nisi per vanissimam illam distinctionem naturæ naturantis et naturæ naturatæ; vel substantiæ conceptæ per intellectum et per imaginationem. Sed perfectò cum natura naturans, seu substantia concepta per intellectum, sit pura mentis abstractio, seu, ut ejus verbis utar, res factitia et ens metaphysicum ac universale, quod ex particularibus efformare solemus, si nullas habeat imperfectiones, nullas habebit etiam perfectiones.

Nihilominus Spinosæ omnibus fermè argumentis metaphysicis supra traditis utitur ad demonstrandam summam perfectionem suæ unicæ substantiæ per intellectum conceptæ, et in scholio ad propos. sic concludit: « Perfectio igitur rei existentiæ non tollit, sed contra

« ponit; imperfectio autem contra eandem
« tollit, adeoque de nullius rei existentiâ cer-
« tiores esse possumus, quàm de existentiâ
« entis absolutè infiniti seu perfecti, hoc est,
« Dei. Nam quandoquidem ejus essentia om-
« nem imperfectionem secludit, absolutamque
« perfectionem involvit, eo ipso omnem causam
« dubitandi de ipsius existentiâ tollit, summam-
« que de eadè certitudinem dat; quod me-
« diocriter attendenti perspicuum fore credo. »
Hæc pronuntiat de naturâ naturante, cui nul-
lum concedit, neque intellectum, neque vo-
luntatem, neque ullam omninò facultatem; et
ejus nomine, quatenus dividitur à naturâ na-
turatâ, nihil intelligere possumus præter ex-
tensionem infinitam, cui essentiæ loco tribuit
potentiam; nam hæc est propos. 34: « Dei po-
« tentia est ipsa ipsius essentia. » Cujus propo-
sitionis hanc singularem tradit demonstra-
tionem: « Ex solâ enim necessitate Dei essentiæ
« sequitur Deum esse causam sui, per propos.
« 11, et omnium rerum per propos. 16. Ergo
« potentia Dei, quâ ipse et omnia sunt et
« agunt, est ipsa ipsius essentia. » At quid
esse potest hæc potentia, quæ est causa Dei et
omnium rerum, quæ non est vis motrix, nec
vis cogitandi, nec ullo modo habet rationem
facultatis? Si ullus sensus tam obscuro ser-
moni tribuendus sit, dicendum erit Spinosam
per potentiam illam causam Dei et omnium
rerum intelligere necessitatem existendi, quam
scholastici plerique vocant gradum constitui-
vum divinæ essentiæ, et quam quidam meta-
physici antecedentem vocant, atque existentiæ
Dei causam formalem. Adeoque extensio nec-
cessaria considerata sine ullis aliis perfectio-
nibus erit ens infinitè perfectum. Hoc tueri, quid
aliud est quàm insanire?

Hæc natura naturans producit juxta Spi-
nosam naturam naturatam. Videamus, quo
sensu huic summa perfectio tribui possit, quo
modo naturæ hujus naturatæ accessione, una
natura effici possit perfectissima. Statuit pro-
pos. 16: « Ex necessitate divinæ naturæ, in-
« finita infinitis modis (hoc est, omnia quæ
« sub intellectum infinitum cadere possunt)
« sequi debent. » Cujus propositionis demon-
stratio supra descripta est; hæc summa est:
« Entis necessarij infinita realitas est. Ergo
« ex ejus naturâ infinita infinitis modis sequi
« debent: id est, sequi debent omnes affectio-
« nes possibles corporeæ et spirituales. »

Concedimus antecedentem propositionem.
Ens necessarium sine dubio habet infinitam

realitatem; continet formaliter omnes perfectiones, ut loquuntur scholastici, simpliciter simplices, et quæ sunt meliores ipsæ quàm non ipsæ, quæ nullam habent adjunctam imperfectionem, nec aliam perfectionem majorem aut æqualem excludunt. Continet etiam eminenter et virtualiter omnes perfectiones simplices, quæ non sunt meliores ipsæ, quàm non ipsæ, vel quæ imperfecti quidpiam habent adjunctum, vel opponuntur perfectionibus excellentioribus: has, inquam, continet cogitatione et potentiâ. Nullo alio modo evolvere ideam entis infinitè perfecti possumus, quàm accumulando ex unâ parte omnem veram perfectionem; et ex alterâ parte omnem imperfectionem et limitationem excludendo. Sed negamus ex infinitâ Dei realitate, infinita infinitis modis sequi ad sensum Spinosæ, ita ut de illo nihil negari possit. Nam 1^o Spinosæ de Deo suo quæmplurima negat et ea quæ maximam continent perfectionem, quæ nisi Deo negaret, inutile foret ei tribuere gradus entis finitos. Negat in Deo existere intelligentiam infinitam, sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, libertatem, etc., quas perfectiones cum Deo tribuamus, inutile est tribuere ideas, volitiones, vires humanas, et alios quosvis definitos gradus entis. 2^o Cùm Spinosæ nos jubet concipere ens perfectum, ut ens infinitum extensivè, non intensivè: loco unius entis ponit collectionem entium innumerabilium cum diversis et distinctis existentibus, quarum una non supponit aliam. Finge atomos Epicuri numero infinitas habere omnes istas perfectiones simplices corporum et mentium; unam esse quadratam, rotundam aliam, aliam triangularem, etc.; unam habere unum gradum velocitatis, aliam duos, aliam tres, etc., aliam lætam, aliam tristem, aliam justam, aliam injustam, etc. Quis enim mentis compos dixerit istam discordem multitudinem atomorum esse unum ens in genero perfectionis infinitum? 3^o Hæc idea entis infiniti extensivè habet omnes difficultates; quæ adjunctæ sunt extensioni infinitæ, tempori infinito, quæ longè majores sunt, quàm quæ adjunctæ sunt ideæ entis perfecti intensivè. 4^o Supra confecimus perfectiones simplices, seu modos mentium et corporum esse arbitrarios effectus causæ liberæ, neque esse posse modos necessarios entis à se existentis et immutabilis.

(ANNOTATIO, auctore P. S.)

Ad quatuor vulgò atheorum systemata referuntur, nempe 1^o Academicorum; 2^o Epicu-

reorum; 3^o Immaterialistarum; 4^o Spinosæ, seu Pantheistarum. Academici mundum esse æternum contendebant, quorum opiniones sufficienter exponit auctor et confutavit, supra in argum. quarto ex novitate mundi illato. Principia quædam contra epicureos in argumento quinto stabilivit idem auctor; non tamen systema eorum exposuit, nec satis directè curavit impugnare; de immaterialistis verò silet. Pantheismum denique ad Spinosæ theoriam suo tempore celebratam reduvisse videtur. Porrò, ut his aliquantisper suppleamus omissis, primùm adnotabimus duplici generali modo atheismam pestem prodire: 1^o Deum è medio rerum existentium tollendo, adeò ut mundus præsens sive necessariò ab æterno, sive fortuitò ab atomis existere dicatur; quod proprium est atheorum præsertim materialistarum; 2^o nihil præter Deum affirmando, seu quæcumque existentia Deum esse; hinc pantheismi nomen huic systemati tributum, quod figmentum immaterialistis solet arridere. Ad atheos Primi generis maxime pertinent Academici et Epicurei. Pantheismus verò sese formis prodit non paucis, quas tamen ad duas contrahi posse arbitramur: vel enim ens primum existit à quo cætera variis modis emanant, quod potissimum apud Indos, ac deinceps apud Gnosticos invaluit; vel quisque id admittere debet, nihil præter seipsum esse. Atque universitatem mundi sibi apparentis nonnisi suæ cogitationis phenomena exhibere, quod deliramentum apud hodiernos pantheistas frequentius obtinet. Spinosæ materialismum cum pantheisticâ opinione consociare intendit, cùm unicam substantiam extensam fingeret, ex quâ rerum deducit universitatem quasi per emanationem ideologicam, ut ita dicam, more geometrorum ad fucum argumentando; tantâ verò cum obscuritate, ut certè magis ille impius sui systematis moralis licentiâ effrenatâ nocuerit, quàm abstractâ atque inintelligibili theoriâ.

De systemate Spinosæ satis disseruit auctor. Pantheismi tum Indorum, tum Gnosticorum expositionem contractam vide in opere inscripto: *Précis de l'histoire de la Philosophie*, publié par les directeurs du collège de Juilly. Quoad hodiernos pantheistas, vid. ipsorum libros. Superest hic tum Epicuri, tum immaterialistarum exponere systemata, ut habentur apud D. Lafosse, in suis quas addidit tractatui de Deo, auctore Tournely, Annotationibus.

(Explicit annotatio P. S.)

Systema Epicuri.

Epicurus deos agnovit, sed molli seu potiùs turpi versantes in otio, orbis efformationi non præfere illi, nec illius conservationi invigilant, aut entium ex quibus componitur provident necessitatibus : ut autem sine inanum deorum operatione mundum efformet Epicurus, duo supponit necessariò et à se existentia, spatium scilicet immensum, id est, vacuum quoddam, æternum, infinitum, et inane; hoc primum.

Secundum est materia, non in unum quoddam compacta corpus omnibus sibi invicem adhærentibus partibus, sed per primas sui partes minutim divisa et secta; partes illas vocat atomos, quarum hæ sunt proprietates, æternitas, divisibilitas, figura, gravitas et motus. Atomus sunt æternæ quia necessariò existunt; sunt indivisibiles licet extensæ, ob perfectam duritiem quâ pollent; figuratæ sunt, singulæ autem suâ gaudent figurâ, aliæ enim sunt hamatæ, aliæ pyramidales, triangulares aliæ, etc.; sunt quoque graves atomi; porrò earum gravitas innata est propensio tendendi deorsùm, et in illis principium est intrinsecum motûs: jam verò motus duplex in atomis distinguitur: naturalis unus quo illæ feruntur deorsùm, alter fortuitus est, et *clinamen* appellatur, quo atomi deviantes à lineâ quâ perpendiculariter tendebant ad centrum, occurrerunt in invicem, et ob figurarum diversitatem sibi invicem adhæserunt.

His positis genesis mundi explicat Epicurus: Ferebantur atomi ab æterno deorsùm in spatio inani; fortuitò autem contigit quòd à rectâ declinantes viâ, in invicem impeerunt, sibi quæ adherentes ob diversitatem figurarum varia ex quibus resultat orbis efformaverunt corpora.

Sic autem illud systema specialiter confutatur.

1° Absurdum est illud spatium seu inane, necessarium, æternum, nullâ nisi trinâ dimensione et vacuo præditum perfectione: vel enim nihil est, et nihili nullæ sunt proprietates; evanescit ergo illud spatium: vel est aliquid, et tunc ens erit necessarium, cui ex demonstratis infinitæ competunt perfectiones. 2° Absurdum est atomos numero infinitas moveri in spatio licet infinito: agnoscit enim Epicurus sine vacuo impossibilem motum: sed atomi numero infinitæ prorsùs replent spatium etsi infinitum; ergo impossibilis fuit atomorum motus. 3° Absurdum est asserere ato-

mos fuisse motas deorsùm; nam in spatio infinito nulla datur circumferentia, nullum centrum; ergo in illo non est deorsùm aut sursùm. Deinde voces istæ, *deorsùm* et *sursùm* relativæ sunt ad personas loquentes, quodque deorsùm est respectu unius, respectu alterius sursùm erit; sit linea à puncto cæli uno producta usque ad oppositum cæli punctum, ratione nostri deorsùm tendet, sursùm verò ratione Antipodarum; somniavit ergo Epicurus dùm talia efflutiit. 4° Absurdum est agnoscere aliquam motûs determinationem in atomis: vel enim ab eodem puncto cunctæ intelliguntur procedere simul ad oppositum, vel à diversis punctis rectâ procedunt. Si primum, nulla est ratio, cur potiùs progrediantur simul atomi omnes ab uno spatii puncto, quàm à diversis et singulis spatii punctis singulæ moveri incipiant? cur, quæso, potiùs ab oriente progrediuntur, quàm ab occidente? Si secundum, jam nullatenus in invicem impingere possunt, quia non possunt sibi occurrere, sese collidere, nisi post emensum spatium infinitum; ergo, etc. 5° Absurdum est in atomis admittere clinaminis motum; is enim est contra materiæ ideam, et innatam atomis ex Epicuro gravitatem. Aliunde quæ illius causa erit? casus quid est? aut nihil, cujus nullus est effectus, aut aliquid ens; ergo datur ens à spatio et atomis distinctum; ergo datur Deus. 6° Absurdum est admittere atomos indivisibiles: vel enim extensæ sunt, vel inextensæ; si inextensæ, nusquàm ex pluribus atomis oriri poterit corpus extensum, ut demonstrant physici contra Zenonem: si extensæ, ergo ex partibus extra positis resultant; sed ubi intelliguntur partes extra partes positæ, jam concipitur possibilis divisibilitas; ergo atomi sunt verè divisibiles. 7° Absurdum est agnoscere atomos essentiali donatas motu; etenim constituuntur illæ ex partibus absolutè et perfectè quiescentibus; sed aut quiescent atomi, aut moventur illarum partes: nam illæ partes sunt materia ut atomi; ergo isdem ac atomi donantur proprietatibus; ac proinde aut summè divisibiles sunt, quin et sunt divisæ atomi, ratione jugis motûs quo donari debent illarum partes; aut plenè et perfectè quiescunt, et exurgere non potuit mundus. 8° Absurdum est asserere omnia in mundo ordinata esse fortuito casu, et sine priùs intento fine. Non oculus ad videndum formatus, non auris ad audiendum, non sol ad lucem emittendam et calorem, etc.; potuit evenire ut oculus locum

pedis, pes oculi locum occuparet, etc.; hæc et similia fateri, nonne est desperatam causam per absurda quæque tenere et defendere?

Sufficiant hæc ad refellendum Epicuri systema; fuit ille audacior et imprudens dum orbis formationem sine Deo voluit evolvere; satius illi fuisset silere, quam tot ac tanta congerere simul absurda. Verum animadvertamus hanc esse Atheismi sortem, ut ubi Deum negat, quo rationem existentiae et modi rerum magis conatur reddere, eò majora excogitare ac tueri tenetur absurda; unde etiamsi doctrina de Dei existentia nullis positivis probaretur momentis, nihilominus adhuc staret immota, expositione absurdorum quæ illius adversarii admittere coguntur.

Systema Immaterialistarum.

Immaterialistæ ii dicuntur qui materiam seu corpora existere negant, rati solis spiritibus posse existentiam competere. Si in hæc generali Immaterialismi notione consistas, certum est illud systema fuisse propugnatum à Georgio Berkeleyo collegii SS. Trinitatis Dublini socio, et deinde ad episcopatum Cloanensem à rege Britanniae majoris evecto, in opere quod adversus septicismum, atheismum, et irreligionem anglicè scripsit, cujus pars inscripta: *Dialogi Hiliam inter et Philonem*, etc., non ita pridem in gallicum sermonem translata est. Verum præposterè et immeritò is auctor à nullis ut atheus habitus est, qui contra ex *existentiæ materiæ et mundi in spiritibus*, ut loquitur, id est, ex ideâ præcellenti quam hujusce mundi aspectabilis et omnium ejus motuum et partium, connexionisque earundem habemus, necessariò et immediatè demonstrari ostendit entis supremi et infinitè perfecti et intelligentis existentiam, à quo solo ejusmodi idea nobis tribui potest. Imò verò Berkeleyus suam singularem doctrinam cum Scripturis sacris conciliare satagit, ipsique attribuit egregium aliquod opusculum adversus incredulos exaratum, quod inscribitur, *Alciphron*.

Nulla igitur hic cum Berkeleyo controversia nobis est. Sed fertur fuisse quosdam qui ut argumenta ex materiæ existentia et motu, et ex universi ordine petita, quibus atheismus penitus evertitur, declinarent, immaterialismum amplexi sunt, ac non alia entia præter spiritus existere statuerunt. Hos appellamus Immaterialistas Atheos, qui duplicis generis esse poterunt, nam aliis videri potuit se solos in rerum naturâ certò existentes ponere, adeò ut de suâ solâ existentia, de suâ solâ cogitatione aut vo-

litione, aut sensatione certò judicare possent, incerti verò essent de re aliâ quâlibet: aliis potuit magis placere dari mentes æternas, necessarias, à se invicem independentes, modificationibus necessariis et sibi necessariò succedentibus successivè instructas. Quocumque modo sumatur illud systema, facilitè refellitur.

1º Enim humana mens habet causam aut existit à se; si primum, hæc causa Deus erit, Deusque demonstrabitur. Si secundum, habet ergo omnes perfectiones quas enti necessariò competere supra demonstravimus; ergo illa, Deus est, et velut Deum sese exhibere poterit atheus immaterialista. 2º Humana mens desideris quibus succenditur, indigentiaè admonetur suæ; ergo non habet quidquid habere potest, quin necessariis et exoptatis ardentius caret; ac proinde finitudinis et paupertatis suæ conscia, non existere necessariò cognoscere debet, et sentit invita. 3º Mens humana varias experitur sensationes, nonnullas inquirat et advocat, plurimas excipit inexpectatas, et ex iis quot sunt quas incassum excutere et fugare tentat? iis detinetur et torquetur dolens; insuper quot sunt quas concupiscit, ad quas inhiat, quibus tamen frustratur? sed hæc sensationes, harum præsentia, duratio, natura, efficacia, arguunt existentiam entis ab animâ distincti dominatum supremum in eam exercentis; illius entis potentiam expendat, et perscrutetur naturam immaterialista, et Deum habebit. 4º Vel solum sensum intimum habet immaterialista atheus ut veritatis notam, nostrorumque regulam judiciorum, vel admittit insuper cognitionis claritatem seu evidentiam. Seligat ille; si primum, solus ergo existit immaterialista atheus in rerum naturâ, in unico præsentis instanti, cum unicâ actuali modificatione, cujus ortum, durationem, sicut suum ortum suamque propriam durationem ignorat; sensus enim intimus non est nisi de iis quæ actu et in præsentis intrinsicè afficiunt. Si secundum, jam mentes numero infinitas, necessarias, independentes et æternas admittit, aliunde tamen eadem mentes nullum servavere de suâ æternitate vestigium, se in constanti vivere dependentiâ experiantur, ad bona exteriora jugiter anhelant, perpetuâ deluduntur entis extrinseci operatione: prorsus infelices nec dolorem vitare, nec explere desideria queunt; non sunt ergo entia necessaria, et undequaque ruit insulsum athei immaterialistæ systema. 5º Etiamsi supponi posset nulla existere corpora, non tamen immaterialistæ id-

circo declinare possent invictum quod ex dispositione et ordine partium mundi aspectabilis deducitur argumentum. Nam seu existat seu non existat materia, certissimum est ipsoque sensu intimo constat 1° dari ideam ejusmodi dispositionis, dari apparentias earum omnium quæ in mundo aspectabili veri philosophi esse credunt et demirantur; constat 2°, in ideâ illâ et apparentiis universi summam clucere sapientiam et eam quidem sapientiam quæ mentis nostræ intelligentiam longè superet; constat 3°, nos ejusmodi ideâ et apparentiis etiam invitos affici, ac proinde nos non esse ejusmodi ideæ et apparentiarum causam. Ergo agnoscenda est causa nobis superior, et à quâ pendeamus, quæ ejusmodi ideam et rerum apparentiam in nobis producat, cuique summa intelligentia et potentia tribuenda sit; hæc autem causa est Deus; ergo. 6° Omnia argumenta metaphysica ex ideâ Dei et entis necessarii desumpta quibus evicimus Deum existere, non declinat immaterialista atheus, dum rerum sensibilem existentiam admittere renuit. 7° Etiam abstrahendo à veracitate Dei, satis firma habentur existentia corporum argumenta, ut à nemine prudenter ejusmodi existentia negari possit. Id enim negare imprudens est et stultum, quod omnia suadent et astruunt, à quo admittendo nihil deterret, et ad quod judicandum invincibiliter inclinamur: atqui sic se habet corporum existentia, etiam ubi à Dei veracitate abstrahitur. 1° Hanc existentiam omnia suadent et astruunt, nempe testimonium sensuum constans et uniforme, omnes sensationes sensationumque relationes, omnes rerum ac personarum quibus circumdamur apparentiæ. 2° Nihil nos ab admittendâ corporum existentia avertit et deterret; fatendum quidem reipsâ aliquando dari in nobis impressiones sensationibus prorsus similes, licet extra nos objectum ejusmodi sensationum non existat; sed tunc neque testimonium sensuum uniforme est, neque sensationes sunt constantes, neque habent pro objecto mundum aspectabilem, aut corpora generatim, sed ali-quod duntaxat in particulari determinatum corpus; ergo ab admittendâ existentia corporum quibus rerum universitas constat, nihil mentem avocet et deterret. 3° Invincibiliter inclinamur ad judicandum existere corpora; testem hic experientiam appellamus: nemo non experitur se non posse constanter temperare se ab hoc judicio: Corpora aliqua existunt; ergo, etc.

Dices: Non sumus certi existere corpora, nec illam probare conantur existentiam philosophi, nisi suppositâ Dei existentia; ergo, etc. — Respondeo 1°, Immaterialistarum atheorum systema à nobis fuisse confutum multis argumentis à corporum existentia non petitis, ac proinde, etc. 2° Falsum est videri philosophis incertam esse corporum existentiam, nisi Deus summè verax omnibus præesse ponatur. Enimverò sentiunt quidem non nisi suppositâ Dei existentia posse haberi hujusce veritatis demonstrationes metaphysicè certas; sed nemo eorum est qui non agnoscat tot esse ut divinus, corporum existentia: indicia etiam abstrahendo ab existentia Dei, ut nonnisi stultè in dubium revocari possit. Et verò sensationes sensationumque relationes non producantur ab animâ ipsâ, siquidem eas etiam invita patitur, multæque sunt ingratae et injucundæ quas spontè non suscipit; ergo vel oriuntur à corporibus, et tunc existit materia; vel eas imprimit nobis ens aliquod spirituale et præpotens, cujus proinde natura debet esse optima, rectaque voluntas; uno verbo Deus erit qui nos deludere non potest, siquæ et Deus et corpora agnosci debent: vel ortum ducunt illæ sensationes ab animâ ipsâ; sed istud repugnat: non enim eas spontè suscipit mens, cum multoties eas ingratas ac injucundas experitur invita; non eæ quoque necessariò è naturâ animæ pullulant; neque anima si existens à se intelligatur, dici potest dolori, illusioni nata et infelicitati. Restat ergo ut immaterialista atheus respondeat se sensationum causam sicut et suæ existentia: nescire, hocque unum se scire quòd in momento præsentî existat et sentiat.

(Explicit citatio D. Lafosse.)

SECTIO SECUNDA.

De natura et attributis Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA DEI GENERATIM.

Solemus essentiam seu substantiam Dei ab ejus proprietatibus et attributis dividere, illamque cogitare, ut substratum aliquod, cui inhæreant proprietates tanquam accidentia in subjecto. Sed cum hujus substrati seu subjecti, non in rebus modò divinis, verùm ne in naturalibus quidem, quisquam sibi notionem distinctam fingere possit, vanè insultaretur de

ulâ disputatio, haud minùs ac si cæci de coloribus disserent. Per naturam igitur Dei hic intelligimus complexionem divinarum perfectionum, sive attributorum, sive proprietatum, per quas reverà nobis innotescit. Tolle ab ideâ Dei necessitatem existendi, æternitatem, immensitatem, immutabilitatem, intelligentiam, bonitatem, potentiam; omnem ejus naturam sustulisti: sicut si tollas à materiâ extensionem, soliditatem, divisibilitatem, mobilitatem, nescio an relinquetur idea ullius rei, quam vocare possis essentiam materiæ. Sub hoc igitur titulo instituemus solummodò quæstiones tres: 1^o An et quomodò Dei natura et perfectiones cognosci à nobis possint? 2^o An et quomodò divinæ perfectiones sint à se invicem distinctæ? 3^o An sit inter Dei attributa aliquod primum, à quo alia fluere concipiuntur; et quodnam illud sit? Quæstiones has, cum non magnam habeant utilitatem, valdè breviter concludemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An et quomodò natura Dei cognosci possit.

Triplex vulgò distinguitur cognitio: abstractiva nempe, quæ comparatur non ex rei ipsius contemplatione, sed ex ejus operationibus et effectibus: sic colligitur natura Dei ex admirabili mundi opificio; ad hanc etiam refertur cognitio ex ideis et revelatione. Intuitiva, quæ rem speculatur, ut in se est et immediatè: hanc speramus in alterâ vitâ. Comprehensive denique alia dicitur cognitio, quæ omnes rei alienius partes et rationes complectitur, totamque rei naturam interiùs perspicit et exhaustit. Omnis de intuitivâ Dei cognitione disputatio aliena est à nostro instituto: et de comprehensivâ Dei cognitione hoc solummodò dicendum habemus, quòd finitus mentibus non competat. Quippe cum Deus contineat infinitam realitatem, omnes rationales rerum essentias, omnem veritatem, non potest perfectè et comprehensivè cognosci, nisi cogitatione infinitâ, cujus capax creatura non est; quæ Dei, non creaturæ attributum est. Igitur pauca solummodò addemus de cognitione abstractivâ, quæ propria est præsentis statûs. Plures recentiores nimium videntur deprimere abstractivam hanc cognitionem: negant illam esse ullo modo veram scientiam, seu arripere posse nos ex rebus creatis, aut ex ipsâ revelatione ullam sinceram divinæ naturæ notitiam. Aiunt ejus attributa esse toto genere disjuncta ab illis perfectionibus, quarum formam habemus

in animis, et nos non debere illas attribuere Deo, sensu univoco, sed sensu tantum analogico; id est, debere nos cogitare, in Deo esse aliquid supra nostrum intellectum, quod respondeat aliquâ ratione istis nostris perfectionibus, quamvis cum illis non habeat veram similitudinem etiam genericam. In eadem sententiâ etiam plures veteres Christiani fuerunt, ut Boetius, qui scripsit « Deum non esse verè substantiam, sed ultra substantiam, » et auctor cœlestis Hierarchiæ, falsò nuncupatus Dionysius Areopagita, qui Dei sapientiam vocat « absurdam, irrationabilem et stultam sapientiam: quia est ultra omnem sapientiam et prudentiam. »

PROPOSITIO.

Cognitio abstractiva divinæ naturæ, quam habemus in hac mortali conditione, vera est et sincera: seu ex effectibus naturalibus, ex ideis menti nostræ congenitis, ex creaturarum perfectionibus apprehendimus perfectiones Dei, si non perfectè et quoad modum infinitum, saltem ut in se sunt et quoad speciem.

PROBATIO. — Nam 1^o nullo modo intelligitur quomodò perfectiones in Deo esse possint diversi generis et speciei à perfectionibus creaturarum. Scientia enim res una est et immutabiliter eadem in omnibus mentibus; verbi gratiâ, ratio convenientiæ inter tres angulos in triangulo et duos rectos, eadem est respectu omnium entium intelligentium; non enim hæc ratio contrahitur in hominis mente et amplificatur in divinâ, sed eadem in utraqûe est, quia æquè est necessaria et immutabilis ac ipse Deus. Sic etiam justitia res est constans et uniformis: est siquidem constans voluntas sequendi in agendo immutabilem rerum ordinem. Sicut igitur hic ordo rerum est regula uniformis, constans, flecti nescia, necesse est justitiam esse ejusdem generis in omnibus mentibus. Sic quoque benevolentia ejusdem generis et speciei est in Deo et homine: quid enim in quopiam ente esse potest, quàm voluntas benefaciendi vel felicitatem communicandi? Item de potentâ aliisque omnibus divinæ naturæ virtutibus dici potest.

2^o Si divinæ perfectiones essent diversi generis ab illis quas in creaturis deprehendimus, vel quas cogitando assequi possumus, ista nostra analogica, uti vocatur, cognitio, reverà non esset cognitio. Verbi gratiâ, tametsi possumus hominem à nativitate cæcum testimonio hominum et multiplici experientiâ convincere,

esse in hominibus aliis sensum quo ipse caret, visionis videlicet, quo illi corpora distantia apprehendere possunt; tamen ista ejus convictio et persuasio non potest dici cognitio visionis. Atqui analogica cognitio est prorsus ejusdem generis ac ista cognitio hominis cæci, quia divinæ perfectiones supponuntur toto genere disjunctæ à perfectionibus nobis cognitis, sicut facultas videndi dividitur naturâ ab aliis sensibus, quorum cæcus notitiam habet. Præterea quomodo in istâ Christianorum quorundam sententiâ homo factus est ad imaginem et similitudinem Dei? Hæc certè similitudo in nullâ re potest consistere quàm in similitudine perfectionum. Quomodo Deus proponi nobis posset in exemplum, quod debeamus imitari? Scriptum est: *Sitis imitatores Dei. Sitis misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est. Sitis perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* Si harum perfectionum nullam haberemus veram notionem, nostræ imitationis objectum esse non possent: nam ille qui imitando assequi aliquid conatur, debet id cognoscere quod imitatur. Cur etiam in Scripturis sacris hominum judicium appellat Deus circa suas agendi rationes, si ejus perfectionum moralium notionem nullam rectam habeamus? Cur ait apud Isaiam: *Habitatores Jerusalem et viri Juda, judicate inter me et vineam meam?* Cur apud Ezechielem: *Audite ergo, domus Israel: numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt?* Cur denique in iisdem Scripturis refertur viros sanctos divinarum perfectionum notiones sibi efformasse et judicasse quid Dei justitiæ conveniret, quid non conveniret? Cur Abraham sic cum Deo contendit: « Numquid perdes justum cum impio?..... Absit à te ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius: non est hoc tuum qui judicis omnem terram, nequaquam facies judicium hoc. » Cur Jeremias Dei nomine hæc præcipit: « Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientiâ suâ, et non gloriatur fortis in fortitudine suâ, et non gloriatur dives in divitiis suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nôsse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terrâ: hæc enim placent mihi, dicit Dominus? » In quo loco asseritur in eo positam esse omnem hominis gloriam, quod divinis perfectionibus cognoscendis par sit.

3^o Denique nulla ratio cogit nos hanc sim-

plicem et obviam divinæ naturæ explicationem deserere: et ad illam obscuram et tenebrosam rationem analogicam recurrere. Perfectiones quidem Dei sunt omnes necessariæ, æternæ, independentes, immutabiles, perfectæ, infinitæ; in creaturis verò sunt contingentes, temporariæ, dependentes, mutabiles, imperfectæ, finitæ. Sed denominationes istæ afficiunt solùmmodò modum et gradum perfectionum, non ipsam speciem. Nam primò quod existit dependenter, vel in tempore, vel mutabiliter, habet certè realem existentiam, sicut id quod necessarium est, independents et æternum. Cognitio vel potentia dependens et nova est tamen cognitio et potentia; non quidem cum istis adjunctis quæ efficiunt modum existendi in Deo, sed tamen ejusdem generis. Nam abstracta idea cognitionis et potentiæ, quæ genus constituit, tam potest applicari cognitioni et potentiæ dependenti et mutabili, quæ heri orta est et cras cessabit, quàm cognitioni et potentiæ independenti et immutabili, quæ nunquàm esse coepit neque interibit. Secundò, non differunt genere perfectum et imperfectum, sed gradu tantùm, secundùm majus et minus. Potentia perfecta est facultas quilibet efficiendi, seu potentia sine adjunctâ imbecillitate ullâ: potentia imperfecta est facultas quædam efficiendi. Sic scientia perfecta est perceptio omnium rerum possibilium et rationum omnium, quæ sunt inter res possibles, id est, scientia sine ignoratione; scientia imperfecta est cognitio aliquarum tantùm rerum, et quarundam tantùm rationum inter illas res: hæc sanè non genere sunt distincta, sed gradu. 3^o Denique non differunt genere infinitum et finitum: tum quia finitum et infinitum idem omninò sunt ac imperfectum et perfectum, quæ non differre genere modò diximus; tum etiam quia ubi dicimus Dei perfectiones scientiam et potentiam esse infinitas, hominis scientiam et potentiam esse finitas, supponimus esse similitudinem aliquam genericam: aliàs nullo modo utrasque possemus comparare. Nam si divinæ perfectiones essent toto genere disjunctæ à nostris, ut sonus à colore, non magis dicere possemus in Deo esse scientiam infinitam, quàm dicere possumus visionem esse sonum infinitum: hi termini igitur, finitum et infinitum, nedùm includant distinctionem in genere, è contrario applicari non possunt nisi rebus quæ habent hanc genericam similitudinem. Ergo cum informare animis volumus Dei distinctam ideam, hoc solùmmodò

cavendum est, ne defectus et limitationes, quæ modum finitum nostrarum perfectionum comitantur, illi tribuamus. Nostra cognitio, v. g., oritur ex sensatione, vel reflexâ cogitatione, vel ex discursu: non sic cognoscit Deus. Omnibus nostris affectibus adjuncta est perturbatio quædam, quæ à Deo omnino exulat, etc.

QUESTIO II.

An et quomodò attributa divina inter se distinguantur.

ncidimus hic in controversiam scholæ celeberrimam, quam omnino prætermittere nefas foret, tamen non tantam habere videtur utilitatem, ut in illâ expendendâ multum immoremur; et præterea ejus determinatio pendet ex interiori Dei essentiæ notitiâ, à quâ profectò longissimè distamus.

Duplicem scholasticè distinctionem esse docent: aliam realem, quæ intercedit etiam nemine cogitante inter entia realia; aliam rationis, quæ fit per mentem in re simplicissimâ. Distinctio realis triplex distinguitur: alia major dicitur, nempe quæ est inter diversas substantias, ut inter corpus et animam, vel inter ea quæ relativè opponuntur, ut inter tres personas sanctissimæ Trinitatis. Alia minor vocatur, quæ est inter rem et ejus modum: quæ ita inter se differunt, ut substantia sine isto modo esse possit, non vice versâ; ita corpus distinguitur à figurâ suâ. Alia denique formalis nuncupatur, quæ intercedit inter illa, quæ unam eandem habent existentiam, ut inter duas proprietates inseparabiles ejusdem substantiæ: quales sunt in Deo scientia et potentia. Distinctio rationis duplex: alia rationis ratiocinantis, quæ fit per mentem sine ullo in ipsâ re fundamento, et solûmmodò nascitur ex imbecillitate mentis, quæ totum objectum, licet simplicissimum, unicâ cogitatione complecti nequit. Alia dicitur rationis ratiocinatae, quæ non solûm fit per mentem ex imbecillitate, sed etiam quia est in re ipsâ spectatur, vocatur virtualis. Qui inter theologos scholæ Nominales olim dicti sunt, negabant aliam inter divina attributa distinctionem admittendam, præter distinctionem rationis ratiocinantis. Qui Thomistæ dicuntur, suam fecerunt distinctionem rationis ratiocinatae, seu virtualem. Scotistæ acriter defendunt distinctionem realem formalem. At reverâ duplex tantûm esse potest de hæc re sententiâ, neque ullo modò nisi nomine differunt Tho-

mistæ et Nominales. Nam eodem planè redit, si dicas cum his, ad eò esse imperfectam mentem humanam, ut non nisi sub diversis et inadæquatis formis Deum valcat assequi; an verò dicas cum Thomistis ad eò esse perfectum Deum, ut non nisi sub diversis et inadæquatis formis à mente possit intelligi. Utraque distinctio rationis ratiocinantis et rationis ratiocinatae eodem modo definitur apud utramque familiam: est distinctio mentalis rei in se simplicissimæ ratione connotati seu effectuum, quos aliquo modo respicit. Iisdem quoque exemplis familia utraque ad explicandam suam sententiam utitur. Commune est exemplum, virtus solis liquefactiva cereæ et indurativa lutii. Fundamentum legitimum distinguendi, quod admittunt Thomistæ, nihil aliud est quàm summa Dei perfectio, seu æquivalentia pluribus causis: quam perfectionem et æquivalentiam Gersonus et cæteri Nominales nunquàm negaverunt. Sed magis propriè loquentes dicebant causam distinctionis esse imbecillitatem ingenii humani, non summam Dei perfectionem; aliàs Deus ipse sua attributa cogitatione divideret.

Sententiâ quæ mentalem tantûm distinctionem admittit, eò quòd simplicitati divinæ magis faveat, majorem Deo perfectionem attribueri videtur. In hæc opinione Deus unico et simplicissimo actu omnia intelligit, vult, agit: omnes proprietates divinæ, quamvis nobis variæ videantur ac multæ, reapse tamen unum idemque sunt: non secûs atque solis lux, una licet sit et simplicissima, tamen si incidens in nubem frangatur, oculis nostris speciem præbet iridis variis distinctæ coloribus. At reverâ nobis, qui ex perfectionibus mentium creaturæ et variis ideis divinæ naturæ notionem informamus, omnino est incomprehensibilis hæc simplicitas, neque ex ullâ re argumentum pro simplicitate non intelligibili, cujus nulla extra Deum repræsentatio est, capere possumus: cùm Scotistis hæc argumenta sese offerant. Primò, perfectiones mentis divinæ et mentium humanarum sunt ejusdem generis, et tantûm differunt modo existendi et gradu. Sed perfectiones mentium humanarum sunt formaliter distinctæ; scientia in animo distinguitur formaliter à volitione et potentiâ. Deinde conceptuum diversitas unicum est criterium diversitatis entium; sic omnes res distinguimus: sed divina attributa diversimodè concipiuntur: scientia et vis creatrix res nobis tam distinctæ videntur, quàm circulus et

triangulum. Sicut varia de triangulo affirmare licet, quæ circulo non conveniunt, v. g., quòd trianguli capacitas sit minima omnium figurarum, circuli verò capacitas maxima; sic etiã contraria de scientiã et vi creatrice affirmamus. Scientia cuncta possibilis necessariò complectitur, et habet immutabile objectum; vis creatrix ad paucase extendit, etque mutabilia, nec necessaria. De hæc insolubili quæstione hæc sufficiant, de quã etsi longiorem institueremus disputationem, nihil ad clariorem rei intelligentiam afferre possemus.

QUÆSTIO III.

An sit inter attributa Dei aliquod primum à quo cætera fluere cogitemus, et quod sit quodammodo divinæ essentiae constitutum.

Circa quæstionem hanc tres sunt theologorum sententiæ. Thomistæ contendunt intelligentiam in Deo esse primum istud attributum constitutum divinæ essentiæ; sed inter ipsos lis est, utrum intellectio radicalis seu facultas intelligendi, an intellectio actualis, hoc nomine donanda sit. Scotistæ verò pro infinitate dicunt. Sed à theologis vulgò ad hunc honoris et dignitatis gradum præ cæteris omnibus perfectionibus effertur necessitas existendi.

PROPOSITIO.

Necessitas existendi, inter Dei attributa illud est, quod potiori jure dici debet gradus divinæ essentiae constitutus.

PROBATIO. — Nam illud attributum præ cæteris omnibus dici debet gradus divinæ essentiae constitutus, quod in Deo primum est, quod Deum à quovis alio maximè dividit, quod à nobis concipitur ut fons et origo cæterarum omnium perfectionum, ita ut possint ex illà à priori demonstrari. Atqui 1^o necessitas existendi est quid primum in Deo, nihil enim concipimus priusquam ipsum esse. Prius est esse, quam esse intelligens, quam esse infinitum. Illud attributum magis quam alia quævis perfectio, Deum dividit à quovis alio ente: nam entis divisio prima et maximè obvia atque generalis, illa est, entis per essentiam et entis per participationem; nullæ sunt res magis oppositæ quam res necessaria et res contingens, quæ se habent, ut ens et non ens. Quippe ens necessarium est ens simpliciter, ens verò contingens, dependens et precarium, est primordialiter tantum possibile seu non ens. Intellectio certè quam defendunt Thomi-

stæ non adeò dividit Deum et alia entia, cum istam perfectionem omnes mentes participant. Nec infinitas seu summa perfectio, cum sit quidam modus existendi, nunquam adeò disjunctus esse potest ab alio modo existendi, ac ipsa essentialis existentia Dei est à naturali, ut ipsa loquar, non entitate aliarum omnium rerum.

2^o Necessitas existendi adeò est fons et radix nostro concipiendi modo omnium perfectionum divinarum, ut ex illà omnes demonstrentur à priori. Hoc enim jam supra confestim, ubi probavimus existentiam entis perfectissimi ex necessitate existendi. Idem omnis sequens disputatio efficit, in quã singulas Dei perfectiones ex hoc principio derivatas fluere ostendimus. Hinc intelligitur quam consentiens veræ philosophiæ sit narratio instituta in Genesi, in quã scribitur Deum, quærenti Moysi, quis esset, et quod nomen haberet, respondisse, se esse ens per naturam, seu ens necessarium: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.*

ARTICULUS II.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS.

Attributa Dei in tres classes commodè tribui possunt: prima continebit illa attributa, quæ concipiuntur ut modi existendi entis necessarii, quæque ita pertinent ad substantiam à se existentem, ut nequeant communicari creaturis: ideò illa appellabimus attributa incommunicabilia: qualia sunt infinitas, æternitas, immensitas, immutabilitas, unitas. Secunda classis illa habebit, quæ concipiuntur, non ut modi entis necessarii simpliciter, sed ut modi entis viventis, vel ut facultates seu virtutes: talia sunt vita, scientia, voluntas, potentia, libertas, felicitas. Hæc attributa, quoniam participantur à creatis mentibus, dicemus attributa communicabilia. Tertia, illa denique complectetur, quæ habent habitudinem seu relationem cum lege æternã et immutabili, quæque propterea moralia dici possunt: qualia sunt sapientia, sanctitas, bonitas, justitia. Hæc verò attributa moralia cum sint exercitio ad extra attributorum secundæ classis, propriè pertinent ad disputationem de divinã providentiã, et propterea in subsequenti sectione de illis disseremus.

De attributis Dei incommunicabilibus.

De infinitate Dei. — Infinitum, si ad grammaticalem nominis potestatem attendere, vide-

tur esse quid merè negativum : carentiam enim termini ac finis sonat, et verè hunc habet sensum cùm applicatur abstractis notionibus rerum finitarum, ut temporis, extensionis, numerorum, velocitatis, etc. Finitæ naturæ et earum proprietates cùm absolutam et veram infinitatem assequi nunquàm possint et semper incrementorum capaces sint, earum magnitudo abstractè considerata, est negativè infinita, seu caret terminis. At infinitum philosophicè consideratum est aliquid maximè positivum, cùm nihil sit aliud quàm summa et absoluta perfectio.

Duo quæri possunt, an Deus sit infinitus seu summè perfectus? Et quomodò intelligenda est summa Dei perfectio? Utrique quæstioni jam satisfacimus: priori, in argumentis metaphysicis existentiae Dei, ubi ostendimus rem eam, quæ certis tantùm gaudet perfectionibus, non omnibus, aut finito quodam perfectionum modo et mensurâ, voluntate causæ effectricis ad illam finitam et arbitrariam amplitudinem determinatam esse: adèque naturam primam, quæ nullam agnoscit causam limitantem, habere omnes perfectiones. Posteriori quæstioni respondimus præsertim in disputatione de systemate Spinosæ, ex quâ colligitur, Deum eo sensu esse infinitum, quòd habeat formaliter omnes perfectiones puras et absolutas, quas scholastici vocant simpliciter simplices, id est, illas omnes, quæ nullam habent sibi adjunctam imperfectionem, nec ullam aliam excludunt perfectionem, qualis est, verbi gratiâ, scientia perfecta: quòd contineat tantùm virtualiter, id est, uti effectus est in causâ, perfectiones simplices, seu secundùm quid, quæ quidpiam imperfecti habent ex sese, aut alteri perfectioni seu æquali, seu majori opponuntur, quales sunt motus, figura, etc.

De aternitate Dei. — Sit aliquid ens necne, cui nec ortum, nec interitum tribuere possimus, et quod proinde æternum sit, nullus unquàm negavit. Sed cùm in tempore omnia quæ novimus successivè durare videantur, ejusdemque durationis notionem quamdam adjunctam habeat omnis mentis actio, aut passio, ardua et difficilis extitit quæstio de divinâ naturâ, an successivè duret. In diversas abièrte partes viri gravissimi in omni retrò antiquitate et etiam nunc in hac ætate nostrâ: alii statuunt naturam divinam simplicem et immutabilem, omnia semper eodem ac unico actu intelligentem et volentem, nullo modo successivè durare, nec ullam temporis continuationem

sibi adjunctam habere. Deus juxta hos ipsius temporis omniumque temporalium parens, nec fluit, nec labitur; sed in constanti stabilitate suâ labentem omnium temporum seriem, idque quod nos mortales tempus præteritum, præsens et futurum nominamus, simul cōnect. Negant tamen hanc stantem æternitatem: concipi debere ut breve quoddam temporis momentum, quod consistit, vel informandam esse illius ideam ex rerum mutabilitum duratione. Habet quæque res pro suâ indole et naturâ durationem propriam; ideòque rerum quarum imperfecta natura fluminis instar decurrit, perpetuisque motibus et vicissitudinibus agitur, duratio necessariò succedens est, præteriens, et fluens: hæc naturæ perpetuò ex præterito tempore in presens descendunt, semper futurum spectant, semper denique eventurum esse aliquid, quod nondùm adest, sed appropinquat, vel sperant, vel metuunt. Verùm id quod stabilis gaudet et immobilis naturâ, ejus quoque duratio stabilis, nullique fluxui obnoxia esse debet; nunquàm illud, ejus quod possidet, amittit aliquid vel relinquit; nunquàm, ut consequatur aliquid, ejus nondùm compos est, procedere pergit. Plato (1) olim et tota ejus familia, alique maximi nominis apud antiquiores in hac fuèrè opinione: inter quos Boëtius, cujus maximè probata est æternitatis definitio. Est juxta eum, et inter-
« minabilis vitæ tota simul et perfecta possessio. »

Alii contra, illique gravissimi viri, de religione etiam optimè meriti, hanc non capientes sententiam, nimix illam subtilitatis arguunt et rotundè statuunt æternitatem esse durationem successivam seu tempus infinitum. In hac difficili quæstione, quæ humani ingenii vires longè superat, vix quidquam satis exploratum possumus affirmare, præter hoc solum, esse ens ortu et fine carens, quod primâ propositione breviter confirmabimus. Et cùm verisimilior videatur, et auctoritate magnorum virorum magis confirmata sententia prior, etsi

(1) *Erat, est et erit*, partes sunt temporis, et malè illa transferimus ad æternam naturam; huic est tantùm competit; *erat* verò et *erit* pertinent solummodò ad res in tempore fluentes, sunt enim motiones. Illa semper immobilis natura nec senior, nec junior ullo modo esse potest. In Timæo p. 57. Vide Philonem Judæum, Proclum, Plotinum, Simplicium, Plutarchum. Hanc quoque opinionem secuti sunt plerique Ecclesiæ Patres et omnes fermè scholastici.

concepta difficilior, illam etiam paucis adstruere conabimur.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus est ens æternum, seu principio et fine caret.

PROBATIO. — 1^o Deus est ens necessarium, seu internâ necessitate existit, seu necesse est Deum existere. Atqui quod necesse est existere, id nunquam non fuit et nunquam non futurum est. 2^o Deus si non sit æternus, aliquando habuit initium. Atqui habere initium non potuit. A quo etenim? Non ab alio, cum sit ens primum. Non à seipso; nulla res sibi dare potest existentiam, cum rei non existentis nulla virtus, nulla efficacia sit. 3^o Id pro vero habendum est, in quo omnes consentiunt. Atqui, ut Boetius notat l. 5 de Consol. phil. prosâ 6: « Deum æternum esse cunctorum ratione utentium commune iudicium est. » Et Cicero etiam observavit, « naturam, quæ Deorum « informationem nobis dedit, eandem menti « nostræ indidisse, Deos esse beatos et æter- « nos. »

PROPOSITIO II.

Æternitas Dei non est duratio successiva sine principio et fine, seu tempus infinitum.

PROBATIO. — 1^o Si æternitas sit successio infinita momentorum semper fluentium, seu tempus infinitum, duo contradictoria affirmari possunt, videlicet infinita secula jam esse præterita. Infinita præterierunt ex hypothesi, nam tempus infinitum supponitur. Præterita tamen secula nullo modo sunt infinita, nam illorum numerus novis advenientibus seculis perpetuò augetur; et illud tantum infinitum est, cui addi nihil potest. Sic etiam affirmari potest ab origine divinâ nativitatem hominis esse infinitè distantem et non esse. Erit enim infinitè distans ex hypothesi, cum intercedant infinita secula. Non erit profectò: nam illa omnis duratio, quæ est præterita, fuit aliquando præsens, aliâs non esset præterita; sed quod præsens fuit non potest à nobis intervallo infinito distare; numero potest designari aliquo distantia, uti manifestum est. 2^o Duplex æternitatis pars distingui potest: illa quæ jam præterita est, quæ dicitur æternitas à parte ante: et illa quæ est futura, quæque dicitur æternitas à parte post. Eiusdem prorsus naturæ sunt hæ duæ æternitates et eadem ratione illas animo informamus. Nam informamus notionem æternitatis à parte post, cum cogitamus ens aliquod posse durare ultra quod-

vis temporis futuri spatium. Et informamus notionem æternitatis à parte ante cum cogitamus ens aliquod potuisse existere ante quodvis determinatum temporis intervallum. Atqui absurdum est dicere æternitatem à parte post posse unquam evolvi, quoniam infinitum non potest exhausti. Ergo æquè absurdum est dicere æternitatem à parte ante jam evolutam esse, quia exhaustum supponeretur infinitum.

Obijcies. Pervertit omnes maximè communes notiones sententiæ hæc, ponit pro divino attributo quiddam minimè intelligibile, et est obnoxia insuperabilibus difficultatibus. — Respondeo hosce characteres esse totidem notis veritatis. 1^o Nec debent nec possunt in hæc disputatione communes notiones in divinam naturam transferri. Nullam habemus ideam durationis, nisi illius fluentis et perpetuò labentis creaturarum finitarum, quarum existentie partes omnes aliquando futuræ erant, postea præsentis sunt, et aliquando erunt præteritæ. Talem durationem infinitam nunquam evadere posse, videmur clarè intelligere: nam quantumvis remotam temporalis rei originem concipiamus, nunquam poterimus efficere, ut non cogitemus omnia momenta durationis istius successivæ et præterentis fuisse præsentia: et consequenter illam originem haud magis infinitè distantem cogitare possumus, quam numerum infinitum compositum ex successivâ unitatis additione: vel aliquid in spatio infinito collocatum, quod à nobis infinitè distet seu cujus distantia metiri non possit. Hæc enim notio temporalis durationis valdè accurata est, et nunquam errabimus quamdiù illam applicabimus entibus tantum mutabilibus et finitis. Ex eâ concludere licet mundum non esse æternum, non esse infinitas generationes, etc.; sed illa non magis Deo convenit, quam idea mutationis et fluxus perpetui. 2^o Est etiam character veritatis in hæc sententiâ, quod modus existentie necessariæ sit incomprehensibilis. Quid enim verius est, quam infinitum Deum, necessarium et immobilem non posse comprehendi à finitis mentibus? Et præsertim ubi non agitur de perfectionis alicujus specie, sed modo, qui tantum distare debet à modo nostrarum perfectionum, quantum independentiâ à dependentiâ, necessitas à contingentia, immutabilitas ab inconstantia, infinitum à finito. 3^o Non mirum est, quod res à nostris sensibus disjunctæ, et abhorrentes à communibus notionibus, multis videantur difficultatibus obnoxie, ubi ad illarum communium notionum

trutinam expenduntur. Sed malè hoc tentatur, recusamus illam normam, nullas ex illis ortas objectiones admittimus, nisi ubi agitur de specie attributorum, quam quidem ex animi nostri sensibus et virtutibus utcumque apprehendimus; sed modum nullo modo: v. g., scientiam esse in Deo concludo et utcumque apprehendo ex humanâ intelligentiâ; sed quomodò Deus cognoscat, eâdem ratione intelligere non possum. Sic quoque existentiam Deo tribuimus, eamque necessariam; quam autem connexionem habeat cum successione temporis planè nescimus.

De immensitate Dei. — Easdem, quas in superiori disputatione, hic difficultates experimur et ex eodem fonte natas. Deum à nullâ re abesse facile concedunt omnes, qui illius agnoscunt existentiam, sed in explicando modo divinæ immensitatis magna dissensio est. Cùm ea omnia corpora inter quæ versamur spatium quoddam aut locum replere videantur, et cùm omni rei, cujus habemus distinctam notionem, sit conjunctus loci, quo contineatur, sensus, difficilis nascitur quæstio, an Deus etiam cum spatio diffundatur. In diversas partes abièret tum philosophi, tum theologi. Quidam Deum, omnemque naturam cogitantem ita simplicem censent, ut neque cum spatio coextendi, aut locum quemvis occupare possint; quòd hoc sine partibus verè diversis, utcumque similibus et cohærentibus, concipi nequeat: et ex eo confirmant opinionem suam, quòd spirituum affectiones et vires omnes, sensus, cogitatio, conscientia, etc., nullo modo per locum extensum porrigi videantur. In hac sententiâ tota fuit Platonis schola (1) cum Aristotele aliisque benè multis veteribus phi-

(1) Tertium genus locus est, qui omnibus quæ gignuntur sedem exhibet.... cùm ad hunc animo respicimus, somniamus quodammodò, necessariumque putamus, ut quidquid est, in aliquo sit loco positum; et quod neque in terrâ neque in cœlo sit, minimè esse credimus: hoc somnio et imaginatione adeò tenentur homines constricti, ut hæc et similia etiam à pervigili verèque existente naturâ dividere non valeant. Plato in Timæo, p. 535. Deus non in alio quodam est, non in terrâ, non in cœlo, sed idipsum, per seipsum, eum seipso uniforme semper existens. Cætera verò omnia, quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra sunt. Idem Symp. p. 331. Vide Aristotelem Phys. cap. ultimo et in libris metaphys. et de Animâ, Plotinum, Simplicium, Porphyrium. Unde mirum est Baylium Dict. crit. t. 4, art. *Simonide* et alibi asseruisse hanc doctrinam ante Cartesium à nemine defensam fuisse.

losophis; hanc quoque secuti sunt fermè omnes christianæ Ecclesiæ doctores.

Alii haud pauci doctissimi viri negant debere nos à communibus notionibus et à luce quodammodò ad tenebras animos transferre: et contendunt existere necessariò spatium infinitum et æternum, quod omnes res corporales et spirituales contineat, quodque nihil aliud sit, quàm ipsa divina immensitas. Quandoquidem hujus immensitatis spatiosæ notionem nullâ possimus industriâ ex animis nostris extirpare; hoc argumento esse aiunt, pertinere illam ad ens necessarium, cui existentiam sine contradictione denegare non possumus. Hi igitur philosophi res omnes formaliter extensas asserunt et in quâdam condensatione substantiarum differentiam ponunt. Deo propriam esse extensionem infinitam et subtilissimam: ita ut quasvis alias substantias facile penetrare queat: materiam vero esse extensionem maximè crassam et solidam: et inter Deum et materiam innumerabiles substantias possibles esse, quarum subtilitas magis vel minus à summâ Dei simplicitate recedit, et quæ propterea etiam magis vel minus activæ sunt. Hujus opinionis patroni inter veteres plures extiterunt, et à recentioribus aliquibus philosophis præsertim inter Anglos Newtono, Clarkio, Lockio, aliisque defensa fuit: quorum quædam placita sunt multùm abhorrentia à receptissimis notionibus. Nempe Newtonus inter quæstiones quas proposuit in fine Optices, hanc habet: « Annon sensorium animalium est locus cui substantia sentiens adest, et in quem sensibiles rerum species per nervos et cerebrum deferuntur, ut ibi præsentès à præsentè sentiri possint?..... An non ex phænomenis constat esse cætem incorporeum, viventem, intelligentem, omnipresentem, qui in spatio infinito, tanquàm sensorio suo, res ipsas intimò cernat, penitusque perspiciat: totas intra se præsentès præsentès complectatur; quarum quidem rerum, id quod in nobis sentit et cogitat, imagines tantùm ad se per organa sensuum delatas, in sensoriolo suo percipit et contuetur? » Novimus etiam eosdem philosophos, etsi mentem suam clarè nunquàm libris vulgaverint, existimasse, Deum in creandâ materiâ nihil aliud egisse, nisi hoc unum, nempe effecisse ut pars suæ immensitatis solida existeret. De quâ opinione consule notam editoris gallici in librum quartum Lockii.

Non defuerunt aliqui, qui mediam inter has

oppositas sententias viam insistere voluerunt; qui que hoc modo utrosque componere tentarunt. Docent Deum quidem prorsus non extendi, sed tamen ubique in spatio infinito diffusum esse, ita ut totus ubique præsens sit; finitas etiam mentes, tametsi parte sui interiori non sint distentæ, semetipsas tamen in certam quamdam extensionis exteræ seu loci amplitudinem diffundere, per quam ita certo cuidam spatio alligatæ sunt, ut simul totæ in singulis ejus partibus adsint. Hincque nata est distinctio celebris, ubi circumscriptivi, quod corporibus, et ubi definitivi, quod spiritibus convenit. Hanc sententiam quidam secuti sunt, quæ valdè obscura et subtilis est, nihilque aliis referre videtur, nisi voces sensu vacuas, vel consociationem idearum repugnantium. Quomodo enim, aiunt, res quedam in amplitudinem loci sese potest extendere et tamen non esse extensa, extensionem occupare et replere sine extensione? Nos verò tantas dirimere lites in nos non suscipimus et hanc præcipuam in his quæstionibus utilitatem quærendam esse putamus, ut tenuitatis nostræ conscientia excitetur, et ingenii deprimitur arrogantia. Verùm quoniam prior opinio, etsi obscurior, non tot patet incommodis, magisque habet approbationem philosophorum maximorum, illam, post assertum breviter divinæ immensitatis dogma, defendemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus est immensus, seu rebus omnibus, tum corporeis, tum spiritualibus, intimè præsens est.

PROBATIO.—1° Deus est ens necessarium, seu ens quod existit ex internâ et absolutâ necessitate, quam nulla vis coerceat. Atqui tale ens necessariò immensum est, seu à nullâ re potest abesse. Nam absoluta necessitas æqualiter exigit, ut sit ubique, ac ut sit alicubi: contradictionem involvit, ut possit ab aliquo loco abesse, quia aberit sine causâ. Pone uni tantùm loco adesse, tollis uniformem illam, absolutamque necessitatem, quæ supponitur causa existendi interior, et inducis arbitrium seu arbitrariam determinationem unius loci, cui adsit, præ omni alio.

2° Deus est ens infinitum et perfectissimum. Atqui ens infinitum et perfectissimum à nullâ re vel loco potest abesse, id enim nec infinitum cogitatur, quod ullis terminis circumscriptur, nec perfectissimum, quod caret excellenti proprietate ubique existendi. 3° Deus est omnium rerum fabricator, est omnium opera-

tionum naturalium primus auctor, est omnium substantiarum adminiculum, ita ut nequeant sine ejus virtute existere. Atqui divina virtus agere non potest, ubi ipse Deus præsens non est et quodammodo in distans, quia nihilum non potest agere. At ubi substantia Dei non est, ibi est nihilum Dei.

PROPOSITIO II.

Deus non est formaliter extensus, seu spatium, quod fingitur infinitum, non est divina immensitas.

PROBATIO.— Id efficitur illis rationibus, quibus probatur animos omnes nullo modo extensos esse. 1° Si spiritus omnis extensus sit, necesse est aut quamlibet animi extensi partem esse animum et partis ejusmodi quamlibet partem esse quoque mentem, aut non esse. Atqui utrumque absurdum est; posterius quidem: nam si nulla pars animi extensi animus est, propriâque sibi intelligentiâ valet, certum est omninò, neque totum quod ex omnibus his constat partibus, mentis particeps esse posse, quia ex nihilo nihil fit. Coagmentatio rerum vitâ vacuarum seu in quibus est nihilum vitæ, non potest continere vitam, non magis quàm ex collectione rerum non extensarum potest componi extensio, cùm totum aliquid nihil reverà sit, quàm partium collectio, differre naturâ à partibus non potest. Primum etiam dici non potest, nempe singulas animi extensi partes esse totidem animos, qui suâ gaudent intelligentiâ atque vitâ, quia tunc tot essent mentes quot partes: in quâ hypothesi omnes essent supervacaneæ præter unam: et præterea intimo sensu intelligimus rem, quæ in nobis est particeps cogitationis, non esse multiplicem.

2° Sic conficere licet: Si spiritus qui sentit ac percipit in nobis extensus esset, partesque haberet extra partes, unum ex his tribus affirmandum esset: autquamlibet naturæ hujus extensæ partem objectæ rei partem tantùm percipere, aut singulas ejus partes totam rem objectam comprehendere; aut denique unum quoddam punctum esse individuum, quod singulas objectæ rei partes et totum simul percipiat, ad quod tanquàm ad centrum omnes reliquæ partes tanquàm totidem lineæ tendunt. Atqui primum dici nequit, quia tunc nihil erit in nobis, quod rem universam comprehendat, partes comparet cum partibus. Secundum etiam dici nequit: tunc enim quotquot animus punctis constabit, toties rem unam eandemque

totam percipiet, id est, infinitæ unius rei perceptiones simul exorientur in nobis, et erit quisque spiritus multitudo personarum percipientium. Tertium verò eligere, est incidere in sententiam eorum qui negant spiritus esse extensos: nam punctum individuum esse extensum nequit. Et præterea ejusmodi punctum in re extensâ, juxta omnes philosophos, qui continui divisibilitatem in infinitum admittunt, nullum est. Aliunde non intelligitur quare in eadem re extensâ unicum punctum sit cogitans, alia non sint: neque etiam quomodo minimum istud punctum completi valeat tantam rerum varietatem quantum percipimus.

3^o Constat experientiâ esse in animis multarum rerum species, quæ imaginando nequeunt informari; ideoque nec longitudinis aliquid, nec latitudinis, nec crassitudinis habent, quales sunt notiones virtutum et vitiorum. Fingimus etiam animo formas potentiarum et virtutum, nunc crescentium, nunc imminutarum, quibus omnibus nihil extensionis inest. Omnes abstractæ rerum essentia dividit nequeunt. Quin etiam, mens nostra ipsas res extensas, nec extensè, nec dividuò percipit: si spatium mille passuum animo tecum expendas, non plus loci cogitatio hæc occupat in animo, aut animum magis dilatat, quàm si de expeditâ vel pede cogites. Atqui si illa res, quæ in nobis sentit ac percipit, esset naturâ extensionis particeps, hæc ea cuius rei, quam sentimus, æquè esset accommodata, nec simili planè modo rerum majorum et minorum notiones animo informaret: minimè verò omnium, res omni omnino magnitudine vacuas cogitando sibi effingeret, imò nullæ tales intelligibiles essent. Hanc argumentationem Aristoteles putat nullâ viâ elevari posse.

4^o Si spiritus finiti essent formaliter extensi, essent etiam corporei, qui certè habent omnes corporum proprietates. Essent primùm *extensi* ex hypothesis; essent etiam *figurati*, nam habent extensionem terminatam seu circula-rem, seu triangularem, seu quadratam, etc.: certè extensio finita sine figurâ esse nequit. Essent etiam *mobiles*, possent transferri de loco in locum; et motus inter ipsos etiam communicaretur juxta certas leges seu impulsions, seu gravitatis, etc. Essent iidem *divisibiles*; posset sanè Deus dimidiâ partem creaturæ extensæ annihilare servatâ aliâ dimidiâ parte; vel posset duas dimidiâs partes à se invicem disjungere. Substantiam sanè extensam sine positione partium extra partes non concipimus.

Essent iidem *impenetrabiles et solidi*: nam illa substantia impenetrabilis et solida dicitur, quæ locum suum replet, et cujus partes firmiter cohærent; ob nullam aliam causam materia impenetrabilis et solida habetur. Atqui si spiritus extensi sint, repleant locum suum, eorum partes valdè cohærent, cum nullâ vi nisi divinâ possint divelli. Denique faciliè concipimus substantiam quamlibet verè et formaliter extensam posse in *organâ* distribui, et varios continere motus, qualis est motus sanguinis in corpore humano. Uno verbo ab ideâ substantiæ extensæ nullo modo separare possumus omnes corporis affectiones. Ergo, etc.

5^o Nullam habemus aliam judicandî regulam præter claram distinctamque perceptionem. Atqui clarè et distinctè disjunguntur cogitatio et omnes animi virtutes ab extensione: neque ullo modo possumus aut extensionem cogitare cum vi cogitandî, aut vim cogitandî vestire extensione.

6^o Tandem, quod Deum attingit, valdè absurdum videtur negare Deum esse totum ubique, et partem solummodò illius esse in hæc rerum universitate corporeâ. Hoc tamen necessariò dicendum est, si spatium sit ipsa divina immensitas. Nam Deus infinitè extensus non potest esse totus, v. g., in sole, cum infinitas spatii, quæ divinum attributum supponitur, in sole non sit. Imò alia pars divinæ immensitatis erit in sole, alia in terrâ; et quisque planetarum motu suo varias peragrat et metitur divinæ substantiæ partes.

Objicies: Nulla est idea clarior illâ spatii; quidquid obnitamur animo, illam mente pelle-re non possumus: inviti spatium, ut quid *infinitum, immobile, æternum et necessarium*, cogitamus, dum faciliè materiam limitibus circumscribimus. Ergo spatium habet objectivam realitatem, quam materia non habet.— Respondeo: Ergo spatium habet objectivam realitatem, in mente tum humanâ, tum divinâ, sicut alia bene multa, *tempus, numerus, æternæ veritates*, concedo; extra mentem omnem divinam et humanam, seu est proprietas entis alicujus distincta à cogitatione, vel aliqua substantia existens necessariò et ab æterno, nego. Idea spatii valdè clara est, esto. Sed non est clarior quàm idea temporis, vel numeri, vel illarum rationum, quæ sunt inter numeros et figuras: ut spatium cogitamus infinitum et æternum, sic quoque cogitamus tempus infinitum, numeros infinitos, veritates infinitas, et æternas. Igitur non magis concludere deret

mus spatium esse realem aliquam proprietatem æternam et infinitam extra mentem omnem, quàm concludere licet, tempus, numerum, veritates esse entia realia extra intellectum omnem. Quid ergo spatium est? Est abstracta idea extensionis corporeæ; sicut tempus est idea abstracta durationis entium mutabilium: ut veritates æternæ sunt abstractæ notiones rationum, quæ sunt inter res possibles vel existentes. Quare illud ut infinitum semper cogitamus? Quia illam abstractam extensionem, quam mente comprehendimus, possumus augere in infinitum, eandem possumus etiam in infinitum minuere. Eadem prorsus ratione tempus augemus et minuímus in infinitum; numeros addimus et frangimus in infinitum. Quare materiæ terminos ponimus, non spatio? Quia materia est verè existens extra mentem, quæ naturâ suâ necessariò circumscribitur: at extensio est abstracta idea, quæ præscindit ab omni amplitudine determinatâ. Sic quoque cuiusque rei finitæ extra mentem existentis durationem finitam cogitamus, neque aliter possumus apprehendere: ipsam tamen abstractam temporis notionem sub formâ indefinitâ concipimus. Res numeratas quoque semper certo et finito numero definitas cogitamus, etsi ipsi numeri infiniti censeantur. Quamobrem manifestum est omnibus rebus abstractè sumptis nullos limites ponere nos et sub formâ infiniti negatîvi concipere, spatia, tempora, numeros, velocitates et quæcumque alia incrementi perpetui capacia sunt, quia mens habet perpetuam facultatem augendi id quod nunquam esse potest absolutè et positivè infinitum, neque potest mens res illas tanquam finitas concipere, nisi tollas ab illâ istam suam facultatem perpetuò augendi. Concludendum ergo est illam infinitatem spatii, temporis, numeri, etc., esse infinitatem potentialem, seu capacitatem accipiendi incrementa, non absolutam et actualement infinitatem, extra mentem existentem, et illam esse unicè positam in illâ facultate, quâ gaudet animus duplicandi, triplicandi, et quæcumque ratione multiplicandi, quidquid capax est amplificationis. Et idcirco etiamsi posueris numerum aliquem esse infinitum, perget animus augendo et finget duos infinitos numeros, infinitum infinito majus, multiplicabit in infinitum ipsum infinitum. Ad eò hæ operationes ingenii nostri lusus sunt.

Objicies 2^o: Multum disjuncta est à communi omnium intelligentiâ illa de substantiis non extensis opinio; habet multas inextricabi-

les difficultates. Primò, illæ substantiæ non extensæ vel minime sunt physica, quæ cum exilitate sint incredibili, secari amplius et dividi nequeunt; vel puncta sunt mathematica, quæ nemo, nisi mente et cogitatione, assequi potest, atque mille harum substantiarum in unius acûs cuspidè saltare poterunt: quæ ridicula notio risu excipienda potius est quàm seriò confutanda. Secundò, quodcumque nec parvum est, nec magnum, nec spatium occupat, nec loci sitûsque inter cætera corpora particeps est, id omninò nihilum est. Magnitudo enim et extensio veram constituit illarum rerum, quæ verè existunt, essentiam; nec sine extensione cogitari potest vel substantia, vel accidens. Tertio, qui naturas inextensas defendunt, hi etiam docent easdem esse totas in toto spatio et simul totas in quâlibet parte spatii: quod planè absurdum est. Etenim si tota Dei natura existat in loco A, nihil ejus esse potest in puncto B; aut si hoc etiam contineat divinam aliquam naturam, alia sit necesse est, tota ab illâ alterâ discrepans. Similiter si animus noster totus unam corporis partem replet, nisi multiplicatus in aliis partibus, totus existere non poterit, nec unicus existere totus in toto corpore. Quarto, si substantiæ inextensæ sint, locum nullum occupant; si locum nullum occupant, sunt immobiles, quòd videtur absurdum. Ex eo etiam sequeretur posse animum finitum toti rerum universitatì præsentem esse, illanque moderari. — Respondeo hæc omnia argumenta à veteribus nostræ sententiæ defensoribus præoccupata fuisse et confutata. Primò, negant Plotinus et Porphyrius Deum, aut alias substantias non extensas, dici posse, vel puncta physica, vel puncta mathematica. Priora enim magnitudinem habent partesque extra partes, et cogitatione dividi possunt. Puncta verò mathematica, quamvis magnitudine careant, habent situm et positum. Punctum, ait Aristoteles, monas est, quòd situ gaudet et positu. Spiritus verò, neque habet magnitudinem, neque situm: non possis illum dicere magnum vel parvum, nec collocatum ad septentrionem vel ad meridiem. Proinde nec in cuspidè actûs, nec usquam alias saltare potest. Secundò, populi opinionibus servire est, pro nihilo illud omne habere, quod non habet partes extra partes. Cum animum avocamus à sensibus et phantasiâ, quàm multa sine ullâ formâ extensa cogitamus? Illa quæ rebus omnibus præsidet sapientia, illa virtus, quæ omnia con-

tinet immensamque molem pro arbitrio versat, habetne ipsa molem aliquam? Tertio, necesse est ut substantia spiritualis tota adsit illis rebus, quibus adest: ac si contrarium statureremus, nempe partem substantiæ spiritualis in parte corporis tantum existere, incideremus in id vitium quod nobis exprobratur, confidentes rem individuam in partes secari posse. Sed adest pluribus partibus sine multiplicatione, ut vis motrix una adest omnibus partibus corporis moti, et sapientia divina una et individua adest omnibus partibus universitatis. Rem ita esse colligimus ex ipso communi omnium sensu naturæ insito, quo credimus Deum esse ubique, quod profecto esse non posset, si Deus esset diffusus, et unaquæque pars ejus ita disponderetur, ut una pars in uno loco, alia in alio loco existeret: sic enim Deus dissiparetur, neque pars unaquæque tota divina natura esse posset. Quarto, sine dubio non competit spiritibus motus sicut corporibus: nec illi vi, qui impetus dicitur et corpora transfert, agitantur. Possunt tamen hoc sensu moveri, quod successivè variis rebus cogitatione præsentibus esse possint, et vi cogitationis procreatrice hoc sensu agitari: ac propter hanc eandem rationem efficere potest Deus potentia sua, ut spiritus finitus omnibus rebus creatis præsens sit cogitatione, easdemque, ut corpus suum nunc regit, moderetur.

Aliæ sunt objectiones physicorum, quibus conficiunt necessarium esse vacuum ut existere possit motus, quas ingenuè fatemur nos solvere non posse. Si omnia essent, inquit, plena corporibus, nullo modo intelligere possemus quâ ratione fluida, sive liquores in perpetuo motu esse queant. Nam non possunt liquidorum particula perpetuò situm mutare inter se, quin spatiola vacua relinquunt: nullaque est materia quæ possit sese aptare tam subitit et tam variis mutationibus pororum, ut eos perpetuò accuratissimè compleat. Oporteret illam subtilem materiam esse actu in infinitum divisam, quod omninò concipere non possumus, et redderet illam ad omnes usus inutilem, cum materiæ in infinitum divisæ, seu quæ nullam haberet massam, nullum momentum esse posset, nulla vis, neque ad movendum, neque ad sistendum. Argumentum etiam insuperabile petitur ex inertia, quam materiæ omni inesse experientiâ et ratione intelligimus, quæ efficit ut materia omnis movenda resistat pro quantitate molis suæ, cum quâ tantâ resistentiâ in mundo pleno demonstratur

motum existere non posse. Præterea intelligimus Deum posse lunam vel aliud quodcumque corpus in nihilum redigere, cæteris in eodem statu divinâ virtute conservatis, quod tamen esse non posset, nisi vacuum esset possibile. Hisce et similibus rationibus multi adducti sunt, ut spatium vacuum admitterent, quod cum æqualiter distet à materiâ solidâ et à spiritu inextenso, et tamen proprietas extensionis sine subjecto esse non possit, illud dixerunt substantiam simplicissimam cujus unica sit aut saltem cognoscatur proprietas, videlicet extensio. Quot et quantas etiam habet hæc sententia difficultates!

(Annotatio P. S.)

Sat probabiliter evincitur etiam philosophicè Deum esse ubique præsentem ratione substantiæ; quam quæstionem ab auctore prætermisam sic tractavit DD. Bouvier, in suis *philosophicis Institutionibus*, de Atributis divinis, cap. 7:

DE IMMENSITATE DEI.

Illud dicitur immensum quod mensurari non potest, vel quod nullis limitibus circumscribitur. Inter philosophos christianos, alii dicunt Deum esse immensum ratione operationis, quia ubique operatur vel operari potest, quod quidem constat ex dictis, alii contendunt illum esse immensum ratione scientiæ, quod etiam verissimum est, ut patebit ex dicendis; alii docent præterea illum esse immensum ratione substantiæ. Hæc posterior sententia admittenda est.

PROPOSITIO. — *Deus est immensus, id est, ubique præsens ratione substantiæ.*

Prob. 1^o: Vel Deus est ubique præsens ratione substantiæ, vel quibusdam limitibus circumscribitur: atqui nullis limitibus circumscribitur: ubi enim sunt limites, ibi est negatio entis ulterioris; ubi est negatio entis ulterioris, ibi est imperfectio; si ergo Deus quibusdam limitibus circumscriberetur, esset imperfectus; sed dicere Deum esse imperfectum, est blasphemia; ergo nullis limitibus circumscribitur; ergo est ubique præsens ratione substantiæ; ergo dici non potest illum esse limitibus circumscriptum.

Insuper vel ubique est præsens ratione substantiæ, vel quibusdam locis tantum, vel nulli loco: atqui duo posteriora dici nequeunt: 1^o dici non potest Deum quibusdam locis tantum esse præsentem; nulla enim est ratio cur his potiusquàm illis adsit, et tamen nulla causa extranea illum sic restringere potuisset. 2^o Dici

non potest illum nulli loco esse præsentem ; nam si nullo loco sit præsens , nullibi existit : atqui nullibi existere , et non existere sunt quid unum et idem.

Aliunde , Deus ubique cognoscit et operatur vel operari potest : porrò ipsius scientia et operatio à substantiâ separari non possunt ; ergo ubique est præsens ratione substantiæ.

Solvuntur objectiones. — Obj. 1^o : Deus est simplex : atqui non potest esse simul simplex et ubique præsens ; ergo , etc. — Resp. Nego min. ; Deus , è contra , non potest esse corporeus et ubique præsens : nam si corporeus esset , una pars substantiæ ejus uni loco responderet , et altera pars alteri loco , et sic nullo loco totus esset præsens : atqui tamen , cum non possit esse divisus , totus est ubique præsens ; ergo nedum ipsius simplicitas immensitati noceat , ad illam necessariò prærequiritur.

Inst. : Deus singulis locis præsens esse non potest , quin aliquo modo eis respondeat : atqui substantia simplex locis compositis respondere non potest ; ergo , etc.

Resp. Dist. min. : Locis compositis respondere non potest ad modum corporeum , conc. ; modo spiritibus proprio , nego minorem. Corpora respondent locis per materialem extensionem , ita ut una pars corporis uni parti loci , et altera pars alteri parti loci respondeat. Certum est substantiam simplicem hoc modo locis correspondere non posse : sed inde non concludendum est quòd nullo modo locis correspondere valeat ; cum enim naturam substantiæ simplicis et essentialium loci non nisi imperfectè noscamus , imprudenter affirmavimus nullam inter utrumque possibilem esse relationem. Quare enim substantia simplex modo sibi proprio locis adesse non posset ? nullam sanè validam rationem afferre possemus ; ergo , etc. Imò evidentibus rationum momentis adstruitur Deum esse simplicem ; ex altera parte demonstratur illum ubique esse præsentem : unde concludere debemus substantiam simplicem modo nobis impervio locis compositis præsentem esse posse.

Philosophi autem varia excogitarunt systemata , ut explicarent modum quo Deus sit simplex et immensus. Acriter circa hoc punctum inter se disputant Thomistæ et Scotistæ. Thomistæ , sic dicti à S. Thomâ Aquinate , cujus doctrinam se profiteri gloriabantur , dicebant Deum esse virtualiter extensum , id est , ita in se divisum et unicum , ut omnibus tamen responderet locis , sicut simplicissimum spheræ

centrum cunctis tamen radiis , licet numero infinitis , respondet. Asserebant verò Scotistæ , à subtili doctore Scot sic vocati , immensitatem Dei non esse distinctam à spatio in quo recipiuntur corpora , eamque incorporaliter esse extensam , et sic universis rebus , tum existentibus , tum possibilibus , correspondere.

Sed in primâ opinione non explicatur quomodò Deus omnibus locis realiter sit præsens ; in secundâ non sufficienter intelligitur quid sit extensio incorporea et indivisibilis. Nonne melius est ignorantiam nostram confiteri , quàm rem obscuram intricatis suppositionibus explicare ?

Audiamus clarissimum Fénelon , pag. mihi 354 : « Il n'est pas plus (Dieu) dans un certain lieu précis qu'il n'est dans un certain temps : car il n'a , par son être absolu et infini , aucun rapport aux lieux et au temps , qui ne sont que des bornes et des restrictions de l'être. Demander s'il est au-delà de l'univers , s'il en surpasse les extrémités en longueur , en largeur , profondeur , c'est dans un sens faire une question aussi absurde que de demander s'il était avant que le monde fût , et s'il sera encore après que le monde ne sera plus. Comme il ne peut y avoir en Dieu ni passé ni futur , il ne peut y avoir aussi en lui ni au-delà ni en-deçà. Comme la permanence absolue exclut toute mesure de succession , l'immensité n'exclut pas moins toute mesure d'étendue. Il n'a point été , il ne sera point , mais il est : tout de même , à proprement parler , il n'est point ici , il n'est point là , il n'est point au-delà d'une telle borne ; mais il est absolument. Toutes ces expressions qui le rapportent à quelque terme , qui le fixent à un certain lieu , sont impures et indécentes. Où est-il donc ? il est , et il est tellement qu'il faut bien se garder de demander où. Ce qui n'est qu'à demi , ce qui n'est qu'avec des bornes , est tellement une certaine chose , qu'il n'est que cette chose précisément ; pour lui , il n'est précisément aucune chose singulière et restreinte. Il est l'Être , ou pour dire encore mieux , en disant plus simplement , il est ; car moins on dit de paroles , plus on dit de choses. Il est , gardez-vous bien d'y rien ajouter. »

Obj. 2^o : Repugnat Deum esse præsentem in locis sordibus , pollutis et in flagitiosissimis peccatoribus ; ergo non est ubique præsens. — Resp. Nego ant. ; nam Deus prorsus impas-

sibilis est; nullum igitur patitur detrimentum, nec ullo modo maculatur, quamvis sit *substantialiter* præsens in locis pollutis et in peccatoribus fœtidis. Sic radii solis fœdissima illuminant loca, nec idcō cessant esse mundi, puri et nitidi; ergo, etc. P. S.

De immutabilitate Dei. — Etsi immutabilitas negativum aliquid videatur significare, positiva nihilominus sensu philosophico in Deo proprietatis est, per quam scilicet idem semper permanet: multoque magis mutabilitas et inconstantia defectus constantiæ est et immutabilitatis, quàm constantia defectus mutabilitatis.

PROPOSITIO.

Deus est immutabilis.

PROBATIO. — 1° Quidquid mutatur, vel mutatur à causâ externâ, vel à causâ internâ. Atqui Deus experiri mutationem à causâ externâ non potest, cum sit independens, singularis et disjunctus ab omni aliâ re, nullique externæ impressioni obnoxius. Non ab internâ causâ; nam nulla alia concipi potest divinæ existentiae, ejusque modorum, quàm necessitas absoluta existendi; quæ cum sit eadem semper et uniformis, exigit ut Deus semper idem sit in omni tempore. 2° Deus est ens infinitè perfectum. Atqui tale ens nullam accipit mutationem, quia nullam de novo acquirere perfectionem potest, cum jam omnes habeat: neque ullam deperdere, cum sint omnes indissolubili nexu conjunctæ, nec una esse possit sine aliis. Vel sic confice: Deus est immutabiliter talis, qualis est necessariò. Sed est necessariò in formâ perfectissimâ. Est ergo immutabiliter in illâ formâ. 3° Quâ in re experiri mutationem posset? An ratione existentiae? sed illa necessaria est. An ratione loci? Sed immensus est. Omnia in ipso vivunt, moventur et sunt. An ratione temporis? Sed immobiliter æternus est, et in stante suâ æternitate omnes temporum differentias continet. An ratione cognitionis? Sed quid latere potest infinitam scientiam? An ratione consiliorum? Sed à perfectissimâ mente omnis abest animi levitas, quæ ex ignorantia aut incogitantia in ipsis hominibus proficiscitur (1).

In hæc denique sententiâ summa semper fuit omnium philosophorum consensio, scilicet « illam necessariò existentem essentiam Dei,

(1) An ab aliquâ exequendi difficultate? Sed est omnipotens. P. S.

« quæ est ipsa æqualitas, ipsa pulchritudo, « ipsa singularitas, quæ est ipsum ens, nullam « experiri posse mutationem. » Plato in Phædone. — Aliquam habet difficultatem attributi hujus cum libertate et variis divinæ providentiæ actibus conciliatio, de quâ vide art. de Libertate Dei.

De unitate seu singularitate Dei. — Per unitatem intelligimus, non solum illam singularitatem, quæ excludat omnis alterius entis æqualis et earundem perfectionum consortis existentiam, sed et omnis alius naturæ necessariæ et à se existentis seu independentis consortium. Adeoque veram naturæ divinæ unitatem negârunt,

1° Quotquot duas naturas ab æterno existentes, nempe materiam et Deum ad miserunt, quique sic duo rerum principia; alterum efficiens, alterum quod fingeretur, docuerunt. Hoc dogma Academicis, Peripateticis et Stoicis tribuit Tullius in Acad. Quæst.: « Naturam divi- « debant in res duas, ut altera esset efficiens, « altera autem quasi huic se præbens, ex quâ « efficeretur aliquid: in eo quod efficeret, vim « esse censebant; in eo quod efficeretur, ma- « teriam quamdam (1). » At juxta eundem philosophi hi duo ista rerum principia sic commiscebant, ut reipsâ nonnisi una fierent eademque natura, « in utroque tamen utrum- « que, pergit Cicero, neque enim materiam « ipsam coherere potuisse, si nullâ vi conti- « neretur; neque vim sine aliquâ materiâ: « nihil est enim, quod alcubi non esse cogi- « tur. » Imo Stoici has res multò magis confundebant; docebant enim rem efficientem materialem esse, ignemque aliquem subtilissimum. Sed quidquid sit de horum opinione, certum est fuisse quamplures philosophos, qui simplices et spirituales mentes professi, duo diversa rerum principia ab æterno simul existisse asseruerunt, materiam videlicet, et Deum segregatum ab omni concretionem corporeâ. Sic Anaxagoras sensit, sic Archelaus, sic Atticus, sic plures alii. Pythagoram quoque in hæc sententiâ fuisse Numenius auctor est. Platonem idem sensisse Plutarchum et Laertius scripserunt. Aristotelem eandem fuisse sententiam persuasum multis fuit. Porphyrius,

(1) Dicunt Stoici nostri duo esse in rerum naturâ, ex quibus omnia fiunt, causam et materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, id est, ratio, materiam format. Sen. Ep. 65.

Jamblicus, Proclus et Simplicius, etsi docerint Deum caput esse atque causam rerum omnium, tamen putaverunt materiam esse æternam. Quorum omnium atque suam sententiam sic exponit Plutarchus (1): « Præstat igitur « Platonis (quàm Heracliti) sententiam sequi, « atque hoc dicere et canere, mundum à Deo « esse factum. Nam et mundus omnium ope- « rum est pulcherrimum, est Deus omnium cau- « sarum præstantissima. Substantiam autem « et materiam, ex quâ factus est mundus, non « natam, sed semper subjectam opifici dispo- « nendam se atque ipsius similitudine, quan- « tum fieri potest, effingendam sese præbuis- « se. Non enim ex nihilo extitit mundus, sed « ex eo quòd non pulchrè, non rectè, nec « perfectè, sese haberet, quomodo fiunt do- « mus, vestis, statua. » Imò verò quidam viri doctissimi hanc opinionem attribuunt om- « nibus generatim antiquioribus sapientibus. Vi- « de ed. lat. *Cudworthi* cum notis et diss. doctissimi interpretis, et *Beausobre* in *Historia* Manicheismi.

Hoc dogma tenuerunt olim etiam multi Chri- « stiani (2), qui idcirco *Materiarum* vocati sunt, inter quos *Hermogenes* celebris fuit, quem præsertim ex origine mali disputasse legimus apud Tertullianum l. contra *Hermog.*, p. 158. « Præstruit, ait Tertullianus, Dominum aut « de semetipso fecisse cuncta, aut de aliquo... « Negat illum ex semetipso facere potuisse, « quia partes ipsius fuissent, quæcumque ex « semetipso fecisset Dominus; porro in par- « tes non devenire, ut indivisibilem, et in- « demutabilem, et eundem semper, quâ Do- « minus. Ex nihilo non potuisse eum facere « sic contendit, bonum et optimum definiens « Dominum, qui bona et optima tam velit fa- « cere, quàm sit; imò nihil non bonum at- « que optimum, et velle eum et facere. Igi- « tur omnia ab eo bona et optima oportuisse « fieri secundum conditionem ipsius. Inveniri « autem et mala ab eo facta, utique non ex « arbitrio, nec ex voluntate, nihil incon- « gruens et indignum sibi faceret. Quod ergo « non arbitrio suo fecerit, intelligi oportere « ex vitio alicujus rei factum: ex materiâ « esse sine dubio. »

2^o Præter hanc æternam et necessariam ma- « teriam, et Deum, multi olim quasi tertium

quoddam principium excogularunt; quippe cum non intelligerent quomodo sub regimine Dei summè boni malum oriri potuisset, et vanam ineptamque ducerent opinionem, quæ materiam qualitatis omnibus et virtutis vacuum causam mali faciebat, quòd esset inobsequens voluntati Dei; putarentque in illo systemate malum non in materiam, sed in Deum ipsum refundendum esse; huic materiæ æternæ ad- junxerunt naturam seu vim quamdam ratione carentem et maleficam, inordinatis ac turbulenti motibus materiam perpetuò cientem: hanc naturam Plutarchus vocat « animam con- « trariam et contrariorum opificem; animam « incompositam, turbulentam et mente va- « cuam: » nominat quandoque necessitatem, eò quòd sine consilio agat; atque eam ipsum esse fatum asserit, de quo poetæ et philosophi tam multa scripsere. Hi philosophi igitur sic explicant originem rerum, ut nihil omnino productum fuerit ex nihilo, neve bonum, neve malum; ac juxta eos Deus, cum mundum condere voluit, hæc effectit: Primò materiam digessit et suum elemento cuilibet locum assignavit. Deinde ne rectè constituta denuò convellerentur, mundi animam emendavit, quantum potuit, ejusque inordinatos ac turbulentos motus temperavit. Et tandem de suâ propriâ substantiâ partem addidit, quæ varios ejus motus sic dirigeret, ut hæc rerum omnium pulchritudo nasceretur. Quidquid ergo mali est in mundo, originem habet ab illâ maleficâ animâ, quam Deus omnino corrigere non potuit: quidquid verò boni, ab illâ parte divinâ, quæ principatum obtinet, et æquabili lege omnia continet. Ut mundus universus, sic homo quisque, ex tribus istis partibus componitur, nempe materiâ, vi inordinatâ et aurâ cœlesti. Huic ultimâ opinioni valdè deditus fuit Plutarchus, qui summo studio conatus est in illius patrocinium trahere omnes præclarissimos philosophos. Vide *Syst. Intell. Cudw. Historiam* Manichæismi. Manichæismum ante Manichæos.

3^o Superioris sententiæ amplificatio quædam fuit Manichæorum doctrina. Hi etenim in hoc solummodo à recensitis philosophis differebant, quòd existimarent, juxta veterem quamdam Chaldæorum, Phœnicum et Persarum aliquorum opinionem (1), in istâ æternâ materiâ naturaliter gigni varii generis animantia. et demones malos, unumque aliorum principem: duoque sic statuerint imperia æterna, aliud

(1) Vide *Hist. Manich.*

(1) Tom. 2, op. p. 4014.

(2) Auctor per istos Christianos intelligit hæreticos, de quibus vid. Bergier, *Diction.* verbo *Matérialisme, Matérialistes.*

lucis repletum infinitis beatis spiritibus, in quo regnaret Deus optimus maximus; aliud tenebrarum, in quo imperiaret princeps dæmonum, Hyle dictus, cum suis consortibus. Audiamus ipsum Manichæum (1): « In exordio fuerunt duæ substantiæ, à sese divisæ: et luminis quidem imperium tenebat Deus pater, in suâ sanctâ stirpe perpetuus, in virtute magnificus, naturâ ipsâ verus, æternitate propriâ exultans, semper continens apud se sapientiam et sensus vitales: per quos etiam duodecim membra luminis sui comprehendit, regni videlicet proprii divitiis affluentes. In unoquoque autem membrorum ejus sunt recondita millia innumerabilium et immensorum thesaurorum (2). Ipse verò pater in suâ laude præcipuus, magnitudine incomprehensibilis, copulata habet sibi beata et gloriosa secula (æonas): neque numero, neque prolixitate æstimanda, cum quibus idem sanctus atque illustris pater et genitor degit: nullo etiam in regnis ejus insignibus aut indigente aut infirmo constituto. Ita autem fundata sunt ejusmodi splendidissima regna super lucidam et beatam terram, ut à nullo unquam aut moveri aut concuti possint. Juxta verò unam partem ac latus illius illustris ac sanctæ terræ, erat tenebrarum terra profunda, et immensâ magnitudine, in quâ habitant ignea corpora, genera scilicet pestifera. Hinc infinitæ tenebræ ex eadem manantes naturâ incestimabiles cum propriis fœtibus, ultra quas erant aquæ cœnosæ ac turbidæ cum suis inhabitatoribus, quarum interius venti horribiles ac vehementes cum suo principe et genitoribus. Rursùm regio ignea et corruptibilis cum suis ducibus et nationibus. Pari more introrsùm gens caliginis ac funi plena, in quâ morabatur immanis princeps omnium et dux, habens circa se innumerabiles principes, quorum omnium ipse erat mens atque origo; hæque fuerunt naturæ quinque terræ pestiferæ (3). » Hæc regna per infinita secula separata sic manserunt, neque Deus bonus dignum se judicabat, quidquam in imperio tenebrarum moliri aut ex materiâ quidquam fingere: principatus verò tenebrarum appetita quidem præditi, at ratione destituti imperium lucis nesciebant. Verùm tandem, vel quòd nimium multiplicati

(1) Apud S. Aug. I. contra Ep. Man. c. 13.

(2) Vide explicationem hujus mystici sermonis in hist. Man.

(3) Apud S. Aug. ibid. c. 13.

sedes migrare voluerunt (1), vel quòd exorto inter illos bello, qui devicti sunt, vincuntium furorem longius fugientes ad terminos regni lucis pervenerunt (2): hic tum victores, tum victi capti pulchritudine lucis, pace composita, regnum cœleste invadere meditati sunt. Deus verò, à quo nullum malum existere potest, bellum declinans, hanc arripuit occasionem corrigendi aliquatenus tenebrarum perversam substantiam, mundi que hujus aspectabilis reformandi. « Bonus ergo potestatem quamdam mittit, custodituram scilicet præscripta, re autem verâ futuram ipsi materiæ illecebram et invitamentum ad moderationem, ejus à voluntate alienam. Hanc conspicatâ materiâ, amore exarsit, sibi eam conjugere concupivit, improvidè delevavit. Sic quodam modò tanquàm bellua ligata est. » Hæc Titus Bostrensis, qui videtur meliùs perspectam habuisse Manichæorum doctrinam. Idem addit Manichæos usos esse hoc exemplo « tanquàm cantione missæ potestatis materiam sopitam fuisse. » Ex commixtione ergo duarum naturarum, non solum hominem, sed universum mundum, quem in omnibus partibus animatum putabant, generatum docebant.

Hæc Manichæi; at inter Persas aliosque Orientales plures extiterunt, qui malo principio excellentiores dotes majoremque virtutem concessisse videntur, et duos quodammodò deos æternos et inimicos constituisse: nisi decepti fuerint Plutarchus et alii Græci, et per Græcos etiam quamplurimi Latini, quod extra omnem verisimilitudinem non est. Sed de horum omnium doctrinâ alius erit fortassè dicendi locus.

4^o Divinæ naturæ unitatem negaverunt illi ethnici, qui multos deos æquales et independentes agnoverunt: sed profectò res est valdè

(1) « Erat, inquit Manichæus, tempus cum materia sine ordine ferebatur, et generabat et crescebat ac multas potestates producebat. Aucta igitur eyehebatur, nesciens substantiam boni. Postquam verò magis erecta novit terram et lumen boni, nitetur ascendere ad ea quæ non erant propria. » Titus Bostrensis.

(2) Explanant autem modum seditionis hujus. « Qui, inquit Manichæus, ex eâ nequitia (nequitia autem Satanas est) nati sunt, se mutuo insectati sunt et devoraverunt, dura et gravia passi, neque prius destiterunt in seipsos moveri, quam lumen serò tandem viderent (his enim verbis nititur), et sese enim ipsi evagitati, cum aliqui nescirent, ita tamen ausi sunt ad lumen accedere. » Idem.

ambigua, an veteres eodem sensu istam vocem *dei* semper acceperint ac nos nunc accipimus : aut potius certum videtur eos per illam vocem, aut potius certum videtur eos per illam vocem, ubi illam pluribus tribuebant, nequaquam intellexisse entia perfectissima, neque entia necessaria, neque primas causas rerum omnium, sed inferiores aliquos deos indigetis, gentilios, locales, tutelares, coelestes et mundanos, quos tanquam primæ et universalis causæ administratos spectabant. Quod cum aliquâ diligentia effecturi sumus, ut vis sua constet argumentis supra allatis ex notione immensi, omniscientis et omnipotentis Dei omnium hominum mentibus impressâ.

PROPOSITIO PRIMA.

Unicum esse Deum, seu unicam primam causam rerum omnium, sine æquali, ratio evidenter demonstrat; philosophi omnes theistæ docuerunt; omnes vetustissimæ gentes semper agnoverunt: adæque unitas pertinet ad notionem veri et summi Dei animis hominum insitam.

Probatur prima pars.

Unitas Dei ratione conficitur. — 1º Deus est ens summum. Atqui repugnant plura summa, quia id tantummodò summum est, quod neque majus quidquam, neque par agnoscit. Sic Tertullianus: « De isto convenit apud omnes, et ut Deus sit summum magnum et formâ, et ratione, et vi, et potestate,.... Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adæquetur, id est, ut non sit aliud summum magnum, eversâ conditione et, ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari. »

2º Deus est ens infinitè perfectum, cui nulla deest perfectio. Atqui non potes ponere duo entia summè perfecta, quin eodem tempore statuas utrumque carere aliquâ perfectione. Nam illa duo entia A et B, à se invicem aliquâ re distinguuntur et differunt: scil. attributis suis vel causâ formali existentie suæ: nam si A et B habeant eandem causam formalem existentie suæ, eandem naturam et eadem attributa, certè ex nullâ parte differunt: porro id per quod distinguerentur perfectio esset, et illâ perfectione alterutrum careret. Ergo. Neque dicas per existentiam, quam habet quodque speciale, utrumque ens satis distingui. Nam existentia supponit res distinctas, et ubi nulla est distinctio, absurdè fingitur separata existentia; sic suppone Petrum et Paulum non distingui neque per naturam, neque per cau-

sam suam, videlicet decretum divinæ voluntatis. Certè Petrus et Paulus entia duo esse non possunt, nec separatam habere existentiam. Argumentum hoc subtile scholasticorum est.

3º Deus est ens necessarium. Atqui entia plura necessaria esse non possunt. Nam illud ens tantùm est necessarium, quod non possumus cogitare non existens, seu cuius non existentia involvit contradictionem. Atqui omnia entia præter unum possumus cogitare non existentia: pone, verbi gratiâ, decem, facillè concipimus ex istis decem, novem esse prorsus inutilia et posse non esse.

Deinde ens necessarium illud est quod existit ex internâ et absolutâ necessitate, quam necessitatem aliquâ ratione, ut antecedentem et internam seu formalem causam existentie Dei cogitamus. Atqui illa absoluta et uniformis necessitas unius et singularis naturæ perfectissimæ causa interior esse tantùm potest: unius immensitatis, unius æternitatis, unius potentie, unius intelligentie, etc., nec unitatem ab illius ideâ disjungere valemus: cur duorum vel trium entium, vel quinque, vel viginti, etc., causa sit, non videmus: ubicumque numerus fingitur, ibi est arbitrium, non necessitas; quia quicumque alius numerus æquè possibilis est. Rationem hanc benè exposuit Clarkius.

4º Deus est ens infinitum, ens cuius attributa omnia sunt infinita. Atqui unicum tantùm potest esse ens, cuius attributa omnia sint infinita: quia omnia attributa infinita necessariò singularia sunt. Primò immensitas postulat dependentiam omnium aliarum rerum. Nam quod immensum est, à nullâ re aliâ debet excludi. Atqui si essent duo entia æqualia et à se mutuo nullo modo dependentia, à se mutuo excluderentur. Deus ideò tantùm in creaturis existere concipitur, quia per ipsum et in ipso existunt, seu earum existentia et conservatio fluit ex perpetuâ Dei actione. Sed si illas divina virtus non fecisset, nec existerent per Deum, nec in Deo, Deus ab illis excluderetur. Secundò duplex omnipotentia repugnat: nam illa potentia infinita non est, quæ experitur contrariam, imò æqualem in alio ente. Et cum his duobus attributis intereunt omnes aliæ perfectiones. Scientia infinita nulla est, siquidem ille non novit omnia, qui ab aliquâ re excluditur, non novit naturam, vim, consilia illius æqualis entis et independentis. Sapientia nulla est, nec bonitas, nec justitia. Siquidem ille

non potest sapienter, juste et benignè cum aliqua fidentia et securitate agere, qui experiri potest aliam naturam consilia contraria machinantem. Si dicas mendicare posse unum Deum ab alio veniam agendi, sustulisti entis independentis et perfecti et infiniti notionem. Tandem perit etiam Dei felicitas summa, quæ in voluntate omnipotente, liberrimâ et sibi sufficiente posita est.

5° Denique omnia in mundo connexa sunt, et ordo unus ex omnibus existit; ergo unico consilio mundus constitutus est: cuncta in eo placidè summâque cum constantiâ et æquabilitate, juxta easdem leges feruntur; ergo unica est administrationis ratio. Atqui ex unitate consilii in constitutione mundi benè colligitur illius unum esse architectum, et ex unitate providentiæ benè efficitur unum esse rectorem. Tanta pax et concordia hanc universitatem non contineret, si turba quædam Deorum per se existentium et æqualium, nec ullius supremi numinis jussis parentium, rerum administrationi præsideret.

Probatur secunda pars.

Consensio philosophorum circa unitatem Dei summi. — Omnes illi, qui primis Religionis christianæ temporibus adversus gentiles scripserunt, hoc sibi probandum susceperunt, maximi nominis philosophos, non secus ac Christianos, unum rerum omnium parentem ac Deum profectos esse. Hoc argumentum tractarunt Clemens Alexandrinus in Strom. et in Cohortatione ad gentes; Athenagoras in apologiâ pro Christianis; Theophilus Antiochenus in libris ad Autolicum; Cyrillus Alexandrinus l. 1 contra Julianum. Et inter Latinos, Tertullianus in Apogetico c. 24, Minucius Felix in Octavio cap. 19, Arnobius l. 4 adversus gentes, Lactantius Inst. l. 4, c. 5, 6, 7. Horum secutus est vestigia Iluetius in Ainetanis quæstionibus; sed omnium copiosius de hæc philosophorum consensione disseruit Cudworthus in systemate intellectuali. In re tam aperta congerere testimonia supervacaneum videtur, adèque unum appellabimus Onatum ex scholâ Pythagoræ philosophum, cujus apud Stobæum hæc sententia legitur: « Neque mihi unus videtur Deus, verum unus quidem maximus ac summus Deus, rerum universitatem gubernans; alii autem præterea multi, diversis virtutibus præditi. Imperat autem omnibus Deus is, qui robore, magnitudine, virtute præstat. Hic ille Deus est, qui universum mundum arcet, moderatur et continet. Reliqui verò dii sunt,

« qui per cælum eodem, quo tota rerum universitas, motu decurrunt. primum et intelligibilem illum Deum ordine sequentes. » Hanc sententiam expressè alii philosophis omnibus attribuit S. Cyrillus, l. 1 c. Jul. « Manifestum est, ait, etiam græco more philosophantibus, unum censeri ac in confesso esse Deum universi conditorem et naturâ omnes superantem, à quo facti sunt et producti ad generationem alii deinceps dii sub intellectum et sensum, ut ipsi loquuntur, cadentes. » Et certè ne unus quidem inter omnes veteres sapientes laudari potest, qui plura crederit numina æterna, et per se existentia: imò Cicero scripsit Tusc. disput. l. 1: « Deus alio modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta et libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens et movens, ipsa prædita motu sempiterno (1). »

Probatur tertia pars.

Consensio nationum omnium circa unitatem Dei summi. — Cùm asserimus hanc fuisse communem omnium populorum fidem, unum esse supremum Deum optimum, maximum, patrem deorum atque hominum; non hoc assumimus probandum, nullum fuisse ex imperitâ multitudine, qui hæc non fuerit imbutus opinione, sed hoc solummodò demonstrare contendimus nullam fuisse gentem in quâ doctos inter et indoctos publica et communis doctrina non fuerit, unum esse Deum summum, qui cunctas res hominumque deorumque moderetur. Hanc partem confirmabimus: 1° Optimorum testimonio auctoritate. 2° Poetarum, qui religiones populorum suis carminibus celebrârunt, evidentissimis testimoniis. 3° Speciali consideratione variarum religionum. Et 4° denique communibus apud vulgus opinionibus et consuetudinibus.

1° Hæc assertio firmatur auctoritate optimorum testimonio. Aristoteles, de Rep. l. 4, c. 15, p. 510, t. 3, op. scribit: « Omnes homines, affirmant deos esse sub imperio. » Hoc est, unum esse regem et dominum, qui diis omni- us imperet. Maximus Tyrius, diss. 1, p. 4

(1) Est enim notatu valdè dignum (ut benè observat Cartesius resp. ad secund. obj. post medit.) quòd omnes metaphysici in Dei attributis (iis scilicet quæ per solam rationem humanam cognosci possunt) describendis unanimiter consentiant, adè ut nulla sit res physica, nulla sensibilis, nulla cujus ideam maxime crassam et palpabilem habeamus, de cujus naturâ non major opinionum diversitas apud philosophos reperitur.

et 5 : « Quòd si concionem cogas, omnesque
 « simul artes uno decreto convenire jubeas
 « ac de Deo ex his quæras, putasne aliud pi-
 « ctorem, aliud statuarium, aliud poetam,
 « aliud dicturum esse philosophum? Imò ne
 « Scythia quidem, et Græcus, et Persa, et Hy-
 « perboreus. Verumenimverò in aliis videbis
 « alia, neque unquam eadem statuere homines.
 « Nec enim bonum idem omnibus, nec idem
 « omnibus malum, nec idem turpe aut hone-
 « stum. Ut de legibus taceam, quæ pro cujus-
 « que placito in omnes ita partes distrahuntur,
 « ut non modò gens cum gente, sed nec urbs
 « cum urbe, nec familia cum familiâ, nec homo
 « cum homine, nec unus aliquis interdùm se-
 « cum ipso consentiat... In hæc tantâ pugná,
 « contentione atque opinionum varietate, in
 « eo leges ubique terrarum atque opiniones
 « convenire videbis, Deum esse unum regem
 « omnium et patrem, huic multos additos esse
 « deos alios, qui supremi illius filii sint et
 « quasi in imperio collegæ. In eo Græcus cum
 « Barbaro, Mediterraneus cum insulano, sa-
 « piens consentit cum stulto. » S. Augustinus,
 cum Faustus Manichæus objecisset Christianos
 mutuatos esse à gentilibus fidem in unum su-
 premum Deum, hæc respondet : « Discat ergo
 « Faustus monarchiæ opinionem non ex genti-
 « bus nos habere, sed gentes non usque ad eò
 « ad falsos deos esse delapsas, ut opinionem
 « amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis
 « qualiscumque natura. »

2º Eadem assertio confirmatur auctoritate
 poetarum omnium, qui eloquentiæ et artis suæ
 luminibus populorum religiones exornârunt et
Unus Romam, alius Carthaginem tuebatur. Illi dii quomodò æterni et ingenti haberi poterunt? Certè apud veteres poetas et theologos, illorum ortum et natalia deprehendimus. Aliunde tamen certissimum est gentiles agnovisse Deum ingentem et æternum, causam primam et universalem rerum omnium, quod modo confecimus. Ili ergo characteres cum non conveniant ulli ex memoratis diis, necesse planè est constiteri, agnovisse eos supremum quemdam Deum, qui ut hominum, sic quoque *deorum pater, rex et æterna potestas esset*.

Ex his omnibus perspicuum esse videtur, non id multorum deorum cultoribus crimini dandum, quod multis supplicaverint diis ex infinito tempore existentibus, nullique cause subjectis; sed sunt graviter vituperandi quod cultum summi rerum omnium conditoris, cum conditarum et genitarum rerum cultu confuderint : vel potius quod, contempto vero Deo vel præterhabito, impense creaturas adoraverint, uti illis exprobrat divus Paulus in Ep. ad Rom. : *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitiâ detinent ; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit ; invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (1).

Si quæras unde ortum habuerit hæc incredibilis paganorum superstitio, respondeo illius causam nullam aliam quærendam esse, præter naturalem vulgi levitatem et credulitatem. Quotquot verò philosophicè polytheismi originem explicare conati sunt, etsi vera multa dixerint, tamen in multis etiam recedunt à veritate. Hæ fuerunt magis celebratæ apud veteres sententiæ :

Primò. Multi hanc deorum multitudinem inde profectam existimabant, quod putarent veteres religionum inventores, aut totum mundum animatum esse ac ipsum esse supremum Deum, ad eoque omnes mundi partes totidem esse viventiæ Dei membra, aut saltem existimarent orbem hunc speculum esse divinitatis,

(1) Sed tamen summum Deum cum et philosophi et poætæ et ipsi denique, qui deos colunt, sæpè fateantur, de cultu tamen et honoribus ejus nemo unquam requisivit, nemo disseruit, illâ scilicet persuasione, quâ semper beneficium, incorruptumque credentes, nec irasci eum cuiquam, neque ullo cultu indigere arbitrantur. *Lact. de Irâ Dei c. 11.*

seu spectabilem invisibilis Dei imaginem; diversas ejus partes, omnesque naturæ effectus tot esse declarationes et simulacra divinæ potentiae et providentiæ, et judicarent nobis mortalibus fas non esse, omnem illam, quam divinæ naturæ debemus, reverentiam hæc unâ generaliori neque satis explicitâ professione concludere, esse numen aliquod supremum, sed omnia in quibus divina virtus hominibus sese spectandam et admirandam præbuerit, separatim considerari debere, divinique honoris partem aliquam suo jure poscere. Quod ut commodius præstarent, placuit illis ex hujus universitatis partibus totidem conficere personas. Hæc sententia Stoicorum fuit et fusè exponitur à Cicerone l. 2 de Nat. deorum.

Sed explicatio hæc nimium subtilis habita est ab ipsis veteribus paganis, uti patet ex ejusdem Ciceronis libro tertio. Gravius etiam antiqui Ecclesiæ christianæ doctores, Arnobius, Lactantius, Eusebius, Augustinus, et alii in has ineptias inveci sunt, et certè illi benè noscebant religionis, quâ ab infantia imbuti fuerant, genium et naturam.

Secundò. Alii docuère ista varia, quæ usurpabant veteres, deorum nomina, unum summum Deum exprimere, et illi tot nomina imposita fuisse pro multifariis ejus virtutibus in orbe conspicuis, et beneficiis ac donis, quibus homines cumulavit; atque sub his nominibus eidem Deo creatori varios honores decretos fuisse: hinc etiam evenisse aiunt, ut multæ res per se minimè subsistentes in deos tamen et personas à veteribus commutarentur, ac tanquam totidem nomina et notiones unius supremi numinis religioso cultu afficerentur. « Quoties voles, inquit Seneca de Benef. l. 4, c. 7, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus esse possunt, quot munera; hunc et Liberum patrem, et Herculem, et Mercurium nostri putant; sic hunc naturam vocas, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei sunt variè utentis suâ potestate. » In hæc sententiâ fuere fortassis quidam inter ethnicos philosophi; sed quicumque vel leviter versatus est in antiquitate pagana, optimè novit hanc non fuisse communem populorum opinionem; neque etiam doctos esse ausos mentem suam aperire, aut id non fecisse imponè. Alii tandem cum Evhemero, qui de hæc re librum scripsit, contenderunt totam deorum turbam, homines esse mortuos. sed ab istâ opinione tanquam ab inextinguibili blasphemâ abhorruère, qui inter ethnicos pii

et religiosi erant, prædictumque auctorem propterea severè reprehendit Plutarchus (1).

PROPOSITIO II.

Abhorret ab omni ratione portentosa veterum quorundam, uti fertur, de duobus diis contrariis æternis et independibus doctrina, quæ vulgò tribuitur Manichæis.

PROBATIO. — 1º Repugnat notio entis summè mali: nam per principium malum, vel intelligitur ens infinitè contrarium bono principio in omni re, ut tenebræ opponuntur luci: vel intelligitur principium consors earumdem perfectionum, solâ exceptâ benevolentia. Atqui in utroque sensu repugnat principium malum. Si sit ens infinitè contrarium in omni re, est solummodò infinita non entitas, et debet continere negationem earum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo; intelligentiæ, potentiæ, et universæ realitatis: sicut tenebræ, quo nomine designabatur malum principium, sunt negatio lucis. Jam verò hoc idem est ac si diceres existere nihilum infinitum et necessarium et malum. Deinde si intelligas naturam participem divinarum perfectionum, intelligentiæ, potentiæ, etc., sed malevolam, constabit illud ens attributis repugnantibus. Nam primum non intelligitur, quomodò à choro aliarum virtutum voluntas recta abesse potest, quia quæque res vult et propendet juxta suam naturam: cum igitur supponatur illud ens esse intelligens, id est, id quod rectum est, videre et probare per intellectum, non intelligitur quomodò rectum aversetur per voluntatem, aut rectum non prosequatur. In istâ saltem hypothesei interire concipitur omnis illius entis felicitas, siquidem perpetuò secum divisum et

(1) Haud improbabile ex pluribus causis pro variis regionibus et circumstantiis natum esse Polytheismum. Duas præsertim mirè describit auctor sacer, lib. Sapient. c. 15 et 14, quòd scilicet naturæ illecebris malè capti homines, creaturas earumque confictas imagines, pro Creatore coluerint; quòd etiam divinis honoribus homines defunctos imple charitate vel adulatione fuerint prosecuti. *Acerbo enim lactu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. Deinde, interveniente tempore, coalescente iniquâ consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, et tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et nos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quòd longè essent, è longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, ut illum qui aberat, tanquam præsentem colerent suâ sollicitudine*, cap. 14, 15, 16, 17. P. S.

miserè in partes contrarias distractum est, ipsamque suam naturam odio habere probatur. Tandem non intelligitur, quomodo ens intelligens capere possit mala consilia, nisi ex ignorantia recti, vel utilitatis alicujus spe, quod rectum cernit et necessariò probat, nec à recto avocatur utilitatis alicujus consideratione, rectum necessariò sequitur. Atqui ens quod æternum, et independens, atque infinitè intelligens supponitur, rectum ignorare nequit, et sibi sufficiens nullius utilitatis consideratione à recto avocari potest. Ergo malum prosequi nequit. Vide infra ubi de voluntate Dei.

2º Positâ existentâ entis mali et independentis, tollis Deum. Deus enim, uti supra declaravimus, est ens summum et perfectissimum, et necessarium, et infinitè intelligens, et infinitè potens, et immensum, etc. Atqui in hypothesis duorum deorum intercunt hæc omnia attributa. Non est summus, qui habet æqualem et socium. Non est necessarius, qui non est singularis et unicus, quia non existentem possumus cogitare. Non est immensus, excluditur enim ab illo ente maligno independente (1). Non est infinitè intelligens, non noscet quippe consilia illius entis, à quo abest et à quo naturâ dividitur. Non est infinitè potens, cum experiatur hostem æquè potentem. Non est sibi suliciens et felix, cum spe suâ sæpè fraudabitur et irritos sentiat conatus suos.

3º Ridiculè et sine causâ inventa est duorum deorum hypothesis, quia inepta est ad explicandam mali originem. Nam vel supponitur illa duo principia cœterna agere ex necessitate naturali, uno perpetuò et necessariò bonum operante; altero necessariò operante malum: vel supponitur illa duo principia consultò et liberè agere ex pacto fœdereque inito. Atqui in neutrâ hypothesis explicatur origo mali. Primò. Si ponas illa duo principia agere ex necessitate naturali, ipsam mali moralis notionem sustulisti: omnia enim tunc contingent ex efficaciâ naturali illorum duorum principiorum, quam frangere nec nos mortales nec illi di poterunt, et proinde nullus erit locus libertati, sine quâ nihil morale esse potest. Deinde verò

(1) De summo et vero Deo, utrùm sit finitus necne, si quæritur, de hoc boni et mali contrarietas breviter poterit edocere, quandoquidem, si non est malum, profectò infinitus est Deus. Habet autem finem, si malum est. Non igitur infinitus est. Illic enim esse mala incipiunt, ubi honorum est finis. Faustus Manichæus apud S. Augustinum. Nihilominus asserabant Manichæi Deo omnia alia attributa præter immensitatem.

in istâ hypothesis sic hec conficere: Vel inæqualis est duorum principiorum potentia, vel æqualis. Si inæqualis, cocerebit necessariò unum alterum; bonum, si prævaleat, malum hæchari non sinet, nec sincere poterit. Si malum viribus superius sit, nullum erit bonum, et erit semper quantitas liquidi boni vel mali pro excessu virium aut unius aut alterius. Si æqualem fingas utriusque vim, inde tantum oritura est summa confusio et inconstantia, uno perpetuò destruente alterius opera, vel potiùs nihil orietur, cum ex contrariis viribus nascatur quies. Neque dicas orituram æqualem mixturem bonorum et malorum: nam illa non concipitur mixtio, nisi ponas duo principia concurrere ad ejusdem rei productionem, uno quaedam liquida bona suppeditante, et alio mala infundente æquali mensurâ. Sed hic nulla est pugna, sed potiùs fœderis cujusdam imago, quod jam considerandum est. Secundò. Non meliùs explicatur origo mali, si ponas illa principia liberè agere et post expertas mutuas vires fœdera iniisse, uti ponit Baylius. Nam primum in hæc hypothesis non minus auctor mali Deus bonus constituitur, quàm in communi et pervulgatâ opinione. Nam sic supponitur Deum bonum tolerare malum, quia ad id fœdere adstrinxit sese, eo fine, ut aliqua etiam bona existerent. Sed sic malum liberè et ex fœdere tolerando auctor mali invenitur, eodem modo ac in pervulgatâ opinione. Nam æqualiter mali auctor censeri debet is, qui creaturam suam exponit ludibrio et malitiæ entis maligni, ac is qui creaturam mali capacem generat. Si Deus potuerit consentienter suæ bonitati producere res, quas genii mali furoribus obnoxias fore cognovit intuitu illius boni quod illis inditurus erat, potuit etiam creaturas producere consentienter suæ bonitati, quas ex naturæ suæ imperfectione miseris obnoxias futuras prescivit, propter illud bonum, quod cum istâ imperfectione conjunctum futurum erat. Nam eodem planè rexit, nec magis nec minus distat à bonitate, consentire, ut creaturæ malis naturalibus implicentur ex internâ naturæ constitutione, an ex efficaciâ externæ causæ: atqui si satius fuit hominem existere obnoxium malitiæ principii mali quàm omninò non esse, satius etiam certè fuit hominem in hæc mortali conditione cum vitæ miseris et peccandi libertate existere, quàm omninò non esse. Deinde illa hypothesis experientiâ confutatur: nam si fœdere res inter duos deos compositæ fuissent, æquæ esse debuissent conditiones,

et in omni re æqualem vim utrumque principium exercere et æquale habere imperium debuit. Sed rem aliter contingere experimur. Quia notum est ex uniuscujusque hominis prudentiâ, consilio et industriâ pendere magnâ ex parte felicitatem suam; et miserias non tam fatali lege, quàm ex imprudentiâ et intemperantiâ oriri: quod ostendit non ex fodere duorum principiorum exitisse præsentem rerum ordinem, sed unius entis consilio, quod nostram fortunam propriæ industriæ et prudentiæ magnâ ex parte opus esse voluit. Præterea non intelligitur, qui in fœdus coire tam contrariâ principia poterint et in eadem re finem suum obtinere: videtur certè hæc conventioe utrumque spe suâ fraudatum esse; nam bonus Deus absolutum et liquidum bonum naturâ prosequitur; malus verò Deus malum absolutum. Neutrum tamen hæc ratione contingit, cum mali pondus suspendat æqualiter bonum, et irriti fiant utriusque naturales conatus. Deinde mali principii ingenio satis benè congruisse videtur omnium rerum summa perturbatio, et ut nihil esset constans et permanent; qui ergo ordinis introductioni consentire potuit? Infinita alia hujus opinionis absurda consecraria enumerare liceat, si operæ pretium esset, inter quæ hoc unum est, quod manifestè tollat omnem religionem, nullam relinquens spem in boni Dei præsidio, aut in mali genii placabilitate.

Ab hæc tam absurdâ doctrinâ longissimè disjunctos fuisse omnes veteres philosophos, omnesque antiquissimas gentes calumniatas à Baylio, demonstrârunt Cudworthus in Syst. intell. Hyde de Rel. vet. Pers. et Beausobre in Historiâ Manichæismi.

PROPOSITIO III.

Deus eo sensu unicus est, quòd solus necessariam et æternam habeat existentiam: nec materia ullo modo in hujus necessariæ existentie participationem venire potest.

PROBATIO. — 1^o Hoc faciunt illa omnia quæ supra disputata sunt in argumentis physicis, ubi conclusum est materiam esse effectum arbitrarium entis à materiâ disjuncti. Illa quoque, quæ de entis necessariis et independentis summâ et absolutâ perfectione dicta sunt. Et tandem illæ rationes hæc conferri possunt, quibus modò divinæ naturæ unitatem probavimus. Adeoque hic expendemus solummodò contrariæ sententiæ tam communis apud veteres philosophos, fundamenta.

2^o Ob duplicem causam ista hypothesis in-

venta fuit. Primum, quia difficilè concipitur creatio, et quia apta visa est ad explicandam mali originem. Primum fundamentum vanum esse superius ostensum est. Et profectò tam obscura et difficile est cogitatio quomodò Deus regere possit rem necessariam et à se naturâ independentem, ac quomodò creare possit: hæcque recurrit illæ Epicureorum non leves quæstiones: Quæ molitio? Quæ fermenta? Qui vectes? Quæ machinæ? Qui ministri tanti operis fuerunt? Quæ nullâ aliâ ratione eludi possunt, nisi faciendo materiam divinæ potestatis effectum. Secundum ergo fundamentum expendamus. Vel enim dicendum erit cum Stoicis materiam carere per se omni qualitate et esse ad omnem usum aptissimam; vel cum Plutarcho et aliis philosophis materiæ inesse naturaliter motum inordinatum et vim quandam maleficam. Sin prius eligas, confutaris hæc Ciceronis argumentatione:

« Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse quod Deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nullâ contentione, mente ipsâ ac voluntate moveantur, sic numine deorum omnia fingi, moveri, mutarique posse. Materiam enim rerum ex quâ et in quâ omnia sunt, totam esse flexibilem et commutabilem, ut nihil sit, quod non ex eâ subito fingi contrivertique possit: ejus autem universè rectricem et moderatricem divinam esse providentiam: hanc igitur quòcumque se moveat, efficere posse quid velit. Itaque aut nescit quid possit, aut negligit res humanas, aut quid sit optimum non potest judicare. » De Nat. deor. l. 3. Sin secundum eligas, communis etiam recurrit objectio, quam sic urget Tertullianus contra Hermogenem cap. 10: « Aut enim potuit Deus emendare materiam, sed noluit; aut voluit quidem, verùm non potuit infirmus Deus. Si potuit et noluit, malus est ipse, quia malo favit, et sic jam habetur ejus assentator, licet non instituerit: quia tamen si nolisset illud, non esset, ipse jam fecit esse, quod noluit non esse: quo quid turpius? Si voluit esse, quod ipse noluit fecisse, adversus semetipsum agit, cum et voluit esse quod noluit fecisse, et noluit fecisse quod voluit esse... Invenietur Deus egisse malè, si per voluntatem; turpiter, si per necessitatem; aut famulus erit mali Deus, aut amicus. »

Deinde in hæc hypothesi non erit auctor boni Deus, magis quàm mali. Nam in materiâ vel

nihil erat nisi malum, vel erat mali et boni quædam permixtio. Si nihil præter malum, non potuisset ex eâ bonum elicere, ejus siquidem æternam et necessariam naturam mutare non potuit. Si malum et bonum simul existerent, ergo Deus non magis est auctor boni quàm mali. Sed, inquires cum Plutarcho, Deus inordinatos motus æternæ materiæ temperavit, et ita ex malo bonum produxit, adjectique partem suæ substantiæ, quæ quasi re-ctrix et moderatrix in eadem temperatione materiam contineret. Sed vana hæc est responsio: nam si Deus aliquid malum tollere potuit, totum cur non tollere potuisset? Cur materiæ inordinatos motus ex omni parte non temperavit? Præterea adjectione istius portionis divinæ substantiæ, à quâ bonum omne fluit, reverà mali omnis auctor exiit Deus. Nam malum morale in illâ sententiâ in eo positum est, quòd vis malefica, naturaliter insita materiæ, partem cælestem superet, illamque subigat et impotenter ferat in omne malum: adeoque Deus similis est patris, qui filium patitur conscendere equum rabidum et frena renuentem, qui per præcipitia raptabit et elidat, quod maximè abesse videtur à parentis optimi benignitate.

Tandem in hæc opinione, ut in illâ superiore duorum deorum, nullo modo potest religio consistere: hæc omnis posita est in eo, quòd ex divino præsidio malorum omnium liceat sperare liberationem et ex divinâ iracundiâ mala multa nostris capitibus impendeant. Atqui in hæc hypothesi Dei præsidio vitandi mala spes nulla affulget; malum quippe ex constitutione naturali exoritur, aliàs non absolvitur Deus: et nihil à Deo metuendum nobis est, qui nihil mali facere potest, nec punire debet ob malum ex rerum naturali constitutione ortum.

ARTICULUS II.

DE ATTRIBUTIS DEI COMMUNICABILIBUS.

Hactenus illa attributa exposuimus, quæ propria sunt supremi numinis et includuntur in conceptu entis necessarii, neque ullo modo communicari possunt naturis finitis. Illic ea nobis evolvenda sunt, quæ ad ens necessarium pertinent quatenus vitâ præditum, quæque mentes finitæ aliquâ ratione participant, qualia sunt, vita, scientia, potentia, voluntas, libertas, felicitas.

De vitâ Dei. — Per vitam entis alicujus generatim intelligitur ille motus, vel illa actio seu vis interior, quâ explicantur ejus facultates atque virtutes. Vocis istius infima acceptio est, cum tribuitur rebus, quæ in permanenti

statu servantur per motum sibi proprium. Hæc sensu dicimus aquas viventes. Proximus gradus vitæ illorum entium proprius est, quorum partes ita sunt comparatæ, ut capaces sint nutritionis et incrementi: talia sunt lapides et fossilia omnia, sed præsertim plantæ atque arbores, quæ in se abdita continent vegetationis principia, et certis anni tempestatibus induunt se sponte suâ in florem, ac folia fructusque explicant. In animalibus organa et officia vitæ magis sunt exquisita, spontaneo feruntur motu; pascuntur quoque sponte suâ et speciem propagant: in iisdem clara habemus sensuum et passionum indicia, nec eorum motus ad mechanicas leges revocare possumus. In homine vitæ principium excellentius est; per illam enim facultatem, quam intellectum nominamus, quæque fluit ex ejus vitâ vel vitæ ejus pars est, non solum de rebus judicat, deliberat, ratiocinatur, quod non faciunt animales, sed se immiscere toti rerum universitati, ipsum cœlum et Deum mente adire, et omnes rerum ordines perscrutari potest. Puriores esse spiritus auguratur ipsa ratio, in quibus vitæ vividum principium magis viget, quique non tantum habent facultates nostras in perfectiori gradu, sed fortassè continet eorum vita vires novas, quarum nullam ideam informare animo valemus.

Ex his creaturarum rerum vitis aliquam informare notionem possumus istius vitæ, quæ omnium aliarum fons et principium est. Sed meminimus eam semper esse distantiam inter vitam excellentissimam rerum creaturarum et vitam numinis, quanta est inter finitum et infinitum, inter ens necessarium et contingens, inter ens independens et naturam precariam; Deum non tantum continere illas vires, quas in creaturis experimur, in summo gradu et sine adjunctâ aliquâ imperfectione, sed infinitas alias vires ejus vitæ appendices esse, quas omnino ignoramus. Ille solus propriè continet vitam in semetipso, propriè habet immortalitatem: omnia alia entia ejus vitæ participatione vel efficientiâ vivunt, *in ipso vivimus, movemur et sumus*. Propter hanc immortalem semperque actuosam vitam, solebat Plato Deum appellare *naturam pervigilem*, utpote quæ nunquam dormit aut cessat, sed perpetuâ et nunquam interruptâ activitate viget. Idcirco etiam Aristoteles appellabat Deum *energiam*, seu *vim essentialem et substantialem*: ut nempe exprimeret perpetuum et infinitum vigorem supremi numinis. In hoc igitur differt vita Dei ab aliis

attributis , quòd latiùs pateat et sit complexio omnium virium istius entis infiniti ; non tantum earum , quæ à nobis cognoscuntur , sed earum etiam quæ in Deo abditæ sunt.

De scientiâ Dei. — Esse Deum intelligentem efficiunt ea omnia argumenta , quæ supra attulimus ad faciendam ejus existentiam. Nul- lum est inter argumenta seu moralia , seu phy- sica , seu metaphysica , quod hùc conferri non possit. Adeòque hic solummodò breviter de- clarandum est , quousque sese extendat hæc Dei scientia.

I. « Deus seipsum perfectissimè novit. » Quia primò cum sit ens perfectissimum , non potest carere cognitione objecti præstantissimi. Quia secundò non concipitur quomodò Deus aliter intelligens esse possit , quàm seipsum compre- hendendo. Nam cum præter Deum nihil per se existat , vel cognitio Dei est comprehensio sui ipsius aut nihili. Sed non est comprehensio nihili : cum comprehendere nihilum et non comprehendere sint quid unum atque idem. Quia tertio Deus est ens intelligens et sibi in- timè præsens ; ergo habet sui conscientiam.

II. « Deus novit omnes rerum essentias , omnesque rationes , quæ sunt inter illas es- sentias , id est , omnem veritatem. » Nam Deus est sempiterna et incommutabilis natura , ea omnia quæ incommutabiliter vera sunt continens ; seu essentia rerum et earum rationes nihil aliud sunt quàm modi mentis divinæ , ut supra effectum est.

III. « Deus novit omnia entia possibilis seu omnia , quæ extra Deum existere possunt. » Primò , Deus cognoscit seipsum et consequenter potentiam suam : cognoscit etiam rerum omnium essentias rationales et metaphysicam earum possibilitatem. Atqui entia possibilis sunt res quibus divina potentia dare potest existentiam. Deinde mens infinitæ perfectionis id omne complexi notitiâ suâ debet , quod est in rerum intelligibilium genere. Atqui res possibilis tales sunt. Denique Deus potest res possibilis ad existentiam perducere , quia omnipotens ; et multas reverà produxit. Atqui Deus non posset velle producere res possibilis , nisi easdem ante cognosceret. « In sapientiâ Dei , inquit S. Aug. de Civ. Dei , l. 11 , sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium , in quibus sunt omnes invisibiles et incommutabiles ratio- nes rerum , etiam visibilibus et mutabilibus , quæ per ipsum factæ sunt : quoniam Deus non aliquid nesciens fecit , quod nec de quolibet homine artificis dici potest. Porrò si sciens fe-

cit omnia , ea utique fecit quæ noverat , ea quo- occurrit animo quoddam mirum , sed tamen verum , quòd iste mundus nobis notus esse non posset , nisi esset : Deo autem nisi notus esset , esse non posset. » Hæc scientia dicitur à scholasticis *scientia simplicis intelligentiæ*.

IV. « Deus novit omnia existentia , etiam minutissima , et ipsas hominum cogitationes. » Primò. Omnia quæ sunt , in Deo vivunt , mo- ventur et sunt ; seu per omnipotentem ejus efficaciam existunt , agunt et diriguntur. At- qui Deus novit ea quorum ipse auctor , con- servator et moderator est. Deinde Deus illa omnia novit quibus intimè præsens est ; atqui omnibus rebus præsens est per immensitatem. Hæc duo argumenta pulchrè conjungit David. Ps. 139 : *Quò ibo à spiritu tuo , quò à facie tuâ frigiam ? Si ascendero in cælum , tu illic es ; si descendero in infernum , ades. Si sumpsero pen- nas diluculo (vel diluculi seu lucis) et habitave- ro in extremis maris , etenim illic manus tua de- ducet me , et tenebit me dextera tua.* Denique Deus creatoris suis intelligentibus concessit facultates videndi , audiendi et variâ ratione percipiendi. *Sed qui plantavit aurem , ipse non audiet ? Qui fixavit oculum non considerat ? Qui docet hominem scientiam , ipse non intelligit ?* Ps. 94.

V. « Deus novit etiam ab æterno futura omnia , seu necessaria , seu libera. » Nam primò , Deus est ens infinitum et perfectissimum , cui nihil accidere potest de novo , cujus scientia nulla incrementa capere potest. Sed si Deus non cognosceret res omnes futuras , non haberet cog- nitionem perfectissimam et singulis diebus ejus scientia amplificaretur. Quod longissimè videtur abhorre à dignitate entis infiniti. Secundò. Sublatâ Dei scientiâ futurorum , tol- litur divina providentiâ cum attributis morali- bus. Nam ille non potest universitatem sapien- ter , benè et justè ordinare , qui non novit omnes suarum operationum exitus et conse- quentias , et consequenter ignorat , quæ mala oriri possint , aut quæ remedia sint malis na- scentibus afferenda ; qui perpetuò et singulis momentis manum operi suo emendatricem ad- movere propter mala non prævisa cogitur , haud secùs ac artifex , qui horologii à se con- structi motus omnes non prævidisset , nunquàm sanè certus esse posset illud fini ad quem des- tinavit inservire posse. Tertio. Omnis opifex , qui operis alicujus inventor , et etiam creator atque unicum adminiculum est , qualis est Deus , non potest non cognoscere interiùs opus

suum, illius omnes motus perspicere, illiusque fortunæ omnem prævidere. « Nota est diis, ut ait Seneca de Benef. l. 4, c. 32, operis sui series. Omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit, et quæ repentina putamus, illis provisa veniunt et familiaria. » Quartò. Deus in summo gradu possidet id omne quod nos aliquâ ratione participamus: itaque si nos ipsi cæci mortales aliquam probabilem conjecturam ex rerum circumstantiis et cognitio imperfectè hominum indole, propensionibus et cognitionibus capere possimus de futuris etiam liberis actionibus, et eò securius iudicare possimus, quò perfectiùs illa omnia noverimus; Deus ergo cognitis perfectè omnibus omnino actionum principis habere potest actionum liberarum certissimam præscientiam. Quintò. Denique id efficitur ex vaticinationibus olim factis afflante Deo, quibus prædicti sunt non tantùm eventus ex causis naturalibus et necessariis, sed etiam ex causis liberis procreati, qualia sunt fata imperiorum, humana consilia, hominum virtutes et vitia. Præscientia ergo Dei tot habet testes, quot fecit prophetas. Hæc scientia vocatur in scholis *scientia visionis*.

Iisdem rationibus efficitur Deum nôsse omnia etiam futura conditionata, id est, ea quæ futura essent, si hæc aut illa poneretur conditio: quam scientiam conditionatorum Molina et ejus discipuli vocant *mediam* inter scientiam *simplicis intelligentiæ*, et *scientiam visionis*. Sed qui S. Augustini et Thomæ nominibus sese nuncuparunt, scientiam conditionatorum ubi conditio non est ponenda, sed possibilis tantùm, revocant ad *scientiam simplicis intelligentiæ*, quæ versatur circa res possibles; ubi conditio ponenda est, revocant ad *scientiam visionis*.

Objicies: Scientia illa futurorum liberorum cum humanâ libertate nequit consistere. Nam id, quod certò præscitum est, certò est futurum. At quod certò futurum est, id non contingens, sed necessarium est. — Respondeo: Nego minorem. Fateor quidem nihil certò præsciri, quod non sit certò futurum; sed nego nihil certò futurum esse, quod non sit necessarium. Magnum esse discrimen inter rei certitudinem atque rei necessitatem, vel ex eo patet, quòd plures quotididè cernamus effectus causarum contingentium et liberarum, qui certò sunt, etsi potuissent non esse, et consequenter non sunt necessarii. Nam quodcumque est, id certò

est, licet non necessariò: sic etiam quod certò nunc est, certò erat futurum, quamvis non necessariò. Eventus tantùm hic necessarius est, qui habet causam necessariam; sed eventus omnis certus est, qui certò est futurus, quamvis pendeat à causâ participæ libertatis. Ergo si id quod liberè fit, certò nihilominùs futurum est, et quod certò futurum esse possit certò præsciri, manifestum est præscientiam involvere quamdam eventòs certitudinem, nequaquam verò necessitatem. Et verò præscientia non affert majorem necessitatem rebus præscitis, quàm scientia rebus cognitis. Nam præscientia in Deo nihil aliud est quàm scientia cui cuncta futura sunt præsentia: sed nemo dixerit scientiam esse causam rerum cognitarum, nec visionem esse causam rerum visarum.

Instabis: Id non contingens, sed necessarium est, quod non potest non evenire. Sed quod certò futurum est et certò præscitum, id non potest non evenire. — Respondeo: Distinguo minorem. Quod certò futurum est et certò est præscitum, id non potest non evenire in sensu composito, concedo: in sensu diviso, nego. Propositio sumpta in sensu composito hunc habet sensum: quod certò futurum supponitur et certò præscitum, non potest supponi non eventurum. Quæ propositio valdè clara est. Ejusdem minoris in sensu diviso intellectæ hic sensus est: quod certò futurum est et certò præscitum, id in nullâ hypothesi potest non evenire, sed est necessarium et habet causam necessariam. Quæ propositio falsa est, quia futura libera et contingentiâ, ut mox diximus, possunt certò præsciri, quamvis non sint necessaria. Idem argumentum afferri potest ad conficiendum omnes quas cernimus hominis actiones esse necessarias; sic enim possis conficere: Id non contingens est, sed necessarium, quod non potest non esse; sed quæ cerno oculis non possunt non esse; ergo sunt necessaria. Manifestum est ad hanc argumentationem afferendam esse præcedentem distinctionem sensûs compositi et divisi: verum quidem est repugnare, ut id quod cerno, dum id cerno, non existat; sed falsum est, ex eò quòd aliquid videam, id habere causam necessariam.

Instabis: Ex concessis actiones create voluntatis non possunt non evenire in sensu composito præscientiæ divini: ergo necessitas existendi conjuncta est cum præscientiâ Dei. Distinguo consequentiam: ergo necessitas exi-

stendi hypothetica et consequentiæ, ut aiunt, conjuncta est, etc., concedo. Ergo conjuncta est necessitas antecedens et consequens, nego. Si dixerò, v. g.: Deus prævidet hoc anno in aliquibus partibus seu Europæ, seu Asiæ exarsurum esse bellum; ergo bellum exarsurum est, consequentia quidem est necessaria, et existit hypothetica quadam necessitas: nam non potes tollere quod semel posuisti. Posuisti bellum exarsurum esse, Deum id præcisciisse, non potes ergo contrarium ponere. Sed tamen consequens est contingens, non necessarium, quia id non continget ex causâ aliquâ necessariâ, sed liberâ aliquorum principum determinatione. Profectò haud magis Dei scientia affert voluntati principum necessitatem, quàm mea probabilis conjectura, quæ certè nullo modo eorum afficit voluntatem.

Solent theologi scholastici hoc loco fusè disputare de modo scientiæ divinæ et mediis in quibus Deus res omnes videat. Satis unanimiter definiunt Deum semetipsum cognoscere sine medio: res omnes possibles in essentiâ et omnipotentia suâ; omnes res existentes, in decretis suis et operationibus. Sed quod spectat res futuras in magnâ sunt dissensione. Thomistæ, præmotionis physicæ defensores, contendunt Deum futura omnia seu necessaria, seu libera videre in decretis suis absolutis et physicè præmoventibus ac prædeterminantibus. Juxta alios Deus eadem futura novit in suâ essentiâ tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita: supposito tamen decreto, seu positivo, seu permissivo de eorum futuratione. Juxta alios, Deus res futuras cernit in earum cum æternitate divinâ coexistentiâ. Tandem alii sunt, qui docent Deum futura omnia cernere in proximis eorum causis: futura necessaria in causis necessariis; libera in hominum voluntatibus per eminentissimam quendam cognitionem liberi arbitrii. Sed ne nos hæc inextricabilibus questionibus implicemus, vetat auctoritas S. Augustini, qui in Ps. 49, nobis præceptum et exemplum reliquit his verbis: « Non audeam dicere quomodò Deus novit. Non hoc à me, fratres, expectetis, ut explicem vobis quomodò cognoscat Deus. Ille solùm dico: Non sic cognoscit ut homo: non sic cognoscit ut angeli: et quomodò cognoscit dicere non audeo, quoniam et scire non possum. » Sudent etiam inter scholasticos sapientissimi, qui contententur omnem hanc disputationem nisi conjecturis. Et profectò res aliter esse nequit. Nam non possumus nobis

aliquam informare notionem divinæ intelligentiæ quàm ex nostris facultatibus, quæ vel hoc solo infinitè distant à virtutibus divinis in modo existendi, quòd nos nihil possideamus per nosmetipsos, habeamus precariam scientiam, precariam vim, precaria omnia et aliunde advenientia: Deus verò cuncta quæ habet in se et per se possidet et nihil emendicet à suis creaturis, non ipsam cognitionem earum existentiæ.

De voluntate Dei. — Nulla vox est magis in sermone communi familiaris, nulla etiam quam philosophi et theologi sæpius usurpent, quàm ista vox *voluntas*; nulla tamen magis ambigua, quæ ambiguitas fortè multarum disputationum causa extitit. Quandoque per voluntatem intelligitur divinæ naturæ potentia, et hoc sensu dicitur, voluntatem Dei esse omnipotentem. Aliàs per voluntatem intelligitur divina libertas, et hoc sensu dicitur voluntatem Dei esse liberam. Sed profectò valdè improprie, quasi verò una facultas haberet aliam facultatem ac facultas voluntatis dici possit habere facultatem libertatis. Melius diceretur: Divina natura est omnipotens, est libera, etc. Sæpius etiam tum philosophi, tum theologi per voluntatem intelligunt inclinationem versùs bonum, cui propensioni concipimus esse in Deo aliquid analogum, quod amorem quoque nuncupamus: manifestum est hunc vocis sensum multùm differre à libertatis vel potentiæ notionem, et hæc est in præsentì loco vocis illius acceptio. Voluntatem ergo definimus propensionem in bonum seu amorem boni.

I. « Deus summâ voluntate seu amore seipsum, suasque perfectiones prosequitur. » Nam primò enti perfectissimo nulla desse potest vera perfectio, cujus possessione melior aliqua natura esse possit. Atqui amor sui ipsius objecti videlicet optimi, et propensio in id omne quod pulchrum est atque bonum, est vera perfectio, quâ si singas Deum carere, cum imperfectum statim cogitabis. Sicut enim concipimus scientiam præstare potentia, cujus cæcos impetus præcipientesque conatus temperat: sic quoque insita est omnium animis, ut loquuntur Plato et Aristoteles, divinatio quædam atque præsentio, aliquid mentis, cujus excellentius existere ipsi scientiâ, aliisque omnibus perfectionibus. Est hic amor recti fundamentum omnium perfectionum Dei moralium, veritatis, bonitatis, justitiæ et sapientiæ, etc., quæ aliter concipi nequeunt, quàm ut exercitationes ad extra istius amoris et propensionis in se-

ipsum et id omne quod bonum est. Sine illo amore habebis in potentiâ et scientiâ divinâ causas cur metuas et verearis Deum; cur diligas et fiduciâ plenus complectaris, nullas prorsus causas animadvertis. Ergo hanc perfectionem Deo denegare non possumus. Secundò. Deus creaturis rationalibus, quas ad sui imaginem fluxit, indidit illum amorem et inclinationem versùs bonum et rectum, et crescit illa propensio pro naturæ dignitate. Ergo in Deo qui summum gradum omnis perfectionis tenet, et cujus naturæ summa dignitas est, debet idem amor summus et infinitus esse. Hoc quoque agnoverunt omnes philosophi. Plutarchus in vitâ Aristidis p. 322, t. 1, scribit: « Et quidem Deus tribus præcellere videtur, immortalitate, potentiâ et virtute: inter quas summæ majestatis et divinitatis virtus. Nam vacuum quoque et elementa æterna sunt: vim verò terræ motus, fulgura, ventorum procelle, aquarum impressiones ingentem obtinent: at juris rectique ne Deus quidem, nisi sapiendo et ratiocinando venit in consortium. Quare cùm tria quoque sint, quibus affectum erga Deum vulgus est, quòd eum beatum putet, timeat et honoret, beatum ducere videtur, quia immortalis est nec interit; exhorrescere et metuere ob vim et potentiâ; diligere et honorare et venerari justitiæ causâ. » Plato in libris de Rep. ubi de virtute disserit, docet summum bonum neque voluptatem esse, neque intelligentiam et scientiam, sed amorem recti. Ideò apud Platonicos virtus, qui est in homine constans voluntas legibus æternis parendi, vocatur *imitatio divinitatis*; hincque patet quàm consentiens veræ philosophiæ sit illa divinæ naturæ descriptio apud beatum Joannem sub notione charitatis: *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. Quàm divinâ etiam sit illa Apostoli Pauli sententia: *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum quasi æsonans et cymbalum tintiens. Si habuero prophetiam, et novero omnia mysteria et omnem scientiam..... Charitatem autem non habuero, nihil sum..... charitas nunquàm excidit..... major autem horum est charitas*. Cor. 1 Ep. c. 13.

II. Deus voluntate seu amore naturali nihil prosequitur præter semetipsum. At, ut infra explicabimus, liberè sese determinando ad creaturarum productionem, excitat in se amorem liberum erga creaturas. Nam Deus id solùm naturali et necessario amore prosequitur, quod solùm habet bonitatem absolutam. Sed Deus

solus sine consorte bonus est et solus ab æterno exsistit. Deinde si Deus necessariò et naturali amore diligeret creaturas, essent planè necessariae et ex divinâ naturâ per quamdam emanationem à totâ æternitate fluxissent, uti docuerunt recentiores Platonici.

De potentiâ Dei. — Per potentiâ intelligimus generatim vim efficiendi, et per potentiâ infinitam vim efficiendi omnia possible, seu potentiâ cui nulla adjuncta est imbecillitas. Hujus perfectionis notionem aliquam informamus ex illo dominio, quo animus gaudet in corpus suum, et ex omnibus aliis etiam quibuscumque motionibus et effectibus. Adèò ut hanc ex naturâ rerum tollere nemo unquàm in mentem sibi induxerit. Spinosus et alii athei dùm Deo hanc denegant, materiæ attribuunt. Paucis igitur, quæ ad præsentem questionem pertinent, absolvemus.

Deus habet potentiâ infinitam, 1^o quia Deus est ens perfectissimum, cui nullam denegare possumus perfectionem et nullam adjungere imperfectionem vel imbecillitatem. 2^o Quia nos participamus illam vim, et ens infinitum et perfectum in summo et infinito gradu possidet omnem nostram præfectionem. 3^o Is est omnipotens, qui potest efficere quidquid est possibile, seu quidquid esse potest. Atqui negari non potest sine contradictione Deum non posse facere quidquid est possibile: nam in istâ hypothese res essent possible et non possible: possible ut supponuntur; impossible certè, quòd sine potentiâ Dei esse non possint. 4^o Illius potentiâ illimitatam atque infinitam cogitare debemus, qui hanc rerum immensam molem sustinet, animat, regit cum summâ facilitate: nam nihil est in rebus possiblebus, quod majore difficultatem contineat. Qui potest ex nihilo substantias producere, vires et facultates iisdem addere, easdem vires et facultates moderari, omnia certè potest, quia his tribus omnis potestas continetur.

De libertate Dei. — Libertas (libertas potest definiri *facultas eligendi*) melius conscientiâ intelligitur, quàm definitur; nam nullam habemus vocem clariorem, vel aliquam ideam sensumque, qui nobis sit interior. (Vide infra de Libertate humanâ.) Cum Spinosâ præsertim nobis est in hoc loco disputato, qui negat esse ullam vim sui determinatricem in ullâ re asseritque omnia in Deo, considerato sub formâ extensionis, contingere ex serie impulsuum quorum unus alterius causa sit; et similiter omnia in eodem Deo, considerato sub attri-

luto cogitationis, contingere serie quâdam et nexu cogitationum et volitionum, quarum posterior immediatè præcedentis effectus existat. Propterea in asserendâ Dei libertate quibusdam utemur rationibus, quæ efficiunt solummodò immunitatem à coactione.

Deus est summè liber. Nam 1^o Deus est ens summè et infinitè perfectum, cui nullam adjunctam imperfectionem cogitare possumus: si ergo libertas sit perfectio verè compatibilis cum aliis Dei perfectionibus, erit in Deo libertas infinita. Atqui libertas est naturæ rationalis summa perfectio; hoc certè conscientia nos docet cum majori vi atque auctoritate, quàm quæcumque ratiocinia: illa etiâ tam cognata est cæteris Dei perfectionibus, ut vix ulla sine libertatis notione concipi possit. 2^o Deus omnes habet perfectiones eminenter et in summo gradu, quas possident ejus creaturæ. Atqui nos habemus illam libertatem et consistit tota vita in ejus usu, nec ullo modo istâ perfectione privari vellemus, quia non posset à nobis tolli, quin ipsi à nobis ipsis quodammodò tolleremur. 3^o Est in Deo libertas, si sit in Deo consilium et agat ad fines certos obtinendos: nam consilium et sapientia posita est in electione mediorum ad finem; qui necessariò agit et à se non determinatur, nullos certè fines sibi præscribere potest. Hoc agnoscit Spinoza, et ideò confidenter asserit naturam finem nullum sibi præfixum habere, et omnes causas finales esse humana figmenta. Atqui causas omnes finales tollere, negareque oculum esse factum ad videndum, aut dentes positos esse in ore ad masticandum, insanire est. Cum sapientiâ divinâ intereunt etiâ veracitas, bonitas, justitia, et omnia Dei attributa, quæ si absissent ab ente necessario, quàm longè distaret à perfectione! 4^o Libertas etiâ includitur in ideâ omnipotentia. Nam potentia activa sine libertate concipi non potest, nec potentia infinitè activa sine absolutâ libertate. Ens cujus potentia activæ nullos cogitamus limites, illius etiâ arbitrio nullos positos esse intelligimus, quidvis potest eligere et quidvis facere. Fac, verbi gratiâ, animum non esse liberum ad movendum corpus, perit statim omnis idea activæ potentia in corpus suum. 5^o Deus est ens intelligens. Atqui sine libertate sumptâ generatim pro vi sui determinativâ, nulla esse potest in Deo propriè dicta intelligentia. Nam intelligentia in Deo non potest esse passio ab extrinseco adveniens, seu conscientia passionis, cuius est aliqua causa exterior, cum præter

Deum nulla alia causa agnosci possit; sed est necessariò actio interior naturæ divinæ. Atqui omnis actio Deo interior, et cujus principium est ipsa natura Dei, arguit libertatem sumptam pro facultate agendi sine alterius determinatione. Eodem modo conlicere possis ex naturâ voluntatis divinæ, qui est amor activus. 6^o Si prima causa careret libertate, seu esset agens necessarium, cujus omnes actus sint tam absolutè et physicè necessarii ac ipsius existentia, sequeretur id omne quod non existit, esse non potuisse, et id omne quod est, non potuisse non esse. Sequeretur omnes modos rerum et omnia quæ eveniunt, aliter contingere non potuisse. Hoc confitetur Spinoza. Atqui abhorret à communi sensu asserere nihil esse contingens, modos tantum non potuisse esse aliter quàm sunt. Nam experientiâ compertum habemus et omnium intelligentiæ obvium est cuncta è contrario esse effectus arbitrarios; motum videlicet cum omnibus suis adjunctis, determinatâ velocitate, directione, etc., leges omnes seu gravitatis, seu coæhsionis, etc., numerum et ordinem corporum cœlestium, etc. Quæ necessitas, v. g., fuit ut systema solare septemdecim astris constaret? Ut Mercurius, Venus et Mars nullam lunam seu satellitem haberent, terra verò haberet unam, Jupiter quatuor, Saturnus quinque? Ut tam inæqualis esset orbitarum excentricitas aut tam diversa earum ad eclipticam inclinatio? Ut eam, quâ feruntur, velocitatem haberent, tum circa avem suam, tum circa solem, cum omnis alia æquò esset possibilis? Omnia etiâ quæ in terrâ sunt ad arbitrium composita videmus, in plantis, in animalibus, in hominibus. Quæ necessitas fuit ut colorum numerus ad septem primitivos definiretur? etc. 7^o Nisi prima causa seu Deus esset ens liberum, existeret progressus causarum in infinitum sine ullâ causâ primâ. Nam si nullum ens sit sui ipsius determinativum, seu liberum, nullum erit propriè activum, nullum primum movens, nullum primum cujuscumque seu cogitationis seu volitionis principium; quidquid existit erit passivum et determinatum, seu effectus. Hoc sapius videtur agnoscere Spinoza. (Prop. 33.) Atqui repugnat planè progressus causarum in infinitum sine ullâ causâ primâ, ut per se patet et supra confectum fuit. Ergo.

Objicies cum Spinozâ: 1^o Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis sequi debent. Hoc pertinet ad divinæ naturæ perfectionem; proinde nullus est locus libertati (Cor

ad prop. 17.) 2° Si res alterius naturæ potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ ordo alius esset, Dei etiam natura alia esse posset, quàm nunc est. (Prop. 33, et parte 2, prop. 13, lem. 3.) 3° Qui negant ex necessitate divinæ naturæ omnia necessariò fluere, Dei omnipotentiam negare videntur; coguntur enim fateri Deum infinita creabilia intelligere, quæ nunquam creare poterit: nam aliàs, si scilicet omnia quæ intelligit crearet, suam juxta ipsos exhauriret potentiam et seipsum imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum statuant, eò rediguntur, ut simul statuerent debeant ipsum non posse omnia efficere, ad quæ ejus potentia se extendit. (Prop. 16.)

Respondeo primam rationem esse manifestam petitionem principii. Naturam infinitè perfectam producere posse infinita infinitis modis certum est, sed debere eandem necessitate naturali, infinita infinitis modis producere nullo modo sequitur, nisi primùm ponas illam naturam necessariò agere secundùm vim suam infinitam, quod est positum in controversiâ. Secunda ratio quoque ridicula est: nam nullo modo sequitur mutari naturam divinam, si varia diversis temporibus, et diversis modis producat juxta decreta immutabilia et æterna sui arbitrii. Æquo jure et meliori concludere possemus Deum in hypothesi Spinosæ, ex eo quod producat omnes possibles rerum differentias, ideò ejus voluntatem et naturam esse semper necessariò variam et sui dissimilem. Tertia ratio ejusdem generis est, ac si quis hoc argumento divinam æternitatem tollere velit: si æterna duratio seu omnis possibilis duratio non sit actu exhausta, nunquam poterit exhauriri. Ergo nulla est Dei æternitas. Sic Spinoza per id tolli vult divinam omnipotentiam, per quod Deus constituitur omnipotens. Sicut ergo Deus æternus est, quia ejus duratio exhauriri non potest, sic ideò etiam est omnipotens, quia ejus potentia non potest exhauriri, nec omnia creari possible queunt.

Obijcies 2°: Deus est ens necessarium et immutabile. Atqui tale ens non potest esse liberum. Nam entis necessarii et immutabilis modi omnes sunt necessarii et immutabiles; et ens non potest esse liberum, quin habeat modos contingentes, siquidem unaquæque volitio et actio est entis modificatio, et unaquæque volitio libera est modificatio contingens. — Respondeo 1°: Quamvis immutabilitatem Dei non possemus conciliare cum libertate, hoc non

minueret vim rationum, in quibus utraque Dei perfectio posita est. Nam multa sunt certissima, quæ explicare non possumus. V. g., demonstrant geometræ lineam diagonalem quadrati esse incommensurabilem cum lateribus ejusdem quadrati; neque quomodò id fieri possit, ullo modo explicant. Præterea difficultas hæc non nos solos attingit, sed Spinosam quoque et omnes atheos, qui in suâ materiâ necessariâ perpetuam modorum mutationem agnoscunt.

2° Ab hæc difficultate satis benè expediunt sese qui existimant libertatem in Deo esse quidem immunitatem ab omni coactione et physica necessitate, at benè consistere cum necessitate morali. Nam moralis necessitas æquè adjunctam habet immutabilitatem, ac necessitas physica. Sic si supponas à totâ æternitate menti divinæ præsentibus fuisse omnes mundos possibles: si deinde ponas Deum inter mundos possibles eligere perfectissimum ex necessitate quâdam morali, ortâ ex infinitâ ejus sapientiâ et bonitate; et tandem ponas hanc Dei electionem esse efficacem, in hæc hypothesi omnes hi modi, nempe intelligentia rerum possibilium, volitio, actus sunt aliquo modo necessarii et immutabiles. Intelligentia fluit ex naturali et essentiali energiâ naturæ divinæ, electio ex intelligentiâ fluit moraliter et ex electione operatio. At in hæc sententiâ dicendam est libertatem in Deo esse vim sui determinativam ex motivis rationabilibus inclinantibus cum morali necessitate, quam definitionem amplecti non possumus (1).

3° Quidam theologi existimant pertinere quidem ad naturam entis necessarii et immutabilis, ut omnes ejus modi perfectivi sint necessarii et immutabiles; necesse autem non esse, ut defendamus omnes modos minimè perfectivos, quales sunt volitiones liberæ et omnes ad extra operationes, esse necessarios et immutabiles. Immutabilitatem naturæ Dei propriam salvam consistere putant, quamdiù non acquiritur nova perfectio aut aliqua deperditur. Sed hæc responsio multa habet incommoda et parum consentit cum iis quæ à nobis supra disputata sunt in tertio argumento physico pro existentia Dei, ubi ex modis materiæ contingentibus et mutabilibus conclusimus

(1) Reprobanda est omninò ea opinio quæ libertas cum necessitate morali conciliari posse dicitur. Eam confutabimus cum systemate Leibnitzii infra ubi de Optimo quæstio agetur.
P. S.

matariam esse ens contingens; et simul asseruimus modum existentiae necessariae esse necessarium.

4° Satius aliis philosophis et theologis visum est negare volitiones et operationes liberas esse propriè modos naturæ divinæ, quatenus libere et contingentes sunt: multaque operam posterunt theologi scholastici, ut rem planè superantem intellectum humanum explicarent. Docent volitionem Dei spectari posse duobus modis: primò ratione substantiæ seu entitatis divinæ, quatenus est intra Deum et ejus modificatio; secundò ratione terminationis ad creaturas, quæ ex parte omninò libera est. Igitur putant id quod actus Dei liber supra necessarium ponit, esse duntaxat habitudinem seu respectum ad creaturas. Attamen quoniam actus liber Deo internus est, etiam quatenus liber est, pro conditione libertatis quæ ei est intrinseca, et aliunde tamen actus liber, quatenus liber, potest esse vel non esse, ut expli-cent quomodò aliquid in Deo liberum et internum possit esse vel non, distinguunt in prædictâ terminatione ad creaturas quasi duplicem respectum; unum ex parte Dei, et sub eâ ratione intrinsecum, ordinem tamen et habitudinem dicentem ad extrinsecum, nempe creaturas; alterum ex parte creaturæ, et sub istâ ratione purè extrinsecum, creatum et defectibilem. Hocque modo exponunt quomodò eadem semper immotâ remanente Dei substantiâ et entitate, actus liber Dei sit internus et contingens: non quidem ratione entitatis, neque etiam ratione solius puræ terminationis extrinsecæ, quæ actum liberum intrinsecum constituere non posset, sed ratione terminationis intrinsecæ ad extrinsecum. Hæc et multa alia subtiliora habent quàm plurimi; ex quibus fortassè difficillior et obscurior facta est immutabilitatis et libertatis conjunctio, quàm antea visa fuerat. (1)

(1) Sequentia forsân difficultatem elucidabunt. Actus contingentes in Deo seu Ente necessario non repugnant, in genere scilicet volitionum. Sed, inquit adversarii, actus liberi vel perlicunt Deum, et sunt necessarii, vel non, et eos inutiles est dicendum: Resp. Dist. Actus liberi in genere et quatenus actus liberi, sumpti cum libertatem in Deo ac proinde perfectionem arguant, eum eertò perlicunt, et sub illo respectu absolutè sunt necessarii. Seorsim verò habiti, nempe ut tales actus, v. g., decretum creationis, Dei non sunt perfectivi, sed contingentes in Deo, minimè necessarii. Neque ideo aliquid inutile in Deo admitti concludas: quippe actus liber determinatus, si ut talis sumatur, in nullis certè dicendus; nullate-

De felicitate Dei. — Ea est illarum rerum sors, quæ per se claræ sunt, ut definiendo vel describendo nullam illis lucem afferre possumus: inter hujusmodi res principem locum tenet felicitas. Dicitur à nobis non tantùm bonum, sed summum bonum: in eam ferimur naturali inclinatione: est omnium actionum nostrarum finis et objectum: hanc intelligi-

nus verò, si ut liber actus. Liberorum igitur actuum contingentia ex ipsâmet libertate, ac proinde ex ipsâ, ad quam ea pertinet libertas, naturâ divinâ, oritur. Nemo est præterea qui non videat eam contingentiam ex principatu Dei in suos actus ad extra natam, Deum manifestare independentem atque illo sub respectu perfectum. Ut verò magis directè conciliari inter se immutabilitatem et libertatem ostendamus, sic respondemus: Deus ut liber tali decreto determinato antecedenter, id est, non habito, carere potest; ut verò immutabilis, immutabilitate scilicet consequenti, seu consiliorum (non enim hic agitur de perfectionibus divinis), decreto semel lato rescindere nec ullo modo valet mutare. Porrò hæc inter se minimè pugnant. Equidem Deus nunc suam exercere nequit libertatem, quæ, velut alia attributa, ab æterno pro suo beneplacito revera exercuit, quippe aliud non competit exercitum Enti perfecto.

Alia etiam objici solent, quæ suam habent difficultatem. Si Deus sit liber, inquit, decreta ejus, utpote æterna et libera, æternam electionem exhibent; atqui hujusmodi repugnat electio; namque electio essentialiter tempus requirit antecedens, quo scilicet eligens unum alii potuerit antepone: id verò tempus æternitatis æternitatis electionis tollit. Ergo. — Resp. Neg. min. et ejus probationem, nempe electionem essentialiter tempus antecedens requirere. Vera enim electio id solum postulat, ut nimirum ens eligens adeò libere sese determinet, ut aliud præ alio sumere verè potuerit. Porrò determinatio illa tempus certè requirit in ente imperfecto ad inquisitionem motivorum et ponderationem: nullum verò in Deo omnisciente et perfecto quem indeterminatum deliberantemque nefas est supponere. Unde liquet humanum eligendi modum ad divinum in objectione male transferri.

Sed, inquit, electio, seu actus liber dicendus est effectus cujus Deus sit causa: atqui causa necessario antecedit effectum; ergo inter electio æterna repugnat. — Resp. causam non essentialiter anterioritè temporis, sed aliquando, ut in divinis operationibus, solâ rationis prioritatè effectum precedere, eum scilicet causa semper prior cogitatur, etiamsi sum essentialiter primo instanti produxerit effectum. Sed ipsis dilucenda est difficultas adversariis in Deo decreta æterna admittentibus. Hæc probabilia sunt, quorum tamen clara intellectio captum humanum superat. — Plura insuper ex objectis evanescent in systemate saltem valde probabili æternitatis simplicis, cum nihil tunc sit præteritum, nihil futurum, antecedens aut consequens, sed omnia Deo semper presentia.

mus adjunctam esse proprietatem omni intelligenti et consciæ naturæ, ut felix esse velit et reverâ sit, vel è contrario infelix. Est ergo felicitas solida quædam res; illam ergo et Deo debemus attribuire.

Deus habet summam et infinitam felicitatem. Nam 1^o Deus est ens perfectissimum, cui nihil deesse potest ad naturæ suæ perfectissimum statum, et quod continere debet omnem realitatem. Atqui felicitas est maximum naturæ cujuslibet complementum, est vera realitas. 2^o Id in se habent entia omnia cogitantia, quod propriarum virtutum et rectè factorum conscientia recreentur, et ex sui amore et approbatione enascatur magnus felicitatis sensus. Si in entibus imperfectis, quales nos sumus, quibus tanta ex omni parte imbecillitas adjuncta est et quos miseriarum cohors obsidet, quorum etiam finitus sui amor est, id contingit; quanto magis in ente summo, cui naturalis est summa perfectio et infinitus in seipsum amor; qui possidet omnia, quæ possit et velit possidere aut amet; infinitam scientiam, quæ omnia novit; infinitam potentiam, quæ omnia valet consequi, cæteraque omnia quæ desiderii vel voluntatis objecta esse possunt? felicitas certè est gaudium quod naturaliter nascitur ex possessione perfectâ illius quod unicè diligimus. 3^o Deus fecit nos beatos, multa dedit felicitatis admînicula; potest etiam, ut clarè intelligimus, hanc perfectionem, ut alias omnes, amplificare et intendere in infinitum. Ergo possidet ipse illam in summo gradu. 4^o In hac re omnium unanimis consensus semper fuit: Cicero generatim pronuntiat naturam quæ nobis indidit esse deos, eandem animis nostris indidisse eos esse beatos et æternos. Hinc maximè usitata eorum appellatio semper fuit illa *beatorum deorum*. Ipsi Epicurei non aliam sibi notionem finxerunt, et existimârunt sibi licitum esse ab isto, quod ab omnibus concedebatur, eorum attributo argumentari adversùs Dei providentiam. Ita Lucretius sequentibus versibus:

Omnis enim divùm per se natura necesse est,
Immortali ævo summâ cum pace fruatur,
Sæmota à nostris rebus sæunctaque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis tollens opibus, nil indiga nostri,
Nec henè pro meritis capitur, nec tangitur irâ.

De moralibus Dei perfectionibus modò dicemus.

SECTIO TERTIA.

DE PROVIDENTIA DEI.

Dei providentia potest sub duplici respectu considerari, ut est in mente divinâ, et ut est in creaturis. « Priori sensu considerata est ipsa mundana idea; seu illa infinita et efficax mentis divinæ cogitatio, quæ continet et determinat ordinem et statum rerum omnium; complectens omnia tempora, omnia entia, omnes eventus; unamque componens immensam et coherentem seriem, quam tam pus fluendo et labendo perpetuò explicat et in æternum explicabit. » Posteriori sensu accepta est ipse universalis ordo rerum seu ipsa natura et definiri potest: « Cursus temporalis rerum creaturarum, cum omnibus earum conversionibus et vicissitudinibus juxta leges ab initio positas perpetuò procedens. » Sic autem describitur et dividitur providentia à Boetio l. 4 Consol. philosophiæ prosâ 6 pag. 953: « Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principè constituta, quæ cuncta disponit... Quæ cùm in ipsâ divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, providentia nominatur: cùm verò ad ea, quæ movet atque disponit, refertur, factum à veteribus appellatum est; ut sit factum inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentiâ suis quæque necit ordinibus. »

Priori sensu hic à nobis accipitur; sub quâ consideratione tres habere partes concipitur, creationem, conservationem et gubernationem. De creatione satis dictum est in argumentis physicis, et in articulo de unitate Dei, quibus locis probatum est præter Deum nihil existere ab æterno, et consequenter providentiæ divinæ primum actum fuisse rerum omnium creationem. Creatio duplex distinguitur, prima et secunda. Prima est effectio rerum, quæ antea nullæ fuerant, et videtur solius Dei esse opus. Secunda dicitur creatio, quæ materiæ primas induxit formas, et ex materiâ per se brutâ et inutili species effecit. Per conservationem verò non intelligimus illud præsidium, quod Deus præbet creaturis suis, seu illam procuracionem, quâ illa omnia quæ sunt conservantia earum statûs, præparat, et quæ sunt noxia removet; siquidem hæc Dei operatio pars est gubernationis, sed intelligimus vim illam, quâ perpo-

tuâ rerum omnium vires et ipsum esse producti. Qualem autem Dei vim exigant res creatæ, et permaneant, non unanimes est philosophorum opinio. Disputant videlicet an eadem vi continuâ egeant, quâ et esse cœperunt, an verò ea stabilitas ipsis tributa sit, ut durare per se possent, nisi divinâ vi rursûs itereant. Disputant etiam circa rerum creatarum operationes, an ex vi quâdam divinâ, vel concurrente, vel præmovenite efficiantur: an contra rebus creatis à primo ea vis tributa sit et cum ipsis conservata, ut per se operari possent. De quibus quæstionibus breviter nostram sententiam dicemus.

Inprimis hoc omninò certum est, Deum, qui esse rebus dedit, posse eas cum velit perdere; et consequenter in quâvis opinione earum durationem et vim omnem Deo acceptam esse referendam. Deinde cum in argumentis physicis existentia Dei supra concluderimus, vires naturæ materialis nihil aliud esse nisi divinam efficaciam, quæ sese juxta certas leges exercit, et omnes substantias divinæ potentia adminiculo indigere, si consentientes nobis ipsis esse velimus, hinc definiendum est, conservationem esse perpetuam creationem, aut saltem operationem æquivalentem perpetuæ creationi: nam parùm refert vocetur creatio necne. Quæ opinio his etiam rationibus confirmari potest. Primò. Quodcumque non existit ex necessitate naturæ suæ, existit in omnibus momentis durationis suæ contingenter, precariò et ex solâ virtute causæ suæ. De primo momento nullum dubium est; sed neque de secundo major videtur dubitandi ratio, quia secundum momentum nullam habet necessariam connexionem cum primo; non ex eo fluit necessariò, sed est æquè contingens et precarium, quia etiam creatura non magis per se servare existentiam potest in secundo momento, quam sibi dare in primo; notio quippe creaturæ per se non existentis includere videtur dependentiam non tantum ad esse, sed quoque ad perseverandum in esse; et si sine divinâ virtute perseveraret, esset in secundo momento independens. Secundò. Nullo modo concipitur, quomodò sublatâ illâ vi, quâ aliquid existit, id possit servare suum esse. Num radius solaris existere potest sine sole? Num motus sine vi motrice? Num cogitatio sine vi cogitandi? Tertio. Deus annihilare potest creaturas suas: sed annihilatio non videtur actus positivus divinæ virtutis, sed potius virtutis, quâ quid subsistebat, subtractio: nam positivi actus effectus aliquis est

realis; at in annihilatione effectus nullus realis est.

Alterâ quæstio, videlicet an sit quædam Dei actio seu *concurrentis* seu *præmovens*, in omnibus creaturæ operationibus distincta ab illâ actione, quâ Deus conservat res et earum vires; an verò vires à Deo conservatæ sine novâ ex parte Dei actione interpositâ sint activæ, magnas habet difficultates et obscuritatem nimiam. Nullatenus dubitamus quin saltem actio Dei *concurrentis* sit necessaria; sed ab his et similibus quæstionibus tam subtilibus quæ longam postulant disputationem, in hoc compendio libenter abstinemus.

De tertiâ ergo parte divinæ providentiæ, videlicet *administratione* rerum, hic disputatio instituitur. Quamvis universus rerum ordo sit fortassè in mente divinâ systema unum, cujus omnes partes connexæ sunt, tamen quia universam hanc designationem viarum Dei non possumus nos mortales cogitatione complecti, necesse est illam in varia systemata distinguere, et tria generatiora, videlicet:

Unum purè *spiritale*, quod componitur ex spiritibus ab omni corporeâ mole segregatis; qui *angeli* nuncupantur ab officio, quo in hæc corporeâ universitate funguntur, dum Deijussa cœquuntur. De mundo hoc spiritali quantumvis disjunctus videatur à nostris sensibus, ingentia volumina quidam scripsere. Docent non modò quot ordinibus constet hoc systema: sed etiam quâ in re ordines discrepent; quænam sint spirituum dotes, qualis vita et conversatio, quid ab initio illis contigerit aut obventurum est. At hæc amplissima scientia, si pauca excipias, quæ in divinâ revelatione fundamentum habent, conjecturis nititur quibusdam ingeniosis, vel conclusa est ex quâdam analogiâ cum mentis nostræ naturâ et virtutibus. Hæc teneamus quæ docet fides. 1° Esse angelos; 2° eos esse variis ordinibus distinctos; 3° illos fuisse primum, saltem aliquam eorum partem cum quâ nobis est quædam communio, in statu probationis constitutos; 4° illorum partem in bono perseverasse, aliam verò partem peccasse et à statu, in quo fuerant constituti, in perpetuum excidisse: illos *angelos*, hos *dæmones* dicimus; 5° Deum utrisque uti administris in suâ rerum humanarum administratione, angelis in bonorum distributione et cujusque hominis custodia; dæmonibus in vindictam scelerum.

Aliud systema prorsûs *corporeum* est, quod componitur ex variis corporibus, quæ dum se

mutuò librant et in se mutuò agunt, efficiunt hunc admirabilem conspectum rerum, quo fruimur. Cùm materiæ nulla esse possit vita, nisi illa cuius motus principium est, natura hujus systematis gubernatrix est vis matrix certis legibus definita. In hoc immenso corpore systemate variæ partes distinguuntur, quæ totidem sunt systemata particularia, et hæc alia intra se continent, et hæc rursùs alia in indefinitum; quorum omnium fata planè ignoramus, neque multùm nostrà refert scire nisi nostræ telluris conversiones, quæ propiùs cum nostris fortunis sunt conjunctæ. Hæc ex sacræ et profanæ historiæ auctoritate quatuor generales, aut fuerunt, aut futurae sunt: videlicet ejus ex chaos origo, ejusdem per diluvium corruptio, conflagratio futura, et postea renovatio.

Tertium denique systema distinguere debemus mixtum, seu *corporeo-spirituale*, quod illa entia complectitur, in quibus est admirabilis animi et corporis conjunctio, quales sunt homines. Quod ad animantia spectat, haud nostrùm est in eorum vitæ conditionem curiosiùs inquirere, nec quidquam in hæc re vel conjecturà consequi valemus; adèò ut haud defuerint philosophi, qui omnes animantes automata esse statuerint sine sensu; dùm è contrario alii fuerint, qui temerè ipsas animas humanas, aut etiàm angelicas, quarum transmigrationem fluxerunt, concesserint. Sed multùm nostra refert scire, quæ sit humanæ naturæ sors, quid humano generi olim acciderit, aut Deo providente obventurum sit, et læc Dei in homines providentiæ hujus disputationis futura materies est. Providentiæ hæc duabus partibus constat, una quæ *naturalis* dici potest, quam experientià et ratione intelligimus; alia *supernaturalis* dicitur, quam nobis divinitus accepta revelatio aperuit, quæ ad restitutionem generis humani in primævum perfectionis et felicitatis supernaturalis statum, Christi Filii Dei mediacione et Spiritùs sancti administratione procedit. De hæc providentià Dei supernaturali fusè infra in hoc volumine dicturi sumus, adèòque de naturali tantùm inquirendum est an sit; qualis sit, seu quæ sint illius attributa; cur et quomodò seu juxta quas leges procedat. In totà hæc disputatione solà utemur ratione, secuti S. Augustinum contra Manichæos, Theodoretum in libris suis de Providentià, et theologos qui de possibilitate *status naturæ puræ* scripserunt: haud nescii nos magnum lucem afferre posse

quæstioni de origine mali ex revelatà religione, quæ nos docet mala graviora quæ vitam humanam vexant, non esse ex primo Dei consilio, sed pœnam peccati.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA DIVINÆ PROVIDENTIÆ, SEU DEI IN CREATURAS IMPERII.

Dei providentiæ ita est conjuncta cum ejusdem existentia, ut nullus unquam fuerit, qui, admissio Deo, seriò Dei providentiàm negaverit: ideòque omnes philosophi veteres non dubitarunt confidenter asserere, Epicurum tollendo providentiàm, re sustulisse deos, et ideò tantùm nomen reliquisse, ut fucum faceret imperitis, etatheisticæ impietatis infamiam aliquatenùs vitaret. Adèòque non attingeremus hunc locum, nisi nobis præberet opportunitatem refellendi ea, quæ ab antiquis quibusdam atheis et recentioribus audacioribus hominibus scripta sunt, quæque in hoc opere nondùm sunt confutata. Divinum imperium duplex est, aliud *physicum* seu *naturale* per leges physicas, cui imperio omnis natura obtemperat: aliud *morale* in creaturas racionales et liberas per leges morales, quarum omnis vis est in sensu quodam animis insito ad certam vitæ rationem impellente et in sanctione præmiorum ac pœnarum, nullam afferente voluntatibus necessitatem. De priore præcipuè hoc loco agitur; de altero in totà secundà infra parte disputabitur.

PROPOSITIO.

Deus cunctas universi res ditone suâ continet et providentiâ moderatur.

PROBATIO. — 1^o Id efficiunt argumenta omnia, quæ supra pro Dei existentia allata sunt, præsertim moralia atque physica.

Argumenta siquidem moralia petita fuere ex utilitate, ex auctoritate hominum, ex interiore naturæ voce, ex fide historiarum. Sed hæc omnia non probant Deum otiosum in intermundiis Epicuri positum, sed providum et nostri sollicitum. 1^o Nullam habet utilitatem otiosi numinis agnitio, nec ad privatum cuiusque solatium, nec ad societatis naturalis præsidium, nec ad civitatum salutem. 2^o Omnes homines consenserunt in fidem deorum optimè de nobis meritorum, ad quos precibus et sacrificiis confugiendum est. 3^o Illa interior naturæ vox, quid obmurmurat, nisi semp-

ternum esse Dominum, qui legibus æquis omnia temperat, qui nos præceptis moralibus adstrinxit, in cujus potestate etiam post mortem erimus? Tandem fides historiarum non otiosum Deum refert, sed plenum negotii, dum testatur illum rebus humanis sæpè intervenisse, præsentiamque suam declaravisse miraculis, vaticiniis atque subitis et inopinatis præter omnem expectationem rerum conversionibus. Argumenta physica petita fuere ex admirabili pulchritudine universi et motuum naturalium constantiâ; ex rerum naturalium operationibus, vi motrice et vi cogitandi; ex ipsarum substantiarum, materiæ videlicet et spiritûs naturis. Atqui hæc eadem efficiunt Dei providentiam cum eadem vi et auctoritate ac illius existentiam. 1° Admirabilis rerum pulchritudo, ut casu oriri non potuit, ita nec sine eadem causâ, quæ fecit, potest casu consistere. Nullus omnino ordo esse potest sine ratis legibus. Casus, ut leges nequit ponere, sic nec servare potest. 2° Rerum præsertim corporearum vires, cum nihil aliud esse ostensum sit, quam ipsam divinam efficaciam, quæ sese juxta certas leges exerit, nullumque esse propriè cursum naturæ seu causarum secundarum, divinæ certè naturali providentiæ perpetuum et visibile præstant testimonium. Denique cum ipsarum etiam substantiarum attributa omnia et proprietates maximè essentialia sint arbitrarii effectus voluntatis divinæ, probant, quamdiu durant, illam eandem permanere Dei voluntatem, quâ sublatâ, privarentur unico suo adminiculo et in nihilum necessariò deciderent.

2° Hisce argumentis hæc alia adjuungi possunt ex divinæ naturæ consideratione.

Deus est perpetuus mundi à se conditi rector, si ad tenenda mundi gubernacula, creaturasque suas legibus moderandas, naturæ determinatione quodammodò adstringatur; nec imperio abdicare se possit, quin ipse se denegat et naturam suam aspernetur. Atqui, etc. Nam certè divina sapientia, quæ Dei lex est et regula, de quâ modò dicemus, committit Deo imperii habenas: quippe sapientia dicitur ab eo cuncta debere gubernari, qui fines optimos novit, mediæque ad fines optimos obtinendos aptissima: non fortunæ aut cæco casui sapienter committeretur imperium. Atqui Deus is est, qui optimos fines novit, mediæque ad eosdem obtinendos aptissima. Nullus alius præter ipsum auctorem mundi satis habet exploratas et voluntati suæ subditas naturas

rerum, motûs cogitationisque principia, ut queat causarum vim suspendere vel dirigere; cordibus hominum consilia, seu indere, seu eximere; appetituum vim frenare; imperiorum fata nunc sustinere, nunc inclinare; cavere ne quid detrimenti ex partium damnis vel erroribus immensa rerum summa capiat, ac efficere ut ex ipso malo bonum oriatur et ex ipso discordiæ sinu admirabilis ordo. Ergo ipsi Deo sapientia divina tradit habenas regni; rectèque conclusit Cicero: « Deo nihil præstantius; ab eo igitur necesse est mundum regi. »

Deus seipsum amat necessariò, atque suas perfectiones ipse veneratur et colit, ut dictum est. Ergo non potest mundum, qui impressum gerit characterem istarum perfectionum, quas amat et in quibus gloriatur, alienum à se putare. Ut architectus aliquis cum pulchrum, commodum atque excellentis architecturæ ædificium construxit in opere suo complacet sibi et gloriosum reputat, quia peritæ suæ testimonium continet et fert notas illius artis, quam ipse colit ac diligit et in quâ gloriatur, nec potest illud ædificium alienum à se putare propter illum suum, suæque artis cultum et amorem: sic neque Deus cum seipsum amet, et illam artem quâ mundum condidit, et illas perfectiones quas in mundo expressit, non potest in opere suo sibi non complacere, non potest in illo non gloriari, ullo modo illud à se alienum putare.

Deus bonus est, neque aliâ ullâ ratione illum adductum ad creandum cogitare possumus, quam ex bonitate. Atqui alienum est ab illâ bonitate creatoris non querere creaturarum suarum perfectionem et felicitatem, et eas temeritati seu fortunæ committere. « Quis operatur negligat operis sui curam? Quis deserat aut destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse, cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia (S. Ambrosius l. de Offic. c. 43)? » Propterea irridet Epicurus Cicero, quod cum optimam et præstantissimam naturam Dei diceret esse, negaret idem esse in Deo gratiam, tollereturque id quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. « Quid enim melius, aut quid præstantius bonitate et beneficentiâ? Quâ cum cavere Deum vultis, neminem Deo charum, neminem ab eo amari, neminem diligere vultis. » (De Nat. deor. l. 1, c. 43.)

Velsic confici potest argumentum : Si Deus mundum non regit, causa est vel inscitia, vel impotentia, vel voluntatis defectus. Atqui Deo omniscienti nihil occultum est, omnipotenti nihil difficile, optimo nulla ignavia inest, quæ ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam et illæ suos fœtus curant, nec ita delicatæ sunt, ut villiores aspernentur. (Vide Simp. in Enchir. Epict. c., 58, qu. 2.)

Objicies cum Epicureis : 1° Haudquaquam intelligitur, quæ Dei cogitatio tantam rerum multitudinem simul complecti possit ; aut qui valeat ejus potentia ad res omnes etiam minutissimas pertingere ; aut qui in tantis negotiis ullam liquidam gustare queat voluptatem. « Si in mundo, inquit Epicureus apud Cicero- nem de Naturâ deor. l. 1, Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astro- rum, mutationes temporum, rerum vicissi- tudines ordinesque conservet, terras et maria contemplans, hominum commoda vi- tasque tueatur ; næ ille est implicatus moles- tis negotiis et operosis. » 2° Dei majestate planè indignum videtur sese dimittere ad om- nium rerum etiam viliorum procuracionem : « Minora dii negligunt, nec agellos singulo- rum, nec viticulas prosequuntur ; nec si credo aut grando, quidpiam nocet, id Jovi animadvertendum fuit. »

Respondeo duas illas rationes rusticorum potius esse, quàm philosophorum. Nam, 1° summæ inscientiæ et stupiditatis est, velle Dei, infiniti et summè perfecti vires expen- dere ad modulum imbecillæ nostræ naturæ : longè majus spatium est illud, quod patet ab homine ad Deum, quàm id quod ab animanti- bus ad nos patet. Sed quàm multa facit homi- nis industria, quæ si conjecturam caperemus ex notitiâ illarum tantùm facultatum, quibus natura animantes ornavit, impossibilia viden- tur. Præterea non desunt nobis in rerum naturâ symbola et expressæ imagines divinæ naturæ, quibus ad divinæ scientiæ notionem informandam animis aliquatenus pervenire vale- mus. Sol, quo orbis noster illustratur, si animal esset, vitæque ejus tam latè pateret, atque lux et radii patent, haud dubiè omnes mate- riæ particulas, quas radii ejus longè latèque fusi attingunt, sentiret ac videret. Jam verò quot sunt res à Deo conditæ, illæ certo quo- dam sensu sunt radii divinitatis seu ejus effi- caciæ terminæ ; ex quo intelligitur Deum non posse non videre et percipere omnia quæ ex potentiâ suâ sic fluxerunt. Deinde verò ipsi

homines multa simul negotia variis in locis animadvertere ac sine magnâ perturbatione et molestiâ gubernare possunt. Quàm immensa oculi humani acies, quæ universa fermè sidera complectitur ? Quàm infinita notionum multi- tudo in mente nostrâ recondita est, inter quas nulla viget contentio ? Si ergo imbecilla hu- manæ mentis natura, quæ per exigui corpus- culi foramina quædam prospicit, tantam re- rum multitudinem complecti valeat, non ha- bere debet admirationem nostram quòd Deus, ante quem *orbis terrarum est tanquàm momen- tum statera* et *tanquàm gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*, et qui omnibus rebus substantiâ et virtute præsens est, cum summâ facilitate cuncta provideat et dexterâ verset ac gubernet. Ita argumentatur Socrates apud Xenophontem (L. de Dietis et Factis memora- bilibus Socratis, p. 576) : « Animadverti men- tem tuam, etiam dum inest in corpore ex ar- bitratu suo corpus gubernare. Quamobrem exis- timandum est sapientiam illam, quæ est in hoc universo, sic omnia regere, quemadmodum ipsi gratum est. Num tuus oculus ad multa usque stadia pertingere potest, et non potest Dei oculus simul omnia intueri ? Numque tuus animus tum de rebus, quæ hic accidunt, tum de illis quæ in Ægypto sunt et Siciliâ cogitare potest : et non potest Dei sapientia simul om- nium habere curam ? »

Secunda etiam ratio vanissima est : nam pri- mum non magis indignum Deo est minora curare, quàm fecisse. Deinde ita sunt cum grandioribus naturæ partibus conjuncta mi- nora, ut nullo modo possint illa admini- strari à Deo, quin et horum habeat rationem. Nam, ut animadvertit Plato, « lapides magnos sine parvis collocari rectè posse negant ar- chitecti. » Certum etiam est nec imperato- res, nec patres familias, nec navium guber- natores, nec machinarum fabros suâ arte aut officio benè fungi, nisi æquâ lege et majores res et minores ingenio comprehensas habeant, snisque consiliis et rationibus temperent. « Ca- veamus ne Deum, ait Plato, l. 10 de Leg. c. p. 671, mortalibus officibus viliores pute- mus : isti sanè quantò peritiores sunt, tantò arte suâ et parva simul et magna exquisi- tius absolutiusque perficiunt. » Tandem quæ naturæ pars vilis dici queat ? Num minima ? Sed ut à Plinio Hist. nat. l. 11 notatum est, rerum natura nusquam magis quàm in mini- mis tota est : « In magnis siquidem corporibus facilis officina sequaci materiæ fuit. In his

« tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio,
 « quanta vis, quàm inextricabilis perfectio?...
 « Ubi tot sensus collocavit in calice? Et sunt
 « alia dictu minorâ. Ubi in eo visum præten-
 « dit? Ubi gustatum applicavit? Ubi odoratum
 « inseruit? Ubi verò truculentam illam et
 « portione maximam vocem ingeneravit? Quâ
 « subtilitate pennas annexuit; prælongavit
 « pedum crura; disposuit jejunam caveam, uti
 « alvum avidam; sanguinis et potissimùm hu-
 « mani sitim accendit? »

Multùm ergo errabant et illi (1) qui providen-
 tiam Dei cæli orbibus includebant, nec ad res
 terrenas demittebant: quasi verò non abhorre-
 ret à bonitate divinâ illi creationis parti præsi-
 dium denegare, quæ plus illo indiget propter
 varias mutationes et conversiones quibus terra
 obnoxia est, et appetitum passionumque pro-
 cellas, quibus ejus incolæ perpetuò jactantur:
 quasi verò non sint ordinati ipsi astrorum cur-
 sus ad usum hominum, et æquum non sit, ut
 magis curetur id, cujus gratiâ est aliud, quàm
 quod in usum alterius comparatum est.

Non minùs falluntur, qui universalia à Deo
 cararivolunt, ut creaturarum species et homi-
 num imperia, non individua et singularia.
 Nam genera non subsistunt nisi in singulis, ita
 ut si singula perire possent deserta à Deo,
 possent et ipsa genera: et certè generum seu
 imperiorum conservandorum nulla alia Deo
 causa esse potest, quàm benefica ejus in sin-
 gulos voluntas.

ARTICULUS II.

DE DIVINE PROVIDENTIÆ ATTRIBUTIS.

Attributa divinæ providentiæ illa sunt quæ
 in administratione mundi existere deprehen-
 dimus, et quibus omnis rector et præsertim
 summus carere non potest; nempe sapientiâ,
 sanctitas, justitia, bonitas, etc. Perfectiones
 illæ vulgò dici solent morales, quia quamdam
 earum conformitatem cum regulâ seu lege
 æternâ concipimus. Possunt eadem dici etiam
 attributa relativa, quia dicunt respectum ad
 creaturas, vel attributa secundaria, quia re-
 verò, nihil aliud sunt quàm exercitatio ad extra
 Dei attributorum naturalium; quæ attributa
 naturalia nullam accipiunt mutationem ex hæc
 exercitatione.

De sapientiâ Dei. — Inter scientiam atque

sapientiam Dei hoc discrimen intercedit, quòd
 scientia versari nobis videatur in rerum om-
 nium speculatione; sapientia verò practica
 sit, et versetur in rebus agendis. Scientia in
 Deo est speculativa cognitio omnium rerum,
 omniumque rationum, quæ sunt inter res pos-
 sibles; sapientia est constans voluntas agendi
 juxta dictata suæ infinitæ intelligentiæ, id est,
 consilium firmum utendi suâ omnipotentia ad
 fines optimos obtinendos per media optima.

PROPOSITIO PRIMA.

*Deus in administratione rerum est summè sapiens,
 seu est in Deo constans voluntas utendi omni-
 potentia suâ ad obtinendos fines optimos per
 optima media.*

PROBATIO. — 1^o Deus est ens perfectissimum,
 cui nihil laude dignum et bonum deesse potest.
 Atqui sapientia, seu constans voluntas prose-
 quendi fines optimos per media optima, est
 perfectio: imò nostro concipiendi modo om-
 nium maxima, quæque nos homines maximè
 dividit ab animantibus. 2^o Deus indidit homi-
 num mentibus istius perfectionis portiones
 aliquam: non dubitamus, quin alia entia exi-
 stant nobis perfectiora, quæ cum majore in-
 clinatione voluntatis et constantiâ prosequen-
 tur fines optimos, mediæque ad obtinendos fines
 suos maximè idonea: et facillè concipimus
 hæc perfectionem posse augeri in infinitum.
 Atqui Deus continet eminenter eas omnes per-
 fectiones, quibus suas creaturas ornavit: se-
 det in summo gradu infinitæ scalæ perfectio-
 num, 3^o Deus naturali inclinatione fertur in
 seipsum, suasque perfectiones amat necessariò,
 et proinde in agendo Deus non potest asper-
 nari naturam suam, suasque perfectiones de-
 negare. Atqui si Deus posset finem minùs bo-
 num prosequi atque media eligere minùs apta,
 denegaret sua attributa, asperraretur dictata
 infinitæ suæ intelligentiæ, quæ monstrat illi
 fines optimos et media ad fines istos obtinen-
 dos aptissima; v. g., dictata divina intelligentia
 hominem meliorem esse plantâ et magis con-
 venire ut planta ordinetur ad usum hominis,
 quàm ut homo ordinetur ad usum plantæ;
 vel esse inter plantam et hominem rationem
 inæqualitatis, quam si Deus non sequeretur in
 agendo, perverteret res et earum rationes,
 nec servaret illum æternum ordinem quem
 continet ejus intelligentia 4^o Nulla à causa
 inveniri potest, cur ens intelligens non sequat-
 ur æternum ordinem rerum, aut non querat,

(1) Hæc fuit sententiâ Aristotelis ref. à Plat. de Placitis philosophorum l. 11, c. 3; et At-
 tico apud Eus. d. Præp. evang. l. 5, c. 5.

fines præstantissimos per optima media, præter has : vel id non facit quia nescit, qui sint optimi fines et media aptissima ; vel quia, etsi cognoscat et possit eligere fines optimos et optima media, tamen inclinatione naturali ad electionem finium et mediocum minus perfectorum ; vel denique, quia ad hoc aut illud eligendum liber est. Atque vultum horum dici potest : non primum ; certè novit qui sint fines optimi, quæque media magis sint apta ad illos consequendos, cum habeat infinitam scientiam, quæ complectitur omnes rerum convenientias et disconvenientias. Non secundum : cum potentia Dei infinita sit, æquali cum facilitate prosequi potest finem perfectissimum per optima media, ac finem minus perfectum per media minus apta. Non tertium, quia voluntas divina non fertur naturali inclinatione in id quod minus perfectum est, sed è contrario potius in id quod magis est perfectum, quia nihil aliud esse videtur voluntas Dei, quam amor perfecti et summè boni. Non denique quartum, quia etsi Deus liber sit et possit agere vel non agere, tamen ex hypothesi quòd agat, necessariò agit ut Deus, id est, secundùm dictata infinitæ suæ intelligentiæ et inclinationem suæ voluntatis, non verò contra utriusque facultatis dictata seu inclinationem (1). 5^o Tandem Dei sapientia evidentissimè ellicitur à posteriori ex rerum creaturarum pulchritudine et legum, quibus omnia continentur, aptitudine, quæ tanta est, ut nihil in rerum naturâ ullatenus mutari possit, sine magno totius damno. Hunc locum jam attigimus supra, et modò defendemus.

Ex hoc præsertim attributo, ut infra dicemus, oritur jus imperii in Deo ; ex eodem conjuncto cum Dei potentia pendet divinæ providentiæ inerrantia seu infallibilitas : *Sapientia corde est et potens robore ; quis resistit ei et pacem habuit ? Attingit à fine ad finem fortiter et disponit omnia suaviter.*

De sanctitate Dei. — Inter Dei attributa moralia nullum est, quod adèd moveat reverentiam nostram, ac illud quod sanctitas dicitur, quæ à nobis concipitur, ut excellens quædam puritas, quæ ab omni malo morali seu peccato infinito distat intervallo : quæ excludit umbram omnem seu malitiæ, seu invidiæ, seu inimicitiae, seu vindictæ, seu crudelitatis, seu in-

justitiæ, seu falsitatis, et cujuscumque denique defectûs moralis. Manifestum est hanc Dei sanctitatem reverè non distingui à Dei voluntate, seu ex illa derivatam esse ; voluntas siquidem illa Dei est naturalis inclinatio seu amor adversùs seipsum et suas divinas perfectiones ; sanctitas verò est amor rectitudinis et boni moralis in creaturis suis, et aversio omnis impuritatis.

PROPOSITIO II.

Dei providentia sancta est.

PROBATIO. — 1^o Si Deus sit ens perfectum, cui nullus gradus perfectionis deesse possit, certè erit sanctissimus, seu ab omni impuritate et nequitia longissimè distabit, quâ naturam quamlibet rationalem maximè deprimi naturaliter putamus. 2^o Sanctitas continetur in illo amore, quo Deus fertur in semetipsum et suas infinitas perfectiones : ex illo enim nascitur necessariò ille amor ordinis in rebus externis, in quo posita est sanctitas. 3^o Certum est nos esse naturaliter sanctos hoc sensu, quòd inditus sit naturis nostris recti et mali, honesti et turpis sensus, qui nullis præjudiciis aut passionibus extingui, ejus sanctissimum iudicium nullis præmiis corrumpi potest. « Placet, ut ait Seneca, suapte naturâ virtus, adæquè gratiosa est, ut insitum sit malis probare meliores. » Atqui cum Deus omnes possideat creaturarum suarum dotes eminenter, necesse est, ut etiam hanc habeat in perfectissimo gradu. 4^o Nullam in Deo causam cogitamus, quâ à sanctissimis consiliis unquam abducatur. Nulla in illo est temeritas, vel levitas, vel indigentia, vel cupiditas, quæ in vitia homines solent impellere. 5^o De Dei naturâ ejusque providentiâ certum ferre possumus iudicium ex regni ejus legibus moralibus. Sed leges illæ, quas indidit hominum omnium mentibus, sunt sanctissimæ, ut infra docebimus, et nimiam sanctas esse conqueri solent homines improbi.

Et verò adversus divinæ providentiæ sanctitatem, nihil obijciunt athei, nisi permissionem peccati ; sed hæc obiectio est ob hanc causam maximè ridicula, quòd nisi Deus libertatem hominibus concessisset et peccandi potestatem, nullus existere posset probationis et disciplinæ status, nullæ arduæ virtutes ; non ista heroica sanctitas, quæ in superandis difficultatibus et tentationibus exercetur. Quid ergo ? De naturâ sanctitatis est, hæc omnia tam admirabilia sanctitatis specimina è mundo tollere ?

(1) In propositione atque præsertim in hæc probatione quartâ, auctor Malebranchii de Optimosystema tueri videtur, quod infra, art. 3, quæst. 2, refellendum curabimus. P. S.

De justitiâ Dei. — Justitiâ Dei latè sumpta non distinguitur à Dei sapientiâ, sanctitate, veracitate et cæteris perfectionibus, et est constans voluntas sequendi immutabilem rerum ordinem, seu agendi juxta immutabiles rerum rationes. Strictè sumpta respicit solummodò creaturarum rationalium felicitatem et miseriam, et præmiorum atque pœnarum distributionem : quo sensu definiri potest constans voluntas tribuendi præmia vel supplicia unicuique pro meritis.

PROPOSITIO III.

Dei providentiâ justa est.

PROBATIO. — 1° Si careret Deus hæc virtute, multùm distaret ab illâ entis perfecti ideâ, quam animis informatam habemus. 2° Indidit Deus animis nostris justitiæ elementa; propendemus naturaliter in eos qui benè agunt, ac laude præmiisque dignos naturaliter judicamus : è contrario malos aversamur et indignatione naturali excitamur ad eosdem vituperandos et malè accipiendos. Atqui nihil habent creaturæ perfectionis, quod in summo gradu non habeat communis parens. 3° Ille non est sapiens legislator, qui legum suarum observationi non prospicit, qui se subditorum contemptui exponit, qui non vindicat majestatem imperii sui. Ille non est sanctus in administratione rerum, qui non testatur odium peccati et amorem virtutis. Ille non est bonus, qui leges bonas et ad totius universitatis salutem planè necessarias sanctione aliquâ non confirmat. Atqui si ab administratione rerum abesset justitiâ, et leges divinæ non confirmarentur sanctione præmiorum et pœnarum, Deus non vindicaret majestatem imperii sui, sese subditorum contemptui exponeret; deinde in divinâ administratione nulla essent indicia sanctitatis, cum nulla ratio haberetur virtutis et vitii; denique leges optimas et necessarias ignavè perverti sineret. 4° Deus justitiâ reverè exercet in hæc vitâ, quantum rerum conditio patitur, et sanctionibus præmiorum et pœnarum leges suas confirmavit. Nam primò experientiâ habet quisque compertum virtutem esse tutissimam ad felicitatem viam et naturalia esse ipsi adjuncta præmia : conscientia pœcem, aliorum hominum existimationem et benevolentiam. E contrario experimur improbitatem, tum angores procreare conscientie, tum provocare naturali efficientiâ aliorum hominum odia, indignationem, vindictam, et

multas esse proprias cuique vitio pœnas. Sed hæc sunt manifestissima divinæ justitiæ indicia. Si in civitate aliquâ constitutus aliquis esset, quamvis nunquàm legisset tabulas legum, earumque sanctiones, nec judicem in tribunali sedentem vidisset, tamen si animadverteret malas actiones vituperari constanter et puniri, bonas laudari et præmiis remunerari, certò concluderet constitutam esse æquis legibus illam civitatem, esseque in illâ rectorem et judicem justum. Idem ergo de constitutione rerum naturali concludendum est, etsi ipsum judicem Deum non cernamus, nec sanctiones legum naturalium descriptas in chartâ vel in ære legerimus.

Deinde Deus suâ effecit providentiâ, ut civitates ubique constituerentur, legibusque civilibus virtus defenderetur, vitium contra reprimeretur.

Præterea historias evolvere non possumus et monumenta temporum, quin apertissima advertamus Dei judiciorum exempla, insignium sceleratorum tragicos exitus; criminum secretissimè admissorum detectionem et pœnam; gentium diùm probitati et virtuti studuerunt felicitatem, earumdem in vitia prolapsarum ruinam et interitum; hæc sæpè tam miris modis, tamque contra omnem expectationem contingunt, ut non sine numinis interventione accidisse deprehendantur.

Denique Deum esse justum probant illæ omnes naturæ humanæ insitæ propensiones et affectus, quibus adstruitur futurum post hanc vitam Dei judicium : certum est, in bonorum animis spontè exoriri spem immortalitatis beatæ; terrores suppliciorum animos occupare impiorum, neque hos ullâ ratione præfocari posse. Ergo divinæ justitiæ indicia infinita sunt.

De bonitate Dei. — Dei bonitas illud attributum est, quod solum nos Deo conciliat, movetque nostros tenerrimos adversus eum effectus. Attributa illa incommunicabilia, æternitas, immensitas, etc., superant vires mentis humanæ; illa quibus ad nos propius accedit, infinita scientia, sapientia, omnipotentia, habent quoque admirationem nostram; infinita Dei sanctitas et intemerata puritas, etsi mirabiles sui amores excitaret clarè perspecta, nostros tamen oculos nimio fulgore obtundit; immensa Dei majestas quasi instructa justitiâ reverentiam et metum jubet : sed bonitas Deum amabilem et parentem in nos propensissimum exhibens, omnes amoris.

gratitudinis, spei et pietatis sensus excitat. Per bonitatem intelligimus non solutam omni lege benignitatem, sed constantem voluntatem beneficiendi seu communicandi felicitatem suis creaturis sentientibus, quantum patiuntur earum finitæ naturæ, et sapientissimi fines, quos Deus sibi proposuit. Hæc divina bonitas varia accipit nomina pro variis creaturarum, quas afficit, conditionibus, quando creaturis non merentibus bona dividit, *gratia* est; quando creaturis malis et habentibus mala merita tribuit bona, *miseriordia* est; ubi homines malos punire tardat, *longanimitas* est.

PROPOSITIO IV.

Deus bonus est, seu beneficâ voluntate movetur erga omnes suas creaturas.

PROBATIO. — 1° Certè bonitas est res per se laudanda et summa cujuslibet naturæ intelligentis præstantia et perfectio; ergo ab ente infinito abesse nequit. 2° Deum esse bonum, colligitur ex eo quòd soli boni sint beati; quòdque ipsa benevolentia sit maxima beatitudinis illi naturæ cui inest, causa. 3° Idem efficitur ex eo quòd naturæ præstantissimæ et nullius rei indigæ nulla occurrere possunt in contrariam partem incitamenta: homines ipsi, qui rationem vitæ ducem faciunt, nihil mali agunt; sed illud omne semper oritur, vel ex cupiditate, vel metu, vel irâ, vel vindictâ, quarum passionum imbecillitas principium est. 4° Dei bonitas seu propensio ad beneficiendum suis creaturis derivata fluit ex illâ naturali propensione, quâ fertur in semetipsum et infinitas suas perfectiones: hæc efficit, ut non possit non diligere expressas imagines suarum perfectionum, et objecta in quibus creandis et moderandis exercet non solum potentiam, sed sapientiam aliaque attributa sua. 5° Tota mundi constitutio benigno consilio comparata est; nullum est machinationis invidiæ aut sævæ vestigium, quod sub numinis non boni imperio sæpius in mundo cernere licuisset. Quantam earum rerum copiam suppeditat natura, quæ ad vitam commode et jucundè agendam inservant (1)! Ut hominum et animantium omnium sensus sunt comparati, ut salutaribus recreentur, noxia et pestifera illis molesta sint! Ut omnes à naturâ insitū appetitus ad individui aut totius systematis conser-

vationem aut felicitatem utiles et necessarij sunt! Ut acri quodam decori et honesti sensu, unâ cum affectibus benignis incitantur homines, ut alii aliis prodesse velint! Ut lætissimo sensu remunerantur hi qui aliorum felicitati consuluerunt!

Sed sunt etiam mala; at qualia? Quæ non in ipsâ rerum machinatione destinata videntur tanquam ipsius finis proprius, verùm ex materiæ imbecillitate, inferiorum agentium errore, eveniunt, juxta eas leges quæ omninò sunt utiles et necessariæ. Mala sunt; sed sine quibus nullæ essent leges generales; quæ leges tamen necessariæ sunt, ut locus sit consilio, prudentiæ et industriæ, ut homines rationes suas possint instituere et ex certis actionibus certos sibi polliceri effectus et consequentias. Mala sunt; at sine quibus absent commiseratio, beneficentia, liberalitas, fortitudo, æquanimitas, patientia, lenitas, et officia omnia gratuita, quorum sensus longè est omnium lætissimus et memoria jucundissima. Quis omnem sublatum vellet dolorem quo de pravo corporis habitu admonemur, aut laborem, ad sanitatem et vires corporis animique tam necessarium? Quis contra naturæ studia tantùm obduruit, ut illos sensus nostros, licet molestiam quandoque ferant, vituperet, quibus aliorum infortunia deploramus, quibusque ad opem ærummosis ferendam incitatur, aut illum animi morsum seu angorem, quo elidimur ex criminum nostrorum aut culparum conscientia, et quem vitiorum medicinam esse voluit benignus Deus? Mala sunt; sed non totum rerum ordinem cogitatione complectitur humana mens. Exigua est hæc mundi pars, quam cernimus, et pro brevi temporis spatio; si plurima ergo in hoc ævo mala magnas afferre videamus utilitates, scilicet quòd hominum scelera sæpissimè colibeant et impediunt, proborum virtutes exerceant et augeant, hominum mentes à rebus externis et vilioribus voluptatibus ad interna et vera bona convertant, hinc certè fit verisimillimum, ea etiam mala (si qua sint) quorum nullum nunc cernimus usum, ad totius systematis in partibus à nobis remotioribus aut seculorum futurorum felicitatem et perfectionem fuisse destinata; ex iis certo neutiquàm efficitur mundi administrationem esse invidiam aut malignam.

OBJECTIONES contra divinæ providentiæ attributa expenduntur.

Objicitur 1° generatim: Illud systema rerum

(1) « Non necessitatibus tantùm nostris provisum est, usque ad delicias amamur. » Seneca.

dici nequit sapientissimum, neque sanctissimum, neque justissimum, neque optimum, in quo multa sunt, quæ contraria nobis videntur tum sapientiæ, tum sanctitati, tum justitiæ, tum bonitati. Certè de universo systemate non aliter judicare possumus, quàm ex illis partibus, quæ nobis cognitæ sunt; quæ si abhorreant ab istis perfectionibus, concludendum est systema universum non esse sapiens, etc. Atqui multa sunt, quæ nobis videntur nullùm distare à sapientiæ et bonæ rerum administratione, quorum consideratione adducti sunt quamplurimi philosophi ut causam aliquam mali à Deo independentem admitterent.

Responsio generalis. Nego majorem: nam systema mundi etsi sapientissimum, nobis videri non potest in multis abhorre à sapientiâ. Quod ut intelligatur, duo generatim conficiemus. 1^o Quòd mundi systema sit planè incomprehensibile. 2^o Quòd hæc incomprehensibilitas efficiat, ut nequaquam apti simus ad ferendam de illo sententiam. Has duas partes cum aliquâ diligentia explicabimus, quia continebunt generalem et optimam responsonem ad omnes quascumque atheorum objectiones.

1^o Systema divinæ providentiæ incomprehensibile est, idque ob multiplicem causam. Primò. Quia illud invenit infinita sapientiæ cujus hoc proprium est superare in effectibus suis humanæ mentis sagacitatem. Nam experimur in omni re sapientiam atque artem, quò magis imperfecta est et ad nostram accedit nativam prudentiam, eò magis à nobis intelligi; quòque magis distat à perfectione, eò semper evadere admirabiliorem. Sic præclara humani ingenii inventa et regum consilia à brutis hominibus non intelliguntur, ab animantibus intelligi non possunt. Manifestum tamen est artem humanam, quæ sapiens est homini literato, non esse propterea insipientem, quia illam non capit idiota, vel quia animantia illam omninò non comprehendunt. Sic divina ars soli Deo, qui sese comprehendit, quàm sapiens illa sit, quàm sancta, quàm bona, quàm justa, videri potest: imperfectis creaturis semper erit locus admirandi, quia semper superabit earum intelligentiam: et propterea valdè stultum foret tribuere inscitæ vel tueritati illam inscrutabilitatem, quam sapientiæ proprium esse characterem necessariò agnoscimus. Prima ergo ratio, *cur exaltatæ sint cogitationes et viæ Deæ à cogitationibus et vijs hominum*, hæc est maximè obvia, quòd Dei sapientiæ infinitè distet à prudentiâ humanâ. Secundò. Providen-

tia divinæ systema incomprehensibile est, nec de illo ullum ferre judicium possumus, qua respectu nostrî, immensum, æternum et infinitum est. Per systema divinæ providentiæ, cujus summam ex omni parte sapientiam et bonitatem defendimus, non intelligimus historiam et fortunam alicujus singularis entis, aut alicujus speciei entium, aut alicujus orbis; sed divini imperii universitatem, ejusdemque imperii undequaque connexi vices omnes. Adeò ut providentiæ divinæ idea sit complexio omnium operationum Dei ad extra per totam æternitatem, continens omnia tempora, omnia entia atque omnes eventus: ex illis omnibus conficiens coherentem et indefinitam seriem, quam tempus labendo perpetuò explicat. Jam verò in hæc concatenatione immensâ, cursuque rerum æterno, quantula pars est vita hæc cujusque nostrum? Ex quâ tamen de Dei infinitâ illâ providentiâ conjecturam capere oportet nos mortales.

Sed finiatur divinum regnum nostri orbis limitibus, nullum aliud exerceat imperium morale, quàm in homines: nullum physicum, nisi in hoc orbe ad cujus conspectum admittimur. In hoc utroque ordine cujus partes sumus et in utriusque conjunctione omnia sunt inscrutabilia. Primò physica rerum administratio non per voluntates particulares et decreta inter se nullatenus connexa procedit: sed est manifestè constitutio, cujus partes omnes sibi invicem respondent, et se mutuò suspendunt, idque non in corporibus tantùm observatur, sed in animantibus. Nempe cujusque speciei individua multas habent inter se naturales habitudines, ut homines cum hominibus; species etiam integræ cum aliis speciebus, ut animantes cum hominibus; quadam animantium species cum aliis animantium speciebus: nescimus certò quousque hæc relationes pertingant, atque si ex analogiâ judicandum sit, illis omnes hoc modo conjunctas esse concludemus. Sic quoque nullus est eventus qui non habeat aliquem respectum ad alios omnes eventus præteritos qui ejus cause extiterunt, et aliquem etiam cum futuris omnibus quorum causa aliquatenus futurus est. Imò animadvertimus res quandoque levissimas esse necessarias conditiones sine quibus res maximi momenti non contigissent. Cum igitur per tam stupendam connexionem rerum et subordinationem perpetuam innumerabilium causarum et effectuum progrediatur naturæ cursus, manifestum est

nullum mortalem ullius rei rationem pervidere posse accuratâ descriptione ejus causarum, finium, antecessionum, adjunctorum et consequentiarum; aut certò pronuntiare quemcumque eventum etiam levissimum non esse in concatenatione rerum planè necessarium. Administratio etiam moralis sine dubio ejusdem generis constitutio est, et omnes ejus partes, videlicet virtutis exercitationes in hoc statu militiæ et probationis, vitus data licentia, tempora exercendis Dei judicii statuta, prædestinata divinorum judiciorum instrum.enta, præmiorum et pœnarum distributiones, atque omnes actus justitiæ et bonitatis possunt eos habere inter se respectus, ut ordinem conficiant undequaque connexus; et cujus omnes partes non tantùm aptè cohæreant, sed sint in systemate planè necessariæ, et ad tonum commune præordinate.

Non tantùm, tum universum systema divi-næ providentiæ, tum administratio physica et moralis quæ nos propitiis attingit, nobis perspecta non sunt, sed non pervidet quisquam nostrum propriam suam fortunam, nec quæ pars illius sit præsens nostra vita. Existitè summi philosophi, qui decreverunt nos in statu alio meliori primùm creatos fuisse et in hunc statum, quasi purificationis, devenisse ad luendas pœnas peccatorum in præcedendi admissorum: hos nunquàm ex solâ ratione redarguent athei. Ignoramus etiam statum futuræ vitæ in quem commigraturi sumus post hanc mortalem sortem; sine cujus tamen cognitione manifestum est nos parùm æquos esse divinorum erga nos judiciorum æstimatores. Si de Josepho nihil aliud relatum fuisset, nisi quòd venditus à fratribus fuerit, deportatus in Ægyptum, et ob injustam accusationem conjectus in carcerem, severitate erga eum usam esse providentiam divinam putarem: sed ubi intelligimus hosce omnes eventus fuisse totidem gradus ad imperii summam in Ægypto obtinendam et ad salutem generis sui, sortem Josephi nequaquàm miseramur. Si consideremus solummodò partem illam vitæ humanæ, quæ per novem menses utero materno includimur, parùm speciosa videbitur; illam tamen non ita ægrè ferimus, ut præparationem ad hunc admirabilem conspectum rerum. Sic quoque sit hæc vita mortalis minùs quoque speciosa, tamen si totum illud spatium, quod patet ab infantia ad senectutem, est respectu alterius vitæ, quod novem illi menses respectu vitæ præsentis, manifestum est nos de sorte nostrâ

et divinis erga nos judiciis nullam ferre posse sententiam ex hujus ætatis consideratione. Est ergo ex omni parte et illa, quæ nos propitiis attingit, divina providentia, planè incomprehensibilis.

Tertiò. Divinæ providentiæ rationem nullus investigare potest et de illâ sententiam ferre, nisi qui rerum naturas perfectè cognoscat. Nam hoc generale principium est in administratione rerum, quilibet regendam esse pro suâ naturâ seu gubernationis leges debere attemperari rerum naturis. Atqui nihil in totâ naturâ comprehendimus, nec materiæ et motûs indolem, nec quæ vires sunt necessariæ, nec qui fines sunt prosequendi, nec quibus mediis fines obtineri possint, nec quæ sint sapientissimæ regiminis leges: multò magis fugientem captum nostrum natura animi, ejus naturales vires, libertas, etc. Qui fieri potest, ut sine harum rerum cognitione judicemus de utilitate permittendi mali seu physici seu moralis; aut de modo, quo Deus versat corda hominum, consilia regit, omnia providet, etc., quidquam sapienter pronuntiemus, cum ignoremus, qui animus cogitet, aut agat, aut deliberet, aut reminiscatur? etc. Quartò. Sapiens mundi administratio postulat vias secretas et occultas, ob multiplicem causam. Quia magis habet admirationem nostram illa divinæ providentiæ ratio, in quâ omnia fugiunt nostri intellectus aciem; et in quâ nec qui fines querantur, nec quæ media ad fines obtinendos adhibeantur, pervidemus. Solent quidem homines parvi pendere ea quæ obvia sunt, ea verò multùm suspicere, quæ sunt à communi hominum sensu valdè disjuncta: inter scientias æstimmamus præsertim eas quæ sunt magis reconditæ. Nihil igitur ad excitandam admirationem nostram, sibi quæ conciliandam reverentiam melius facere potuit Deus, quàm providentiæ suæ partes omnes ita obtgendo, ut nihil omninò cerneremus, ac perpetui eventus inopinati, quorum causas, antecessiones, præparationes ignoraremus, tenerent nos attonitos. Experimur nullâ re aded commoveri hominum erga Deum pietatem, quàm cum inexpectatâ conversione rerum, mala, quæ nostris capitibus impendebant, in eorum auctorem præter spem retorquerent. Quia sine incerto exitu rerum humanarum et occultâ divinæ providentiæ ratione nullus esset locus probationi hominum, neque exercitio summarum virtutum, fidei, spei, fiducia et devotæ erga Deum voluntatis. Non fuisset, v. g., tam admirabilis Jobi patientia et fides, si an-

tea intellexisset brevissimas suas ærumnas ipsi allaturas esse majora præmia, vitam longiorem, sobolem numerosiorem, majores divitias atque famam. Quia ista divinæ providentiæ ratio melius est accommodata naturæ hominum, qui libertate utuntur. Si Deus tam evidenter discriminasset bonos atque malos in hoc mundo, ut boni prosperâ semper uterentur fortunâ omnibusque rebus abundarent, et mali è contrario malis omnibus obnoxii viverent, haud magis esset locus optioni, an vellent boni vel mali esse, quàm utrùm beatè vivere vel miserè eligerent. Sed ubi eventus incertus est, deliberationi locus invenitur; spes hinc, inde metu sollicitat: quibus passionibus suspenduntur vel inclinantur voluntates liberæ hominum, et merito locus invenitur. Quia hæc administrandi ratio optima est, si homo ad immortalitatem destinatus sit: abducit enim à rebus hujus vitæ, cujus voluptates et illecebræ nimium nos detinerent, si constantem virtutis asseclam experiremur felicitatem, nec quidquam nobis invitis præter spem accideret: excitat etiam perpetuum futuræ vitæ desiderium.

Est ergo divinæ providentiæ ratio ob multas optimas causas planè incomprehensibilis.

2^o Dico hanc incomprehensibilitatem elevare omnes objectiones atheorum. Nam ex hæc inscrutabilitate divinæ providentiæ manifestè sequitur, primò: Nos errare in multis, et posse res sapientissimas nobis videri alienas à sapientiâ. Efficit namque, ut partes sumamus pro toto, et desideremus in parte totius pulchritudinem et convenientiam. Ut si quis admitteretur tantùm ad videndam magni et pulcherrimi ædificii culinam, aliasve partes usibus vilioribus destinatas, certè non videret ædificii pulchritudinem, nec architecti artem multùm miraretur, quæ tamen maxima esse potest. Ergo illa omnis objectio, quæ ex hoc fonte oritur, vel orta supponi potest, vanitatis vincitur. Hæc eadem providentiæ inscrutabilitas efficit, ut media non dividamus à finibus; et in mediis desideremus finium excellentiam. Ut si quis videret hominum multitudinem occupatam in congerendis lapidibus et gypso, terræque ex uno loco in alium carris transferendâ, et ignoraret hos esse magni ædificii apparatus; labor hic vanus et inutilis videretur. Ergo quæcumque objectio solvi potest, supponendo illam partem, quæ in divinâ providentiâ accusatur, esse præparationem ad aliam partem augustiorem, vana quoque

est(1). Hæc eadem inscrutabilitas efficit, ut ignoremus, quid cujusque rei naturæ conveniat, et quibus legibus quæque res gubernari et possit et debeat; proindeque vana est illa omnis objectio, quæ ex hoc principio solvi potest; quòd res vituperata pertineat ad rei naturam. Secundò. Divinæ providentiæ inscrutabilitas Deum absolvit in illis omnibus providentiæ partibus in quibus nihil intrinsecè malum deprehendimus. Illa omnia quæ in mundo contingere videmus, si modò sapienter et justè in hypothesi aliquâ fieri possint, credere debemus illa à Deo ob sapientes et justas causas permissa esse, quamvis illas causas ignoremus. Jam verò negamus atheos posse ullam rem indicare, quæ in nullo casu et in nullis circumstantiis sapienter et justè à Deo permitti possit. Pleeræque objectiones atheorum petuntur à bonis atque malis, quæ contingunt vel hominibus privatis vel publicis societatibus; sed quis audeat dicere nullas esse posse justas causas horum eventuum, manifestum certè est externos quoscumque eventus justos esse vel injustos, non in se, sed relativè ad varias circumstantias temporis, loci et personarum; proinde etiam evidens est nos non posse de eorum justitiâ vel injustitiâ ferre judicium, quin perfectè cognoscamus omnes circumstantias. Tertiò. Inscrutabilitas divinæ providentiæ absolvit Deum in illis etiam omnibus actibus, qui dici possunt supremæ auctoritatis, qui nempe continentur intra limites justè et recti, quorum nullam aliam rationem querere debemus præter Dei arbitrium et beneplacitum. Quamvis Deus non possit aspèrari suam naturam et justitiæ quidquam contrarium agere, tamen intelligimus multa esse Deo possibile quæ nullâ lege determinantur, sed unicam habent causam in liberâ Dei electione: v. g., Deus in Scripturis sacris nullam causam nobis offert supernaturalis suæ in genus humanum œconomiz et inæqualis distributionis gratiæ præter beneplacitum, quia manifestum est hæc rerum dispensationem et ea omnia quæ ad istam pertinent ex gratuitâ Dei voluntate omninò pendere, nec jure non posse quidquam vindicare. Sic etiam divina justitia exigit ut Deus obstinatos puniat peccatores, tamen exeret judicium cum supremâ et liberâ auctoritate,

(1) Ita ordinantur omnia officii et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si in toto consideremus, plurimum placeat. S. Aug. de verâ Rel. Ep. 70.

id est, non alicui temporis, vel loco, vel modo puniendi alligatus est, uti inferiores sunt iudices, qui præscriptas regulas superioris sequuntur, sed pro liberâ suâ voluntate malos aut seriùs vel citiùs, publicè vel privatim et quâcumque velit ratione; puniunt.

Sed iniquis, hæc responsione nulla sunt consilia, quantumvis perversa, quæ defendi non possint cum fiectâ erga Deum reverentiâ; v. g., sic credere poterimus, ut multi theologi docuerunt, Deum propterea condidisse homines, ut in paucis glorificaret misericordiam suam quos prædestinavit ad gloriam, et ut in aliorum æternâ damnatione ostenderet iustitiam suam. — Respondeo viarum et iudiciorum Dei inscrutabilitatem Deum tantum absolvere ab omni iniustitiâ in eventibus, qui habere iustissimas causas possunt, vel qui ex divinâ pendent suprêmâ auctoritate, Deum non absolvere in illis consiliis capiendis, quæ adversâ fronte pugnare intelligimus cum iustitiâ et bonitate. Multum discrepant hæc duæ quæstiones: an eventus aliquis possit conciliari cum divinâ iustitiâ, et hæc altera, an administrationis leges iniuste possint defendi, illas rejiciendo in divinum beneplacitum. Difficultas quam invenimus in componendis eventibus cum divinâ iustitiâ oritur omnino ex nostrâ ignorantia, sed conciliare non possumus iniusta consilia cum ideâ Dei propter evidentem repugnantiam iniquitatis cum divinâ naturâ (1). Vide Sherlock de Providentiâ Dei. Butler Analogy of religion natural and revealed to the course and constitution of na-

(1) In hæc responsione generali videtur auctor Providentiæ inscrutabilitatem exaggerasse, seu divini operis obscuritatem. Distinguendum esse dicimus: cognoscimus hunc præsentem rerum ordinem, inadæquatè, et sufficienter ad id certè pronuntiandum, eum scilicet esse cum summâ intelligentiâ et sapientiâ conditum, concedimus: cognoscimus adæquatè, negamus: quæ tamen adæquata cognitio requiretur ad certè iudicandum de his quæ malè ordinata primâ fronte videntur.

His jam præclare ab auctore dictis plurima solutionis principia haud frustra superaddentur, quasi in unum coadunata, atque sequentiibus objectis diluendis præmissa.

1^o In genere bonitas, sapientia et iustitia legislatoris alicujus per leges de se et de facto ad communitalis bonum vergentes salvantur. Nam eo ipso regimene ita institutum ad omnium individuorum bonum tendit, atque evincitur eam fuisse legislatoris, voluntatem. Quod si tamen quædam individua interdum læderentur, id per accidens fieret, præter vel etiam contra legislatoris inten-

ture, id est, Analogia religionis naturalis et revelatæ cum constitutione naturæ.

Objicitur 2^o: *Ex malo defectiâ.* — Sunt in naturâ multæ res imperfectæ, et videmus alias aliis imperfectiores: materia perfectione cedit animantibus, animantes hominibus, homines angelis. Atqui magis decuisset Deum omnia creare perfectiora sine imperfectionibus, et in eodem omnia statu perfectionis: certè fuisset universitas rerum pulchrior et Deo dignior, si nos homines dotes haberemus angelorum. Ergo rerum universitas neque pulcherrima, neque Deo dignissima dici potest. — Respondeo: Nego minorem quoad utramque partem: aut Deum decuisse res perfectiores creare sine imperfectione, aut omnes æqualiter perfectas, etc. Primò. Certè id facere Deum non oportuit, quod planè repugnat. Atqui repugnat creatura perfectior sine imperfectione. Omnis creatura, utpote finita, necessariò imperfecta est et distat infinito intervallo à naturâ perfectissimâ, semperque habebit sibi superiores creaturas posibles in infinitum. Jam verò cum creatura omnino necessariò sit imperfecta, aut omnino non creare Deum oportuit, aut imperfectas naturas creare: si imperfectas creare dignum Deo fuit, in quo gradu consisteret, determinare sola ejus voluntas potuit. Quid si ab ipsis imperfectissimis intelligentibus exordium sumpsisset, et suâ potentiâ effecisset ut illæ imperfectissimæ naturæ per totam æternitatem nova perfectionis et felicitatis incrementa perpetuò acciperent? numquid non illud systema rerum nobis magnificentum et gloriosum Deo, atque etiam propter nativam menti nostræ ambitionem jucundissimum vitam, eique proinde non esset imputandum.

Equidem ubi agitur de Providentiâ divinâ, Deus debet etiam, in institutione rerum, ad singula attendere; sed illud divinis potius exigitur attributis, quam naturâ creaturarum, quasi id eis *deberetur*; porro principium supra expositum, sufficit ad retundendas murmurationes hominum in *accidentibus*, quæ Deus omnia impedire non tenetur.

2^o *Deus ad manifestanda sua attributa non tenetur, ac proinde ea si tamen voluerit manifestare, id eo gradu qui ipsi placuerit, perficit.* Hinc infra concludemus, *Deum ad optimum absolutum non teneri*, nec ideò contra ejus providentiam valeret, si quid melius præsentis ordine excogitaretur. Ad eandem è contra justificandam satis esset nihil certe et clarè divinis repugnans attributis in mundo reperiri. At verò

3^o *Deus ad optimum relativum tenetur, ut infra dicemus.* Hinc quælibet in mundi institutione de regimine non nisi ineptè correctio consideraretur et immutatio.

deretur? Numquid non Deo gratum quoque futurum cogitamus, videre mundum suum perpetuâ pulchritudinis accessione splendescentem et ad suam similitudinem gradibus semper accedentem?

Secundò. Neque debuit Deus omnes creaturas æqualiter perfectas creare ob multiplicem causam. Quia primò in omni systemate rerum illud est impossibile. Nam omne compositum partes habet, hæ partes alias, et sic in infinitum. Sed partes habere non possunt perfectionem totius, cujus sunt partes: manus habere nequit perfectionem totius corporis, nec homo unus perfectionem totius generis humani, nec genus humanum perfectionem totius systematis entium spiritualium, cujus pars quædam est. Huc ergo redit objectio, an indignum Deo fuerit systema rerum institutio in quo naturæ variis relationibus et subordinatione quædam sibi mutuò conjungerentur, uti factum videmus in hæc universitate; vel an necesse fuerit, ut Deus creaturas æqualiter perfectas sine ullâ subordinatione coordinata crearet. Quod jam considerandum est. Secundò. Dico rationem nullam afferri posse, cur Deus systema rerum non institueret in quo inæqualiter divideret dotes et perfectiones creaturis suis. Nam, ut modò diximus, divina attributa non exigunt, ut Deus unum potius gradum perfectionis creaturis suis tribuat, quàm alium. Deinde entia minùs perfecta conjuncta in systemate cum perfectioribus non impediunt horum existentiam, nec minuunt felicitatem, è contrario verò illis inservire possunt; ut materia, quæ omnium naturarum imperfectissima est, nedum noceat naturis sentientibus seu animantibus, præbet illi fertile solum; ut animantium genus non nocet hominibus, sed eorum usibus inservit. Tertio. Tandem tam parùm repugnat sapientiæ et bonitati divinæ creare naturas perfectione inæquales, easque in unum systema variis nexibus conjungere, ut nihil magnificentius à Deo fieri posse existimemus, quàm si diffusione perpetuâ bonitatis, intelligentiæ et potentiæ suæ naturas possibiliæ cum infinitâ varietate

4^o *In ejusdem constitutione mundi unitas rerum invenitur et mediocrum simplicitas. Hinc iterum nulla pars mundi inordinata potest probari, quin totum inanescat. Namque in toto rectè composita partes mutuò colligatæ relationibus, ac sese supponentes, sufficienter seorsum explicari nequeunt. Hinc etiam solâ mundi consideratione, nullus homo præsentem mundum non esse de facto omninò optimum jure pronuntiat.*

produceret. Nihil sapientiâ suâ dignius aut admirabilius, quàm si illam infinitam varietatem naturarum in unam quasi rempublicam coactam imperio æqualibus et generali civitatis universæ rector administraret. Pulchrè de hæc re disputavit multis in locis S. Augustinus.

« A terrenis usque ad cœlestia, et à visibilibus usque ad invisibilia, sunt aliis alia bona meliora; ad hoc, inæqualia ut essent omnia, » l. 11 de Civ. Dei. « Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquàm bonorum omnium condicentem. Non est autem vera ratio, sed invidia infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri; tanquàm si perspecto cœlo nolles terram factam esse, iniquè omninò. » Idem de lib. Arb. l. 3, c. 5. « Et tibi Deus omninò non solùm tibi, sed nec universæ creaturæ tuæ, quia extra te non est aliquid quod irrumpat ordinem quem posuisti ei. In partibus autem ejus quædam quibusdam, quia non conveniunt, mala putantur, et in semet ipsis bona sunt; et omnia hæc quæ sibi invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus, habentem cœlum suum, nubilosum atque ventosum, congruum sibi. Et absit jam ut desiderem non esse ista, quia etsi sola ista cererem, desiderarem quidem meliora, sed jam etiam de solis istis laudare te debere, quoniam te ostendunt laudandum de terrâ *dracones et omnes abyssi, ignis, grandis*, etc. Cum verò etiam de cœlis te laudent, Deus noster, in excelsis omnes angeli tui, sol et luna, stellæ, etc., non jam desiderabam meliora, quia omnia cogitabam: et meliora quidem superiora, quàm inferiora, sed meliora omnia quàm sola superiora, judicio saniore pendebam. » Idem Conf. l. 7, c. 3. « Quæ in cœlo et in terrâ corpora, non solùm illi à quo sunt condita, sed nec inter se oportebat esse æqualia, et idcò sunt omnia bona, quia sunt aliis alia meliora; et bonitas inferiorum addit laudibus meliorum; et in rerum bonarum inæqualitate ip-

5^o *Ens finitum non potest judicare aequalitè de ente infinito, de ejus proutde attributis, censiliis et operibus.*

6^o *Præscientia non tollit libertatem.*

7^o *Veritas veritati opponi nequit: hinc jure nulla sunt objecta contra propositionem evidentè stabilitam, et à fortiori, propositio positivè demonstrata incertis non impugnatur seu dubiis objectionibus.* P. S.

« sa est jucundâ gradatio, ubi minorum com-
paratio ampliorum est commendatio. » Idem
cont. adv. legis et proph. l. 1, c. 4.

Objicitur 5^o: *Ex malo physico.* — Sunt in mundo mala multa physica; sunt partes multæ inutiliter et noxiæ; existit omnium rerum corruptio; in animalibus verò mors; in iisdem dum vivunt sunt molesti sensus famis et sitis, incumbitque laboris necessitas. Ut morbis laborant! Generis propagandi quàm incommoda ratio est, et spatia vitæ quàm varia et iniqua sunt, infantia, juvenus et senectus! Ut homo ignorantia et errori obnoxius est! Ut passio-nibus eliditur! Atqui hæc omnia debent abesse ab opere divino. — Respondeo: Nego min.: Haud magis mala hæc physica abesse debent à Dei creaturis quàm illa mala defectûs, de quibus modò diximus: ut illa ex naturali conditione omnis creaturæ, quæ ex nihilo oritur, derivata pendent, sic hæc ex materie et motûs naturali quoque conditione fluunt. Præterea quatenûs vexant vitam humanam pœnæ sunt peccati, ac pœnæ salutares, sine quibus in degeneri hoc statu deterior es-set hœminum conditio, adeoque cum justitiâ Dei elucent, etiam in his, bonitas et misericordia. Primò, negamus in hæc omni universitate rerum ullas esse partes inutiles. Nos nequaquam esse utilitatis rerum idoneos judices jam confectum est supra, ex eo quòd rerum inter se relationes et necessitudines non cognoscamus. Ut res aliqua absolutè non censeatur inutilis, sufficit, quòd seipsâ frui possit; adeò nullum animal quòd habet vitam et sensum dici potest inutile. Omnium rerum imperfectissima est materia; verùm non satis admirari possumus quantâ cum solertiâ res illa stupida et in se inutilis, facta sit omnibus animantibus utilissima atque ad contemplationem pulcherrima. « Si dici posset, inquit S. Aug. Conf. l. 12, c. 6, nihil aliquid est et non est, hoc eam (materiam) dicerem: et tamen jam utcumque erat, ut species cape-ret istas visibiles et compositas. » Res autem noxiæ in se pulchræ sunt, universitati rerum, pro suis portionibus, decoris multum tanquam in communem rempublicam conferunt: nobis ipsis, si eis congruenter utamur, commoditas aliquid attribuunt: unde nos admonet divina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum inquirere et ubi nostrum ingenium deficit, credere occultam. Ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. Verba sunt S.

Augustini. Secundò, corruptiones rerum sequuntur ex naturali conditione hujus mundi. Quid enim corruptio, nisi partium dissolutio seu aliarum ab aliis avulsio? Atqui hic est necessarius effectus contrariorum motuum. Sed, inquit, cur contrarios motus in opere suo esse voluit parens natura? Quia mundum hunc voluit, qui sine istis contrariis motibus esse non potuit. Hic est modus ejus. Fac universam molem corpoream in unâ massâ torpere, non habes mundum. Fac partes materia ita seselibrare, ut in perfecto sint æquilibrio et quiete, non habes mundum. Omnis igitur mundi pulchritudo et admirabilis rerum varietas, non ex quiete, non ex partium æquilibrio, non ex conspirantibus motibus, sed ex motu opposito, ex interrupto æquilibrio, ex rerum pugnâ, omnis nascitur. Necessè fuit ut lux, ignis, aer, aqua, et omnia elementa non separata et divisa in suâ quæque regione manerent; sed ut commixta secum invicem contenderent, et his admirabilibus atque mixtis concretionibus originem darent, videlicet plantis, corporibus organicis, etc. Tam necessè itaque fuit, ut esset hæc elementorum contentio, substantiarum heterogenciarum fermentatio, concretiones et dissolutiones, quàm necessè fuit ut ipse mundus existeret. Hoc solummodò à divinâ mente postulare debemus, ut certis legibus iisque aptissimis regat et temperet hæc elementorum contentio; quod à Deo effectum est cum tantâ sapientiâ, ut nullas leges sapientiores cogitare possimus.

Pulchra sunt in harum rerum commendationem verba S. Augustini Conf. l. 4, c. 10: « Etenim omnia senescunt, et omnia intereunt. Ergo cum oriuntur et tendunt esse, quò magis celeriter crescunt, ut sint, ita magis festinant ut non sint. Sic est modus eorum: tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedendo ac succedendo agunt omnes unum, cujus partes sunt. Ecce sic peragitur, ut sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat, cum sonerit partes suas, ut succedat aliud. » Idem l. 12 de Civ. Dei, c. 4, habet: « Cæterum vitia pecorum et arborum, aliarumque rerum mutabilium atque mortalium, vel intellectu, vel sensu, vel vitâ omninò carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabili

• putare ridiculum est ; eum istæ naturæ eum
 • modum nutrimenti creatoris acceperint , ut ce-
 • dendo ac succedendo peragant infirmam
 • pulchritudinem temporum , in genere suo
 • istius mundi partibus congruentem. Neque
 • enim cœlestibus fuerint terrestria coe-
 • quanda : aut idèò universitati deesse ista
 • debuerunt , quoniam sunt illa meliora. Cùm
 • ergo in his locis , ubi talia esse compete-
 • bant , alia aliis deficientibus oruntur et succumbunt
 • minora majoribus , atque in qualitates su-
 • perantium superata vertuntur , rerum est
 • ordo transeunum. » Vide l. 3 de lib. Arb.

Tertiò idcirco mors in se spectata malum
 non est , sed imperfectio una ex illis quæ ex
 materiâ atque motu oriuntur. Est quippe dis-
 solutio corporis organici , vel animæ et corporis
 separatio , ex dissolutione corporis consequens.
 Sed nullo modo corpus organicum in hac terrâ
 nostrâ naturaliter gaudere potest immortalitate ;
 quia , sicut aliæ omnes concreciones , continet
 elementorum commixtionem atque humorum
 discordantium pugnam. Hæc mortis defensio
 est quoque morborum omnium , qui ex iisdem
 principiis orti , illam solent præcurrere. Ex
 gratiâ Dei bonitate aberant mala hæc à pri-
 mævâ hominum conditione. Quòd jam illis
 sint iisdem obnoxii , etiam magnæ misericordiæ
 est : quanta incrementa acceptura esset ex
 immortalitate et perpetuâ sanitate hominum
 improbitas , quam mortis perpetuus terror et
 morbi non cohibent , facillè intelligitur. Bonita-
 tis est igitur in Deo erga malos , quòd nec hoc
 malitiæ augmentum , nec eos in æternum scele-
 ratâ mente vivere sinat ; bonitatis est erga bo-
 nos , quòd eos ab immortalibus tyrannis vexari
 non permittat , atque ad meliorem sortem
 vocet.

Quartò , quod attinet famem , sitim et labo-
 rem , in illis quoque multum elucet benigna
 Dei providentia. Inprimis , cùm corpora nostra
 sint ex partibus heterogeneis composita , quæ
 in perpetuâ sunt fermentatione ; sique tum
 fluidorum , tum solidorum maximus motus ;
 hinc partes fermentatione illâ et attritione mi-
 nuuntur ; ex quâ diminutione , nisi aliquod
 afferatur remedium , citò consequerentur inte-
 ritus et dissolutio totius fabricæ. Necesse igitur
 est ut perpetua damna alterius materiæ sub-
 stitutione resarciantur , et ad illa damna repa-
 randa interioribus sensibus excitemur , ex quo
 existit utilitas famis et sitis. Deinde verò cùm
 animalium corpora singularem habeant textu-
 ram atque habitum , qui postulat convenientia

alimenta , jam variis coctionibus digesta , idque
 quotidie : hinc existit labor in conquirendis et
 præparandis alimentis.

Hi sensus , hic labor in primævò statu vo-
 luptates erant. Etiam in hoc corrupto statu
 multiplicem habent non solum utilitatem , sed
 et jucunditatem. Illi sensus famis et sitis multò
 melius nos de corporis incedâ admonent ,
 quàm si jam rationi res permitteretur. (Vide
 Mallebranche , Recherche de la Vérité.) Quam
 benè institutum est , ut lentos et remissiones
 stimulant atque cogent , nec molesti esse
 desinerent , donec opem corpori necessariam
 tulissent ! Quàm benignè provisum , ut iidem
 in temperandâ siti atque fame experirentur vo-
 luptatem , operæ in propriâ sui conservatione
 posita mercedem ! Quæ sanè voluptas , ubi sup-
 petunt alimenta , multum vincit molestiam il-
 lam , quam fames aut sitis solet procreare. La-
 horis etiam suâ utilitas est et jucunditas.
 Utilitas quidem : nam multum conducit ad
 bonum corporis habitum , nec parum etiam ad
 facultates animi confirmandas : vocat à vitis
 naturæ tam inimicis , quorum omnium mater
 est otiositas. Jucunditas etiam : nam ita sumus
 à naturâ comparati , ut appetat semper animus
 aliquid agere , grataque omnis illi sit materia
 excitandi sese abstrahendique ; et non sine
 tædio et ægrî otii patientiâ possumus conquis-
 cere. Præterea labor et industria hominum
 conciliatrix est præcipua humanæ societatis :
 nihil adeò conjungit homines cum hominibus ,
 quàm permutatio officiorum et commercia ;
 quæ omnia posita sunt in illis emolumentis quæ
 præstare aliis suo labore et industriâ homines
 possunt , aut ab aliorum labore et industriâ
 expectare.

Quintò , in ipso etiam dolore ingratisque sen-
 sationibus , quæ aberant à primævâ hominum
 conditione , conspicua sunt divinæ bonitatis
 argumenta. Dolor quippe ex ipsâ naturâ vitæ
 animalis seu conjunctione animæ et corporis
 corruptibilis naturaliter sequitur : neque illum
 unquam frustra sentimus. Illa enim conjunc-
 tio animæ atque corporis postulat , ut illæ duæ
 substantiæ agant reciprocè in se mutuo : ut
 cogitationes animæ variis excitent in corpore
 motus , et vicissim varii corporis motus variè
 afficiant animam : ut jucundis sensationibus
 excitetur appetitus ad res bonas et salutare
 capessendas ; contrariis verò sensationibus à
 noxiis et pestiferis avocetur. In primævò qui-
 dem statu dolor aberat , quia peculiari provi-
 dentiâ cavebat Deus ne quid corpus exterius

laderet; et arboris vitæ fructus interioris omnis ægritudinis causas impediabat. At perfectò sine dolore, in præsentì mortali statu, nullo modo vitam servare possemus. Deus quidem hoc evitare potuisset, si effecisset ut anima corporis motibus non afficeretur, vel si instituisset, ut omnes corporis motus excitarent jucundam sensationem. Sed nemo non intelligit, quàm periculosum futurum esset mortalibus tale beneficium. Si nullam ingenerasset natura animis aversionem mortis, nec ullà molestâ sensatione nos certiores fecisset illius adventantis, in mortem, quasi in somnum, incidere; et si animal quodque cum eadem voluptate moreretur, cum quâ reparat corporis sui damna comedendo, illam quæreremus. Molestæ ergo illæ sensationes doloris ex conditione animalium corruptibilium sequuntur et planè utiles sunt in statu præsentì ad conservationem vitæ.

Sed, inquit, sine molestiis illis sensationibus potuisset nos natura admonere de corporis statu et excitare ad afferenda remedia, vel clarâ cognitione mali, vel diminutione voluptatis, quâ antea fruebamur. — Respondeo hanc constitutionem rerum (nisi multa alia immutarentur et in statum primævum restituerentur) non futuram meliorem: nam primùm non intelligitur, qui animus possit habere perceptum malum imminens corpori et in periculo versari, sine tristitiâ; et nisi hæc tristitia vim haberet parem dolori et ingratis sensationibus, non sufficeret: cum sæpius has impares esse experiamur cogendis nobis, ut à pestiferis abstinemus. Diminutio verò voluptatis, quæ secundo loco proponitur, nobis majorem procrearet molestiam, quam afferunt illæ sensationes, de quibus instituitur querimonia. Nam satius plerùmque ducimus tolerare dolorem, quàm privari voluptatibus: verbi gratiâ, etsi podagra acerbissimos dolores creet, tamen nemo vellet privari sensu tactus et voluptatibus cum illo sensu conjunctis, ut illo malo liberaretur. Multi homines optimè sciunt certorum ciborum comesturâ se aucturos esse mala sua, et tamen anteponunt voluptatem illam, quam experiuntur ex cibo et potu nimio, immunitati ab isto malo. Tandem sic licet argumentari: Vel illa diminutio voluptatis erit majus malum vel minus, quàm molestia quam experimur ex ingratis sensationibus. Sin primum, nihil sanè lucraremur per commutationem: sin secundum, non haberet sufficientem vim ad nos inclinandos ad remedia malis præsentibus affe-

renda, cum quotidie experiamur ingratis hæc sensationes et præensionem futurorum dolorum non habere parem vim ad suspendendam levem aliquam voluptatem.

Sed, dices, illæ molestæ sensationes sæpius prorsus sunt inutiles; podagra et alii dolores acutissimi nullum habent usum nec conducunt ad producendam vitam. — Respondeo illos morbos esse praves habitus corporis, qui naturaliter contrahuntur et ex motu fluidorum concretionibusque oriuntur. Quæstio igitur hæc est, utrùm utile nobis sit certiores fieri istorum morborum, necne. Sed nullum est dubium quin melius sit admoneri, et ita admoneri, ut necesse sit afferre remedium. Nam si febris correptus quis vel podagrâ, non admoneretur de pravo corporis habitu, non vitaret ea quæ febrim accenderent, nec ea quæ sunt apta ad eandem temperandam arriperet, siquæ subito et inopinatò moreretur. Jam verò inter omnes morbos, quibus affligimur, illos horrere sollemus magis, qui subito opprimunt: quænam ergo esset sors nostra, si hæc esset morborum omnium natura? Quantum tandem inserviant dolores ad hunc optimum finem, nempe ad deprimendam hominum superbiam et vanitatem, ad abducendos à rebus terrenis eorum animos atque ad cœlestia transferendos, dicere necesse non est (1).

Sextò, quod spectat generis humani propagationem et ætates varias vitæ, quæ cum illâ connexæ sunt, nedum ex hæc constitutione præti possit argumentum adversus Dei providentiam, è contrario maxima sapientiæ indicia continent. Ex eâ pendet generis humani societas. Vinculum quippe societatis omnium arctissimum in ipso conjugio est, quod ad speciei propagationem initur; proximum est sanguinis, quo continentur primùm liberi, deindè fratres, postea sobrini et consobrini, deindè consanguinei: et hæc ratione, quia omnes homines sunt iisdem parentibus prognati, unam magnam faciunt familiam, et homo quisque benè moratus humani nihil à se alienum putat. Præterea hæc constitutio efficit, ut officia nu-

(1) « Si l'homme pouvait vivre dans ce monde exempt de toute espèce de malheur, il finirait par s'abrutir au point d'oublier complètement toutes les choses célestes et Dieu lui-même. Comment pourrait-il, dans cette supposition, s'occuper d'un ordre supérieur, puisque dans celui même où nous vivons, les misères qui nous accablent ne peuvent nous désenchanter des charmes trompeurs de cette malheureuse vie? (Soirées de Saint-Pétersbourg, 8^e Entretien.) P. S.

tua hominum inter se sint planè necessaria, et sic arcta magis efficiatur humani generis communitas : filii etenim per longa temporis spatia indigent parentum ope, et parentes vicissim ope filiorum. Si singulas ætates vitæ particulatim consideremus, inveniemus nullam esse prorsus ærumnosam et quæ non afferat artes commoda. Infancia primùm, curis et sollicitudine vacua est. Præterea in præsentibus hominum circumstantiis ad eorum vitam conservandam, excolendamque necessariæ sunt artes plurimæ : non enim illos ut cætera animantia vestivit aut armavit natura; aut illis omnia ad pastum idoneum et copiosum præparavit, aut animos disciplinæ et scientiæ instruxit. Hinc provido consilio institutum est, ut hominum soboles tenera et imbecillis diutius maneret, sedulâ indigens curâ, et disciplinæ patiens, atque antea abesse imbueretur artibus et scientiis, quàm vires intractabiles adipisceretur. Senectus cum iisdem mortalibus afferat vitæ fastidium, morti præparat, atque sic efficit ut sine multo dolore ex hæc scenâ rerum discedant, quam in aliâ ætate tristiores reliquissent. Parturientium dolores, et graviora mala quæ hæc ætates varias jam comitantur, aberant à primævo statu, suntque verè peccati pœnæ.

Septimò, ignorantia rerum maximi momenti ad vitam benè instituendam labe est sine dubio et pœna peccati : ignorantia autem rerum non necessariam non tam malum est, quàm imperfectio, quam velle abesse à creaturis quimùm absurdum esset. Quod cum ita sit, quem haberemus scientiæ gradum solum determinare potuit liberrimum Dei arbitrium. Deinde verò error ex nostrâ ignorantia fluit, et eandem habet causas. Magna pars scientiæ humanæ nititur testimonio hominum et in fide aliorum posita est, ut illa omnis quam de rebus civilibus, in quibus præsertim versamur, habemus : jam verò quamdiu in his nos fallere poterint homines, necesse est, ut simus deceptioni obnoxii. Magna etiam pars scientiæ humanæ nititur relatione sensuum, qui nobis rerum solummodò apparentias indicant, non ipsam interiorum naturam. Sed res, quæ naturis valdè dividuntur, eandem habere possunt apparentias, in quo etiam casu fallamur necesse est. At profectò illa nostra nativa ignorantia et errores involuntarii, qui ex illâ fluunt, nulla habent gravia incommoda, imò utilitates multas. Nam primùm earum rerum scientia, quæ non sunt conjunctæ cum præsentis nostro

statu, levissimam haberent utilitatem seu potius nullam : ad nihilum quippe inserviret, (quoniam homines non possunt pluribus rebus simul intendere) quàm ad eos abducendos à rebus et officiis necessariis. Parùm etiam prodesset vel potius obesset cognitio earum rerum mundanarum, quæ non conferret ad benè agendum et recta capiendâ consilia : verbi gratiâ, parùm prodesset scire quot sunt mundo astra, quæ cujusque magnitudo, quænam sint omnium motuum naturalium principia : talis scientia nullum relinqueret locum inquisitionibus philosophicis, quæ sunt oblectamenta otii. Obesset multò magis rerum humanarum amplior scientia : quis enim vellet habere omnium sensuum suorum interiorum, omniumque cogitationum testes quasi oculos omnes homines? Quis vellet fortunas suas et fatalem illum diem mortis semper habere ante oculos? Tolleretur uno verbo ex vitâ humanâ spes omnis, unicum in malis solatium et felicitatis magnum principium. Tolleretur metus, quo avocamur à flagitiis, si prævidere quàm benè succederent.

Quod verò errores spectat, illi quidem qui sunt voluntarii, in quos incidimus ex negligentia vel temeritate, valdè fatales habent quandoque consequentias, sed sunt propriè peccata, et mala moralia. Illi qui sunt naturales et in quos incidimus ex naturæ nostræ imperfectione parùm plerùmque minuunt felicitatem nostram. Imò eadem causa quæ efficit ut multarum rerum ignorantia utilis sit, efficit etiam et error, ignorantie soboles, suâ utilitate non careat. Quàm benè provisum fuit, ut spe vitæ conservandæ, spe recuperandæ sanitatis, spe mutandæ fortunæ semper deluderemur! Quàm benè constitutum quoque est, ut aliorum hominum externo habitu inclinaremur ad officia erga eos præstanda, quæ non præstarem si interiores eorum sensus perspicereamus! Sed, inquit, in rebus multis erramus, quæ multùm removement nos à felicitate, multasque res ignoramus, quas scire multùm prodesset. Respondeo illos errores removere quidem nos ab idæ absolutæ felicitatis, quam animo habemus comprehensam, non removere ab illâ felicitate quæ est propria præsentis status et ad quam nati sumus. Neque possunt illi errores expruari Dei providentiæ, nisi omninò miseram efficiant vitam humanam, sine ullâ in aliâ vitâ compensatione.

Octavò, quod verò passiones atinet, et dicendum, inquit S. Thomas, quod illæ, in

« quantum sunt præter ordinem rationis, inclinant ad peccatum : in quantum autem sunt ordinatæ à ratione, pertinent ad virtutem. » Quòd verò animum humanum sic perturbent et tanto rapiant ad illicita impetu, naturæ nostræ depravatio est, non primæva ejus conditio. Necesse enim fuit, quoniam in eam conditionem devenire debeamus, in quâ nobis ad conservationem vitæ multa essent arripienda et prosequenda, ut naturalibus inclinationibus ferremur ad ea quæ nobis utilia et salutaria sunt, et aversaremur noxia et lethifera. Necesse fuit etiam cum ad societatem quoque nati sumus, ut aliquibus vinculis jungeremur cum aliis hominibus. Atqui hoc fieri melius non potest, quàm naturalibus illis inclinationibus et aversionibus, quas passiones vel affectiones vocamus. Quam enim passionem naturalem tollere velis ? num amorem vitæ eorumque quæ sunt conservantia nostri status, aut illas affectiones, quæ ex illo fluunt ? Sed necessariae sunt ad conservationem individui. Num cupiditatem scientiæ seu naturalem curiositatem, quæ excitatur animus ad inquisitionem veritatis ? Num philanthropiam ? Num claritatem patriæ ? Num paternos affectus aut pietatem filialem ? Num amicitiam ? Num commiserationem, aut alias, quæ vincula sunt societatis ? Num angorem internum et pudorem post malè acta ? Num bonæ famæ et laudis cupiditatem, quâ ad præclara facinora ingenius quisque stimuletur ? Num indignationem ex malorum prosperâ fortunâ spontè subnascentem ? Manifestum est nullam ex iis omnibus, quas veteres philosophi et theologi revocabant ad appetitum concupiscibilem aut irascibilem, indignitari posse, quæ melius abesset à naturâ hominis. Sed omnes modum suum prætergredi possunt et sæpissimè prætergrediuntur ; hincque existit nimius sui amor, nimium pro patriâ studium, ambitio, iracundia, invidia, intemperantia, avaritia, cæteræque vitæ humanæ pestes. At hæc vitia arbitrii crimina sunt, non naturæ primordia. « Veritatem divinorum dogmatum, inquit Theodoretus sermone 3 Therap. *de Naturâ hominis*, perdiscite, corporis divinam plasmationem, animæ naturam immortalem, hujusque partem rationalem affectibus imperantem, et affectus ipsos naturæ utiles ac necessarios. Nam et concupiscendi vis utilissima est, et huic opposita irascendi facultas similiter. Per illam siquidem et divinas res appetimus, et contemptis visibilibus intelligibilia cogitatione animoque scr-

samus : atque in terrâ degentes, Dominum qui in cælis est videre cupimus, virtutemque desideramus. Illic ipsâ vitam tuemur, et cibum potumque sumimus, et legitima liberorum procreatione genus propagatur. At irascendi vis sociata est rationi, ut immoderatam cupiditatem coerceat. Quoniam enim ultra positos limites transilire illa contendit, iracundiam illi creator, quasi pullum quemdam copulavit, qui eam retrahat, quando ultra quàm opus est progredi conatur : ac veluti calida frigidis quidem sunt contraria, inter se tamen permixta temperationem optimam efficiunt ; sic cupiditas et iracundia invicem admixtæ mutuâ castigatione optimam faciunt virtutis commixtionem. Est autem agendarum rerum penès rationem vis et potestas, ut hanc contineat, et illam impellat, vel illam inhibeat, et hanc excitet. Sisti enim nimiam iracundiam cupiditas, et iracundia rursus inexplebilem cupiditatem castigat. Hæc autem perfectissimè geruntur, dum ratio habenas scitè moderatur. Quòd si molli ac lubrico cupiditatis sensu delinita, vel cum exultante iracundiâ intempestivè fines egressa, laxius quàm par sit habenas remisit, illæ quidem præter modum, equorum instar frenum mordentium, excurrunt, hæc verò vi tracta rapitur, risumque præbet spectantibus cum opprobrio : atque ita pœnas luit, ut quæ sponte suâ hoc damnum subierit. Nam humanæ leges eos qui delinquant pœnis coercent, et Deus peccantium ignem inextinctum comminatus est. Deus autem cum sit bonus et justus, ab iis pœnas non exigeret qui contra leges vitam ducunt, si necessariò delinquerent : neque hominum sapientissimi ejusmodi leges unquam tulissent, si compertum illis fuisset, non animi arbitrio humana facinora perpetrari. »

Concludamus cum eodem Theodoro : « Ita que mala non sunt mors, paupertas, servitus, ægrotudo, sed vocantur à stultis mala ; bene autem utentibus bona sunt. » Vide S. Thomam primæ secundæ quæst. 24 ; Cartesium *de Passionibus* ; Mallebranche *de Inquisitione veritatis*.

Objicitur 4^o : *Ex malo morali*. — Saltem nullo modo conciliari potest cum perfectionibus Dei malum morale, seu pravæ creaturarum intelligentium electiones. Nam in hæc questione non possunt afferri eædem responsiones, quæ modò allatæ sunt objectionibus ex malo defectu et naturæ. Mala enim imperfectionis et naturalia excusantur, ex eo quòd sint naturales rerum appendices, vel pœnæ, et utilitate

non careant; non item mala moralia: nam nec natura hominis aut ejus naturalis conditio exigit ut malè ligat, nec prava electio bonum universi vel privatorum auget. Respondeo 1^o objectionem hanc ex malo morali asserri quidem posse ad ostendam humanæ mentis imbecillitatem, si res certissimè existentes, providentiam et malum morale, conciliare nequiret: sed valdè ridiculè affertur ab atheis ad tollendam Dei providentiam: ob hanc evidentissimam causam, quia id supponit objectio, quod tollere vult. Nam cum malum morale seu peccatum sit libera legis divinæ bonæ atque justæ transgressio, sine libertate in creaturâ, et providentiâ bonâ et justâ in Deo, cogitari nequit. Adcòque in hæc obscurissimâ quæstione de mali moralis origine sine ullo causæ nostræ detrimento confiteri nostram ignorantiam possumus. Ut habet Arnobius l. 2 adversus gentes, « responsionis necessitas nulla est. Sive enim « possumus dicere, siye minùs valemus, nec « possumus, utrumque apud nos parvum est, « nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare istud, vel scire, unum solum posuisse « contenti, nihil à Deo principe, quod sit nocens atque exitiale, proficisci. » 2^o Mala moralia sunt propriè mala defectûs, et eorum possibilitas sequitur ex conditione hominum. Multiplicem quoque certissimè habent utilitatem: « neque, ut ait S. Augustinus, Deus « omnipotens, cum summè bonus sit, ullo « modo sineret malè esse aliquid in operibus « suis; nisi usque ad eò esset omnipotens et « bonus, ut benè faceret etiam de malo... « melius judicavit de malis benefacere, quàm « mala nulla esse permittere. » Enchir. c. 11, 17.

At, inquit, congruebat bonitati divinæ mala hæc impedire, cum hoc fieri facillimè potuerit et sine ullis incommodis, idque tribus modis. 1^o Si funestum libertatis donum Deus non concessisset. 2^o Si omnipotentiam suam interposuisset, et voluntatem in se liberam à pravâ electione continuisset. 3^o Si mutato rerum præsentî statu, homines in alium transtulisset, ubi præcis errorum causis nihil occurreret, quo ad malè eligendum moverentur. Respondeo, Deum quidem impedire posse mala moralia, et reverà impedisse in superioribus creaturarum ordinibus (1); at non propterea debuisset continere à pravâ electionibus homines, vel

tollendo libertatem, vel interponendo omnipotentiam suam, vel mutando humani generis statum. Et 1^o quidem sublatâ penitùs libertate facillè intelligitur pejorem futuram mundi conditionem, tum respectu Dei, tum respectu creaturæ. Respectu Dei, quia 1^o, sublati agentibus liberis, mundus universus mera machina esset digito Dei ductilis, et, ut patet, multùm amitteret dignitatis suæ. Quia 2^o sublatâ libertate nullum esset Deum inter et creaturam fœderis et amoris commercium, nulla libera gratiarum actio, quam tamen Deo gratiorem esse et præstare omnibus materiæ lusibus facillè sentiet, qui meminerit quantum interest inter puerum patri blandientem et machinam manu artificis circumactam. « Tales servos suos, ut ait S. Augustinus, meliores esse Deus judicavit, si ei serviant liberaliter: quod ullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent, » et alibi percunctanti Evodio cur dedisset Deus liberum arbitrium, quod si non accepisset homo, non peccasset, respondet: « Satis causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illâ libertate homo rectè non potest vivere, et pœna injusta esset et præmium, si homo voluntatem non haberet liberam: debuit autem et in supplicio et in præmio esse justitia, quoniam hoc unum est bonorum, quæ sunt à Deo. » De lib. Arb. l. 1, c. 1. Quia 3^o sublati creaturis liberis non ad eò in administratione rerum eluceret divinæ perfectiones. Nam in gubernatione rerum carentium libertate magis elucere videtur potentia, quàm sapientia: hæc multò magis enitet, cum tot agentibus liberis à dominio suo quodammodò manumissis et suspensio potentie exercitio, solâ providentiâ fines assequitur, eliciteque ut tot discordes voluntates in bonum universi conspirent. Præterea in hæc administratione morali elucet sanctitas, justitia, cæteraque omnia his connexa attributa; quorum in fatali rerum omnium et ferreâ concatenatione nullum indicium esse potest.

Respectu etiam creaturæ, quia 1^o, sublatâ libertate, cæteræ præclarissimæ mentis nostræ

dita, et quidem non concessâ eis libertate, ut jam supra in proœmio de Providentiâ partim de angelis affirmat; dum ex alterâ ea congerit libertatis hominibus negatâ incommoda quibus etiam superioribus creaturis negandam esse constaret: v. g. mundo universo diminutam dignitatem, morales Deum inter et creaturam relationes sublatas, etc. Reverà dicendum ex communi sententiâ omnes angelos libero arbitrio donatos ipsos in statu probationis seu ratoris primùm exstitisse, atque nunc fidelitatis suæ præmio gaudere. P. S.

(1) Ibi non videtur auctor sibi consentire, cum ex unâ parte admittit mala moralia in superioribus creaturarum ordinibus fuisse impe-

doles tollerentur : verbi gratiâ , si intellectum seu vim cogitandi haberemus sine libertate , vel nobis esset de eadem re perpetua cogitatio , vel series cogitationum necessariarum perpetuò sese obtrudentium : in quo statu certè nullus relinquitur rationi locus , nec consequenter illis deliciis , quas ex liberis inquisitionibus , ex inventis , ex inceptis , ex vitæ nostræ rationibus institutis , ex oratione et colloquutione hominum , etc. , accipimus . Quia 2^o , careremus etiam illis voluptatibus interioribus , et magis exquisitis , et magis permanentibus , quæ vultus præmia sunt : quæ manifestè habent fundamentum in libertate et sunt gratiæ sensus recti exercitii nostrarum facultatum . Quia 3^o , sublata libertate , careremus illâ omni felicitate quam pariunt ipsæ electiones liberæ circa res etiam indifferentes ; quæ certè in vilâ maxima est : nam si quis seipsum tentare velit , inveniet illam vim esse libertatis , ut grata nobis efficiat omnia quæ eligimus ; etiamsi ante electionem essent maximè indifferentia , inuò etiamsi reverà mala sint physica et habeant dolorem adjunctum . Sic illius ope supra fortunam tollimur et rebus adversis impetiti solatium intra nos ipsos quærere possumus ; novaque nobis proponere studia , quæ oblectamento suo necessarias in præsentî statu æruinas multum lenient .

2^o Deus in suâ potentiâ media habet efficacissima , quibus , prout vult , flectere possit voluntates liberas hominum . At illis uti necesse non fuit , de quâ re ingeniosè disputat S. Augustinus de lib. Arb. l. 3, c. 42 : « Naturas igitur omnes Deus fecit , non solum in virtute atque justitiâ permansuras , sed etiam peccaturas ; non ut peccarent , sed ut essent ornaturæ universum , sive peccare , sive non peccare voluissent . Si enim rebus deessent animæ , quæ ipsum fastigium ordinis in universâ creaturâ sic obtinerent , ut si peccare voluissent , infirmeretur et labefactaretur universitas , magnum quiddam deesset creaturæ ; illud enim deesset quo remoto stabilitas rerum atque connexio turbaretur : tales sunt opimæ et sanctæ et sublimes creaturæ celestium et supercelestium potestatum , quibus solus Deus imperat , universus autem mundus subjectus est . Sine istarum officiis justis atque perfectis esse universitas non potest . Item si deessent , quæ sive peccarent , sive non peccarent , nihil universitatis ordini minueretur , etiam sic plurimùm deesset . Animæ sunt enim rationales , et illis superioribus officiis quidem impares , sed natu-

râ pares , quibus adhuc inferiores sunt multi et tamen laudabiles à summo Deo constitutarum rerum gradus . » Ibid. Tertullianus lib. 2 contra Marcionem sic disputat : « Si enim homini semel permiserat (Deus) arbitrii potestatem et libertatem , et dignè permiserat , utique frueudas eas ex ipsâ institutionis auctoritate permiserat ; frueudas autem quantum in ipso secundum ipsum , id est , secundum Deum... quantum verò in homine , secundum motus libertatis ipsius . Quis enim non hoc præstet ei , cui quid semel frui præstat , ut pro animo et arbitrio suo fruatur ? Igitur consequens erat , ut Deus secederet à libertate semel concessâ homini , id est , contineret in semetipso et præscientiam et præpudentiam suam , per quas intercessisse potuisset , quominus homo malè libertatem suâ frui aggressus in periculum laberetur . Si enim intercessisset , rescidisset arbitrii libertatem , quam ratione et bonitate permiserat . Denique pnta intercessisse... Nonne exclamaret Marcio : O Dominum fatilem , instabilem , infidelem , rescindentem quæ instituit ! Cur permiserat liberum arbitrium si intercedit ? Cur intercedit , si permisit ? Eligat ubi semetipsum erroris notet , in institutione , an in rescissione . »

3^o Denique non necesse fuit ut Deus hominem abhæ collocaret . Nam primum qui hoc volunt , volunt omninò hominum ordinem non esse ; nam creatura rationalis in celo posita et in aliâ vitæ conditione diversi esset ordinis ab homine animali terrestri . Audiamus S. Augustinum de lib. Arb. l. 3, c. 5 : « Si te delectet creatura , quæ perseverantissimâ voluntate non peccat , non est dubitandum , quod eam peccanti rectâ ratione præponas . Sed sicut eam tu cogitatione præponis , sic eam creator Deus ordinatione præponit . Crede esse talem in superioribus sedibus et in sublimitate cælorum . Habet illa sublimis perpetuam beatitudinem suam , in perpetuum fruens creatore suo , quem perpetuâ tenendâ justitiâ voluntate promeretur . Habet deinde ordinem suum etiam ista peccatrix , amissâ in peccatis beatitudine , sed non dimissâ recuperandâ beatitudinis facultate , quæ profectò superat eam , quam peccandi perpetua voluntas tenet . Inter quam et illam priorem permanentem in voluntate justitiæ , hæc medietatem quamdam demonstrat , quæ prænitendi humilitate altitudinem suam recipit . Nam neque ab illâ creaturâ , quam præcivit Deus non solum peccatam , sed etiam in peccandi voluntate mansuram , abstinnit dignitatem humanitatis suæ , ut non eam conderet : sicut enim

melior est vel aberrans equus, quàm lapis, propterea non aberrans, quia proprio motu et sensu caret; ita est excellentior creatura, quæ liberâ voluntate peccat, quàm quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem... Propterea enim non te moveat, quòd vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo: Melius fuisset, si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare nolissent. »

Ex his omnibus patet solutio huic objectioni quàm proponit Cotta apud Ciceronem, l. 3 de Nat. deor.: « Si medicus, inquit, sciat eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumpturum statimque periturum, magnâ sit in culpâ: sic vestra ista providentiâ reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos sciverit eâ perversè et improbè usuros. » Manifesta est istius comparationis vanitas. Potest enim ager sine vino vivere, imò et convalescere. At homo sine ratione esse non potest. Nec minus distat peccare et perire. Verum est quòd nemo vinum sumere ægrotum voluerit, quo periturum sciverit; quilibet tamen prudens medicus ægro cibum sumere permittet, sine quo certò periturum novit, etiamsi febrim eo sumpto auctum iri præviderit. Sic Deus rationem hominibus, sine quâ homines non essent, dedit, etiamsi juedam inde mala oritura prævideret. Deberet ergo ratio comparari cum vitâ, mala mortalia cum morbo: proindeque si Deus rationem auferret, ne homines malè illâ uterentur, similis esset ejus qui occideret filium, ne ægrotaret. At, inquires, bonitatis pars esset in parte occidere potiùs filium, quàm permittere ut insanabiliter decumbat. Si hoc sit patris officium, non est provisoris generalis, et ad cujus providentiâ, ait S. Thomas, pertinet et honi productio et permissio mali, ut non impediatur bonum universi perfectum. » Eadem vanitas est omnium exemplum, seu olim à Manichæis et Epicureis, seu nuper à Bayho, allatorum: hic verò in similitudine matrisfamilias præsertim delectatur, quæ cum certa sit filiam suam pudicitix jacturam facturam esse, si certis illam perditorum hominum circulis et ludis interesse sinat, tamen permittit, ne filix libertatem tollere videatur: hanc verò matrem cum omnes facilè concedant imprudentem et in filiam reverè sub benignitatis specie sævam esse, ejusdem planè imprudentiæ et sævitiæ Deum arguendum esse pronuntiat. Sed hæc comparatio ob multiplicem cau-

sam distat à præsentî quæstione. 1^o Quia præsentia filix istis circulis res necessaria non, est: mater impedire potest ne illa intersit sine ejus interitu; sed libertas contrarietatis pertinet ad statum hominis. Quærendum est igitur an matrem bonitas excitare debeat ad filiam occidendam, ne pudicitix adeat periculum. 2^o Quia mater malo filix nullum remedium afferre novit; nec ex illo, vel sibi, vel filix, vel familiæ, vel patriæ utilitatem aliquam arripere potest. Deus verò efficere potest et reverè efficit, ut peccatum sibi prosit ad manifestationem suorum attributorum; ut peccatori nisi volenti non obsit aut etiam prosit, cum per salutare pœnas non tantùm ad primam, sed majorem perfectionem et felicitatem illum si velit perducatur; ut toti civitati utile sit, cum paucorum infortunium exemplo aliis esse possit quo in officio contineantur.

Ex iisdem principiis solvitur illa adeò nota objectio Epicuri, quam Lactantius proponit his verbis: « Deus aut vult tollere mala et non potest; aut potest et non vult: aut neque vult, neque potest. Si vult et non potest, imbecillus est, quod in Deum non cadit. Si potest et non vult, invidus, quod æquè alienum à Deo. Si neque vult neque potest, et invidus et imbecillus, idèque neque Deus. Si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde sunt mala? Aut cur non tollit? Ex quatuor illis membris sumebant olim Manichæi et Stoici primum: illi fingebant propter vim et potentiam mali principii Deum bonum non posse efficere quod velit. Hi verò voluntatem divinam frustratam dicebant, incorrigibili naturâ materiæ aut animæ maleficæ insitæ in materiâ. Alii secundum eligunt propter diversas rationes: « Deus inquit Lactantius, potest quicquid velit, et imbecillitas vel invidia in Deo nulla est; potest igitur mala tollere, sed non vult; nec idèò tamen invidus est; idèò enim non tollit, quia sapientiam simul tribuit, et plus est boni et jucunditatis in sapientiâ, quàm in malis molestiâ. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoscamus et per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum. Itaque nisi priùs malum agnovimus, nec poterimus agnoscere bonum; sed hoc non vidit Epicurus, nec alius, si tollantur mala tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine remanere virtutis vestigia, cujus ratio in sustinendâ et superandâ malorum acerbitate consistit. Igitur propter exiguum compendium sublato rum malorum, maximo et vero et proprio nobis

bono careremus. » Leibnitzius quoque dicendum existat Deum mala tollere potuisse, sed noluisse propter hanc optimam rationem, quòd simul bona sustulisset, et plus boni quàm mali. Clericus et alii multò melius respondent, et huic responsioni inharendum est, Deum potuisse mala tollere, sed non voluisse: quia Deus in dividendis donis suis creaturis nullam aliam legem habet præter arbitrium, ut supra diximus ubi de malo imperfectionis. Si ad aliquid procreandum teneretur bonitas infinita, teneretur ad perfectissimum, sed perfectissimum repugnat. Necessitas ergo est, ut bonitas quamvis infinita in aliquo gradu finito perfectionis et felicitatis consistat. Sed estne gradus ullus finitus, cui Deus adstrictus sit? Manifestè nullus est. Ergo bonitas quamvis infinita in quocumque gradu perfectionis et felicitatis consistere potest. Ergo in eo qui est proprius hominum in præsentí conditione (1).

(1) Gravissima ex malo morali difficultas est multorum hominum, prævisio libertatis abusu, perditio: ex quo adversarii concludunt vel Deum non esse sapientem, si, prævisio abusu, bonum usum, id est, finem non assequendum atque in hypothesi cognitã impossibilem intenderit; vel Deum non esse bonum, si non intenderit bonum usum libertatis, salutemque hominum. — Respondeo Deum intendisse bonum usum, *liberum* essentialiter, libertatis, ac proinde non absolutè, sed conditionatè hominum salutem. Ea igitur intentio importat essentialiter possibilitatem abusus: porro *possibili posito in actu, nil sequitur absurdum*. Hinc videre est in eo totum esse questionem, utrùm huiusmodi intentio sit bona sapiensque, necne. Si prius admittatur, jam certè non potest mala fieri et inspiens per ipsum abusum, quem possibilem essentialiter supponit; posterius verò falsum esse facillè evinceretur. Neque enim sapientiæ, neque bonitati ac sanctitati divinæ repugnat, Deum homini dare libertatem, quã concessã, suum iste creatorem glorificare, merita comparare, assequi præmia possit, perire verò nequeat, nisi pessimè ipse sese perdere voluerit.

Inst.: Majora mala quàm bona ex libertate sequuntur, cum plures sint qui percaut quàm qui salventur homines; ergo sapientiæ ac bonitatis erat ab huiusmodi dono abstinere, si Deus ad bonum generis humani concedere libertatem voluisset. — Respondeo: Nego consequentiam, quia majora illa mala non ex ipsã libertate, sed ex ejus abusu, oriuntur, non nisi quæ prave voluntati eorum ipsorum qui percaut sunt imputanda. Justi autem non debeant maximis libertatis commodis propter iniquas malorum dispositiones privari. Deus à fortiori non debuit carere gloriã quam ex bono libertatis usu percipit, ob eandem percipientium liberam depravationem. Quòd si diceretur eam gloriam uno tantùm peccato destrui, reponeremus negando, quia hæc suis virtutis acti-

Objicitur 4°: *Ex inæquali distributione præmiorum et pœnarum*. — Justa rerum administratio postulat ut præmia et pœnæ dividantur pro meritis. Atqui in administratione divinã boni ærumnis sæpè concipiuntur, dùm impiis afflat fortuna.

Unde Ovidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso
Sollicitos nullos esse putare deos.

Notus est etiam elegantissimus Claudiani locus in Ruff. l. 1:

Sæpè in hi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluctent mortalia casu.
Nam, cum dispositi quævissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, abnixe meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci. . . .
Sed cum res hominum tantã caliginæ volvi
Adspicerem, lætosque diu florere vœcenes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio, causæque viam non spontè sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuræ
Fortunã, non arte, regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia veri.

Respondeo: Distinguo majorem: Justa administratio postulat ut præmia et pœnæ dividantur pro meritis in statu finali, concedo; in statu probationis et militiæ, qui via est ad alium statum, nego. Esse quidem inæqualem distributionem præmiorum et pœnarum facillè concedimus; non nisi serò Dei vindicta assequitur malos, quandoque in hæc vitã nullatenus; boni è contrario propter ipsam suam virtutem malis multis opprimuntur. Sed hæc forma regiminis cum Dei justitiã optimè consistit, ob duplicem hanc præcipuè rationem.

Primò. Quòd Deus utpote omnium supremus Dominus pro suo beneplacito possit differre malorum supplicium et bonorum præmia, si id ad bonum aliquid consequendum possit inservire. Hoc jus ipsis regibus et magistratibus nostris non denegamus; si è re republicæ sit differre malefactoris supplicium vel bonæ

hinc homines justii injuriam Deo per peccatum illatam nunquam adæquare possint, gloria quam illi præstant, permanet, atque Deus suam gloriam habet ex ipso peccato, nempe manifestando suam indulgentiam erga pœnitentes, et in impœnitentes justitiam.

P. S.

actionis remunerationem, hoc regi licitum esse nemo negabit. Ad absolvendam ergo Dei justitiam moderatricem mundi sufficit, quod aliquando malos capiet suæ improbitatis poenitentia et boni invenient præmia virtutis; venietque tempus quando bonos non poenitebit dilati præmii: nec mali poterunt gloriari de dilato supplicio; quandoquidem Deus ipsius moræ et dilationis in puniendo et remunerando habebit rationem. Secundò. Præsens mundi conditio postulat hanc inæqualem distributionem: nam primùm hominum conditio est status probationis et militiæ, in quo ad exercitationem virtutis oportet bonos viros molestias multas perferre: oportet etiam malos uti prosperâ fortunâ, ut probetur bonorum constantia, quandoque ad ulciscendam improborum hominum impietatem, ut iidem sint illustra exempla in infasto exitu diviniæ ultionis. Deinde verò divina justitia rerum humanarum moderatrix talis esse non debet, quæ omnia statim destruat, sed quæ potius mundum conservet in conditione quâ potest optimâ. Jam verò si Deus sederet in tribunali ad ferendam ultimam sententiam, judiciumque æquum diceret in hæc vitâ, in omni ætate destrueret maximam partem generis humani: et quid simile experiremur istius calamitatis quæ in diluvio contigit, si hic habitare nullis liceret nisi bonis. Cùm igitur Deus velit servare mundum, necesse est ut malos vivere patiantur et id solummodò agat, ut legibus suis et iudiciis quandoque severioribus coerceat hominum perversitatem. Denique manifestum est juxta cursum rerum ordinarium sine perpetuis miraculis everceri non posse illam strictissimam justitiam: conditionem quoque generis humani illam non ferre; ita quippe vinculis amicitiae, sanguinis et commodorum colligantur inter se homines, ut mali acerba pati non possunt, quin in partem infortunii veniant etiam boni. Quæ esset, v. g., pars liquidæ voluptatis in parentis optimi vitâ, qui sibi divino iudicio creptos charissimos liberos lugetur (1)?

(1) Hæc vera sunt nec impediunt quin tamen, præmissâ futurâ presentium malorum compensatione, non verò hujus compensationis idè et spè, longè majorem bonorum summam justos manere de facto in hæc vitâ quàm iniquos. Quod triplici sub respectu constare videtur, si nempe civilem poenarum animadvertimus institutionem, si morbos, si denique stimulos conscientie.

1° *Civilis poenarum institutio.* In societate, in naturali prondè hominum statu, apertè existit et essentialiter civilium institutio poenarum,

ARTICULUS III.

DE MOTIVO, FINIBUS, PERFECTIOE ET METHODO
DEI PROVIDENTIE.

QUESTIO PRIMA.

*Quo motivo Deus excitatus fuerit ad creandum
et quem-finem in agendo spectaverit?*

Confundunt sæpiùs theologi et philosophi motivum divinarum operationum ad extracum earundem fine: et ex duabus illis quæstionibus, quas titulus exhibet, unam valdè æquivoam effecere: ex quo evenisse videtur, ut etsi reapse sint concordés, tamen in varias discesserint opiniones: v. g., quidam, inter

quibus plectantur mali, quasque non ita effugiunt, quam primùm rerum suadet aspectus. Imò nullus eas scelestus planè declinat, si perpetuas eorum anxietates, dum liberi sunt, vitamque profugam pensemus.

2° *Morbi.* Neminem latet morbos plerosque ex culpâ, utque consecraria peccati ariri. Intemperantia sola eos jam ferè omnes secum importat. *Innumerables*, inquit Seneca, *esse morbos n iraris? coquos numeros.* Hunc effatum vulgare: *Plus hominum occidit esca quàm gladius.* Quid verò de morum depravatione, quæ ut speciei humanæ crudelissima inimica ubique et semper habita tuit!

3° *Simuli conscientie mentisque inquietudines.* Omnis vera felicitas, id est, pax interna à malis penitus exultat. Continuo conscientie aculeis velut furis domesticis cruciantur scelesti. Mens eorum extra ordinem delicto projecta, atque à suâ vitâ, id est, à Numine disjuncta, quasi membrum à suo loco avulsam, nulla certè et dura patitur. Foris autem non parùm etiam vexantur: quippe libidinosi ac improbi suis habenas laxantes cupiditatibus, plerumque offenduntur ab omnibus, denique et opprimuntur; nec ullum itaque sive in se, sive in aliis, aut in Numinis idè solatium habent. Hinc eorum in Providentiâ querelæ seu blasphemie; hinc desperationes, etc.

E contra omninò viri probi ac pii pace internâ fruentes, serenatâ fronte conspiciunt, sus in desideriis moderati, rariùs idcirco alios experiantur sibi adversarios, multumque alunde levantur in calamitate, in persecutionibus, etc., recordatione Dei, patris providi, optimi, transitorios æternis præmiis dolores compensantis; imò et in pœnis acerbioribus, vel rebus in adversis tantâ spè beatificantur. Hinc isti in quâlibet sorte constituti, divinam providentiam agnoscunt, adorant et mirantur.

Hæc res ita in mundo componuntur, ut justî jam feliciores existant et mali infeliciores, priusquàm utriusque suam admodum diversam sortem in futurâ vitâ subeant; et quidem tam misis modis, ut neque libertas, neque virtus, neque ordinis moralis quælibet pars aliquid patiatur detrimenti, nec aliud quodcumque incommodum sequatur!

De providentiâ in terris justificatâ vide potissimum egregium opus D. de Maistre, inscriptum: *Soirées de Saint Pétersbourg.* P. S.

quos Estius est, negant dici posse Deum aliquem finem sibi proposuisse in condendo mundo; quia, inquirunt, Deus perfectissimus est et nullus indigens; et sicut efficientem causam non habet, ita nec finalem. Hæc opinio seu potius forma loquendi valdè dissona est, nec satis abhorret ab athæorum sermone, qui omnia propter nullum finem temerariè ac inconsultè actione entis æterni et necessarii constituta pronuntiant. Quid est agentem cætere fine, nisi agere temerè et inconsultò? Tamen manifestum est hos theologos non nisi verbis ab aliis differre, quia per finem intelligunt non finem operis, sed motivum quo Deus inclinatus est ad operandum: fatentur etenim rerum à Deo creatarum esse aliquem finem, gloriam videlicet Dei; fatentur etiam inter res creatas aliquas esse, quæ conditæ sunt propter alias, v. g., solem ad illustrandas lumine suo planetas. Nos ergo adhibita distinctione statuemus cum Estio Deo nullum fuisse motivum naturale agendi ad extra; deinde verò cum aliis, Deum liberè voluntate ad agendum determinatum sibi proposuisse finem, v. g., gloriam suam et creaturarum bonum.

PROPOSITIO PRIMA.

Nec gloria Deo ex universitate rerum redundatura, ut quidam putant, nec bonitas creaturarum, nec inclinatio aliqua benevolentis erga creaturas, aut aliud quodvis motivum, Deum impulit ad agendum ad extra: sed Deus seipsum liberè determinavit, et volendo creaturarum existentiam, eas fecit et bonas et gratas sibi.

PROBATIO. — 1º Gloria ex universitate redundatura non potest dici motivum, quo Deus ad agendum determinatus fuit. Nam gloria hæc est res externa et adventitia. Atqui Deus à re externà ad agendum moveri nequit: qui enim determinatur ad extra, pendet ab eà re à quâ determinatur, passivè se habet, agitur, non agit. Quæ omnia de Deo affirmari nequeunt. Deinde verò ens sibi sufficiens, nullaque re indigens nihil diversum à se appetit; cum ipsa alicujus rei appetitio indigentiam significet. Et propterea tali entì indifferens esse debet cujuscumque rei finitæ et externæ existentia. Sed gloria ex universitate redundatura, res est finita et externa. Denique, si esset in Deo aliqua gloriæ appetitio independenter à liberè voluntatis determinatione, esset illa appetitio naturalis, et ideo æterna et necessaria, et consequenter ab æterno excitatus

fuisset Deus istà appetitione ad creandum, quod tamen omnes negant. Ergo.

2º Deus dici non potest excitatus ad creandum creaturarum bonitate. Nam primò ante liberam Dei electionem creaturarum bonitas nulla est. Num bonitas absoluta seu realis perfectio aliqua? Sed rei non existentis nulla bonitas est absoluta, nulla realis perfectio. Num bonitas relativa? Sed hæc sine existentia concipi nequit: et relativè ad Deum infinitum nihil extra se, naturà suà et independenter à voluntate divinà, bonum et conveniens esse potest. Deinde si Dens bonitate externà creaturarum inclinaretur ad operandum, omnes indiscriminatim creaturas possibles produxisset: nulla est ratio, cur creaturas aliquas discrimina-verit, cum omnes æqualiter habeant illam objectivam bonitatem, quâ Deus inclinatus supponit. Denique cum bonitas creaturarum sit respectu Dei res externa, huc referri possunt omnes modò allatæ rationes, quibus effecimus gloriam externam non fuisse divinorum operationum motivum.

3º Propter easdem rationes nulla concipitur in Deo ante liberam voluntatis determinationem, benevolentis inclinatio erga creaturas seu naturalis appetitio.

4º Restat ergo quòd divina voluntas liberè sese determinaverit ad operandum ad extra. Nam nulla causa distincta à voluntate fingi potest; et cum nullam habeant creaturæ, dum sunt possibles, bonitatem, nec absolutam, nec relativam, necesse est divino fiant bonæ decreto. Atque reverè existentia perfectio est absoluta et cæterarum fundamentum: earumdem conformitas cum divinà voluntate cæterisque ejus attributis, bonitas etiam relativa est, quam utramque creatione acquirunt. Tandem Deus volendo concipitur eas sibi gratas facere et in se quamdam earum voluntariam appetitionem excitare: dum enim erant tantummodò possibles, nullamque haberent bonitatem nec absolutam, nec relativam, gratæ ipsi propriè esse non potuerunt: sed cum volendo ipsas existentiam destinaverit, propter bonitatem tum absolutam, tum relativam diliguntur (1).

(1) Qui quærit, quare Deus voluerit mundum facere, causam quærit voluntatis Dei. Sed omnis causa efficiens est; omne autem efficiens majus est, quàm id quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est. S. Aug. l. de Civ. Dei c. 28. Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult. S. Thom. part. prim. q. 19.

Objicies 1°: Si ab effectis suæ omnipotentiae et decretis suæ voluntatis nihil gloriae Deus expectaverit, quo excitaretur ad res creandas, cur creavit? Cur non otiosus mansit? — Respondeo non plus afferre Deo molestiae voluntatem creandi, quam otium: proinde ad velle et non velle prorsus indifferens Deus fuit. Tam igitur quæri potest cur non creaverit, quam cur creaverit, atque propter hanc indifferentiam summè liber intelligitur, utpote qui nullo modo naturâ inclinatus, potest agere vel non agere.

Objicies 2°: Nullo modo intelligitur quomodo ens aliquid possit sese ad agendum determinare nullâ causâ, nullâ ratione inclinatum. — Distinguo antecedens: Non concipimus modum quo ens aliquid seipsum determinat ad agendum, seu vim illam determinatricem, concedo. Non concipimus rem ita esse, nego. Fatemur quidem nos nullam habere ideam claram potentiae seu vis sui motricis et activæ, nec modum quo sese exerit intelligere; sed esse entia prædita tali vi certò scimus: quia certò novimus progressum infinitum in causis esse non posse, et consequenter sistendum esse in aliquâ causâ, quæ vim habeat sese determinandi. Quàm multa sunt hujusmodi quæ negare non possumus, etsi quomodò sint non intelligamus: scimus lucem à sole derivatam nervorum pulsatione sensationes luminis et colorum excitare; scimus membra nostra cogitatione vel desiderio moveri, at quomodò id fiat nullo modo concipimus. Fortassè si quis penitus rem hanc expendere velit, inveniet nos non clariùs apprehendere, qui aliquid ab alio moveatur, vel quoquo modo afficiatur, quàm qui seipsum moveat et afficiat: saltem multò difficiliùs intelligitur quomodò motus vel cogitatio esse possit sine principio, quàm quomodò ab agente incipiat. Fallunt nos in hæc parte entia corporea inter quæ versamur, quæ exempla nobis passionis exhibent, actionis verò nulla; at si nulla essent corpora, et cum mente nostrâ, ejusque interioribus facultatibus conversaremur, nescio an non obscurior esset cogitatio passionis, quàm actionis. Hoc certum est nullam esse posse passionem sine actione et multò obscuriorem esse cogitationem, quomodò volitiones mentis sint natæ ex impressionibus extrinsecis acceptis, quàm quòd sint naturæ cujusdam per se activæ operationes (1).

(1) Salvâ reverentiâ, videtur naturalius dicere Deum sese liberè determinasse ad creandum ex motivo non necessitate, petitum à fine contingente ad quem creavit. P. S.

Ab hujus questionis solutione pendet etiam illa omnium aliarum similium: *Cur Deus citius non creaverit? Cur præcisè in hæc spatii infiniti (si quod sit) parte creaverit? Cur plura entia non produxerit? Vel cur alias dotes creaturis non addiderit?* Responso generalis hæc est: *Quia noluit.*

PROPOSITIO II.

Divinarum ad extra operationum finis est vel gloria Dei (1); vel bonitas divina creaturis communicanda (2); vel divinarum attributorum exercitatio; vel Dei perfectionum in creaturis expressio (3).

Hæc omnes formæ loquendi probantur à gravissimis auctoribus, tum veteribus, tum recentioribus; et reverà eòdem omnes redeunt. Nam expressio Dei perfectionum ad extra, est ipsa exercitatio suorum attributorum; voluntas verò exercendi sua attributa et communicandi suas perfectiones, quid aliud est quàm divina bonitas? Et denique gloria Dei, in quâ re potest consistere, quàm in dictâ attributorum suorum exercitatio vel suarum perfectionum in creaturis expressione, atque illa complacentia quæ hinc in Deo enascitur? Sic certè mentem suam explicavit Mallebranchius, quem calumniantur Baylius et alii benè multi, dum stupidam et ridiculam illi tribuunt opinionem, quòd Deus egerit ex vanâ gloriâ, ad aucupandam famam et existimationem hominum, quam sententiam è contrario confutat in disputationibus metaphysicis. *Entret. metaph. p. 349.*

QUÆSTIO II.

An providentiæ divinæ systema dici possit perfectissimum.

Veteres omnes philosophi *Platonici, et Stoici*, et alii asseruisse videntur mundum hunc cum omnibus suis imperfectionibus atque malis esse tamen perfectissimum; eorum omnium mentem expressit *Balbus Stoicus* apud Ciceronem, l. 2 de Nat. deor. his verbis: « Ex iis naturis, quæ erant, quòd effici potuit optimum, effe-

(1) Universa propter semetipsum operatus est Deus, *Prov. 16*; in laudem gloriæ suæ, *S. Paulus*.

(2) Bonitate Deus præstabat, bonus invidet nemini. Itaque omnia sui similia generavit, *Plato in Timæo*. Hæc justissima mundi condendi causa fuit, ut à Deo bono bona opera fierent. *S. Aug. l. 11 Conf. c. 21.*

(3) Satis liquet quòd intuitu primariæ et universalis rationis hominem Deus creaverit ob seipsum, suamque et bonitatem et sapientiam, quam faciliè in omnibus perspicias. *Althe nagras de Resurrectione c. 11.*

ctum est. Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo unquam docebit: et si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id quod fieri non potuit desiderabit. » Quidam etiam Ecclesiae Patres, qui Platonis philosophiae addicti fuerunt, docuerunt mundum hunc perfectum esse (1): non eo quidem sensu, quod Deus perfectiorem creare non possit; sed quod partes respectu totius sic aptae sint, ut melius esse non potuerint. *Theodoretus* qui majorem operam quam alius quisquam posuit in illustrandâ et defendendâ Dei providentiâ expressè probat *Platoniorum* doctrinam (2).

Cùm *Baylius* in Dictionario suo historico-critico multa adversus providentiam Dei ex consideratione mali physici et moralis disputasset, hoc sibi negotii dari crediderunt praeclarissimi philosophi recentiores, ut religionem contra illius hominis objectiones vindicarent; neque aliam tutiorem viam ingredi posse se multi putaverunt, quam si absolutè pronuntiarent mundum hunc cum omnibus malis suis

(1) Iustitiâ summi Dei factum est ut non modo sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnia melius esse non possint. S. Aug. *l. de Quant. animae*. Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam honorum omnium conditorem, idem *l. 3 de lib. Arb. c. 5*. Aut verò usque ad eò decipiendum est ut homo videat aliquid melius fieri debuisse, et hoc Deum vidisse non putet: aut putet vidisse, et credet lucere noluisse, aut voluisse quidem, sed minimè noluisse. Idem *c. A dver. legis et prophetarum c. 44*. Necessè est omnia, quae Dei providentiâ fiunt, secundum rectam rationem et optima et Deo decentissima fieri, et ita ut nequeant meliora fieri. *Damasceus de orthod. Fide c. 19*.

(2) Post hæc quorundam refellit insaniam (Plotinus) qui quasdam mundi particulas reprehendere conabantur, sic loquens: Totum enim quoddam fecit, omni ex parte pulchrum et sibi sufficiens, amicum sibi suisque partibus, tum principalioribus tum minoribus, tanquam ipsi magis congruentibus. Qui ergo à partibus totum accusat, hujus suae accusationis causâ insulsissimus est. Nam et partes considerare oportet ratione totius, ut ut sint illi consonæ ac conformes: et qui totum considerat, non ad minutiores quasdam partes respicere debet. Hoc enim non sit mundum reprehendens, sed quadam illorum seorsum capientes; ut si quis ex toto animali crinem inspicens, imosque pedum ungues, totum hominem, propè divinam visionem, non curet inspicere.... Quando igitur quod factum est, universus est mundus, qui hunc contemplantur, dicentem fortassè audiet: « Deus me fecit; et ego inde sum factus ex animantibus cunctis perfectus, meipso potens mihi que sufficiens et rei nullius indigens: quoniam in me sunt omnia, et plantæ, et animantia et generum omnium natura. » *Serm. 6 Therap.*

physicis et moralibus esse tamen perfectissimum, neque Deo licuisse condere perfectiorem; proindeque aut Deo fuisse temperandum à creatione, aut mundum hunc, uti nunc est, condendum fuisse. Sed inter hos magna extitit contentio, unde repetenda sit operis divini perfectio: alii cum *Leibnitio* mundum hunc ratione perfectionis suæ absolutæ, et independenter à vis simplicioribus, ordinem esse inter omnes possibles prorsus optimè arbitrantur, neque posse tolli malum quin simul tollatur et bonum. At *Mallebranchius* ordinis hujus perfectionem summam ex duplici fonte repetit: nempe primùm à vis generalioribus et simplicioribus, quibus in condendo mundo Deum usum esse asserit: magis dignum fuisse Deo statuit illum mundum præ cæteris omnibus eligere, qui viâ simpliciori creari, conservari ac gubernari poterat; etsi magis abundaret vitiis, quæ ex ipsâ legum simplicitate procederent. Secundò ab incarnatione Verbi divini, quæ mundum ad eum extulit dignitatis et perfectionis gradum, ut dignus esset in quo condendo et administrando Deus occuparetur. Clarissimus King in ingenioso opere *de Origine mali* ab utroque in multis discessit: summam systematis mundani perfectionem repetit ex convenientiâ ejus cum voluntate divinâ, et ex eo quod nulla pars mutari possit nisi in deterius; quod sic conficit: Si aliqua pars mundi melior effici possit relativè ad totum, id triplici tantum ratione fiet: Vel augendo numerum individuatorum in aliquâ parte existentium; vel majorem inducendo specierum varietatem; vel intendendo sensus et appetitus animantium. Atqui qui harum mutationum consequentias in hæc tellure nostrâ perpendere velit, inveniet plus incommodi ex illis esse oriturum, quam commodi: et per analogiam idem de cæteris omnibus partibus concludit. Non negat tamen hic auctor quin Deus infinitos alios mundos eodem sensu perfectissimos creare potuerit.

Cùm tota hæc quæstio metaphysica sit et nostri intellectum superet, quid nos de illâ sentiamus brevissimè aperiemus. Dico 1º mundum hunc esse perfectissimum ratione illius finis, quem Deus sibi proposuit; saltem asseri non debere alium perfectiorem esse possibilem. Nam hic finis est gloriæ Dei et perfectionis ejus manifestatio. Dico quoque esse perfectissimum ratione *mediorum* ad hunc finem. Nam juxta nostrum concipiendi modum sapientia posita est in electione mediorum aptissimorum ad fines suos consequendos; isque

parùm prudenter agere censetur, qui relictis mediis magis idoneis, iis utitur, quæ sunt minùs idonea: verbi gratià, si quis ad solertiæ suæ specimen, machinam, cum magno sumptu, valdè compositam faceret, ad obtinendum finem, quem assequi potuisset simplici rotà et sine sumptu; rideremus certè illius artificis imperitiàm: sic haud scio an non jure desideraremus in opere Dei sapientiam, si finem suum quæreret per media minùs apta. 2° Elsi Deus necessitate morali teneatur ad prosequendum finem optimùm, nempe gloriam suam, et ad assumenda media ad illum finem aptissima, tamen cum ille finis, qui specie est in divinà actione necessarius, gradu, ut ita loquar, sit arbitrarius, quippe Deus tenetur ad manifestationem suorum attributorum, sed non ad infinitam manifestationem, quæ est impossibilis. Si ad finitum tantùm, quandoquidem in finito innumeri gradus sint et nullus summus existat, solum Dei arbitrium, in quo gradu et quâ mensurâ manifestaret sua attributa, determinare potuit. Sicque ex finium possibili multiplicitate et varietate intelligimus multos mundos possibiles esse, eosque omnes reverè perfectissimos. Hoc sensu, quòd in omnibus Dei gloria obtineatur per media optima. 3° Dico confutari non posse argumento à posteriori veteres et recentiores philosophos, qui asserunt mundum hunc esse absolutè perfectissimum, si per mundum intelligas ordinem infinitum et æternum rerum omnium præteritarum et futurarum, qui ab æterno fuit, est, et erit divinæ complacentiæ objectum. Quia dicere possunt hujus immensì ordinis nullos limites esse, Deum novas res cum indefinitâ varietate semper producere et totam systema, saltem rerum spiritualium, perpetuò in statum progredi perfectiorem et ire de virtute in virtutem. Si talis esset rerum constitutio, intelligitur nullum datum perfectionis actualis et fixæ statum, cum illâ esse comparandum, id est, esse omninò perfectissimum: tum respectu Dei, cujus gloriæ in hac hypothèsi indefinita est manifestatio; tum respectu creature, quia nulla est rationis compos quæ non satius duceret in hac depressâ mortalis conditionis sorte exordium existentiæ capere, si per omnes temporum periodos nova intelligentiæ et lætitiæ incrementa capere deberet; quam nasci in quocumque dato gradu perfectionis stabilis et nullius capacis incrementi. Juxta hanc ideam universitas rerum si in aliquâ ætate infinitæ suæ durationis spectetur, vel si per partes

consideretur, non erit perfectissima absolutè, cum pars non possit habere perfectionem totius, et concipiatur totam constitutionem perfectionibus novis perpetuò amplificari: sed si consideretur cum quibus suis partibus et omnibus suis evolutionibus, uti mundi idea existit in mente divinâ, erit perfectissima, tum ratione gloriæ Dei, cujus est æterna, immensa et infinita explicatio, tum ratione bonitatis seu perfectionis communicandæ creaturis. Erunt quoque partes perfectissimæ relativè ad totum ordinem, quia quamvis non habeant in se summam perfectionem, sunt tamen partes systematis optimi, cujus indefinita perfectio est.

Verùm quamvis Deus sensu exposito systema perfectissimum condere voluerit et indefinitam gloriæ suæ manifestationem sibi proposuerit, tamen initium systematis hujus perfectissimi ab aliquo gradu finito perfectionis sumendum fuit, ibique erat locus arbitrio. Quapropter calculis omnibus subductis videtur adhærendum esse huic principio, quòd si Deus liber fuerit ad creandum, liber etiam fuit circa majorem vel minorem operis sui perfectionem: si non omninò manifestare attributa sua potuit, nullam creaturis tribuere perfectionem, et ex solo arbitrio id fecerit: certè arbitrium solum figere potest limites, intra quos in exercitio suorum attributorum et honorum distributione sese contineat.

Annotatio, auctore P.-S.

In hoc articulo 3, satis subtiliter quandoque disserit auctor de motivo, fine, et perfectione creationis; neque omnia æquè nobis patent. His igitur ab ipso dictis, non abs re erit sequentia addere, velut appendicem de Libertate Dei circa Optimum.

Multùm inter philosophos ea questio, an Deus sit liber circa optimum ad extra producendum, agitata fuit. Sed primùm in hac controversiâ duplex optimum distinguendum esse nobis videtur.

1° Optimum absolutum quòd ita omnium optimum foret, ut nihil perfectius in eodem genere existere posset.

2° Optimum relativum, quòd ita se habet relate ad nos, ut quamvis esset aliquid in eodem genere melius reipsâ, nihil tamen perfectius ratio nostra evidenter posset excogitare. De utroque autem seorsim dicendum.

§ 4. De Optimo absoluto.

Utrum mundus præsens sit omnium opti-

nus nemo hominum argumentis ex ipsius mundi constitutione deductis definire valet, quia nihilum id tum optimi mundi tum præsentis generalem et perfectam notionem, duo videlicet nobis impossibilia, requireret. Imò eandem ob nostram ignorantiam homines præviam hanc aliam quæstionem, an possibilis sit mundus absolutè optimus, intrinsicis et directis argumentis solvere impares esse videntur.

Horum tamen solutio, si dari posset, nostram præsentem quæstionem non attingeret. Id enim tantùm quæritur an Deus poterit ab optimo creando abstinere? quam quæstionem ex dictis videre est nonnisi rationibus metaphysicis definiri posse.

In illà autem disputatione Leibnitzium præsertim et Mallebranchium adversarios habemus, quorum systemata brevi sermone exponenda sunt.

1° SENTENTIA LEIBNITZII. — Celeberrimus ille Germaniæ philosophus contendit Deum semper in agendo *ratione sufficienti* moveri, ac proinde in eligendo semper ad melius determinari, eamque agendi rationem perfectè sapientis esse dicit. Hinc concludit Deum ad mundum omnium optimum eligendum suâ sapientiâ fuisse necessitatum. Non ideò tamen divinam labefactari libertatem censet Leibnitzius, eam videlicet necessitatem de morali, non autem de necessitate metaphysicâ, seu absolutâ intelligendo. Imò, juxta ipsum, non aliter sapientis libertas conciperetur. Quibus positus, sic ratiocinatur:

Infiniti numero mundi sunt possibiles. Unus autem cæteros suâ excellentiâ præcellit. Nunquam enim Deus inter æquales mundos, deficiente ratione sufficienti, potuisset eligere. Atqui Deus certè et infallibiliter, vel necessariò necessitate morali ad eum præcellentem seu omnium optimum eligendum suâ sapientiâ fuit inductus. Alium eligere, non solum absque ratione sufficiente, sed et contra rationis consilium agere fuisset: quod in homine sapiente, et à fortiori in Deo infinitè perfecto repugnat.

2° SENTENTIA MALLEBRANCHII. — Clarissimus noster philosophus, Deum, in hypothesis in quâ sese ad creandum determinet, ad optimum teneri propugnat. Ratio præcipua est quia opus optimum solum ente sapientissimo dignum censeri debet, quia insuper Deus cum suam ob majorem gloriam agat, eam nonnisi ex optimo percepit opere.

III. II.

Cæteri ferè omnes philosophi Deum neque ad creandum, ut sequitur ex Leibnitzii systemate, neque ad optimum creandum mundum teneri, ut ait apertè uterque philosophus, defendunt. Quibuscum sit sequens

PROPOSITO.

Deus est liber circa optimum absolutum creandum. — Prob. 1° generatim. Deus perfectè sibi sufficiens, nullatenus perficitur externâ suarum perfectionum manifestatione quâlibet, etiam in optimo creando: decretum autem vel de non creando, vel de creando optimo, vel etiam de creando minùs perfecto, in Deo arguit perfectionem, nempe libertatem. Plena est ergo et absoluta ratio cur Deus liberè quem voluerit mundum ediderit.

2° Specialiter contra Leibnitzium. Hujus philosophi sententiâ libertatem Dei, quam tamen nobiscum admittit, penitus evellit. Namque, juxta Leibnitzium, melius non assumere quid irrationabile in Deo fuisset: porrò Deus essentialiter perfectus absolutè necessariò rejicit irrationabile; ergo necessariò absolutè Deus et creavit, siquidem ex Leibnitziânâ sententiâ melius erat creare quàm non creare, et optimum creavit.

Nec dicat Leibnitzius eam necessitatem de necessitate morali esse intelligendam, quæ cum non impediatur quin actus non electus in se possibilis sit, libertatem non labefactat; imò libertatem constituit sapientis. Namque libertas vera et meritò eo nomine appellata, essentialiter requirit ut eligens verè et efficaciter actum omnium eligere, et electum omniter antecederet potuerit. Itaque necessitas moralis vel solum de *majori difficultate* est intelligenda, ut par est, et minimè Leibnitzii opinioni favet, vel de verâ necessitate, et tollit libertatem, ac proinde ab ipsomet Leibnitio est rejicienda.

3° Specialiter contra Mallebranchium. Contendit nobiscum egregius ille philosophus Deum liberè sese determinasse ad creandum. Ergo, juxta ipsum, Deus non tenetur ad suas perfectiones manifestandas. Ergo à fortiori eas in maximo gradu manifestare non tenetur; ergo, etc.

Sed, inquit, entis sapientissimi est melius antepone; ergo, etc. — Resp.: Dist. anteced. Antepone in *appretiatione*, conced.; in *determinatione*, neg. Id est, entis sapientissimi est majus bonum melius in se judicare; sed idem ens opus minùs perfectum eligere

potest, si perfectiore non indigeat, nec perficiatur.

§ 2. De optimo relativo.

Deus ad optimum relativum tenetur. Prob. Si Deus non teneretur ad optimum *relativum*, potuisset igitur ita mundum instituere, ut juxta notionem ordinis ab ipso Deo nobis inditas, perfectiorem concipere, operaque in genere perfectiori quam ipse mundus effingere possemus; adeo ut nostræ ideæ de ordine, omni relatione cum ordine præsentis destitutæ, nullatenus ex operibus Dei exercitium ac evolutionem haberent, magisque ad divinum opus corrigendum quam ad agnoscendum mirandumque viderentur nobis traditæ; atqui hæc absurda sunt; ergo, etc.

Nostra propositio agendi ratione firmatur hominum, qui ubique naturaliter et confidenter naturam physicam, v. g., mirantur, eamque duccam ac regulam suis in propriis operibus sequuntur.

Nec obstant quædam inordinationes apparentes, de quibus passim disserit auctor.

Obijciatur forsàn quòd ex propositione nostrâ sequeretur vel principia ordinis, quibus mens nostra informatur esse relativa tantum, non autem essentialia, quod falsum esset, vel mundum præsentis meliorem repugnare, sique libertatem divinam circa optimum absolutum evelli. — Resp. neg. utramque consequentiam. Nostra enim propositio non impedit quin alia superiora ordinis principia, non verò nostris contradictoria existant, vel nostra ipsa magis evoluta ad perfectiones applicationes convertantur.

Itaque mundus præsentis melior possibilis concipitur, qui vel ex principiis nostris perfectius explicatis et applicatis, vel ex aliis ordinis sublimioris constaret. (Explicit annotatio. P. S.)

QUÆSTIO III.

An divina providentia legibus generalibus procedat, sintque illæ leges prorsus mechanicæ.

Si animus esset omnia, quæ ad hanc quæstionem pertinent, referre, et philosophorum veterum recentiorumque opiniones varias et discordes expendere et diligentius confutare, nacti sumus hic locum ad dicendum amplissimum: sed cùm operis hujus ratio sit, non ratiõè res reconditas investigare, sed religionis principia exponere et defendere, non nisi leviter hanc partem attingemus.

Quæri potest 1º an universa natura et singulæ ejus partes legibus fixis et ratis procedat.

evolvat et gubernetur, an non voluntatibus, ut aiunt, particularibus Deus sine aliquo certo tenore cuncta immediatè producat. — Respondeo nullum dubium esse debere, quin Deus agat juxta *leges naturales*, 1º quia nisi cuncta sic procederent, nullo modo esse posset in creaturis prudètia, seu consilium, nullæ scientiæ et artes, nulla industria, nulla certa ratio instituendæ vitæ, nulla stabilis methodus vel corporum curandorum, vel animorum perficiendorum: quæ omnia manifestissimè pendent ex constantia legum, quæ fiat, ut calculos inire possimus, futura prospicere, certos effectus et consequentias ex certis actionibus expectare, facillèque totum vitæ cursum instituere. 2º Quia experientiâ compertum habemus reverà cursum omnem naturæ sic per *leges generales* procedere: verbi gratiâ, in orbe corporea ubique et semper obtinent eadem *leges* gravitatis, còhesionis, elasticitatis, percussionis, etc.; in mundo corporeo spirituali eadem sunt *leges* in omnibus hominibus, quibus animi cum corporibus conjunguntur: inditi sunt omnium mentibus iidem sensus, eadem propensiones, eadem vivendi præcepta. Ex his cognitis naturæ partibus, earumque legibus, per analogiam rectè concludimus partes alias abditas magis et quarum administrationis ratio obscurior est, legibus quoque ratis et fixis gubernari. 3º Idem colligitur etiã à priori: quia illa ratio administrationis sine dubio obtinet, in quâ magis elucet divini perfectiones, scientia, consilium et potentia; id est, quæ Deo omni ex parte dignior est. Sed majorem habet notam sapientiæ et potentiæ cuncta unico intuitu ab origine rerum prospicere et perpetuo tenore ex legibus generalibus evolvere, quàm minutatim et per partes novarum legum institutione producere.

Quæritur 2º quibus legibus natura tota ejusque partes gubernentur. — Respondeo magnam esse philosophorum in hæc re dissensionem. 1º Fuit olim communis valdè et pervagata opinio affectionem seu tactum siderum causam esse omnium eventuum sublunarium, etiã actionum humanarum, Hujus opinionis defensores dicere solebant, cælum magnum quoddam volumen esse, in quo Deus mundi historiam et cujusque fortunam descripsit; cœli efficaciam hanc, alii repetebant ex tactu physico astrorum; alii sidera non causas physicas, sed morales vel occasionales eventuum faciebant; Deumque certâ lege pro diverso eorum situ, cursuque eventus producere. Vanam et

anilem superstitionem hanc, quæ tamen ultimo seculo in totâ Europâ vigeat, et apud orientales adhuc viget, sustulit restauratæ philosophiæ lux. Vide Barclaii Argen. lib. 2. 2^o Stoici olim defendebant cunctas omnino res, eventusque omnes fato evenire: per fatum verò quamplurimi intelligebant ferream rerum omnium concatenationem seu necessariam et invariabilem causarum inter se aptarum et nexarum seriem ac successionem æternam: cui fato dii ipsi subjecti erant. « Eadem necessitas, ait Seneca, et deos alligat; irrevocabilis divina pariter et humana cursus vehit. » At multi etiam inter ipsos extiterè, qui per fatum intelligebant Dei providentiam in rebus externis consideratam et cum fato libertatem conciliabant, ut patet ex hoc loco Ciceronis de Fato, c. 18: « Chrysisippus autem eum et necessitatem improbaret, et nihil vellet sine præpositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ et principales, aliæ adjuvantes et proximæ: quamobrem cum dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, a causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus, antecedentibus et proximis, » etc.

Ab opinione priorum Stoicorum vix differre videtur sententia recentiorum philosophorum, inter quos eminet Leibnitzius, qui, sublata omni physicâ necessitate, moralem non minus ineluctabilem, ejus loco posuerunt. Prædictus philosophus docet Deum ad mundum hunc creandum necessitate morali adductum fuisse, neque alium condere potuisse, quia ad optimum quodque semper tenetur. Mundum hunc duplici parte constare, corporeâ et spirituâli; utriusque verò hanc esse naturam atque leges. Corpoream complexionem esse substantiarum simplicium, quas monadas vocat, quibus inest illa ad motum tendentia, eæque vires, ex quibus naturaliter et necessariò nascuntur motus omnes, qui mundum hunc aspectabilem efformârunt; mundi autem formati status omnes esse necessitate mechanicâ connexos, et unumquemque subsequentem ex præcedenti necessariò consequentem esse. Partem mundi spiritualem, ut animos hominum, docet totidem etiam monadas esse, seu substantias simplices, aliis viribus instructas, in quibus naturaliter nascitur series cogitationum, voluntatum et appetituum sibi invicem succedentium et sese continò producentium sine

vi ullâ sui determinatrice, quam valdè irridet. Has verò monadas materiales seu moventes, et spirituales seu cogitantes, negat agere in se mutuò aut omnino ex ullâ parte à se mutuò dependere: ita tamen hasce monadas spirituales à Deo provido comparatas esse, ut earum cogitationes, appetitiones et voluntates perfectè respondeant motibus certarum materiæ combinationum, quas corpora humana vocamus: quæ propterea à Deo cum iisdem materialibus machinis copulatæ sunt. Eodem momento, verbi gratiâ, quo monas spiritualis vult ambulare, eodem præcisè collectio monadum materialium seu corpus mechanicè ambulat. Adeòque animus et corpus in homine relationem secum invicem habent, non per actualem unionem, vel reciprocam actionem seu physicam, seu moralem, sed tantùm per constantem correspondentiam motuum corporis cum cogitationibus animi. Hoc systema vocatur, systema harmoniæ præstabilitæ: quod certè satis divinam commendat industriam, sed omnem tollit libertatem, seu divinam seu humanam, et consequenter morale Dei in homines imperium.

5^o Alii philosophi Deo et mentibus creatis relinquentes libertatem, statuunt saltem ordinem totum physicum mechanicis legibus omnino permitti, nec unquam Deum intervenire: duas tantùm leges postulant Cartesius et Malebranchius, nempe primam quæ jubeat, « conservari motum in lineâ rectâ; » secundam quæ præcipiat, « ut quantitas motûs communicetur pro quantitate molis corporum impingentium. » Alii plures concedi sibi volunt. Ex his generalibus et ratis legibus derivant mundi formationem et conservationem; quidam corporum organicorum artificium; quidam illos eventus, qui contra leges naturæ accidere videntur, et propterea miracula dicuntur; quidam hisce legibus sine particulari interventione Dei remunerari justos, puniri nocentes; hominum devotè supplicantium vota perfici; ea denique omnia peragi, quæ Deus factu necessaria judicaret, si particularibus uleretur voluntatibus. Hujus opinionis commendatio est simplicitas et exquisita quam Deo attribuit solertia.

Verùm ex materiâ, et motu, et ejus legibus mechanicis, nec mundum oriri, nec conservari, nec corpora organica formari, nec ullum naturæ phenomenon explicari, jam fortè omnes philosophi consentiant, et tota illa philosophia posita fuit à Cartesio in principio falso: videlicet esse semper in mundo eandem

motûs quantitatem, quem reverà interire omnes nunc physici agnoscunt. Igitur inveniendæ sunt vires vivæ motûs productricæ, quas materiæ inesse non posse supra ostendimus: et hæc si materiæ inessent, nisi illas etiam facias intelligentes, prædictorum omnium effectuum causæ esse non possunt. Quis enim ingenio valeat consequi, quomodo vis motrix, certâ lege eâque invariabilî definita, temperare sese possit statui creaturæ liberæ et mutabilis, nunc sævam sese erga peccantem præbere, et statim ex pœnitentiâ mansuescere et vota supplicantium cumulare? Potestne, v. g., pesilens vapor hunc corrigere, ut dignum morte; alium præterire precantem, et sic in eodem cursu suo cum quâdam arbitrii specie dividere vitam et mortem pro meritis, rationem habere sacrificantis et non sacrificantis? Nisi tamen mechanicæ vires hæc evequantur, tollit hæc opinio omnem Dei cultum, omnem in divinâ ope spem, aut iracundiæ divinæ metum. Quod verò attinet illam rationem ex hujus systematis simplicitate et solertis characterè, illa sine dubio auctoritatem cuicumque systemati affert: sed in primis considerandum est, quis machinæ finis, quis usus sit: nam si hi tales sint, ut obtineri nequeant, nisi admoveatur opificis manus, non esset sapientiæ pars manus non admovere; v. g., horologium, quod singulis diebus indiget manus applicatione, rectèque indicat horas, multò præstat alio, cui applicaretur manus singulis mensibus, sed nunquàm vel rarò rectè horas indicaret. Sic quoque si hæc machina mundi dest nata fuerit ad bonorum remunerationem et malorum punitionem, ad pœnas post pœnitentiam removendas et iterùm post relapsum removendas, cum materia harum vicissitudinum, variis animorum statibus correspondentium, nullo modo capax videatur, aut adhibenda manus est, aut optimus finis atque usus machinæ est deferendus. Jam verò abesse à sapientiâ videtur frustrari optimis finibus et machinæ suæ usibus propter viarum simplicitatem; sed nullo modo defectus in Deo est, quòd materia capax non sit arbitrii et libertatis.

4^o Quidam cum varia naturæ phænomena, præsertimque corporum organicorum admirabilem structuram legibus mechanicis explicari nullo modo posse censerent, neque divinâ majestate dignum putarent omnia minutissima corpora propriis quasi manibus fabricare, statuerunt esse in mundo genitricem quamdam naturam, quâ, tanquàm instrumento, divinâ

providentiâ utatur in disponendâ ordinandâque materiâ: illam includi in materiâ, spirituales tamen esse et viâ ac methodo progredi, licet consilio, intelligentiâ et conscientiâ careat. Hanc sententiam confirmant ex eo quòd gradatim, tardè ac lentè cuncta fiunt in rerum naturâ, et quòd variâ in eâ vitia et errores notentur. Hæc significare putant causam immediatè dirigentem motus materiæ, non esse infinitâ potentîâ præditam.

At novæ et incomprehensibilis naturæ, plasticæ seu fictricis comminiscendæ rationes non sufficientes sunt. 1^a Ratio petita ex molestiâ quam Deo accessit rerum minutarum procreatio valdè vana est, ut supra dictum fuit. Præterea Deus in hæc opinione non solvitur omni curâ: invigilare quippe debet ne natura genitrix in vitia incurrat graviora: oportet eum corrigere et emendare, quæ quandoque pravè operatur natura hæc. Uno verbo docent hujus sententiæ patroni sublimiori quâdam providentiâ regi et gubernari naturam hanc, quia ita constituta est, ut cum judicio et consilio nihil agere possit. 2^a Ratio ex tarditate operationum naturalium vana quoque est: nam etsi Deus operaretur immediatè, posset sine dubio efficere propter sapientissimas causas, ut naturales operationes tardè conficerentur; neque, quia habet ille infinitam potentiam, ullo modo sequitur teneri eum momentaneâ actione ad perfectum statum rem quamque adducere. 3^a Tandem ratio levis est. Nam si Deus semper videt quid agat hæc natura, si actiones ejus moderatur, si cavet ne desciscat à normâ, si denique corrigit opera ejus, quæ omnia admittuntur à defensoribus hujus sententiæ, certè rerum omnium, quas hæc natura peragit, causa et ratio ad ipsum Deum postremo referenda erit. Isne Dominus, qui servum nunquàm ex oculis dimittit, modumque ponit laboribus ejus, reus esse non videbitur vitiorum, quibus licet sese adstringit?

5^o Nos tandem existimamus cum multis gravissimis viris: 1^o nullas esse causas mechanicas, seu causas secundas propriè dictas, si per illas intelligas vires aliquas insitas in materiâ, quia harum omnium virium incapacem esse materiam, nec per se legibus parere, jam probavimus: nullas igitur alias causas secundas vel mechanicas esse, quàm vim divinam, quæ materiam immediatè ciet ratione constanti et invariabilî, juxta ratas et fixas leges, solas substantias spirituales vi motrice donari posse aut legibus parere. 2^o Putamus illas vires, earum-

que leges, quas Deus corporum motibus vel spirituum cogitationibus fixit, non leviter vel temerè turbari: atamen quia mundus corporeus cum morali conjunctus est, ita ut efficiatur unum systema, et attemperandus sit naturæ corporeæ cursus creaturarum liberarum meritis, solas vires motricis fixas et invariabiles nullo modo sufficere arbitramur propter rationes modò expositas: adcoque Deum vel per se vel per alia agentia libera intervenire, vires illas motrices sæpiùs dirigere, quandoque suspendere; sed tamen fortassè juxta leges æquè constantes ac sunt illæ, quibus reguntur vires mechanicæ. Quas si sciremus, vari eventus, etiam illi qui prodigiosi habentur, non majorem haberent admirabilitatem, quàm cursus solis atque astrorum aut suspensio virium mechanicarum, v. g., gravitatis, ex viribus humanis. Nullà alià philosophandi ratione in tuto consistere religionem existimamus, quæ omnis posita est in divinæ providentiæ nobis semper invigilantis, rationem habentis meritorum et vota rectè supplicantium exaudientis, sensu et persuasione.

Annotatio, auctore P.-S.

Hactenus auctor de Deo ejusque providentiâ disseruit, nempe de primo atque fundamentali religionis objecto; quo semel stabilito, jam de religionis constitutione et existentia specialius dicere aggreditur. Verùm suo ex peculiari intento, plures ibi de actibus humanis et officiis in parte theologicâ morali tractandis congerit quæstiones, aliis planè desiderandis prætermisissis, quas ex probatis auctoribus addere ut licebit curabimus. Haud semel inde continget ut quæstio jam à doctissimo Hook delibata, iterùm in citandis eorum auctorum locis eadem tractata recurrat; neque id injucundum æstimabimus vel frustraneum, quoties aliis modis æquè egregiis sic denuò reperiemus veritatem.

Si nunquam existentia religionis primum sit dogma, jam secundum istud erit, nempe hominem esse ens morale, quod lex debeat regere; atque id maximè ex ejus sit libertate. Igitur hic primùm de libertate humanâ erit disserendum.

De libertate humanâ.

(Auctore J.-B. Duvoisin.)

Homo considerari potest vel ut intelligens, vel ut volens, vel ut sensuum impressionibus obnoxius.

Objectum intellectus est verum, seu reale, seu apparens; falso enim quâ falso mens ad hæerere nequit, nec veritati cognita et perceptæ intellectus obsistere potest. Hinc ubi evidentia affulget, assensus mentis liber non est. Hinc etiam pro certo et indubitato habere non possumus id quod veluti probabile solummodò percipitur: hæc omnes fatentur. Verùm quæstio est, 1^o utrùm vim intelligendi quâ pollemus ad hujus vel illius objecti considerationem determinare possimus, adeò ut aliquando saltem à nobis pendeat, hanc vel illam ideam advocare ac menti præsentem sistere. 2^o Utrùm quando è duabus propositionibus contradictoriis neutra evidens apparet, possimus assensum pro nutu suspendere, et in eas ulterius inquirere, donec evidentia ut majoris probabilitatis perceptio nos in hanc vel illam opinionem inclinet. 3^o Utrùm in agendo voluntas semper et necessariò sequatur id quod intellectus ut verum aut verisimilius exhibet.

Objectum voluntatis est bonum, seu reale, seu apparens. Malum enim quâ malum amplecti et bonum quâ bonum aversari non possumus. Hinc nulla in nobis libertas, tum circa studium propriæ felicitatis, tum circa amorem boni supremi, quod ut tale cognosceretur, tum circa mala quædam particularia, in quibus nullam boni neque presentis neque futuri rationem admixtam deprehenderemus; hucusque consentiant omnes. Verùm quæritur, 1^o num sit in nobis vis quædam sui determinatrix quâ possimus eligere inter duos actus qui ad felicitatem nostram promovendam, aut nullam omninò, aut valdè exiguam efficientiam haberent, sedere, verbi gratiâ, aut deambulare. 2^o Utrùm etiam pro nutu et arbitrio voluntatis eligere possimus inter varias actiones quibus ut aliquod commodi, ita etiam aliquid incommodi adjunctum videretur, eujusmodi sunt ea ferè omnia de quibus deliberamus. 3^o Utrùm præsentis commodo ita afficiatur voluntas, ut illud semper ac necessariò prosequatur, num vero liberum sit, illud prætermittere intuitu futuri, inò incerti alicujus majoris commodi.

Postremò unio mentis et corporis hominem dolori et voluptati obnoxium facit. Jam verò constat, 1^o hominem liberum non esse, sive ut præsentibus objectis, sensationes quarum illa occasiones sunt, non experiat, sive ut illas pro libitu jucundas efficiat. Constat 2^o iis sensationibus excitari in voluntate propensiones aut aversiones erga objecta sensibilia, prout ex

is voluptas aut dolor percipi solet, qui quidem voluntatis motus, omnem libertatis, imò et rationis usum plerùmque antevertat. Constat 5^o nullam esse libertatem, seu vim sui determinatricem in iis quorum cerebrum ita vitiatum est, ut planè interruptum sit naturale corporis et animæ commercium, quales sunt ebrii, phrenetici. Verùm quæritur 1^o, utrùm penès hominem sit sese versùs hoc potius quàm illud objectum flectere, sicque hanc potius quàm illam sensationem sibi comparare. 2^o Utrùm indeliberatis iisce propensionibus quæ ex fugâ doloris et voluptatis amore consequuntur, semper et necessariò obtemperemus. 3^o Denique, utrùm homo sanus et vigil eos in cerebro suo motus producere possit, quibus rerum nonnullarum ideæ certique corporis motus excitentur.

Porrò non una est philosophorum opinio circa varia hæc capita ad quæ controversia omnis de libertate revocari potest. 1^o Nullam in homine, non modò libertatem, sed etiam vim agendi propriè dictam agnoscit auctor Systematis naturæ. Et reipsâ cum doceat mentem nihil esse aliud quàm cerebrum, cujus varie modificationes omnes ex variis corporum externorum motibus enascuntur, consequens est ut anima nostra non magis determinationum suarum causa et principium sit, quàm corpus aliquid ab alio corpore impulsum causa est et principium sui motus. Libertatem etiam negant materialistæ omnes, et perique athei, imò nonnulli theistæ, qui voluntatis humanæ determinationes ex decretis Dei necessariò prædeterminantibus repetunt. Hi omnes necessitatem inducunt voluntati extrinsecam.

2^o Alii rejectâ omni necessitate extrinsecâ adveniente, existimant nullam esse actionem humanam quæ non habuerit antecessiones in animo planè necessarias, et continuatione seu serie causarum inter se connexarum non contigerit. Videlicet putant unumquemque nostrum certam et determinatam indolem a naturâ accepisse; juxta hanc indolem affectiones varias excitari ab illis boni et mali imaginibus quæ menti juxta fixas et ratas leges occurrunt; iudicia etiam et opiniones secundùm oblatâ boni et mali indicia pro variâ mentis sagacitate semper formari; tandem volitiones et actiones ex his animi iudiciis et affectibus semper et necessariò profluere; idèoque causas illas dicunt liberas quæ agere possunt quod volunt, et abstinere ab iis quæ nolunt, utcumque ad volendum aut nolendum motæ fuerint.

Ita inter alios Collins *Paradoxes métaphysiques sur la Liberté*, Helvétius *de l'Esprit*, et alii, à quibus non multùm recedit Leibnitzius, qui è solenni totius philosophiæ suæ principio, nihil fieri absque ratione sufficienti, inferre videtur nullam esse voluntatis seu divinæ, seu humanæ determinationem, cujus non detur causa aliqua ab ipsius voluntatis arbitrio distincta. Equidem retineri à se libertatem putat, quia causa illa non aliam necessitatem inducit quàm moralem, ut vocat. Verùm causa omnis sensu Leibnitzii sufficiens, eo ipso necessaria est, nec in illius principiis repugnat minùs voluntatem aut sine ratione sufficienti, aut contra rationem sufficientem agere, quàm dari triangulum in quo summa angulorum duobus angulis rectis non æquipollet. In illâ sententiâ homo immunis non est à necessitate internâ, et notio omnis libertatis ad meram spontaneitatem reducitur.

3^o Plurimi docent dari in homine libertatem indifferentiæ, ut aiunt, et æquilibrii, quâ voluntas solâ suâ vi in hanc vel illam partem sese determinat. Sententiam illam præ cæteris illustravit Guillelmus King, episcopus anglicanus, libro quem de Origine mali versùs initium hujus seculi edidit. Statuit primò libertatem esse facultatem naturâ suâ indeterminatem, id est, quæ non objectum aliquod potius quàm aliud necessariò respiciat: in quo differt ab aliis facultatibus quæ singulæ determinatam et proprium objectum habent: oculus, verbi gratiâ, præter colores, auris præter sonos nihil percipit; at libertati non aliud objectum præ alio naturaliter convenit, sed id maximè congruit cui actu applicatur. Statuit secundò non posse ejusmodi facultatem determinari aut bonitate in objectis præexistente, aut molestiâ è rebus oriundâ, aut intellectûs ipsius iudicio. Cum enim facultas hæc respectu objectorum indifferens sit, nihil ipsi bonum est nisi quod eligit, nihil malum, nisi quod respuit: ipsa sibi motiva agendi creat, ipsa sibi ratio est et causa sufficiens suarum determinationum. Utitur tamen intellectu, sed tanquàm face ut possibilis ab impossibilibus discernat; utitur etiam sensibus tanquàm exploratoribus qui rerum naturam referant. Docet tertio posse appetitus omnes facultate illâ superari. Nam appetitus omnes finiti sunt: at potentia hæc modum non habet, nihil est in quo sibi placere non possit, si modò ad id sese determinaverit. Hujus exercitium adeò gratum est, ut res maximè indifferentes solâ electione suâ jucundâs

efficiat : ubi determinatur ad ea quæ naturalibus appetitibus congruunt , augeat voluptatem iis adjunctam ; si verò illam his appetitibus contradicere acciderit , molestiam minuit , imò tollit , aut etiam in voluptatem vertit.

4^o Illam libertatem indifferentiæ et æquilibrii permulti rejiciunt , negantque quidquam ab homine fieri cujus præparaciones seu prædeterminaciones in intellectu , vel in voluntate non sint. Verùm illæ prædeterminaciones non sunt necessitates , sed inclnantes tantùm , neque tanta est earum vis , ut actus necessariò sequatur , quia quamdiù homo sui compos est , quamvis vehementissimè vel intellectùs iudicio , vel appetitù inclinetur , semper tamen aliqua existit ratio cohibendi actum , ubi evidenter bonus non est , donec attentius consideraverit cujus naturæ iudicium mentis sit ; an rectum an falsum , vel cujus generis appetitus sint , vel quænam esse possint actionis suæ consecutiones. Cùm enim inter objecta particularia quæ nobis proponuntur , nullum sit ab omni ratione aut speciè mali purum et secretum , voluntas non fertur necessariò versùs hoc vel illud , quia in nullo eorum finem suum necessarium , seu rationem summi boni reperit. Juxta opinionem hanc libertas posita est in facultate deliberandi.

Quænam ex duabus istis opinionibus potior sit non expendimus , neutram improbamus , quia in utrâque salvum manet dogma libertatis , de quo solo adstruendo adversùs impios solliciti sumus.

PROPOSITIO.

Est in homine libertas , seu vis activa vero et proprio sensu sui determinatrix.

Probatür mûltiplici argumento. — Argumentum primum , *ex testimonio sensùs intimi*. Quicumque in seipsum descendere tentaverit , animadvertet profectò , aut potius intimè sentiet , se in plurimis rerum adjunctis ita ad agendum vel non agendum , ad agendum hoc vel illud determinari , ut potuisset , vel non agere omninò , vel aliter agere. Quin etiam illius in determinaciones nostras potestatis non modò conscius sumus quo tempore agimus , sed etiam actiones nostras in antecessum decernimus atque prædicimus , imò et causas actionum et volitionum nostrarum planè arbitrarías ponimus , constituimusque id vel illud à nobis efficiendum fore , si is vel ille casus acciderit , si is vel ille , hoc vel illo modo acturus sit. Itàc potestate motus cupiditatum vividissi-

mos coercemus et superamus : hujus sui in proprias actiones imperii certus et securus , vir probus constanter asseverat nullà se ratione à recto quem inicit virtutis tramite averti posse ; hęc suà energià voluntas sæpissimè vincit motiva maximè naturalia , amorem voluptatis , imò vitæ ipsius ; verbo , nemo est qui non intimè sentiat se determinationum suarum dominum et arbitrum esse. Porrò sensus ille est sensus veræ et propriè dictæ libertatis , et libertatis ejusdem argumentum certissimum. 1^o Quidem sensum hunc esse sensum libertatis non merè spontaneitatis , ex eo patet quòd longè aliter sese habeat respectu determinationum voluntatis , et respectu amoris felicitatis quem omnes cordi impressum geremus. Illo amore nihil spontaneum magis , nec tamen existimamus illum esse in nostrà potestate , et oriri ex determinatione et electione voluntatis ; propensionem hanc naturalem esse , ineluctabilem , divinitùs nobis inditam omnes sentiunt , nemoque sibi persuadet liberum se esse ut seipsum amore prosequatur : in quo certè apparet quantum differat sensus merè spontaneitatis à sensu veræ et activæ libertatis. Simile discrimen sese prodit inter motus indeliberatos voluntatis , qui rationis animadversionem et usum præveniunt , quosque minimè liberos existimamus , et actiones illas deliberatas quas ita admisisse credimus , ut eas potuissimus omittere. 2^o Sensus ille quem experimur certissimum est libertatis argumentum. Non minùs enim valet ad efficiendum nos liberos esse , quàm sensus intimus existentie , intelligentie , doloris , etc. , ad probandum nos existere , intelligere , dolere , etc. Et certè ens quod reverà liberum foret , sensum libertatis vividiorum et magis intimum non experiretur : quare igitur negant adversarii hominem liberum esse , quem fateri coguntur sensum illum habere qui ex libertate sequeretur ? Vel sensus quem experimur argumentum est libertatis homini in-itæ , vel , ut cæteræ nostræ omnes affectiones juxta adversarios nobis imprimitur actione objectorum voluntatem nostram necessariò determinantium. Atqui profectò absurdum est actione necessarià causarum mechanicarum , effici in nobis non solùm ideam et opinionem , sed intimam conscientiam libertatis.

Argumentum secundum , *ex sensibus cum exercitio libertatis conjunctis*. Vel fatendum est nos liberos esse , vel contendere debet adversarii totam hominis naturam mendacis et

erroribus constare : omnes quippe sensus quos à naturâ accepimus , et à quibus pendet vita omnis et inter homines societas , totidem sunt consecraria et argumenta libertatis.

1° In communi omnium hominum opinione positum est , ut unusquisque se suarum actionum auctorem agnoscat , ita ut illas earumque consequentias sibi imputari velit. At si tollatur libertas , jam homines non sunt suarum actionum auctores ; nullusque relinquitur imputationi locus , cum in eorum potestate non sit agere vel non agere , sed causarum necessariò agentium impulsu ac determinationem sequantur. Nemini imputari potest actio aliena : porrò actio hominis necessariò ad agendum determinati , non est sua , sed causæ illius quâ determinatur : ipse nihil aliud est quàm instrumentum vi alienâ et insuperabili actum. Nec juvat dicere hominem quemvis in agendo necessitatum , cognitione tamen prædicitum esse , imò et spontaneâ voluntatis determinatione ferri ad hanc vel illam actionem. Quid enim , si horologium vi cognoscendi instrumentum esset , nossetque se modò hanc , modò illam horam indicare , et huic indicationi libenter acquiesceret , num ideò minùs mera machina esset , agentis nomine prorsùs indigna ? Unanimis est omnium vox , nemini posse imputari actionem à quâ abstinere non potuit ; hinc infantibus , dementibus , somniantibus actiones alioquin malæ et damnosæ crimini non vertuntur. At in adversariorum hypothesisi , nullum est quoad imputationem inter hominem sanum suæque ratione utentem , et infantes dementesve discrimen.

2° In omnium hominum naturâ etiam positum est , ut si quis propriâ electione actionem admiserit , unde incommodum aliquod secutum sit , tum poenitentia sensus remordentesque conscientia seipsam accusantis stimulos invitus experiatur. Cùm verò eadem aut etiam graviora incommoda vi alienâ aut naturæ necessitate incumbunt , dolemus quidem sortem nostram et de fortunâ querimus . sed abest omnis conscientia obijurgatio , et poenitentia sensus. Si tamen liberi non simus , vanum est discrimen illud inter poenitentiam et dolorem , culpam et infortunium , quandoquidem eventum omnium una eademque causa existit , nempe physica et ineluctabilis naturæ necessitas. Illius è contra discriminis , illorum sensuum rationem reddidit libertas : nos enim poenitere oportet actionis nocivæ à quâ abstinere potuissemus , non verò eventus quem in nostrâ

potestate minime positum fuisse intelligimus.

3° Hominibus ipsa suadet natura , ut existiment aliquid inter virtutem et vitium interesse , ut virum officii sui observantissimum laude et amore , hominem verò scelestum contemptu et indignatione prosequantur ; et diversi illi erga utrumque affectus in opinione libertatis utriusque fundantur ; nec enim solummodò illam veluti nobis utilem amamus , hunc verò veluti nocivum odio habemus ; sed bonum alium , alium malum pronuntiamus , quia uterque vi propriâ et sine ullâ necessitate in agendo determinari creditur. Atqui , si libertatis notionem sustuleris , sensus illi vanitatis ac mendacii pleni sunt , nihilque sapientiores sumus , cum virtutem probamus , vitium vituperamus , quàm si ignem laudarem cum nos opportunè calefacit , eidemque cum importunè nos urit succenseremus. Nam qui virtuti operam dat . is causis quibusdam necessariis determinatur , et qui vitio se permittit , ab aliis causis non minùs necessariis impellitur ; uterque suo modo naturæ leges sequitur , neuter laude aut vituperio dignus est.

4° Amicitia , benevolentia , grati animi sensus , vel falsi et inanes sunt , vel agnoscendum est liberum arbitrium cui sensus illi immituntur. Nulla est ratio cur amicum redamare studeam , si in amore illo quo me prosequitur nulla sit electio , nullum iudicium , meritum nullum. Parenti verò cur bene vellem , si illius in me charitas non minùs necessaria sit , quàm necesse est lapidem sursum projectum in tellurem recidere ? Benefactori cur gratias rependerem , si ille non magis à beneficio in me conferendo abstinere potuit quàm sol à colostrandâ terrâ ? Dicent adversarii recognosci à nobis debere accepta amicitia et benevolentia testimonia , quia grati animi sensus plurimam vim habere solent ad nutriendam augendamque beneficentiam in nos voluntatem , atque ita etiamsi nulla beneficii jam accepti ratio habenda sit , habendam tamen esse beneficii accipiendi. Verùm qui ita loquuntur , amicitiam quæstum faciunt , pervertuntque communem vocem acceptionem ; callidus enim , et ad rem suam attentior , non verò gratus et beneficii memor dicitur , qui futuri beneficii spe duntaxat , acceptum rependit. Uno verbo , sensus illi omnes qui morales dicuntur , ita pendunt ab ideâ et opinione libertatis , ut ipsæ voces quibus exprimuntur , vel exulent à systemate fatalistarum , vel in eo locum servare non possint , nisi postquam à communi et ge-

minâ significatione, ad alienum sensum detortæ fuerint.

5^o Nulla est natio, nulla unquam extitit hominum societas, in quâ leges institutæ, et supplicia adversus legum infractores decreta non fuerint. Porro et legum institutio, et suppliciorum irrogatio cum sensu et opinione libertatis manifestò conjunctæ sunt. « Quis enim » (verba sunt D. Augustini, de Fide contra Manich. cap. 10) non clamet stultum esse « præcepta dare ei, cui liberum non est quod » præcipitur facere, et iniquum esse eum « damnare, cui non fuit potestas jussa complere? » Equidem, juxta fatalistas, etiamsi homines liberi non sint, non ideò nulla est utilitas legum et suppliciorum quæ motiva saltem exhibent quibus hominum voluntas determinari solet. Verùm motiva illa, ut consilia, preces, minæ et cætera ejusmodi, voluntatem sollicitant et inclinant, at eorum efficacia tandem proficiscitur ab ipsâ voluntate. Non sunt physica et necessitantia, sed moralia et quibus homines resistere possint, et sæpissimè resistant. Quo solo probatur ea proponi entibus liberè, non necessariò agentibus; et reipsâ nunquam existimaverunt legum latres eandem esse legum suarum vim ad determinandas voluntates, quæ est in causis physicis ad determinandos motus corporum. Quoad supplicia attinet, constat illa non solum, ut volunt adversarii, ad exemplum et terrorem infligi, sed iis etiam inò potissimam intendi pœnam et vindictam sceleris. At sublatâ libertate, nullum est scelus, et supplicium omne injustum est. Neque opponant adversarii belluis ipsis, quamvis libero arbitrio careant, pœnas irrogari solere. Nam quæ vulgò veluti pœnæ belluis inflictæ habentur, nihil sunt aliud quàm media physica quibus earum inclinationes et habitus in usus nostros inflectere conantur. Nemo belluarum acibus aliquam moralitatem inesse supponit, nemo existimat eas benè aut malè agere: sed cum dolorem naturaliter aversentur, efficimus ut ab illis motibus abstantent quibus doloris aliqujus sensum sæpè adjunximus. Eadem fermè est matrum et nutricum erga infantes agendi ratio, nec tamen, si propriè loqui velimus, infantes præmiis vel pœnis digni sunt.

Argumentum tertium, *ex diversâ hominum et belluarum naturâ*. Quamvis non nisi per conjunctionem et analogiam cognoscere valeamus quæ sit natura belluarum, vix tamen dubitari potest quin illæ necessariò plerumque deter-

minentur, adeò similes sibi sunt in iisdem circumstantiis: saltem illas necessitati parere non negabunt adversarii qui homini ipsi vim liberi arbitrii denegant. Jam verò si necessitate eâdem homines et bruta animantia regerentur, necessitas illa in hominibus et brutis per effectus similes, similemque agendi rationem sese proderet; sin verò longè alii sint mores hominum et animantium, concludendum erit diversum etiam esse actionis principium. Atqui longè alia et diversa est in hominibus ac brutis animantibus agendi ratio, sive individua spectemus, sive species integras. Ac 1^o quidem si individua consideraverimus, in unoquoque animali singularem observabimus vitæ et morum constantiam: quam à primis annis secutum est naturâ duce vivendi normam, eandem adultum et senescens retinet; iisdem semper pabulis utitur, iisdem tenetur studiis, eadem singulis diebus et eodem modo semper repetit; extra naturæ fines nunquam egreditur. Homine è contra nihil levius, nihil instabilius est. Homo, ait poeta,

Dirat, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Centes opiniones easdem induit et exiit, iisdem cupiditatibus modò servit, modò repugnat, naturæ perpetuò vim infert, sive cum perniciosas voluptates sectatur, sive cum dolori aut etiam morti sese lubens objicit: vix unquam sibi similis existit. Ex quo manifeste sequitur, id esse inter hominem et belluam discriminis, quòd hæc in omnibus naturam ipsam cui repugnare nequeat, duce ac præceptricem nacta fuerit, dum ille rationis compos et eligendi facultate præditus sibi suoque arbitrio permissus est. 2^o Si varias animantium species consideraverimus, deprehendemus eas sibi perpetuò constantes existere. In omnibus ejusdem speciei animalibus eandem indolem, easdem dotes, industriam eandem observamus; non ut in hominibus fit, longo et improbo labore comparatur industria unicuique animanti propria, sed in ipsis quodammodò nascitur, atque sponte suâ et nullo magistro sese explicat. Insuper lapsu temporis neque perliciuntur, neque degenerant variorum animantium species: eadem est etiamnum quæ semper fuit avibus nidorum suorum ædificandorum ratio, tam constans inter varia ejusdem generis individua, quam diversa inter species diversas. At contraria iis omnibus in humano genere observantur. Si enim excipias corporis configurationem et sensus quosdam, quos omnibus communis natura fecit, nihil

est quod ab homine tam discrepet quàm homo alter. Cujus quidem rei non alia afferri potest ratio, nisi quòd homo libero arbitrio instructus est, quo seipsum modificare, et quem voluerit efficere valeat.

Argumentum quartum, *ex universali generis humani consensione*. Quin ubique receptum fuerit dogma libertatis, ne, ut arbitror, adversarii ipsi negare audebunt: id quippe non solum ostendunt religiones apud populos omnes institutæ, quarum libertatis opinio fundamentum est, sed etiam probant quæcumque tum in ordine publico, tum in familiari et domestico hominum commercio fieri videmus. Illic quippe, uti supra dictum est, pendent legum institutio, præmiorum et pœnarum sanctio legibus addita, contractuum fides, jurisjurandi religio, receptæ ubique probitatis, honoris et infamiæ notiones: quæ omnia cum libertatem evidenter supponant, admitti non potuere, nisi inter eos quibus hominem liberum esse persuasum erat. Jam verò summa est in hujusmodi controversiâ humani generis auctoritas, tum quia si homini de iis quæ in seipso sentit et experitur testanti fides adhibenda sit, à fortiori credendum est universis secum consentientibus; tum quia ratio apparet, cur omnes liberos sese dicant, si reverà liberi sint, contra, si liberi non sint, nihil causæ esse videtur cur omnes unanimi errore liberos se existiment. Neque verò vim tantî suffragii suspendere potest adversariorum reclamatio. Nam illi pauciadmodum sunt, et nos totum genus humanum sumus: deinde suspicari licet eos vel nobis, vel sibi ipsis mentiri, cum negant se libertatis suæ sensum et certissima argumenta habere. Certè naturæ ipsi quæ omnium hominum ore loquitur repugnant, illiusque voci et intimis sensibus nihil opponunt præter argutias quasdam ex vanâ et subtili philosophandi ratione petitas. Neque ipsi suis argumentis credunt. Ubi disputandum est, libertatem præfractæ negant: at si agendum sit, factis ostendunt se cum cæteris hominibus sentire. Quis enim inter eos qui fatalistæ audiri volunt, non interdum deliberat, laudat, vituperat, irascitur? quem non actionum quarundam pœnitet? quis non vitæ fortunæque suæ non prospicit? quis non pericula declinat? etc. In iis ipsis libris quibus liberum arbitrium impugnant, ita loqui coguntur fatalistæ, ut faciliè appareat eorum mentibus hæerere penitus intimam libertatis persuasivem. Sic toto suo opere satis prolixo, auctor

Systematis naturæ præceptis, cohortationibus, objurgationibus utitur, ut nos ad suam sententiam adducat. Ea est vis conscientiæ, ut ipsum fatalistam ad eos sensus invitum revocet qui ex libertate nascuntur, et sine libertate stare nequeunt.

Objicies 1°: Quidquid existit, ideò existit, quia est ratio sufficiens cur existat. At quidquid habet causam sufficientem existentiæ suæ, id non potest non existere, quemadmodum existere non potest, id quod nullam habet causam sui sufficientem. Igitur nulla est voluntatis determinatio quæ causam suam non habeat; tamque repugnat ut, vel præsentem causâ non existat determinatio, vel causâ absente determinatio existat, quàm repugnat causam necessariam ab effectu, vel effectum à causâ necessariâ dividi. Vel itaque fatendum est determinationes nostras liberas non esse, vel dicendum eas existere absque ratione sufficienti, quod absurdum est. Profectò non aliunde oritur notio illa libertatis quàm ex ignorantia causarum quibus moveri et determinari solemus, quas hominum vulgus quia non percipit, ideò nullas esse sibi persuadet. Si verò tota causarum series perspecta nobis esset, videremus nos à causis illis machinarem instar impelli, resque innumeratas quas ne minimum quidem advertimus, eam omnem in nos quam nobis adscribimus potentiam habere.

— Resp.: Distinguo primam minorem propositionem. Quidquid habet causam sufficientem existentiæ suæ, id non potest non existere, si agatur de causis et effectibus mechanicis et necessariis, verum est; at falsum, si quæstio sit de causis et effectibus liberis. Equidem in mechanicis, ubi supponitur adesse causam aliquam parem effectui producendo, effectum obtinere necesse est, quia causæ illius determinationem et energiam nihil immutare vel suspendere valet. At principium illud transferri non potest ad causas illas de quarum libertate controvertitur, quin ponatur instar axiomatis, id ipsum quod in quæstionem venit. Eo enim ipso quo defendimus animam libertate præditam esse, eo ipso dicimus eam esse determinationum suarum causam sufficientem, nec tamen necessariam, cum possit hoc vel illo modo vim suam exercere. Adversariorum error ex eo proficiscitur quòd de naturâ activâ eodem modo pronuntiant, ac de materiâ inertî, cujus motus omnes externam causam postulant. Verùm, ut egregiè observat Tullius,

libro de Fato : « Ad animorum motus voluntarios, non est requirenda externa causa. « Motus voluntarius eam naturam in se ipse « continet, ut sit in nostrâ potestate, nobis- « causa pareat; nec id sine causâ, ejus enim rei « causa, ipsa natura est. » Cæterùm istius objectionis et similium vanitas hinc patet, quòd non solum impetat libertatem humanam, sed eò etiam tendat ut nullum dari posse ens liberum efficiat. Verùm, si non agnoscatur saltem prima aliqua causa libera, admittenda erit series infinita causarum necessariò agentium, quod, ut non semel jam diximus, manifestè repugnat.

Obj. 2^o : In variis humanæ mentis operationibus nullus relinquatur libertati locus. Nam operationes omnes mentis humanæ ad has quatuor reduci possunt, perceptiones, judicia, propensiones, volitionesque ex iis consequentes. Atqui in iis omnibus nulla esse potest libertas. Non in perceptionibus : nam objecta percipimus prout se sensibus offerunt; non in iudiciis : nam prout objecta percipimus, de iis etiam judicamus; non in propensionibus et volitionibus, quæ iudicium intellectus necessariò consequuntur.

— Resp. 1^o : Nego majorem propositionem prioris argumenti, in quâ vitiosa virium animi enumeratio instituitur. Nam præter facultates percipiendi, judicandi, volendi, est in homine vis viva sese commovendi, cogitationes, propensiones et actiones imperandi, est liberum arbitrium quod cæterarum facultatum exercitium regit ac moderatur. — Respondeo 2^o : Nego minorem ejusdem argumenti. 1^o Falsum est nos objecta tantùm percipere quæ sese offerunt, quippe positum est in nostrâ potestate, ut mentis attentionem quòd voluerimus convertamus, siveque ideam hujus vel illius objecti pro arbitrio in nobis excitemus, prout constat ex uniuscujusque sensu intimo. 2^o Falsum est nos necessariò judicare ex primâ objectorum specie. Nam persæpè de objectorum naturâ et effectibus deliberamus, et pendente deliberatione varia et nonnunquam opposita judicia ferimus. Evidentiâ sola ubi percipitur necessarius mentis assensus rapit, quandiù illa menti non affulget possumus assensum cohibere, rem ad examen vocare, novas rerum ideas comparare, tandem iudicium ferre in quo libertas magnam partem sibi vindicabit. 3^o Falsum est nos velle necessariò prout judicamus, nisi voluntati sese offerat bonum aliquod purum et sine ullâ malî

vel realis vel apparentis admixtione, remanet in nobis potestas deliberandi et eligendi. Ut enim intellectus soli evidentiæ perceptæ, ita voluntas soli bono supremo cognito cedit. Pleraque determinationum nostrarum objecta sub diversis respectibus, considerata aliquam boni aut mali rationem adjunctam habent, atque idcirco voluntatem necessariò non inclinant. Quinimò ipsi etiam rationi contradicere nos posse quotidiana docet experientia, et nemo est qui cum Medeâ illâ Ovidianâ dicere non possit :

Mens trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Equidem vulgatum est scholasticorum axioma, *voluntatem semper sequi ultimum iudicium intellectus*; sed ultimum illud iudicium intellectus nihil est aliud quàm ipsamet libera voluntatis determinatio. Dicti illius sensus est, mentem, cum omninò determinata est, necessariò determinatam esse, cum aliquid vult et efficit, id necessariò velle et efficere : quæ necessitas ipsam determinationem et volitionem non antecedit, sed consequitur.

Obj. 3^o : Leges unionis animæ et corporis nullum libertati locum relinquunt. In eo consistit, juxta omnes philosophos unio animæ et corporis, quòd singulis animæ modificationibus certa quædam partium cerebri dispositio respondeat. Supponamus itaque duplicem simul et æqualem in cerebro motum, seu dispositionem oppositam existere, quarum unâ ad vitium, alterâ ad virtutem animo sollicitetur. Hæc factâ hypothesi, vel anima potest sese ad partem alterutram determinare, vel non potest. Si prius, ergo determinationes animæ omninò independentes sunt à dispositionibus cerebri, quandoquidem ipsa sese determinare supponitur dum cerebri dispositiones æquales et oppositæ ad indeterminationem tendunt; ergo inest animæ vis sui determinatrix, quæ motus omnes cerebri superare valeat. Nam, si inter duas vires æquales et oppositas collocata, anima ad unam potius quàm ad alteram partem sese flectere possit, poterit eadem energiâ vim quantacumque ejusdem generis superare. Quemadmodum si corpus bilibre vi quâdam secretâ instructum esset quâ pondus sibi æquale vincere et atollere posset, posset etiam vi eadem vincere pondus centum librarum. Igitur, juxta primam responseionem, quæ nempe dicitur animam in hypothesi factâ sese determinare posse. animæ determinationes à cerebri dispositionibus nunquam penderent,

proindeque anima in omnibus omnino circumstantiis libera esset. Si posterius dicatur, nimirum posita hinc duplici cerebri dispositione aequali et contraria, animam neutram partem sequi valere; ergo anima ubi paribus librata est ponderibus seipsam movere non potest, neque verò movebitur, nisi pondus unum alteri prævaleat; ergo vis illa quæ animam sese ad vitium aut virtutem determinare valet, omnino pendet à dispositionibus cerebri, seu potius ipsi nulla inest vis propriè determinatrix, sed fortioribus cerebri motibus necessariò obtemperat. Igitur, juxta secundam responsionem, voluntas humana nunquam libera est. Itaque pro duplici respondendi modo dicendum est animam vel semper, vel nunquam esse liberam: non datur medium. At constat, fatenturque ipsi libertatis defensores, animam non semper liberam esse: liberi enim non sunt infantes, dormientes, phrenetici, etc. Ergo falsa est prima responsio ex quâ sequitur hominem semper liberum esse, ac proinde vera responsio altera ex quâ sequitur hominem nunquam esse liberum. Ita auctor anonymus scripti cui titulus: *Traité de la Liberté*, celeberrimo Fontenellio vulgò attributi.

— Respondeo: Non diffitemur quin singulis animæ modificationibus respondeant certæ quædam cerebri dispositiones. Verùm dubitari potest num illæ cerebri dispositiones, modificationes animæ semper præcedant et producant, num verò actio ipsius animæ interdum saltem causa sit dispositionum cerebri. Primum supponit anonymus, at perperam: ita quippe corpus et anima secum copulata sunt, ut sua cuique sit in alterum efficientia. Itaque dicimus voluntatem plerumque liberam esse, ut sese vel ad virtutem, vel ad vitium determinet, sive inter æquales, sive inter inæquales cerebri dispositiones collocata paribus aut imparibus momentis ad vitium aut ad virtutem sollicitetur. Ea quippe voluntatis determinatio effectus est illius energię, quam animæ competere ostendimus. Quia tamen juxta leges unionis utriusque substantiæ, vis illius determinatricis exercitium pendet à certo quodam cerebri statu, quem perturbare et destruere possunt motus nimium vividus, fatentur fieri aliquando posse, ut hoc suo in cerebri dispositiones imperio anima spoliatur, quo posito voluntas libera non erit. Sic liberi non sunt infantes, phrenetici, dormientes, quia organum cogitationis et actionis, cerebrum videlicet, in illis aut nondum formatum, aut vitiatum

est, aut suspensa est animæ in illud actio. At si quis ex isce exemplis inferret varios cerebri status volitionum nostrarum omnium causas esse, is eodem modo ratiocinaretur, ac si contenderet omnem musicæ scientiam in instrumento suo contineri, quia fracto instrumento suam artem exerceat nequit. Igitur vera non est propositio illa disjunctiva, actiones nostras aut semper, aut nunquam esse liberas; quippe constat illas plerumque liberas et aliquando necessarias esse. Cæterum, ipsa quæ obicitur infantium, somniantium, lymphaticorum conditio, argumentum est libertatis nostræ, cum eorum status penitus differat à conditione hominis sani et vigilis. Hujus enim discriminis quæ potest esse ratio, nisi quòd illi machinarum instar moventur, hic verò seipsam movet ac determinat? Denique ad rem non pertinet comparatio ducta ex ponderibus. Equidem pondus bilibre pondere centum librarum non superabitur, si vi quãdam minimè mechanicè instructum quatuor libris æquiponderare possit: at quamvis anima instructa sit vi quãdam activâ et sui determinatrice, quâ vincere posset quantamcumque cerebri dispositionem mechanicam, hanc tamen vim exercere nequit, nisi supposito, ut diximus, certo quodam cerebri statu, mutuis corporis et animæ functionibus idoneo.

Obj. 4^o, cum eodem scriptore: Præscientia divina cum humanâ libertate consistere nequit. Astronomi eclipses post longam annorum seriem futuras certò et infallibiliter prævident, eorumque prævisio à præscientiâ Dei non differt, nisi quia Deus auctor, astronomi verò meri spectatores sunt ordinis quem sequuntur corpora cœlestia; et insuper præscientia divina accuratissima est, dum astronomi circa tempus et locum eclipsium interdum falluntur. At prior illa discriminis ratio nihil refert ad veritatem prædictionum astronomicarum; posterior verò evanesceret, si, ut supponere licet, anomalias omnes motuum cœlestium edocti essent astronomi, et præterea instrumentis perfectissimis uterentur; tumque eadem foret tam astronomorum, tum Dei circa eclipses præscientiæ natura et certitudo. Verùm, si vel soli, vel lunæ inesset vis quædam arbitraria, quæ sine ullâ causâ et ratione a cursu deflectere valeret, jam ab astronomis prævideri non possent solis et lunæ deliquia, isque præscientiæ astronomicæ defectus ex eo oriretur, quòd motus cœlestes constantem ratumque ordinem non servarent. At eadem mo-

uum inconstantia tolleret etiam præscientiam civitatum, quam ab astronomica nihil differre vidimus. Ergo Deus prævidere infallibiliter non potest id quod à certo et invariabili ordine non pendet; ergo Deus præscire non potest actiones causarum illarum quæ liberæ dicuntur; ergo, vel non dantur causæ hujus modi liberæ, vel earum determinationes Deus non prævidet.

—Resp. 1^o, difficultatem hanc, etiamsi responsione directâ solvi non posset, non ita idcirco valere, ut nos de libertate nostrâ dubios efficiat. Namque petitur illa ex re valdè obscurâ, videlicet ex naturâ scientiæ divinæ, quæ cum infirmitate distet ab intelligentiâ nostrâ, nihilque forsitan cum eâ commune habeat, nequaquam a nobis comprehendi potest. Contra verò argumenta quibus hominem liberum esse probavimus, omnia proficiuntur à principiis notissimis, quæ vel ad naturam, vel ad intimam hominis conscientiam pertineant. Quapropter dubitare non debemus quod præscientia divina stare queat cum hominis libertate, etiamsi nulla nobis ratio suppeteret intricatissimum hunc nodum dissolvendi; ut enim fert tritum, sed sapientissimum axioma, certa pro incertis, clara pro obscuris rejicienda non sunt. 2^o Non omnia scientiæ astronomicæ et prævisionis divinæ discrimina in objectione assignata fuerunt. Unum prætermisimus est, quo posito nulla inter utramque comparatio institui potest. Nimirum astronomi futura solis aut lunæ deliquia prædicunt, quia necessarias eorum phænomenorum causas noverunt. Si propriè loqui velimus, eclipses non prævident existentes, sed exituras esse judicant. At verò Deus res cognoscit non solum in suis causis, sed etiam in seipsis, et ob id solum quod sunt. Repugnat quippe aliquid esse reale et cognoscibile, et non cognosci ab ente summè intelligenti. Igitur si supponeretur variis siderum motus, nullâ lege constanti et invariabili determinari, incerta quidem, seu potius nullâ

efficeretur omnis astronomorum scientia, at suam servaret infallibilitatem præscientia divina. Cæterum non expendimus utrum in aliquo, et quoniam in medio res liberè futuræ Deus prævidet. Notæ nimis sunt Thomistarum et Molinistarum dissensiones, quibus turbatæ nunquam fuissent scholæ theologicæ, si D. Augustino nemo doctior esse voluisset. « Non audeam dicere quomodo Deus novit, « inquit ab eximius ille doctor in psalm. 49; « ne hoc à me fratres expectetis, ut explicem « vobis quomodo cognoscatur Deus. Hoc solum « dico: Non sic cognoscit ut homo, non sic « cognoscit ut angeli; et quomodo cognoscit « dicere non audeo, quoniam et scire non « possum. »

Homo igitur liberi arbitrii potentiâ donatus, obligationis moralis atque religionis profundè capax existit. Quàm verò sit in se necessaria seu entium moralium naturis fundata religio, quàm necessaria etiam tum societati, tum privatis, jam ex dictis sive ab auctore, sive in annotationibus, supra, ubi de nefandis atheismi consecrariis dictum est, cuique legenti patebit.

Nunc ipsa illa religio exponenda est, atque primum eam in duplici statu considerandam habemus, nempe in statu primitivo, et in statu revelationis evangelicæ. In priori statu, religio ex naturali maxime constat lege, cui tamen duo positivi articuli adjuncti fuere, nempe *fides Redemptoris et sacrificiorum ritus fidem exprimentes*, ut ipse infra in præmio religionis revelatæ ait auctor. Quòd isti duo articuli aliâ quàm revelationis viâ non potuerint innotescere, nemo ambigit, atque ad religionem ut revelatam quæcum essentialiter connectuntur, remittendi. Superest igitur, ubi de religione primitivâ, notionis ad legem naturalem spectantes exponere, quatenus ea lex animis insita lumine naturali agnoscitur, etiamsi ipsa de facto homini revelata fuerit. Quâ de re auctor noster eruditè suo more disserit. — (*Explicit annotatio P. S.*)

DE LEGE NATURALI.

ARTICULUS PRIMUS.

De juris seu legis naturalis existentia et in omnes homines diffusionem.

Jus naturale in Digestis lib. 1, tit. 1 de Juriâ et Jure sic describitur: « Jus naturale

est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terrâ, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune est. » At hæc descriptio nimium generalis est, et per jus naturale intelligimus illud jus quod

jurisconsultis Romanis vocatur jus gentium, quodque ab ipsis definitur in Institutis lib. 1, tit. 2: « Id quod naturalis ratio inter homines constituit. » Per jus igitur naturale intelligimus « certa vivendi præcepta, quæ singulis hominibus dat ipsa natura hominis rationalis: quæ, ut ait orator, non didicimus, accepimus, aut legimus, sed ex naturâ ipsâ arripuimus, expressimus, hausimus; ad quæ non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. » Quæ præcepta cum sint rationis dictata rectè scholastici legem naturæ in ratione posuerunt, Ciceronem secuti qui legem naturalem sic definit: « Est enim ratio, mensque sapientis ad jubendum et deterrendum idonea. » Quibus consonat Grotius, juxta quem jus naturale est « dictatum rectæ rationis, indeans actui alicui ex ejus convenientiâ cum ipsâ naturâ rationali inesse moralem turpitudinem vel necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi. » Jus hoc in rationis dictatis positum dicitur naturale ob duplicem causam: primum quia naturalibus hominis facultatibus innotescit atque ab ipsâ quodammodo naturâ promulgatur. Deinde etiam quia jus naturale in rerum naturis fundatum est, nec suam habet obligandi vim ex arbitrariâ et positivâ legislatoris voluntate: in quo jus naturale differt à jure voluntario seu positivo, etiam divino: nam hujus præcepta in se indifferentia, vim habent obligandi ex positivâ Dei institutione; et quâ auctoritate lata sunt, eadem possunt immutari. Cùm legis strictè sumptæ, ut supra notatum est, tres sint præcipuè proprietates, nempe ut sit regula agendorum clara et apud omnes promulgata; ut sit profecta à voluntate superioris; ut tandem sit sanctione poenarum et præmiorum confirmata, illas præceptis naturalibus convenire sequentibus articulis adstruimus. Jam olim illas rationi adscriptis Cicero in illo pulcherrimo loco, quem ex libro de Republicâ deperdito servavit Lactantius Instit. divin. lib. 6, quem hic describere operæ pretium est, cùm ea omnia contineat quæ sunt à nobis in hæc secundâ sectione disputanda. « Est vera lex, ait, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat; quæ tamen neque probos frustra jubet et vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, nec derogari ex hæc aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec verò aut per senatum, aut per popu-

lum solvi hæc lege possumus, neque est querendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthæc; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit; unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit ipse se fugiet et naturam hominis aspernabitur; hoc ipso luct maximas poenas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit. »

Fuere inter vetustissimos philosophos non pauci qui ab opinione jus omne ortum existimârunt, nullum esse inter bonum et malum morale discrimen putârunt, negâruntque quidquam naturâ justum vel injustum, honestum aut turpe esse. Callicles apud Platonem sic Socratem alloquitur: « Veritas, ô Socrates, ita sese habet; luxuria, intemperantia, licentia, modò facultas suppetat, virtus est atque felicitas. Cætera verò ista speciosa præter naturam adinventâ, hominum deliramenta sunt, nugæque penitus contemnendæ. » Docebat etiam Carneades, jura sibi homines pro utilitate sanxisse: scilicet varia pro moribus et apud eosdem pro temporibus sæpè mutata, jus autem naturale esse nullum: omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas, naturâ ducente ferri, proindeque aut nullas esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam; quoniam sibi noceret alienis commodis studens. Ita etiam disputabant Archelaus, Aristippus, Epicurus, Pyrrho et alii plures, quos recentiores quidam nostris temporibus secuti sunt.

1° Spinoza in tractatu theologico-politico, c. 16, habet: « Per jus et institutum naturæ nihil aliud intelligo quàm regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque ut naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum et operandum. Exempli gratiâ, pisces à naturâ determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum; adeoque pisces summo naturali jure aquâ potiuntur et magni minores comedunt... Nec hic ullam agnosceimus differentiam inter homines et reliqua naturæ individua, neque inter homines ratione præditos et inter alios qui veram rationem ignorant, neque inter fatuos, delirantes et sanos. Quod enim unaquæque res ex legibus suæ naturæ agit, id summo jure agit, nimirum quia agit prout ex naturâ determinata est, nec aliud potest. Quare inter homines, quamdiù sub imperio solius naturæ

vivere considerantur, tam ille qui rationem nondum novit, vel qui virtutis habitum nondum habet, ex solis legibus appetitûs summo jure vivit, quam ille qui ex legibus rationis vitam suam dirigit : hoc est, sicuti sapiens jus summum habet ad omnia quæ ratio dicitur, sive ex legibus rationis vivendi, sic et ignarus et animi impotens summum jus habet ad omnia quæ appetitûs suadet, sive ex legibus appetitûs vivendi... Jus itaque naturale aniscujusque hominis, non sanâ ratione, sed cupiditate et potentia determinatur... Quidquid itaque unusquisque, qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetit, et quâcumque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocumque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet; et consequenter pro hoste habere illum qui impedire vult quominus animum expleat suum. » Proindeque juxta hunc auctorem, ut et ipse alio loco scripsit, « bonum et malum nihil positivum in rebus indicant; sed homines illas boni et mali, ordinis et confusio nis notiones sibi efformârunt, postquam sibi persuasissent omnia quæ fiunt propter ipsos fieri : tunc in unâquâque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipsis utilissimum, et illa omnia præstantissima æstimare, à quibus optimè afflicebantur. » Hæc Spinoza, quem ideò primum nominavimus, quoniam omnes alios temeritate et insanâ vincit.

2^o Hobbius, quem in multis imitatus est Spinoza, ad tollendas leges naturales aliam viam secutus est. In initio libri sui qui de Cive inscribitur, negat hominem esse animal politicum seu ad societatem aptum natum : « eorum, inquit, qui de rebus publicis aliquid conscripserunt, maxima pars vel supponunt, vel petunt, vel postulant, hominem esse animal aptum natum ad societatem; eoque fundamento ita superædificant doctrinam civilem, tanquam ad conservationem et totius generis humani regimen nihil aliud opus esset, quam ut homines in pacta et condiciones quasdam, quas ipsi tum leges appellant, consentirent. Quod axioma, quanquam à plurimis receptum, falsum tamen, errorque à nimis levî naturæ humanæ contemplatione profectus est. » Si Hobbius per societatem nihil aliud intelligeret, nisi confederationes civiles et politicas, ut in notâ ad hunc locum se intelligere simulat, minùs alienus esset à ratione : sed ipsius ratiocinia omnem omninò tollunt inter homines naturalem

conjunctionem, mutuaque omnia officia. Nam 1^o docet homines naturaliter sibi invicem esse infestos : « Voluntas lædendi, ait, omnibus inest in statu naturæ. » Imò homines vult esse naturâ ferociore lupis, ursis et serpentibus; ideòque eorum statum naturalem esse statum belli, omnium contra omnes; singulos in istâ conditione perpetuò intentos esse in aliis, seu fraude, seu vi, seu quovis alio modo præoccupandis, « quia, ait, securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione; » vel, ut alibi scribit : « spes unicuique securitatis conservatione suæ in eo sita est, ut viribus artibusque propriis proximum suum palam vel ex insidiis præoccupare possit. » 2^o Asserit consequenter ad hæc principia, in illo statu naturæ licuisse cullibet facere quæcumque et in quoscumque libebat, neque lege ullâ impeditam fuisse libertatem; adèoque nihil fieri potuisse injustum, nemini inferri injuriam. 3^o Statuit primam et fundamentalem naturæ legem hanc esse, propter sui conservationem quærendam esse pacem, ubi haberi potest; quæ cùm juxta illum auctorem non nisi pactis iniri queat, « lex naturalis est, ait, pactis standum esse et fidem servandam. » Ex quo, 4^o concludit regulas boni et mali, justi et injusti, honesti et turpis, esse leges civiles: quod legislator præceperit id pro bono, quod vetuerit id pro malo habendum esse; « ideòque, ait, si lex civilis jubeat invadere aliquid, non est illud furtum, adulterium, » etc. Imò civitati in omnibus obedire quisque tenetur, sive in iis quæ spectant cultum divinum, vel vitæ institutionem, aut etiam speculativas opiniones: « quoniam ad civitatem, ait, pertinet etiam christianam, quid sit justitia, quid injustitia determinare. » Hinc et aliud ejus dictum: « Nulla lex injusta esse potest. »

Tota hæc Hobbiî doctrina inventa olim fuit à vetustissimis atheis, ut videre licet apud Platonem de Rep. lib. 11, p. 358, edit. Ficini p. 422.

3^o Horum insistens vestigiis auctor libri recentioris, qui inscribitur : Apum fabula, demonstrare summo studio conatus est virtutem nequaquam esse naturalem hominis habitum, neque illam esse ex omni parte utilem humanæ societati, sed « privatorum vitia publica esse beneficia. » Etenim contendit virtutem à politicis et artificiosis hominibus primum introductam esse, ut homines naturâ disjunctos neque aptos societati in unum colligerent et copularent : ad informandos autem virtutum notionibus hominum animos adulatione usos esse pri-

mos legislatores, et persuasisse hominibus esse se naturâ à bellis multum separatos, ac naturæ humanæ excellentiam non in appetitu, qui sibi cum bellis communis est, sed in ratione et virtute positam esse: verè excellentis naturæ eos esse et omni laude dignissimos, qui appetitus cocercent, et postpositis propriis utilitatibus studerent publicis commodis; fortio-rem esse, qui se quàm qui fortissima vincit mœnia; atque in hæc sui ipsius despicientiâ positam esse animi excelsitatem. Propter hanc quam sibi finxit auctor hic virtutis originem, illam vocat et superbiam ex adulatione conceptam prolem. Existimat omnes homines in has fictas notiones consensisse variis adductis motivis: sapientes verò et peritos, quòd illas necessarias putarent ad reipublicæ pacem et incolomitatem; multitudinem simplicem et rudem, quia reverà delusa est; improbos etiam, quia inter communes hasce virtutum notiones privata sua commoda felicius promovere posse se arbitrabantur. Simili ferè modo religionis originem explicaverat Sextus Empiricus.

4º Horum omnium principia complexus est auctor libri illius famosi qui inscribitur *de l'Esprit*, cujus jam injecta mentio est, ubi de existentia Dei: sed cujus hoc loco præsertim ratio haberi debet, quòd omnes omnium ætatum minutos philosophos impietate, audaciâ, contumeliosis in omne genus hominum insectationibus longissimè post se reliquerit. In novæ, quam proponit, ethices elementis, docet hic (1) moralem disciplinam, quæ ab origine mundi apud omnes populos quoad præcipua capita obtinuit, eamque ipsam, quam nationes christianæ tanquam divinitus traditam tenent, scientiam esse vanam et inutilem, à primis hominibus, qui in societatem convenerunt, moresque sibi finxerunt, temerè conditam, ita ut vera ethica etiamnum in incunabulis vagiat infantie obvoluta fasciis; eos omnes, qui ha-

tenens explicandis hominum officiis operam dederunt, humano generi nihil opis attulisse; introducendam ergo esse ethicam experimentalem, quæ factis tantummodò nitatur et à gestis perditorum hominum (ut ab allatis ab auctore exemplis patet) repetatur; et omnes veteris doctrinæ retinentes, obistentesque hujus novæ ethicæ introductioni, tanquam impios, fanaticos, insigniter improbos, generis humani hostes infensissimos, stupiditatis fautores, sceptrum ignorantia tenentes quo populus hebetibus impereant, habendos, et ut tales apertè infamandos (1); præsentem mundi corporci ordinem ex solâ vi materiæ primùm inditâ, post irregulares concreciones innumeras, tandem prodiisse; parique ratione in mundo morali omnia quæ contingunt, videri ex unico etiam exoriri principio, nempe sensibilitate physicâ, quâ solâ impellente homines ad implenda Dei consilia cæco impetu aguntur; futurumque est ut voluptatis et doloris custodia commissi, postquam fuerint diù et temerè errorum, passionum et furorum omnium ludibrio jactati, postquam multa absurda tum de moribus, tum de legibus effuderint, incidant aliquando in vera et simplicia tum ethices, tum legislationis principia ex quibus evolutis pendent ordo et mundi moralis felicitas (2); in voluptate et dolore sensibili posita esse principia et causas omnium affectuum motuumque animi humani; nec ullo alio desiderio quàm voluptatis corporeæ homines inclinari posse; ex his duobus, voluptate et dolore, ita fluere omnes actus humanos, ut aliunde exoriri nequeant actiones generosæ, nec magis potis sit homo amare bonum propter

(1) Vide pp. 222, 225, 226, 228, 238 et 239, 219 et 220 præfati. 1 et 2, 296, 151. *Censura*: Hæc propositiones sunt falsæ, absurde; actiones humanas, quæ ad regulam morum sunt componendæ, pro morum regulâ perversè constituunt; Dei creatoris providentiæ, quatenus primos homines sine lege sibi relictos lingunt, impiè detrahunt; in homines de genere humano optimè meritos, et in ipsam genus humanum impudenter sunt contumeliosæ; ministris Ecclesie et magistratibus christianis procaeciter injuriosæ; in Dei Prophetas, in Apostolos et in ipsam Christianam blasphemæ; furoris et dementiae plenæ.

(2) Vide pag. 322. *Censura*: Hæc propositio est falsa, absurda; mundi genesis temerè deformat, et magnâ ex parte Deo abjudicat systemate atheis acceptissimo, eoque vanissimo; mundum moralem et totam actionum humanarum seriem necessitati et fatalismo subjicit; Deumque ipsam omnium errorum, scelorum, furorum auctorem apertè declarat, proindeque impiè et cum blasphemâ providentiæ Dei moralem prorsus tollit; omni atheisticè impie-

(1) Sequens systematis nefandi idea descripta est ex determinatione facultatis theologiae Parisiensis super isto libro, editâ anno 1759. Propositiones ex dicto libro extractas, quæ ibidem exhibentur, brevitatâ causâ omitimus, ut minùs necessarias, cum earum sensus cum summâ fidelitate repræsententur: paginas ergo libri solummodò indicabimus, ubi lector eas invenire poterit et eodem quo referuntur ordine. Censuram addemus, quòd illa non nudam condemnationem, sed brevem et luculentam contineat propositionum confutationem viris doctis satis amplam, et quam in sequentibus evolutam et confirmatam juniores Theologi invenient.

bonum, quàm malum propter malum; homines, quicquid agunt, non esse malos nec vituperandos, sed tantùm commodis suis mancipatos; voluptatis et doloris sensu, tanquàm unico cardine, volvi totum mundum moralem; adeò amore sui ad sola sensibilia inclinabili, quasi unico fundamento, omnem superstruendam morum institutionem (1); hominem « ex solo suo commodo personali » actionum omnium pretium unicè æstimare, atque hoc uno quemlibet metiri alterius virtutem et probitatem; eodemque modo à sodalitatibus et à civitatibus probitatem dijudicari; civitatis nihil aut ferè nihil interesse civium erga sese invicem probitatem; civilis verò probitatis, quæ sola vera probitas est, et virtutis nomen promeretur atque apud omnes obtinet, finem et objectum (communem nempe utilitatem) fixum quiddam esse et immotum; at medià in hunc finem, actiones videlicet humanas, commutabilia esse; omnes ergo actiones in se moraliter indifferentes, ex diverso civitatis statu, nunc utiles, nunc noxias, ex turpibus honestas, et ex honestis turpes evadere; ideò munus esse legislatoris, ut punctum temporis observet et fiat, quo unaquæque actio prius honesta in vitiosam, et prius vitiosa in honestam convertatur; moralem disciplinam frivolum quid esse nisi cum legislatione confundatur; utilitati civili sic servendum, ut, ipsà exigente, omnes affectiones naturales, ipsummet qui dicitur humanitatis sensum exuere parati simus; nullam existere posse erga universum genus humanum probitatem, cum nullæ possint esse actiones omnibus practicè utiles; sicque demùm demonstrari

tatis virus, quantum spectat ad mores continet. Quatenus autem eadem propositio innuit, « principia in opere tradita, illa ipsa esse, ex quorum evolutione tandem efflorescet felix mundi moralis status, » incredibilem auctoris vanitatem et arrogantiam arguit, quæ universi generis humani sapientiæ et ipsius Dei legislationi novam suam ethicam audeat anteferre.

(1) Vide pp. 566, 526, 250, 52 et 46 notâ (b): 73, 75, notâ (a). *Censura*: Ille propositiones sunt falsæ, intus decori et honesti sensus eneeant; innatam hominibus erga se invicem benevolentiam, omnes bonitatis, gratitudinis, æquitatis, miserationis, obsequentiæ, denique humanitatis præfocant affectus, qui virtutum moralium semina sunt et necessitudinis ac pacis humanæ vincula; solam relinquunt cupiditatem dissidiorum omniumque vitiorum fontem; sublataque vi voluntatis, cuius est sensitivum appetitum frenare, hominem Deo natum et spiritualium capacem ad conditionem bellicarum dejiciunt; et omnia societatis et religionis officia in ipsis primis elementis pervertunt.

ex sensibilitate physicâ oriri primùm commodum personale, deinde ex studio commodi personalis ortas esse societates, à societatibus politicis et conventionibus civilibus ortum esse commodum nationale, quod quidem originem præbuit nominibus justis et injustis, honestis et turpis; consequenter omnem justitiam et honestatem ad sensibilitatem physicam tanquàm ad fontem esse referendas (1); omne virtutum et vitiorum genus à passionibus natum ducere, et generale felicitatis desiderium constanter resolvi in voluptatem corpoream; ex solâ passionum vehementiâ, quarum impulsu non solum pericula, dolores, mors temuntur, sed ipsam etiã cælum læcessitur, prorumpere ea facinora quæ omni ævo rapuere admirationem; inter omnes passiones eminare amorem mulierum, quo solo fermè moventur nationes omnes legibus excultæ; hinc homines neque ad eximias cujusvis generis dotes informari, neque ardua quæ audere posse, nisi effervescente juventâ, quâ ætate hujuscæ libidinis stimulo magis punguntur; hujus solius sensu molestum vitæ onus et iniquam existendi necessitatem suaviter allevari; hominibus, fidei lumine non illustratis, nihil cultu et adoratione dignius quàm elegantem mulierum formam; consequenter legislationis perfectæ artem in eo sitam esse, ut, propositis in præmium, pro meritâ ratione, voluptatibus corporeis, cives ad præclara gerenda incitentur, cum eò virtus acrius inardescat, quò vividior pro merceda proponatur voluptas (2); exceptis maximi momenti actionibus, quas rationi subjicere nihil

(1) Vide pp. 140 et 141, 47 et 48, 54, 73, 119, 81 et 82, 153 et 154, 168, 161, 81 et 82, 240 et 241, 276. *Censura*: Propositiones istæ sunt falsæ, absurdæ, clarissimis mentis notionibus et generosis animi affectibus contrariæ; boni et mali moralis discrimen, in immutabilibus rerum essentiis positum et revelatione divinâ comprobatum, tollunt; vint omnem sensum moralem, rationis et religionis, contra cupiditates, obtundunt; ad omnem pravitatem occultam, ad omnia scelera elanculum perpetranda invitant, imò ad omnia facinora, vi aut dolo, in privatos quosque et in ipsam rempublicam apertè admittenda, quotiescunque spes affulget optata consequendi et poenas civiles declinandî; ac proinde sunt privatis et societatibus exitiales, juris omnis, naturalis et divini, destructivæ, impiæ, nefariæ, blasphemæ.

(2) Vide pp. 257, 258, 259, 73 notâ (b), 296, 298, 361. . . 5. . . 6. 339 et 340, 363 et 364, 365. *Censura*: Propositiones istæ sunt falsæ, insulsæ, impiæ, turpes, à furore libidinoso allatæ; rationem, animi partem nobilissimam et ad imperium natam, è solo dejiciunt, ut in eò appetitum sensitivum, sine more modoque ad

vetat, cæteras vitæ partes uniuscujusque arbitrio et passionibus esse temerè permittendas; passionum moderationem exitiosam fore civitatibus; prudentibus; si apud omnes obtineret eives, fatale munus toti fore nationi; ipsamque rationem parvi faciendam; ex levitate atque inconsiderantiâ regnorum et universi orbis conservationem pendere; indolem semel consuetudine flexam ad improbitatem in melius non posse reflecti; non minùs esse deridendum virum moderatum si ambitioso insurraret: Exue ambitionis sensus, quàm medicum si ægrotanti obgnaret: Ne febricitet; multorum felicitatem alligatam esse passionibus ex quibus fiunt miserissimi, qui tamen insanirent si plus sapere vellent; inò quosdam ita infeliciter à naturâ factos, ut beati esse nequeant, nisi scelera committant capitalibus expianda suppliciis (1); pudorem esse artem quamdam amoris et exquisitoris voluptatis, idque ab institutoribus morum tradendum esse; solutam omni lege et vagam libidinem præjudicatæ quidem, at non sinceræ virtuti opponi, et, sub theologicâ solum consideratione, non philosophicâ vel politicâ, depravationem dici posse (adeòque contra honestatem non esse, cum juxta auctoris placita ethica cum politicâ scien-

tiâ confundenda sit); sumptus, quos in subcultum faciunt mulieres voluptuariæ, piarum eleemosynis esse utiliores; admisâ mulierum communitate, ruptisque omnibus consanguinitatis vinculis, plurimum inde commodi et utilitatis reipublicæ accessurum; qui vitæ peritæsus mortem sibi consciscit, hunc sapientis non minùs quàm viri fortis, nominibus in-gniendum (1).

PROPOSITIO.

Est lex naturæ nostræ congruens, diffusa in omnes, quæ vocat ad officium jubendo, vetando à fraude deterret.

PROBATIO. — ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex sensibus, affectionibus et facultatibus naturæ humanæ.

1° Est quidam justî et iniqui sensus omnium hominum animis à naturâ insitus, ut supra notatum est: nam est quædam vitæ ratio quam necessariò probamus; sunt quædam vivendi principia tam evidentis æquitalis et sapientiæ, ut ab illis admittendis temperare nemo possit, quæ temporum omnium et locorum omnium communia sunt, quæ doctis et indoctis spontè innotescent. Qualia sunt illa: Suum cuique tribuendum, fidem servandam, beneficis gratum animum deberi: « Quæ autem natio, ut ait Cicero, non comitem, non benignita-

tiâ confundenda sit); sumptus, quos in subcultum faciunt mulieres voluptuariæ, piarum eleemosynis esse utiliores; admisâ mulierum communitate, ruptisque omnibus consanguinitatis vinculis, plurimum inde commodi et utilitatis reipublicæ accessurum; qui vitæ peritæsus mortem sibi consciscit, hunc sapientis non minùs quàm viri fortis, nominibus in-gniendum (1).

bacchantem, reclamante ipsâ naturâ, monstrôsè constituent; summum bonum animi rationalis, immortalis et ad Dei fruitionem facti, ponunt in fluxis et caducis voluptatibus, quas aspiciunt nobiliores animi sensus, et in quibus nullum est contra corporis dolores, mentis ægritudines et fortunæ graviore casus solatium; infamem malè coherentis et absurdæ legislationis formam effingunt, in quâ præstantiores vires, post exantillatos pro patriâ labores, nulla manerent præmia, ad mortem pro salute publicâ oppetendam nullum esset incitamentum: in quâ perpetua et intestina de hisdem bonis aut præmiis occupandis orirentur dissidia, eò societati magis exitialia quò cupiditates in singulis essent ardentes, et laxioribus frenis evagarentur; fas jusque omne proleant, nec satis gravi notâ iniuri possunt; ostenduntque quàm vana ingenia, quàmque fœda sint inventa hominum à religione aver-sorum.

(1) Vide pp. 618, 664, 582 et 583, 575 et 574, 571. *Censura*: Sunt hæ propositiones utilitatis et impudentiæ plenæ; non modò expriment fatalissimum omni religioni, fatente auctore, pestiferum, sed unum quoddam ex his quæ fatalismus in morum perniciem invehit, apertè enuntiant, scilicet spontè eundem quò rapit indolem etiâ maximè depravata; scelerum et sceleratorum omnium apologiam continent; salutî privatæ et publicæ ex æquo sunt exitiosæ; in Deum legislatorem et scelerum vindicem blasphemæ, ab omnibus detestandæ et execrandæ.

(1) Vide pp. 159, 141, 146, 150, 157 et 158, 146 et 147, 75, 45. *Censura*: Sunt falsæ, turpes, contrariæ sensibus naturalibus; respectivè, pudorem seu verecundiam, omnis honestatis custodem, pravorumque appetuum moderatorem à naturâ constitutum cynicè impudentes abiciunt; vagam libidinem turpiter commendant, stabilique et individux conjugum felicitati, ac filiorum procreationi et educationi lascivam voluptatem, patribus et matribus ex æquo detestandam, prolisque susceptæ exitiosam, anteponunt; opum vana perversaque dispendia pauperum sustentationi, vanitatem charitati et honestæ liberalitati crudeliter præferunt; conjugii et sanguinis vincula arctissima, humano generi conservando necessaria, penitus rescindunt; cum societatis domesticæ mutuis officiis illam simul vitæ suavitatem, quæ in iisdem præstandis posita est, auferunt, et in parentibus et filiis præcipua laboris et industriæ incitamenta præfocant; furorem hominum de vitâ suâ statuentium, quem sui amor et prudentia, in patriam charitas, Dei voluntas tam naturali quàm revelatâ lege manifestata, colibere debent, et quem ex ignaviâ et animi infirmitate natum docuerunt philosophi vel ethnici, sapientiæ et fortitudini absurdissimè adscribunt; denique vitæ privatæ, domesticæ et civilis officia, quolibet jure consignata, nefariè pervertunt.

« tem, non gratum animum et beneficii me-
« morem diligit? Quæ superbos, quæ malefi-
« eos, quæ crudeles, quæ ingratos non
« asperratur, non odit? » Sensum hunc
moralem nobis inesse conscientiâ intelligitur,
argumentis demonstrare vanè contenderemus:
est quippe analogus illi intuitivæ veritatis
perceptioni, quæ omnis est scientiæ funda-
mentum; aut illi gustûs sensationi, quâ cibos
distinguimus; ac sicut sublatâ illâ intuitivâ ve-
ritatis perceptione, nullam habereimus veritatis
et falsitatis notionem; neque sine illâ gustûs
sensatione essent ulli saporis: sic sublato illo
justi atque iniqui, honesti et turpis sensu, nulla
esset vocabulorum illorum vis et potestas: hic
sensus tam naturalis est, tam constans et uni-
formis, ut nullis possit præfocari præjudiciis,
aut passionibus extingui; ejus sanctissimum
judicium nullis præmiis corrumpi potest;
viget in sceleratissimis hominibus, quibus
ita gratiosa virtus est, ut invitè probent
meliores.

2^o Ratio habet potestatem legis propriè
dicta: nam ad hoc duo requiruntur, ut sit ra-
tio cuique homini in actionibus suis perpetuus
et domesticus monitor, et ut moneat cum au-
toritate. Atqui primò ratio quemque in insti-
tuendâ vitâ et in singulis fermè actionibus
monet: quia hujus facultatis vi quisque vel
invitus percipit rerum relationes ac suarum
actionum effectus et consequentiâs, earum-
demque cum finibus, quos sensus naturales
probant, convenientiam vel disconvenientiam.
Hæc nisi quisque perciperet non esset rationa-
lis, ageret impetu cæco, more belluarum, sine
consilio. Si autem has convenientias percipit,
ergo ratione dirigitur, cum dirigi, sit doceri
quibus mediis fines attingi possunt, quos sibi
aliquis proponit. Secundò verò, ratio monet
cum auctoritate, seu, quod idem est, rationis
dictata necessariò et naturaliter approbamus,
quia hæc approbatio à perceptione convenien-
tiæ actionis alicujus cum finibus nostris, v. g.,
cum felicitate separari nequit; tunc enim idem
sensus qui probat finem, necessariò etiam probat
media ad finem conducentia. Quapropter
quoties homo propter animi perturbationem
non agit juxta perceptas rerum relationes,
secum ipse divisus est; ex partibus quodam-
modò dissentientibus componitur, ex quarum
conflictu angores sequuntur et aegritudines
animi. Ergo cum homo rationis monita nequeat
contemnere, quin naturam hominis asperratur
et ipse se fugiat, est naturæ lex ratio, quæ

vocat ad officium jubendo, vetando à fraude
deterret (1).

3^o Est in singulis hominibus conscientia,
per quam intelligimus non justus et iniqui ap-
prehensionem, neque judicium rationis, sed me-
riti et demeriti sensum, innocentiam et delicti
conscientiam; suavem illam jucundamque vo-
luptatis affectionem, quæ vitam juxta rationis
dictata institutam comitatur semper, terro-
resque illos et metus graves, quibus pertur-
bantur et eliduntur ii, qui magistram vitæ
rationem sequi recusant. Hanc innocentiam et
delicti conscientiam inesse singulis hominibus
neque ab ipsis impiis et atheis abesse confitetur
Lucretius in his sequentibus versibus, initio
libri tertii:

Nam quòd sæpè homines morbos magis esse timendos
Infamemque ferunt vitam, quàm tartara lethi,
Et se scire animi naturam sanguinis esse;
Nec quidquam piorsus nostræ rationis egere,
Hinc licet advertas animum magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita fortè voluntas,
Jactari causâ, quàm quòd res ipsa probetur.
Extorres iidem patriâ, longèque fugati
Conspectu ex hominum, fœdatis crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt;
Et quòcumque tamen miseri venere parentant,
Et nigras mactant pecudes, et manus divi
Inferias mittunt, multòque in rebus acerbis
Acriùs advertunt animos ad religionem,
Quò magis in dubiis hominem spectare periculis
Convenit, adversarique in rebus noscere qui ait,
Nam verè voces tum demùm pectore ab imo
Ejiciuntur, et eripitur persona, manet res.

(1) Hæc non intelligenda, meâ saltem sen-
tentia, independenter ab existentia Dei, seu
summi Legislatoris, à quo si abstraheretur,
jam ratio ipsa fieret inexplicabilis, ejusque dicta
men, etiam ineluctabile, quid vanissimum.
Equidem, ut iterum ac ultimum eâ de re men-
tem aperiâ, obligatio, sensus moralis, con-
scientiæ dictamen, in rerum essentialis fundan-
tur, nec à liberâ Dei voluntate pendunt; et verò
ita cum ejus necessariâ voluntate connectuntur
eadem, ut sine Deo concepta jam impossibi-
lia atque absurda intelligantur. In Deo sunt
substantialiter eum in archetypo essentialis re-
rum, absque Deo nullæ. In hypothesi quidem
atheismi, notionis morales concipimus, sed
modo abstracto atque in se repugnante, quasi
in eadem hypothesi creatrix fingeretur potentia.
Igitur Deus est non arbitrarius, sed essentialis
omnis præcepti naturalis legislator, omnis
obligationis auctor. Ergo Deus, ipsi legi æternæ
adstrictus, sibi met imponet præceptum. Illa
devinctio Dei legi æternæ, illud præceptum
immeritò sic dictum, nil aliud sunt quàm es-
sentialis et necessaria Dei conformitas ordinî
qui ipse est, nil aliud in Deo quàm secum con-
sensus. P. S.

Malos igitur, confitente atheismi defensore, insectantur furia, non ardentibus tædis, ut in fabulis, sed angore conscientiaë et fraudis cruciatu; dumque omni metu solutos se prædicant, et induunt personam, quæ in rebus acerbis eripitur. Atqui hæc involuntaria sui condemnatio arguit inter bonum et malum morale discrimen ab ipsâ naturâ positum: aliàs cur homines mali proprias condemnarent actiones et sibi ipsis irascerentur? Cur suppositâ futurâ vitâ arbitrantur sibi potius pertimescendum, quàm bonis; se potius divini numinis iracundiam experturos, quàm pios et honestos? Unde horum fiducia, illorum diffidentia? Cur non suspicantur mali Deum ipsis favere, et honestos pœnis esse affecturum? Si illi, quos dicimus malos, vivant sapienter, si naturæ pareant, si rationi, uti contemndum, obtemperent sua quærentes commoda, cur tantæ ægritudines, tantæ anxietates? Certò credant Deum nedùm ipsis succensere, potius esse remuneraturum. Sed si cogitare nequeamus Deum honestis inimicum, malorum patronum, ergo dividit et separat malos à bonis hominis natura, et consequenter etiam actiones hominis naturâ ipsâ dijudicantur.

4° Sensui interno, rationi et conscientiaë consentiunt naturales hominis propensiones. Nam si particulatim consideremus omnia vitæ officia, sive adversus Deum, sive erga nosmetipsos, sive erga alios, nullum est quod aliquâ propensione naturali nobis non sit commendatum. Primò nequimus cogitare excellentissimam Dei naturam et perfectiones infinitas, quin admiratione teneamur, et ad augustissimi numinis adorationem spontè procumbamus: nec liberalem ejus et effusam in creaturas suas bonitatem, quin gratos experiamur pro beneficiis acceptis sensus: nec præsidem Deum supra et circa nos stare, factorum dictorumque censorum sine observantiâ et reverentiâ: aliàs unde factum est, ut omnes gentes in colendo Deo consenserint? Sic etiam secundò insitis naturæ affectibus cum aliis hominibus conjungimur et ad mutua officia inclinamur. Inest omnibus hominibus generalis benevolentia et gratuita bonitas, cujus tanta vis est, ut ignotis periclitantibus ultò succurramus et naturali commiseratione in omnium miserorum opem commoveamur. Hunc sensum omnibus inditum esse probat plausus ille, quo in theatro romano exceptum fuisse legimus hunc poetæ comici versiculum: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto*. Præterea proles amor in parentibus

et liberorum mutua pietas, amor patriæ, amicitia, gratitudo, et aliæ omnes benevolæ affectiones, in quibus est posita omnis vitæ felicitas, ad officia nos ducunt gratuita, etiam cum facturâ nostrorum commodorum et vitæ quoque periculo. Hisce affectionibus nullo modo contrariæ sunt cæteræ omnes, ut pudor et verecundia, honoris sensus, existimationis et gloriæ cupiditas, ex malorum prosperâ fortunâ indignatio, imò verò confirmant naturalia officia. Tertiò denique, quemque sibi commendari à naturâ, et excitari ad quærenda ea quæ sunt conservantia sui status et ejusdem perfectientia, nullus dubitat. Ergo nullum est officium, quod nobis non commendetur, non solùm à ratione, sed ab appetitu; nullus est naturæ instinctus, vel inclinatio, vel passio, quæ si sit temperata, vitæ humanæ non afferat utilitatem; non sit sensui morali, rationi, conscientiaë congrua, et cum honestate conjuncta.

Et verò lex naturæ omnis charitate in omnes diffusâ continetur, rationisque dictata omnia, diligere alios et benefacere præcipiunt. Atqui ad diligendum et benefaciendum inclinare maximè propensiones naturales, ex eo patet quòd mentem quâdam perfundant suavitate et per se ac suâ sponte comprobentur omnes motus benigni. In iis quisque sibi placet; lubens iisdem, tanquàm naturæ accommodatis, indulget, et similes quoque in aliis comprobatur et veneratur: contrarij autem motus, ut ira, odium, invidentia, ultionis appetitio et malevolentia omnis, sunt proximè et per se molesti; in iis recordandis nemo sibi placet, aut similes in aliis comprobare potest. Præterea, ut observavit Cartesius in tract. de *Passionibus*, amor ad optimum corporis habitum multum conducit: odium quædam tristitia est inimica naturæ, quæ cor contrahendo liberum sanguinis fluxum impedit.

5° Tandem, ipsæ corporis habilitates et motus spontanei indicant, quid naturæ congruat quid non congruat. Quanta vultui venustas accedit ex amicâ lætitiâ, sociâ hilaritate, lætâque sympathiâ et gratulatione! Quanta pulchritudo ex animo sedato et constanti, sibi rectè conscio, atque ex internâ sui compotatione! In amici vultu ejusque qui grato beneficii sensu movetur, quæ gratia, quâque mitis flamma ex benignis emicat oculis! Si è contrario intentetur injuria, ubi ejusdem propulsandæ spes est, in vultu torvo se prodat ira, trucibus ex oculis igne coruscant terribiles; si mai aver-

tendi spes nulla est, quantâ eloquentiæ vi instruit natura non homines solum, sed et muta animantia, premente tristitiâ, dolore, vel metu graviore! Quâvis illa vox flebilis et querula, quâvis vultus oculique mœsti et defecti, suspiria, lacrymæ, gemitus! Quanta eorum omnium vis ad commiserationem apud omnes excitandam, quò promptiùs opem ferant vel ab inceptâ injuriâ abstineant! Nulla ergo pars est humanæ naturæ, ex quâ leges naturales non possimus colligere.

ARGUMENTUM II.

Ex observatione in aliorum hominum ingenium et mores.

1^o Certissima est illa Socratis et Platonis observatio, nullum esse juvenem rudem et omni vacuum præjudicio, qui, si rectè et methodicè sen de rebus speculativis seu de practicis morum regulis interrogetur, non aptè respondeat: ex quo experimento alii concludebant scientiam esse reminiscentiam; alii verò concludunt veritates primas, tum eas quæ ad vitam pertinent humanam innatas esse et à primâ origine insitas: hoc saltem sequitur, esse rerum relationes in ipsâ naturâ fundatas, earumque convenientias et inconvenientias non ex alicujus arbitrio fingi, sed ab ipsâ naturâ edoceri. 2^o Constat experientiâ perditos homines, qui sua commoda sine honestate et pudore prosequuntur, æquum ferre judicium de aliorum hominum actionibus: ex quo concludit Plato lib. 2 de *Legibus*, « divinam esse virtutis vim, quæ nullâ vinci potest morum perversitate. » 3^o Experimur flagitiosos et sceleratos homines aliquam virtutis rationem habere: « Nam, ut ait Cic., quis est aut quis unquam fuit, aut avaritiâ tum ardentis, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem istam rem, quam adipisciscelere quovis vellet, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate propositâ, sine facinore quàm illo modo pervenire? » Ergo improbitatem refugit vel ipsa natura corruptissima. 4^o Nullus est qui suas actiones etiam turpissimas defendere non studeat et illis recti speciem induere. « Impiorum nemo, ut habet Cicero, tam audax unquam fuit, quin aut abnueret esse commissum à se facinus, aut justî sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris à naturæ jure aliquo quæreret. » Rationes has pulchrè complexus est Seneca de Ben. l. 4, c. 47: « Placet, inquit, suapte naturâ, addeque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliores. Quis est qui non beneficis

videri velit? Qui non inter scelera et injurias opinionem bonitatis affectet? Qui non ipsa quæ impotentissimè fecit, speciem aliquam induat recti? Velit quoque is beneficium dedisse, quos læsit? Gratias quoque agi sibi ab his, quos afflicere, patiuntur, bonosque se ac liberales fingunt, quia prestare non possunt. Quod non facerent, nisi illos honesti et per se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quærere et nequitiam abdere, cujus fructus concupiscitur, ipsa verò odio pudorique est: neque quisquam tantum à naturali lege descivit, et hominem exit, ut animi causâ malus sit. Dic ergo cullibet ex istis qui raptò vivunt, an ad illa quæ latrociniis et furtis consequuntur, malint ratione bonâ pervenire? Optabit ille, cui grassari et transeuntes percutere quæstus est, potiùs illa invenire, quàm eripere. Neminem reperies, qui non nequitiam præmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen sumi præmittit: etiam qui non sequuntur illam vident. »

ARGUMENTUM III.

Ex testimonio hominum.

Populorum consensus naturæ vox est; sapientium omnium auctoritas maximum veritatis argumentum est. Sed esse legem naturalem et insitas à naturâ justî et injusti notiones omnes populi agnoverunt, omnes sapientes et legislatores putarunt. « Hanc, video, inquit Tullius de *Legibus* lib. 2, sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquid esse populorum, sed æternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientiam. » Plura testimonia ex philosophis et poetis congerere, in re tam clarâ supervacaneum videtur.

CONFUTATIO SCEPTICORUM. — Objicies cum Sexto Empiricò et scepticis: Est jus omne non à naturâ, sed ab opinione ortum, et illa vivendi præcepta, morumque principia, quæ naturæ leges dicuntur, ad naturam minimè pertinent, nihilque aliud sunt quàm præjudicate infantie et educationis opiniones, ad quas docti et instituti sumus. — Respondeo, prudentem et sedulam institutionem multum valere ad explicandas leges quibus à naturâ imbuti sumus, ad evolvendas complicatas animi notiones; multum conferre ad primarum intelligentiarum et scientiæ seminum incrementum: « Doctrina sanè vim promovet insitam; rectique mores pectora roborant » Sed si nulla sit naturæ vis,

qui fit ut notiones justi et iniqui tam generales sint, tam altè mentibus inuideant, ut extirpari nequaquam possint? Nam « opinionum commenta delet dies, naturæ tantùm judicia confirmat. » Exuunt certè à viris philosophis, quæ non nisi ab infantili ac institutione vim acceperunt opiniones, sed ista naturæ præcepta quò magis excutiuntur et ponderantur à viris attentis et meditationi assuetis, eò magis sese illis commendant, eò solidioribus nixa fundamentis altiusque infixæ mentibus deprehenduntur.

Instabile: Si essent ullæ naturæ leges, essent illæ ab ipsâ mentis origine animis nostris innatæ, essent universales et omnibus hominibus per se notæ; essent ubique et semper uniformes atque constantes. Nam quod naturale est hisce dignoscitur criteriis: ab ipsâ rei origine in illâ apparet et conspicuum est: omnibus convenit naturæ individui seu planè universale est: immutabile est, naturamque semper eodem modo afficit, nec in diversis dispar et dissimile esse potest: sic, v. g., feli naturale est muribus infestum esse; naturale est malo aureæ ferre mala aurea; naturale est homini videre, sentire. Atqui nullum est vitæ moralis principium, cujus semper conscii fuimus, de quo inter omnes convenit, quodque ubique et semper, constanter et uniformiter receptum fuit. Sunt quippe quidam homines, qui ferarum more nihil aliud habent in animo quàm ut vitam corpusque tueantur, et qui de Deo et religione, de virtute et vitio nunquam cogitant. Richier in ep. quæ est inter epistolas Calvini 257, de Brasiliensibus scribit: « Bonum à malo non scernunt; vitia, quæ natura in cæteris gentibus arguit, loco virtutis habent; saltem vitiorum turpitudinem non agnoscunt, adeò ut hæc in re à brutis parùm differant. Cæterùm, quod omnium perniciosissimum est, latet eos an sit Deus, tantùm abest ut legem ejus observent, vel potentiam et bonitatem ejus mirentur. Quò fit ut sit nobis prorsus adempta spes lucrificandi eos Christo, quod ut omnium est gravissimum, ita inter cætera maximè ægrè ferimus. » Legimus etiam apud Thevenotium quemdam esse Asiæ populum, apud quem statim ac desperatus est ægrotorum status et morti proximi creduntur, mos est illos extra domum projicere, ubi acris inclementiæ expositi miserè intereunt: memorantur et alii populi, qui feminas bello captas pro concubinis servant et liberos ex illis genitos ad annum usque decimum tertium saginatos, tandem macrare et manducare consueverunt; eandemque

sortem experiuntur miseræ matres, ubi liberos gignere desinunt. Alia multa ejusdem generis, nec minùs à nostris usibus abhorrentia apud historicos et peregrinatores legi possunt. Nulla sunt ergo præcepta vivendi, quæ ad naturam humanam pertinent, sed opiniones omnes animis nostris adhuc teneris insillantur et consuetudine roborantur. — Respondeo 1^o: Nego majorem. Negare quippe licet illa naturæ criteria ut sunt in objectione exposita, quòd scilicet quodcumque naturale est, illud debeat in reorigine deprehendi; esse omnibus sine ullâ exceptione per se notum, aut esse omninò constans et uniforme.

1^o Enim sunt plura insita in naturâ, quæ non nisi post certas temporum periodos explicantur, adolescent et conspicua evadunt: sic arbores non statim folia, flores et fructus explicant; nec nisi post confirmatam ætate stirpem: nemo tamen negaverit fructus cujuslibet arboris proprios illi esse naturales. Multæ sunt etiam in hominibus sicut in cæteris animantium propensiones, quæ in primo ortu conspicuæ nequaquam sunt, quæ tamen labentibus annis nascuntur et quamdam accipiunt maturitatem. Quamvis ergo præcepta vivendi menti nostræ non innotescant, nisi post confirmatam annis ætatem, non minùs nota naturaliter dicenda sunt.

2^o Id omne quod naturale est, non propterea est omnibus sine exceptione per se notum: quamvis nulla esset opinio, nullum vitæ moralis principium, in quo omnes convenirent, tamen ex eo minimè sequitur non esse legem naturæ nostræ congruam, et principia vitæ moralis naturalia. Nam ut non discedamus ab exemplo jam proposito et ad elucidandum hanc materiam aptissimo, certè naturale est malo aureæ ferre mala aurea; sed si plantetur in septentrionalibus Europæ plagis, non gemabit, non induct se in florem, non fructum dabit; in Galliâ nostrâ cum magno cultu fructus feret mediocres: sed in Lusitanâ spontè et sine culturâ fructum explicabit pulcherrimum. Itaque licet ad naturam illius arboris pertineat mala ferre aurea, tamen ad florum fructusque explicationem conferunt soli humor, cœli temperies, hominis labor et cultura. Idem dicendum est de mente humarâ: parvulos dedit nobis natura igniculos, ut loquitur Cicero, quos multi malis moribus et opinionibus depravatis sic restingunt, ut nusquam naturæ lumen appareat. Fovenda sunt quæ dedit natura scientiæ semina, attentione et

meditatione explicanda sunt; tum adollescere illa videmus et perfectam assequi ætatem.

5^o Ut aliquid naturale censeatur non debet esse omninò constans et uniforme (1): quamvis enim divini numinis cultus varius sit apud varias gentes, varia sit apud varios populos forma regiminis, non exinde sequitur nos ad cultum religiosum et societatem civilem non esse naturaliter inclinatos. Quid tam naturale quam oratio? Quàm diversa tamen apud varios populos obtinuit! Ergo potest esse aliquid naturale, quod ab origine non fuit conspicuum, quod ab omnibus sine exceptione cognitum non fuit, nec in omnibus est uniforme.

Sed quoniam hoc ex opinionum varietate argumentum adversariis nostris videri solet palmare et invictum, fusiùs discutiendum est, monstrandumque unde oriatur hæc opinionum varietas et in hominum moribus et institutis dissensio. Accepit enim à naturâ homo, non solum sui corporis conservandi curam, sed etiam ornandi animi; nam ut corpus naturâ imbecillum est, et non nisi exercitiis cibisque convenientibus roboratur, sic et animus angustis à naturâ primùm constrictis limitibus, meditatione cogitationes profert, nutritur veritatis studio, contentione et ingenii exercitationibus confirmatur. Si vitam agimus more belluarum subitis sensuum acti impulsibus, sine ullâ de vitæ summâ deliberatione, nulla erit in vitâ constantia, et figura magis quam vitæ ratio nos ab animantibus dividet. Mens humana itaque in ortu primo tabula est ferè rasa, quam sculpere debemus; terra est, ferax quidem, veritatis atque virtutis sata seminibus, sed quam fodere atque exercere oportet. Non sunt certè sic innatæ omnium hominum animis ideæ aut ingenita vivendi principia, ut eadem omnium hominum mentibus spontè obversentur, sed rerum notiones successivè ex usu facultatum et ex meditatione accipiunt: illæque ideæ solum sunt omnibus hominibus communes, quæ per sensus irruunt quodammodò in animos; illæ verò quas ex meditatione accipimus, possunt quamplurimis nunquam innotescere: ex. gr., qui rebus mathematicis nunquam dederunt operam, nullam habent cognitionem proprietatum parabolæ aut hyperbolæ, atque illa propositio eviden-

tissima: *In circulo linea ordinata ad diametrum est mediâ proportionalis inter duas diametri abscissas*, nullam habet significationem pro innumeris hominibus, qui de diametro, abscissâ, et mediâ proportionali non audierunt: nec intellectis terminis veritas hæc statim innotescit. Possunt alii rerum multò magis evidentium ignorance laborare: sic quamvis vix ulla veritas sit, quæ clarior est entis summè perfecti et infiniti existentia, tamen ille qui rebus intenderet, nisi quantum ad vitam tuendam inservire possunt, neque admirabilem rerum ordinem et divini consilii vestigia, neque sui animi virtutes et abstractas notiones contempleretur; diù vivere posset sine distinctâ cogitatione entis perfecti. Neque solum homines quandoque non consequuntur cognitionem illarum veritatum, quæ quamdam idearum seriem et complexionem postulant: sed nec duarum simplicissimarum convenientiam cernunt, quia ipsis nunquam accidit duas illas ideas secum componere et uno complexi cogitatu. Sic quamvis naturalis sit et valdè evidens scientia numerorum, tamen memorantur aliqui populi, qui ad numerum vigesimum vel decimum calculos tantum inire solent. Quamobrem si qui homines sint aut integræ etiam nationes, qui rationem haudquaquam coluerunt, admirationem nostram habere non debet, quòd multa ignorent moralis philosophiæ principia, seu speculativa, seu practica. Verùm tamen sicut non minus pertinet ad naturam soli feracis, ut arboribus nutriendis aptum sit, licet subactum esse debeat, ita neque ad hominis naturam minus pertinent leges naturales, quòd non nisi illis mentibus innotescant, quarum facultates meditatione vel doctrinâ sunt explicatæ. Ut principia quædam vitæ moralis dici possint naturalia, sufficit ut attentas mentes suâ percellant evidentia, et ut illis semel perceptis constanter, et immobiliter ab omnibus adhæreat: ridiculè certè ex hominum ignorantia ducitur argumentum; et ut aliquam possit habere vim ad convellendam nostram conclusionem opinionum inter homines varietas, ostendendum esset dissensionem non minorem esse inter eos, qui ad veritatis investigationem animos ingenuos et veri cupidos contulerunt. Ut ait Aristoteles l. 2 Pol.: « Quid naturale sit spectandum in his qui benè se cundùm naturam se habent, non in depravatis. »

— Respondeo 2^o: Nego minorem. Multa enim à veritate valdè remota narrare solent itinerum

(1) E contra dicendum omne naturale constans esse et uniforme. Quòd si sint varia, vel ea habenda sunt ut non naturalia, puta ex causis accidentalibus liberisve nata, vel ut individuis seu speciebus diversis propria. P. S.

scriptores; neque facile crediderim uspiam esse mortalem aliqueum omni sensu honestatis vacuum aut divini numinis metu solutum. Illi quorum testimonio nituntur assertiones in objectione positæ, temerè plerùmque pronuntiant de illis populis, quorum sermonem et mores, animique cogitata intelligere non potuerunt; aut etiã eos malitiosè calumniati sunt, quod supra confecimus ubi de consensu nationum circa Dei existentiam. Legimus ipsos Judæos et Christianos, quorum disciplina cæterarum gentium religionibus sanctitate tantoperè præstat, à multis olim gentilibus atheisticæ impietatis et maximorum scelerum accusatos fuisse. Pleræque illæ etiã consuetudines, quæ ab æquitate et humanitate nobis alienissimæ videntur, recta quidem principia supponunt, sed perperã et contra omnem rationem ad rem aptata. Sic qui ægris morti proximis atque desperatos aeris exponunt inclementiæ, aut, quod verius est, in suis tuguriis deserunt, sic agunt ex humanitatis et commiserationis sensu, ipsi ægris roganibus, ne scilicet eorum languor producat, finemque citiùs doloribus insanabilibus imponant. Quod de feminis bello captis, eorumque liberis ad cædem et epulas saginatis refertur, valdè est incredibile, eoque magis quòd ex aliis relationibus noverimus plebrosque barbaros, qui hostium carne vescuntur, illas ingratas epulas sine voluptate parare, ultionis causâ et ex vanâ gloriâ, ut par hostibus referant. Præterea fortassis apud illos populos, qui omni carent industriâ et arte, difficilè victus comparatur atque ad sustentandam suam et suorum vitam hæc in hostes crudelitas quodammodò necessaria est. Quid non suadet dira fames?

Instabis 2^o: Atqui non solum apud barbaras gentes obtinet illa opinionum varietas et perversitas morum, sed etiã in illis regionibus, quæ legibus gubernantur, magna est in religione et institutis diversitas: imò etiã in iis ubi artes et scientiæ maximè floruerunt, in Græciâ scilicet et romanâ republicâ, ubi tot ac tanti viri in rerum divinarum investigatione et recludendis doctrinæ moralis fontibus assidue laborârunt, fuerunt tamen tam variæ tanque discrepantes sententiæ circa Dei naturam, summum bonum et alia morum fundamenta ut illas dinumerare molestum sit, et Cicero concluderit prudenter à rebus tam incertis Academicos assensionem coluisse.—Respondeo in illis gentibus, quæ legibus gubernantur illam varietatem opinionum non esse plerùm-

que circa moralis vitæ principia practica; vel si fuerunt quædam perversa apud quasdam gentes instituta, uti apud Carthaginenses, qui liberos suos diis immolare solebant, ex populi stupiditate et ignorantia primùm orta, consuetudine robor acceperunt. Sicut enim malos corporis habitus ex aliorum imitatione contrahimus, ita quoque et pravi habitus cogitandi quandoque ingenerantur, ideasque sociamus, quæ nullam habent convenientiam, quia sic sociatas à magistris vel parentibus acceperimus. Rarò vulgus hominum suum adhibet iudicium, sed id habet ratum, quod ab iis quos probat iudicatum videt. Ut habet Cicero, « multi ante tenentur adstricti, quàm quid est optimum iudicare potuerunt; deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecrati amico cuidam, aut unâ aliquos quem primùm audierunt oratione capti de rebus incognitis iudicant: et ad quancunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam quasi ad saxum adhaerescunt. » Certè falsa erat illa divinæ justitiæ notio in illis hominibus, qui illam cæde hominum placari existimabant, sed hunc errorem cum lacte suserant, neque eum ad examen revocare unquam in mentem incidit, aut vetabat superstitione. Attamen illæ falsæ idearum conjunctiones fortuitæ omninò sunt, constantes esse nequeunt; veritas sola immota est, sola est naturalis, cum in rerum fundata sit naturis, et ab eâ semel perceptâ nequaquam divelli possumus.

Quod verò atinet philosophos et legislatores, constat eos non nisi circa res obscuriores dissensisse. Nam non sunt omnes vitæ regulæ æqualiter certæ; justî et æqui limites quandoque difficilè determinantur. Sunt quædam vitæ instituta, quæ primo intuitu vel naturæ nostræ congruentia et æqua videntur, vel ab omni ratione aliena; neque confundi magis possunt opposita hæc vivendi principia, quàm duo vividissimi colores. Sed in rebus minoris momenti et conclusionibus magis remotis à generalibus morum principiis magna potest esse ambiguitas: uti si duos vel tres colores misceas, tandem ellicies ex æquali ferè illorum mixturâ colorem medium, in quo nequaquam poteris deprehendere quinam è duobus vel tribus coloribus majore copiâ contineatur. Sunt quædam certè quæstiones de quibus variè staterunt legislatores: v. g., de uxoris repudiandæ libertate, de consanguineorum matrimonii, de pecuniæ locatione et usurâ, de vi jurisjurandi per vim extorti, et cæteris hujusmodi, quia habent hæc quæstiones varios aspectus, neque omninò

evidens est quid semper et in singulis circumstantiis præscribat ratio, aut quid magis conferat ad societatis communem utilitatem: sed primum et fundamentale vitæ civilis principium, nempe quærendum esse bonum publicum; et officia omnia justitiæ et charitatis à legislatoribus omnibus commendata sunt. Lex illa spartiacæ, quam afferre solent in exemplum adversarii, quæ permittebat junioribus fraude subripere aliorum res, præsertim edulia, data à Lycurgo ad excitandam civium vigilantiam et adolescentium acuendam industriam, et ut discerent à pueritiâ noctu vigilare, interdû fallere, struere insidias, exploratores habere, et sic adulti bello essent utiliores, quantumvis sit ridicula, injusta tamen non fuit; nam leges circa honorum proprietatem non sunt immutabiles, nec illæ subdole subreptiones crimine habebant furti, cum lex ista facta fuerit consensu civium, unusquisque de suo jure cessisse putandus est. Sed nunquam fuit lege aliquâ permissum rapere, et bona sua tuentem occidere. Nunquam lege licuit fidem violare, pacta pro lubitu rescindere. Quandoquidem igitur dividit communis hominum intelligentia bonum et malum morale in aliquibus casibus, in rebus etiam minoris momenti discrimen esse colligendum est, licet propter rationis imbecillitatem illud cernere non valeamus; nedum concludere debeamus, ex eo quod non nisi difficilè determinentur conclusiones à principiis remotæ, idèò ambigua esse principia.

Quod verò spectat eos, quos Cicero vocat minutos philosophos, atheos omnes, scepticos, epicureos, quanta sit horum auctoritas supra expendimus, ubi de existentia Dei.

CONFUTATIO SPINOSÆ. — Objicies 2º cum Spinosa: Jus naturale uniuscujusque non tam sanâ ratione quam cupiditate determinatur. « Quidquid unusquisque sibi utile, vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetit, et quæcumque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocumque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet. Nam per jus et institutum naturæ nihil intelligi potest, quam regulæ naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum. » Atqui determinamur ad agendum ex appetitu et juxta leges appetitûs, etiam majori vi, quam ex sanâ ratione aut juxta leges sanæ rationis. Ergo jus naturæ cupiditate potius quam rectâ ratione determinatur. — Respondeo: Nego antecedens: duplex

quidem est vis animorum, ratio et appetitus; sed ea est facultas utriusque natura, ut ad rationem omnis pertineat auctoritas, appetitum verò illius imperio subditum esse necesse sit. Quippe ratio naturâ suâ dominium exercet, cujus vim in imperando tollere nequeas, quin etiam ipsam sustuleris: appetitus verò ubi affectat imperium naturam omnem pervertit; illius commotiones cæci sunt impetus, qui ad fines etiam versûs quos inclinat obtinendos ducere nequeunt; oportet illos coerceri quasi freno, ne fines omnes prætergrediantur. Ab appetitu etiam, ut notat Cicero, non modò animus perturbatur, sed etiam corpus: licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut libidine aliquâ aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur, appetitus omnes contrahendos, sedandosque, excitandamque animi animationem diligentiamque, ut ne quid temerè, fortuitò inconsideratè, negligentè agamus. » Appetitum igitur regere rationis officium est, jus est à naturâ ipsâ concessum; et quoties ullius appetitûs impetu contra ejus nitimur velitum, regem et à naturâ datum illud vitæ deserimus, partesque sequimur usurpatoris violenti, cui nulla competere potest auctoritas; cujus cum nulla sit gubernandi ars et prudentia in certam abripiet ruinam. — Ad confirmationem antecedentis respondeo: 1º Nego majorem: nam per jus et institutum naturæ humanæ non intelliguntur regulæ secundum quas homines ad agendum determinantur, sed regulæ secundum quas inviti agnoscunt se agere debere: non intelliguntur motiva electionis seu motiva omnia voluntatem ad agendum excitantia, quæ sæpè militant adversus rationem, sed motiva approbationis, quæ omninò diversa sunt. Hæc pertinent ad intellectum, sunt rationis judicia et dictamina conscientiæ, tam sancta quidem ut nullis possint corrumpi præmiis; quorum tanta vis est, ut impotentis appetitûs commotioni parere sine angore non possimus et inviti dicamus:

Video meliora proboque,

Deteriora sequor.

Motiva contra electionis, quæ militant adversus rationem, cæci sunt impetus, quibus mentes et corpora perturbantur, morbi sunt potius quam vivendi regulæ. Quid enim tam absurdum est quam regulam appellare, rem tam variam et multiplicem, quæ nunquam sibi constat et quæ perpetuò in contrarias partes dis-

trahimur. Certè de naturâ regulæ est, ut sit uniformis, constans, flecti nescia, et hæc qualitates solis dictatis rationis in rerum positis naturâ convenire possunt.

— Respondeo 2^o: Distinguo minorem: Determinamur naturaliter ad agendum ex appetitu et juxta leges appetitûs, id est, à principio verè naturali, et naturam sequimur minùs principalem quæ magistra vitæ esse nequit, concedo: determinamur ad agendum ex appetitu et juxta leges appetitûs, naturaliter, id est, à facultate cui à naturâ data est auctoritas, et agimus secundùm naturam perfectam aut adæquatè spectatam, nego. Ideòque aliquid dici potest naturale et fieri secundùm naturam diverso sensu. 1^o Naturale illud dicitur, quod ab interno principio oritur, quo sensu iracundia, invidia, et vitia omnia naturalia sunt: et hoc sensu homo eodem tempore secundùm et contra naturam agere potest, nam sæpè duabus passionibus in contrarias partes impellitur. 2^o Naturam dicimus illas propensiones, quæ majorem habent vim in homine; quæ cum plerùmque vitiosæ sint nisi ubi adjuvat divina gratia, dicimur naturâ mali, naturâ filii iræ. Juxta has duas acceptiones manifestum est naturam dici non posse legem. Sed 3^o alio prorsùs sensu dicere solebant Stoici supremum hominis finem esse naturam sequi atque in hoc virtutem positam esse: alio omninò sensu dicebat S. Paulus, *gentes naturaliter ea quæ legibus sunt fecisse et ipsos sibi esse legem*. Scilicet intelligebant naturam ad quam necessariò pertineret ratio et in quâ principatum obtineret: quæ propria est et adæquata humanæ naturæ notio. Nam per humanam naturam non est intelligenda quædam affectio particularis, neque etiam complexio promiscua et inordinata seu chaos quoddam diversarum facultatum, sensuum et affectionum: sed sicut in ideâ civilis constitutionis includitur partium subordinatio, ita et humana natura systema est facultatum diversas habentium functiones, et secum perfectè consentientium, inter quas ratio solum occupat: atque sicut destruitur civilis constitutio, sublata vel partium mutua concordia et subordinatione, vel auctoritate gubernante, sic etiam sublato variarum naturæ humanæ virium concentu, et in omnes auctoritate rationis, evertitur naturæ humanæ constitutio.

Juxta hanc acceptionem naturæ patet commotiones appetitûs contra rationem, in solio naturaliter collocatam, seditiosas esse et ab humanæ naturæ constitutione naturali esse pror-

sus alienas, ejusque perturbatrices; rectèque Stoicos divisisse vitia magis esse humanæ naturæ contraria, quàm sunt tormenta aut cruciatus, aut etiam mors: illa contra principalem hominis naturam sunt, ista inferiorem attingunt. Hæc omnia exemplo elucescent. Si animal aliquod brutum illecebrâ insecutum in apertam ruat perniciem, juxta naturam suam agit, quia naturalem sine providentiâ secutum est propensionem: sed si animal sagax et providum, uti est homo, in pravissam ruinam se rapi patitur, numquid humano ageret modo? An non potius modo abhorrenti à suâ naturâ, seu, quod idem est, minimè naturali? Ut ergo consistat Spinosæ dogma, ponendum est nullatenus esse homines à belluis naturâ disjunctos, illis non esse impositam ab ipsâ naturâ personam, magnâ cum excellentiâ præstantiâque animantium reliquorum.

Instabis cum Spinosa: Saltem potentiâ et cupiditate determinatur jus naturale, si non sapientium, eorum certè, qui rectam rationem ignorant et habitum virtutis nondum habent. Atqui hæc conditio est plerorumque hominum. — Distinguo majorem: Potentiâ et cupiditate determinatur jus eorum qui carent ratione, aut ejus dictata ignorant ignorantia naturali et invincibili, aut qui virtutis habitum neque habent neque habere possunt; concedo. Potentiâ et cupiditate determinatur jus eorum qui rationis sunt participes, aut qui ejus dictata ignorant ignorantia vincibili; aut qui virtutis habitum non habent, quia habere nolunt; nego. « Est enim, ut ait Cicero, unum jus quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una; quæ lex est recta ratio imperandâ atque prohibendâ, quam qui ignorat, is injustus est. » Certè si ignoret invincibiliter dictata rationis, neque virtutis habitum habere possit, homo non est; et ejus ut animantium ferocia vi subigenda erit.

CONFUTATIO EPICURI ET HOBBIJ. — Objicies 3^o: Nullæ sunt naturæ leges, si nulla sit hominum naturalis conjunctio, nec ad mutua officia à naturâ inclinentur. Atqui benè negavit olim Epicurus homines ad societatem natos esse; ejusque discipulus Hobbius rectè initio libri sui de Cive scripsit: « Illud axioma, hominem esse animal politicum seu ad societatem natum, à plurimis receptum, falsum est; errorque à nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est. » — Respondeo: Nego minorem: egregium certè impit systematis fundamentum! quod omnium philosophorum

et sapientium unanims consensus, omnium seculorum experientia, omnes cujusque hominis sensus atque facultates falsissimum ostendunt.

1^o Enim omnes è Lyceo, ex veteri Academia et ex Portuca philosophi omnes qui de officiis aut re politia scripserunt, hoc assumpserunt, esse hominem ad societatem natum : hoc posuerunt juris fundamentum, quòd homines sint propensi ad se mutuò diligendos.

2^o Hanc hominum congregationem naturalem atque necessariam efficit, hominis non tantum in ortu, sed in totà vità conditio. « Quid est homo, inquit Seneca? imbecillum corpus et fragile, nudum, suapte naturà inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum : cum benè lacertos exercuit, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victimæ, » etc. « Quo alio tuti sumus, inquit alio in loco, quàm quod mutuis juvamus officiis? Fac nos singulos : quid sumus? præda animalium et victimæ, vilissimus et facillimus sanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelâ sūt satis virium est : quæcumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit; non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit natura, quæ illum obnoxium cæteris validissimum facerent, rationem et societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur; societas illi dominium omnium animalium dedit, hæc morborum impetus arcuit, senectutî adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Illic fortes nos facit, quòd licet contra fortunam advocare. Hanc tolle, et unitatem generis humani, quâ vita sustinetur, scindes.»

5^o Experientiâ constat nullos uspiam fuisse à societate omni alienos : illa ad convictum et consociationem propensio, vel à teneris annis in pueris maximè conspicua est; adeò adhæret naturæ, ut Cicero affirmare veritus non sit, neminem esse, qui in solitudine vitam agere velit, ne cum infinitâ quidem voluptatum abundantâ (1). « Nec verum est quod à quibusdam dicitur, propter necessitatem vitæ, quòd, quæ

(1) Si quis in cœlum ascendisset, naturamque mundi et pulchritudinem siderum perexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, si aliqua cui narraret habuisset. Cicero de Amic. Nec me ulla res delectabit, licet evinia sit et salutaris, quam mihi uni sciturus sim. Si cum hæc exceptio detur sapienti, ut illam inclusam teneam, nec egoniam, rejiciam. Nullius boni, sine socio, jucunda possessio est. Sen. Ep. 6.

naturâ desideraret, consequi sinè aliis, atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem : quòd si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarent, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientiâ collocaret. Non est ita; nam et solitudinem fugeret, et socium studii quæreret : tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere » (de Offic. lib. 1, c. 44). « Quin etiam si quis eâ asperitate est et immanitate naturæ, ut congressus et societatem hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accipimus, tamen is pati non possit ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitalis suæ » (de Amic.).

4^o Ratio, confitente Hobbio, naturæ humanæ proprietas est, imò libro de Cive c. 2, art. 1 : « Est, inquit, lex quædam ratio, quæ cum non minus sit pars humanæ naturæ, quàm quælibet alia facultas vel affectus animi, naturalis quoque dicitur. » Sed rationis ea vis est, ut ostendat homini fines præstantissimos, mediæque ad fines consequendos aptissima, nihilque aliud est, quàm vitæ ars et prudentia. Præterea Hobbio quoque confitente, societas omnium bonorum fons est, et unicum malorum remedium quod suadcat prudentia. Ergo homines, si prudentes, si sapientes, si rationales naturâ sint, ad societatem ineundam esse naturâ pro nos necesse est; sibi que contradixit apertissimè, dum homines naturâ rationales, dixit ad societatem proclives non esse. Oportebat certè non rationem, sed dementia, sed furorẽ naturæ humanæ dicere proprietatem (1).

5^o Insitus hominum omnium animis naturalis justî atque iniqui sensus, meriti et demeriti conscientia ad promovendum aliorum hominum bonum naturaliter inclinant. Generosas et beneficas actiones tum in nobis, tum in aliis spontè probamus, et laudamus : crudeles et inhumanas, quæcumque ex illis arripiamus emolumenta, nequaquam probare possumus. « Quo fit certè ut detrachere aliquid alteri magis contra naturam sit, uti dicebant Stoici, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, aut

(1) Natura vi rationis hominem conciliat homini, et ad orationis et ad vitæ societatem : ingeneratque inprimis præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati sunt : impellitque ut hominum cœtus et celebrationes, et esse, et à se obiri velit : ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent et ad cultum et ad victum. Cic. de Offic. l. 1.

cætera quæ possunt corpori accidere aut rebus externis. Multo magis secundum naturam excellentias animi et magnitudo est, itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ, quæ quidem contemnere et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit conservandis, aut juvandis, maximos labores molestiasque suscipere, imitantem fletulem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in consilium cœlestium colloca- vit, quam vivere in solitudine non modò sine ullis modestiis, sed etiam cum maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longè illam vitam huic antepunit. Ex quo certè efficitur hominem naturæ obedientem, hominij nocere non posse. » Cum hoc sensu honesti et decori conjunctæ sunt propensiones et affectiones generosæ et gratitudinæ, quibus impellimur sine ullâ nostræ utilitatis consideratione ad beneficiandum.

6^o Ad bonum societatis promovendum inclinât ipsa philantia, seu sui ipsius amor. Interest quippe omnium rectè facere et aliorum studere commodis, uti jam notatum est, et tertio articulo mox demonstrabimus. Hic tantum observabimus utilitatem cum honestate contendere non posse. Nam cum nihil tam contra naturam sit quam turpitudine, quam crudelitas, nihilque tam secundum naturam quam utilitas ad quam quodammodò rapinur, certè in eadem re, sub regimine atque constitutione entis sapientissimi et optimi, utilitas et turpitudine esse non possunt.

7^o Denique omnes etiam corporis facultates hominem ad societatem natum esse manifestissimè ostendunt. Figuram corporis habilem et aptam humano ingenio dedit natura, et cum cæteras animantes abjecerit ad pastum, solum hominem quasi ad amplexum crexit. Tum speciem ita formavit oris, ut in eo penitus reconditos sensus detegat : oculi nimis arguti quemadmodum animo affecti simus loquuntur, et is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores. Mirâ etiam naturæ nostræ fabricâ plerique aliorum hominum affectus et passionis contagione quædam similes etiam in nobis excitare solent affectus. Multæ quoque sunt opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderatio vocis, orationis vis, quæ omnes humanæ societatis maxime conciliatrices sunt.

Instabis cum Hobbio 1^o : « Societates civiles sunt fœdera quibus sancientiis fides et pacta necessaria sunt : horum ab infantibus quidem et indoctis, vis ; ab iis autem qui damnorum à defectu societatis in experti sunt, utilitas ignoratur ; unde fit, ut illi, quia quid sit societas non intelligunt, eam inire non possint ; hi, quia nesciunt quid prodest, non curent. Manifestum ergo est omnes homines cum sint natî infantes ad societatem ineptos natos esse ; permultos etiam, fortassè plurimos, vel morbi animi, vel defectu disciplinæ per omnem vitam ineptos manere : habent tamen illi, tam infantes quam adulti, naturam humanam. Ad societatem ergo homo aptus, non naturâ, sed disciplinâ factus est. Porrò tametsi eâ conditione natus esset homo ut societatem appeteret, non sequitur eundem ita natum esse ut societati ineundæ sit idoneus ; alia res est appetere, alia capacem esse. Appetunt enim illi, qui tamen conditiones æquas, sine quibus societas esse non potest, accipere per superbiam non dignantur. » Hæc ex notulâ descriptissimus, quam Hobbius primo capiti de Cive affixit ad temperandam duriorum illam sententiam hominem ad societatem aptum non esse.

2^o Si esset quoddam societatis inter homines naturale vinculum, esset illud mutua benevolentia. Sed nulla est talis in hominibus affectio. « Nam si homo, inquit Hobbius, hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem, nulla ratio reddi posset, quare unusquisque unumquemque non æquè amaret, ut æquè hominem ; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate, ipsi potius quam aliis defertur honor et utilitas. Non socios igitur, sed ab illis honore, vel commodo affici, naturâ quærimus ; hæc primariò, illos secundariò appetimus. »

3^o « Quo consilio homines congregentur ex iis cognoscitur, quæ faciunt congregati. Si coeant enim commercii causâ, unusquisque non socium, sed rem suam colit : si officii causâ, nascitur forensis quædam amicitia, plus habens mutui metus quam amoris ; unde factio aliquando nascitur, benevolentia nusquam : si animi et hilaritatis causâ, solet maxime per placere sibi unusquisque in iis rebus quæ rursus excitant, unde possit (prout est natura ridiculi) comparatione turpitudinis, vel infirmitatis alienæ, ipse sibi commendatorem evadere. Etiam si autem hoc innocuum aliquando et sine offensâ sit, manifestum tamen est, delictari eos non prius societate, quam gloriâ

suâ. Cæterùm plerùmque in hujusmodi congressibus læduntur absentes, eorum tota vitæ ratio, dicta, facta examinantur, judicantur, condemnantur et dieteriis traduntur; neque parcelluntur ipsismet confabulantibus, quin idem patientur simul atque è consensu exierint; adeò ut non absurdum fuerit consilium ejus, qui à enâ confabulantium exire novissimus solebat. Atque hæ veræ sunt deliciae societatis, ad quas naturâ, id est, ab affectibus omni animanti insitis ferimur... Denique, ut loquar de iis qui profitentur præ cæteris sapere, si philosophiæ gratia coeat, quot homines tot sunt qui cæteros docent, nempe tot volunt magistri haberi; alioqui socios non modò, ut alii non se amant mutuò, sed odio prosequuntur. Clarum adeò est experientiâ omnibus, qui res humanas paulò attentius considerant, quòd congressus omnis spontaneus, vel egestate mutuò conciliatur, vel captandâ gloriâ. »

4° « Idem quoque colligitur ex ipsis definitionibus voluntatis, boni, honoris, utilis. Cùm enim societas voluntariè contrahatur, in omni societate quaeritur voluntatis objectum, hoc est, id quod videtur unicuique congregientium bonum sibi. Quidquid autem videtur bonum, jucundum est, pertinetque ad organa vel ad animum: animi autem voluptas omnis, vel à gloriâ est (sive benè opinari de seipso), vel ad gloriâ ultimò refertur; cætera sensualia sunt, vel ad sensuale conducentia, quæ omnia commodorum nomine comprehendì possunt. Omnis igitur societas vel commodi causâ vel gloriæ, hoc est, sui, non sociorum amore contrahitur. »

5° Non solum homines naturâ conjuncti nequaquam sunt, nec propensi ad se diligendos; verùm etiam sibi invicem naturaliter inimici sunt, statusque hominis naturalis est status belli, in quo homines in se invicem palam aut ex insidiis præoccupandis perpetuò intenti sunt. Bellum enim hoc naturale exoritur à tribus causis: 1° à competitione seu plurium appetitione unius rei; 2° à defensione, seu metu, ne alii nos aut res nostras invadant; quo metu impellimur ad alios vi et dolo præoccupandos; securitatis viam meliorem novit nemo anticipatione; 3° à gloriæ cupiditate, quâ propensi sunt homines ad belligerandum, ad comparandam rebus gestis famam. Ita enim disputat Hobbius in Lev. c. 15.

Respondeo inter illa Hobbiij argumenta alia ridicula esse, alia à re suâ prorsus aliena, alia verò sibi potiùs quàm nobis contraria: singu-

lis eâ quâ poterimus brevitate respondebimus. Primum Hobbiij argumentum petitum ex eo quòd homines nascentur infantes, pituresque ex ipsis morbo animi societatis nec cupidi nec idonei sint, ridiculum profectò est. Efficere sic potuisset etiam hominibus non esse naturalem rationem aut generandi vim: in infantibus quippe involutæ sunt istæ facultates, amentes verò et steriles illis per totam vitam carent. Cùm enim dicimus insitam esse à naturâ omnium hominum animis vitæ regulam, homines adultos intelligimus, quorum mens sana est in corpore sano.

Secundo argumentato nulla prorsus subest vis: licet enim homines mutuò adunentur benevolentia et naturaliter propensi sint ad se mutuò diligendos, tamen ille naturalis amor augeri variis modis potest erga aliquos ex familiaritate, ex communibus studiis, ex conjunctionibus naturalibus et propinquitate, ex acceptis beneficiis, ex virtutis opinione, denique ex variis relationibus, quæ cum ipsis habere possunt, quæ infinitæ sunt: hinc amor conjugalis, parentum in filios propensa voluntas, liberorum pietas, amicitia, commiseratio, etc., quibus ita homines adunantur, ut in alienis timeant periculis, in rebus aliorum secundis lætitiâ gestiant; nunc aliorum pudeat, aliàs eorundem factis superbiant. Nedùm certè illa in diligendis hominibus diversitas nullam esse ostendat in homine philanthropiam, maximum est illius indicium; nam nisi insita esset naturæ ad alios diligendos propensio, non exardesceret pro aliis studium ex levissimis causis, uti fit; ideòque Hobbianæ assertioni hanc oppono veritatem, nullum esse, tam obduratæ naturæ, qui hominem, quatenus hominem, odio habeat: frui improbitatis et iniustitiæ fructibus possumus; improbitate, crudelitate delectari non possumus (1).

Quæ argumento tertio continentur, levia profectò sunt, et si in accuratâ et diligenti naturæ humanæ exploratione in illa solummodò argumenta incidit Hobbius, ridiculè asseruit philosophos ante se omnes temerè pronuntiasse hominem ad societatem natum esse: ipsis certè perspecta erant humanæ naturæ vitæ: sed existimârunt absurdum esse, in iis affectibus ponere moralis disciplinæ fundamenta, qui à rectâ ratione improbantur, omnibusque

(1) Si nihil existimas contra naturam fieri hominibus violandis, quid cum eo differas qui omninò hominem ex homine tollit? Cyp. de Offic.

etiam sceleratis sunt odiosi et pudendi. Præterea sunt à re suâ omninò aliena, et nequaquam evincunt hominem societati aptum non esse : nam sic hoc argumentum conclusit, « Clarum adèò experientiâ quòd congressus omnis spontaneus vel egestate mutuâ conciliatur vel captandâ gloriâ. » Esto : ergo etiam vitia humanæ naturæ societatis vincula sunt, et homines à sapientiâ et virtute alieni ad congregationem et communitatem propensi sunt.

Quarto argumento eadem respondenda sunt. Concedimus Hobbio homines summo studio sua prosequi comoda, et confitemur jura civilia partim metu injusti inventa fuisse? num ex eo sequitur homines esse naturâ ferociôres lupis, ursis et serpentibus; eorum statum naturalem esse statum belli? inò rem nostram suâ conclusiône adjuvat Hobbius, ut in superiori argumento, dum definit societatem contrahi, tum commodi causâ, tum gloriæ. At nullo modo concedimus Hobbio nullum aliud esse bonum jucundum : aut si hoc concedere libeat, negabimus omne bonum jucundum contineri bono sensuali et gloriâ seu vanâ de se opinione. Existit enim bonum honestum, quod specie suâ ipsum per se delectat : jucunda in Deum pietas est; jucunda est in alios charitas; latissimus sensus est beneficentiæ, clementiæ, commiserationis, fidei, justitiæ, magnanimitatis; officiorum hisce subjectorum jucundissima est memoria. Virtus omnis etiam deserta à voluptate, inter labores, molestias, pericula, sibi sufficit, seipsâ contenta est : inò,

Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque, ferro.

Denique ad quintum argumentum respondeo, illud falsò supponere, in statu naturæ fore inter omnes homines competitionem, aut tantum metum et diffidentiam, aut tantam gloriæ cupiditatem. Deinde dato, quòd istis passionibus omnes homines commoverentur, nego tamen ex illis bellum esse inter homines oriturum. Denique dato etiam quòd ex illis contrariis appetitibus oriatur bellum, nego in illo bello omnia licere, nihil fieri posse injustum.

Primò. In statu naturæ non est naturalis et necessaria competitio nec mutui metus, nec in alios dominandi cupiditas. Non competitio : nam illa juxta Hobbium ex eo oriretur quòd unusquisque omnia appeteret; sed ad omnia appetenda nequaquam inclinamur à naturâ, ut mox dicemus ad proximam objectionem. Et ut ipse dixit, « modesti hominis est et vires suas

rectè æstimantis, permittere cæteris omnibus eadem omnia quæ sibi. » Deinde non ab hominibus homines naturaliter sibi metuunt, sed tantum ab improbis et quorum improbitas atroci aliquo facto comperta sit. Parcit enim naturaliter cognatis maculis similis fera, Indica tigris rabida cum tigride habet pacem, sævis inter se convenit ursis : homines naturaliter lupis, ursis et serpentibus ferociôres esse non concedimus. Primi navigatores invenerunt populos barbaros mites et mansuetos; quique hodiè nondum experti sunt nostram aut vicinorum sævitiam, à calliditate, à suspitione, à perfidiâ, à crudelitate gentium ad civilem cultum deductarum, quàm multàm distant! Infinita exempla sunt. Denique omnibus hominibus naturalis non est cupiditas gloriæ et dominii in cæteros omnes : ambitio nonnisi post constitutos honoris et dignitatis gradus incessit hominum mentes : in statu verò naturæ ubi hominum nulla erat nisi in propriis viribus fiducia, spes dominii nunquam ulli affulsit (1).

Secundò. Dato quòd unusquisque omnia appeteret, ab omnibus metueret (2), dominium in omnes ambi-ret et gloriæ cupiditate duceretur, nego tamen oriturum inter homines bellum. Nam certum est quòd oppositis affectibus ad pacem fortius inclinentur homines, quàm lis ad bellum. Dum igitur Hobbius ex harum affectionum consideratione pronuntia-vit bellum inter omnes oriturum esse, æquè ineptè et temerè conclusit, ac si quis bilancis inclinationem determinare vellet, cognitis solummodo ponderibus, quæ unicam ejus lancem premunt. Nos verò putamus abundè constare ex iis quæ supra dicta sunt, hominis facultates omnes atque propensiones majori vi ad pacem ducere quàm ad bellum : præcipuè cum in bello, fatente Hobbio, sit mortis violentæ periculum præsens et perpetuum, vita solitaria, indiga, bruta et brevis, adèoque in quâ nullæ voluptates nec etiam salus sperari possit (3). Sed, inquit Hobbius, dum aliorum studemus

(1) Le désir que Hobbes donne d'abord aux hommes de se subjugu-er les uns les autres, n'est pas raisonnable. L'idée de l'empire et de la domination est si composée, et dépend de tant d'autres idées, que ce ne serait pas celle qu'il aurait d'abord. *Esprit des Loix*, l. 1, c. 2.

(2) L'homme dans l'état de nature ne sentirait d'abord que sa faiblesse. Dans cet état chacun se sent inférieur; à peine se sent-il égal. On ne chercherait donc point à s'attaquer, et la paix serait la première loi naturelle. *Ibid.*

(3) Au sentiment de sa faiblesse, l'homme joindrait le sentiment de ses besoins... Il y serait porté d'ailleurs par le plaisir qu'un animal

commodis, nostra amittimus; dùm cum aliis benevolè vivere volumus, securi nequaquam esse possumus : « securitatis viam meliorem novit nemo anticipatione. » Falsæ sunt hæc Hobbiæ assumptiones et ab omni sensu alienæ. Major securitas est inter amicos, quàm inter hostes, inter eos qui ex beneficiis gratos habent erga nos animos, quàm inter eos, qui injuriis affecti vindictam quarunt. Sed actus benevolentia, comitas, benignitas, beneficentia, aliorum naturaliter provocant amorem, amicitiam conciliant, gratos excitant animi sensus, ex quibus affectibus magna exsurgit securitas. Contra actiones aliis noxiæ, malevolentia, invidia, crudelis Hobbiæ anticipatio concitant omnium odia et ad vindictam provocant; inter quos aliorum erga nos sensus nulla certè esse potest securitas.

Tertiò denique, etiã in statu naturæ ex hominum perversis affectibus oriretur bellum, falsò assumpsit Hobbius omnia in illo bello licita fore : nam inter potestates etiã belligerantes sunt servandæ leges naturales, quæ nunquàm silent et ad quas armorum strepitu nunquàm obscurdescere debemus, uti infra ostendemus.

Objicies 4^o, cum eodem : Non est jus naturæ, sed pactis constitutum : « Ubi non præcessit pactum, nihil fieri potuit injustum, nec cui-libet inferri injuria ; et vocabula *justum et injustum* ante potentiam civilem, quæ violationem pactorum ulcisci posset, usurpata non fuerunt. » Lev. c. 15. Ex quo principio concludit regulas boni et mali, justi et injusti, honesti et inhonesti esse leges civiles : idèoque quod legislator præceperit, id esse bonum ; quod vetuerit id malum esse, legemque nullam iniquam esse posse ; quoniam leges quæ imperant, justa faciunt imperando ; quæ vetant vetando injusta. De Civ. c. 12. — Respondeo cum Cicerone : « Si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, et scitis multitudinis probarentur. Quod si tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciant, ut quæ mala perniciosaque sunt habeantur pro bonis et salutaribus ? Aut cur cum lex ex injuriâ jus facere

possit, bonum eadem facere non possit ex malo ? Atqui nos legem bonam à malâ, nullâ aliâ nisi naturæ normâ dividere possumus : neque solùm jus et injuria naturâ judicantur, sed omninò omnia honesta ac turpia ; nam et communis intelligentia nobis notas res efficit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia ; ea autem in opinione existimare, non in naturâ posita, dementis est. » Deinde si nulla sit lex civilibus legibus anterior, quo nitetur fundamento principum auctoritas, quidve subditos, qui impunè contemnere principis imperia poterunt, coget ad obsequium ? Quænam esse potest perduellium et fœdifragorum culpa ? « Paciscentes, inquit Hobbius, proprio facto, propriâ voluntate obligantur : » certè remanet ipsis arbitrium et libertas suis viribus et facultatibus utendi quomodò libuerit ; fac illos velle ea pacta rescindere et violare, quæ antea inlerant ; quid impedit si possint impunè ? Audite ingeniosissimum philosophum : li qui pacta violant sibi contradicunt et id faciunt quod absurdum in scholis vocatur. « Est enim, inquit Lev. c. 14, in controversiis hominum injustitia similis ejus, quam in scholis absurditatem vocant. Sicut enim in iis, quæ initio supposita erant contradicere, absurdum, ita quod faciendum voluntariè susceperis irritum facere, injustum appellatur. » Et cap. 5 de Cive : « Est, inquit, injuria absurditas quædam in conversatione, sicut absurditas injuria quædam est in disputatione. » At cur sibi aliquis non contradicet ? « Quia hoc in sermone indignum est personâ disputantis, et in civitate ei non nimis conveniens est, qui civitatis membrum haberi vult. » Numquid non magnum reperit legibus civilibus præsidium ? At hoc ipsum præsidium est à lege naturæ, adeòque incredibilis est hujus auctoris vanitas : apud eum ex lege civili omnis nascitur obligatio ; deinde docet leges non esse violandas propter legem naturæ absurditatem prohibentem ; postremò ad vim magistratum recurrit et eorum leges, ut valere possint tum pacta civilia, tum lex rationis. Vide Ciceronem l. 1 de Leg.

Instabis cum eodem : Natura dedit unicuique jus ad omnia, unde nulla inferri potest injuria : nam jus nihil aliud est quàm potentia, seu libertas suis viribus et facultatibus utendi, ad id ergo omne extenditur, quod quis facere potest : quod adeò verum est, ut Deus ipse nullum habeat jus nisi ex omnipotentia. — Respondeo æquè ridiculam esse illam Hobbiæ assertionem, « unicuique competere jus in

sent à l'approche d'un animal de même espèce... Outre le sentiment que les hommes ont d'abord, ils parviennent à avoir des connaissances. Ibid.

omnia, » ac si diceret, aliquid simul esse et non esse, aut partem esse toto æqualem, aut hominem esse posse simul in omnibus locis. Quandoquidem dicere hominem jus habere completum ad aliquid, quod jure ad alium pertinet, est asserere jura esse posse contraria, seu quod eòdem redit, idem posse esse rectum simul et non esse rectum. Nam jus completum unius in suo conceptu includit negationem juris in quolibet alio; verbi gratiã, si unusquisque jus habeat ad propriam vitam et ad se tuendum, ergo nulli competere jus potest vitæ illius auferendæ. Uno verbo contra jus nihil jure fieri potest, sicut quod veritati repugnat verum esse nequit. Præterea, ut notat Cumberlandius de Leg. nat. pag. 217, « si impossibile sit singulis omnes et omnia sibi subjicere, ratio quæ hunc finem proponit singulis, qui uni tantum contingere potest, sæpius quàm millies proponeret impossibile et semel tantum possibile. » Longissimè verò distare notions juris et potentie, et jus regnandi in Deo non esse in omnipotentia, sed in sapientia etiam et bonitate situm supra divinus: ergo jus est libertas agendi, quam ratio probat.

Instabis cum eodem: Jus ex concessis est libertas agendi juxta rectam rationem. Atqui ante constitutionem civilem in statu naturæ ratio recta unicuique concedebat jus in omnia. Nam in statu naturæ jus erat unicuique, seu licuit unicuique omnia habere et facere, quæ unusquisque ad sui conservationem necessaria judicaret. Sed omnia habere et in omnes omnia facere unusquisque ad suam conservationem in statu naturæ necessariam judicabat. — Major hujus ultimi syllogismi sic ab Hobbio confirmatur: Unicuique jus est omnia possidere et facere in omnes, quæ judex et arbiter ad vitæ cujusque conservationem necessaria judicaverit. At quæ unusquisque in statu naturæ necessaria judicaverit, ea judex ad illius conservationem necessaria judicat: ipse enim in illo statu est judex solus de necessariis ad suam conservationem. — Minorem verò satis confirmasse se putat Hobbius dicendo, « ferri unumquemque in appetitionem ejus quod sibi bonum est, idque naturali necessitate, non minori quàm lapis deorsum fertur. »

— Respondeo: Nego tum majorem, tum minorem: 1º enim major propositio falsa est, quoniam justum et injustum, uti toties probavimus, non ex arbitrio pendet, sed in ipsâ rerum naturâ positum est. Potest igitur homo in statu naturæ falsè et temerè pronuntiare, ea neces-

saria esse ad suam conservationem, quæ reverà necessaria non sunt: ejusque judicium non magis ea reddidit justa quàm reddidit necessaria. Si quis in statu naturæ citatam herbam esse utilem, aut etiam necessariam ad corporis sui nutritionem judicaverit, atque ejus succo copiosè se ingurgitaverit, non idè salubre fiet alimentum, sed repugnante licet, illius judicis sententiã illi mortem afferet. Nec minus constans vis est eorum, quæ ad moralem vitam pertinent, nec mutantur sententiis hominum. Demonstrandum foret Hobbio in statu naturæ nullam esse judicii normam; nam si sit quædam ejusmodi norma, quodcumque judicium ab illâ dissentiet falsum erit, et actio consequenter injusta. Jam verò talem esse normam confiteri visus est ipse Hobbius, ubi jus definiit, libertatem agendi secundum rectam rationem (1).

Ridicula est majoris propositionis confirmatio ducta ex comparatione status civilis et status naturalis: in illo quidem sententiis judicium adhæremus, non quòd semper rectæ sint aut iniquæ esse non possint, sed quòd ad finem litibus imponendum et servandam pacem tales æstimari eas necesse sit; et quoniam illud malum privatum quod ex iniqui judicii exoritur longè eo minus est, quod oriretur si bello lites dirimerentur. At certè sententiã nec judicis nec principis eò usque valet ut rerum veritatem natura.

2º Neganda est etiam minor propositio, cujus falsitas jam satis ostensa fuit in responsionibus ad superiorem objectionem. Ad confirmationem verò dico, omnes quidem homines quærere beatam vitam, tamen nequaquam ex eo ellici unumquemque judicare omnia sibi esse necessaria. Certè ipse Hobbius cap. 1, 64, concedit nonnullos non esse ita ad omnia rapienda propensos. « Alius enim, inquit, secundum æqualitatem naturalem permittit cæteris eadem omnia quæ sibi, quod modesti hominis est, et vires suas rectè æstimantis. » Certè si secundum rectam rationem statuat, qui aliis sibi paria permittit, nullum jus sibi acquirere potest ex irrationali suo judicio, quisquis sibi omnia, velut ad sui conservationem necessaria, arrogaverit. Quin etiam si singuli homines in statu naturæ judicarent omnia sibi esse necessaria, liceret inde concludere rem ita esse: recta

(1) Est lex naturalis dictamen rectæ rationis circa ea quæ agenda vel omittenda sunt ad membrorum conservationem, quantum fieri potest, diuturnam. De Cive c. 2.

enim ratio non errat: sed contra experientiã constat, et Hobbins concedit omnia non esse necessaria; ergo recta ratio id non iudicat; et cum jus sit libertas agendi juxta rectam rationem, nullum ad omnia jus esse potest.

ARTICULUS II.

De legis naturalis divinã origine et immutabili naturã.

Hoc articulo duo disputanda sunt: primò utrùm lex naturalis diffusa in omnes accipiat divinam auctoritatem ab auctore Deo, quæ quæstio est de causã legis naturalis efficiente; deinde utrùm illa sit voluntatis divinæ arbitraria constitutio; quæ secunda quæstio est de essentiã ejusdem legis. Prima disquisitio parùm habet difficultatis; nam cum lex naturalis ad naturam rerum à divinã voluntate profectam pertineat, divinã dici debet, sicut divinã est omnis alia naturæ constitutio. Deinde à priori, ubi de Dei providentiã, confectum est Deum esse sapientem, bonum atque justum creatorum omnium moderatorem, maximè entium rationalium: adeòque legis naturalis, quæ ad sapientiam, bonitatem et justitiam instituit, certissimè inventorem et latorem esse. Secunda quæstio magni quidem momenti est, quòd ex legis naturalis immutabili naturã pendeat omnium entium rationalium communio et quædam cognatio: quippe si lex naturæ sit arbitraria constitutio, non erit necessariò in omnibus entibus uniformis; quod nobis justum, aliis iniquum esse poterit. Sed de eã hoc loco brevius disseremus, quia multa jam à nobis disputata fuerunt ad illam pertinentia, in ultimo argumento pro Dei existentia, in quo contra Protagoram, aliosque, æternas et immutabiles rerum naturas, earumque rationes defendimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Unus est communis magister et imperator hominum Deus; ille leges naturalis lator; et lex Dei majestatis reus est, qui illam contempserit.

PROBATIO. — 1º Argumentari licet à priori, ex omnibus Dei attributis, sapientiã, bonitate, justitiã et sanctitate, quibus imponitur Deo necessitas gubernandi suas creaturas modo naturis suis accommodato: neque imperio se abdicare potest, quin seipsum denegat et naturam suam aspernetur, ut confectum alio loco est, ubi de Dei providentiã.

Conficere etiam à priori possumus ex legum

naturalium convenientiã, tum respectu Dei, cui dignum est exercere in homines morate imperium, propterea quòd in hac administratione rerum magis eluceant divinæ perfectiones, præsertim morales; quòd in hac solã administratione locus sit mutuo foederi inter Deum et creaturam, religioni, pietati, et cæteris virtutibus moralibus, quæ Deo in opere suo gratissimæ esse debent (quæ etiam argumenta ibidem attigimus); tum etiam respectu hominis, cujus multum interest vivere sub imperio Dei morali, ob triplicem causam, nempe propter actionum humanarum naturalem efficientiam, arbitrii humani naturam et legum maximam utilitatem. Primò morale Dei imperium postulat natura actionum humanarum. Si illæ essent indifferentes, neque ullius boni aut mali efficientes, essent quidem leges quibus regerentur inutiles: at, ut constituta est rerum natura, omnes et singulæ actiones humanæ physicæ sunt bonæ vel malæ, id est, naturali vi producunt bonum vel malum physicum, videlicet perfectionem et felicitatem, vel imperfectionem et miseriam, sive suam, sive alienam, ut supra confectum est, ubi de qualitate actionum humanarum. Secundò leges morales postulat natura humani arbitrii: non essent quidem illæ necessariæ, si ea esset arbitrii humani natura, ut in illã semper ferret sese quæ sunt optima, et quibus potiri potest; sed si arbitrii licentiã longè major sit, possitque ferre sese ad impossibilia, seu ea quæ attingi nequeunt; si possit rejectis salutaribus pestifera quærere, planè necessaria est illi regula quædam, quã possibilia ab impossibilibus distinguat, ne perpetuò frustretur; et ut mala à bonis secernat, ne incautè perniciem sibi accersat. Atqui ex iis quæ supra disputata sunt de libertate, patet illam esse licentiam arbitrii ut possit sese ferre ad impossibilia, et ad pestifera æquè ac ad salutaria, propter illam quam habet in agendo facilitatem et voluptatem; imò quoque ferre sese contra ipsa legum præcepta et terrores. Tertiò bonum et conveniens homini est vivere, non in statu tumultuario et incerto, sed in ordine optimo et pulcherrimo, in quo rationes suas valeat deducere, prospicere futura, et cursum vitæ cum prudentiã instituere. Atqui ordo rerum nullus, neque naturalis, neque moralis, esse potest sine legibus et imperio. Tolle leges illas motas, quibus cohæret systema mundi, tota moles ruet, evanescetque omnis decor et pulchritudo universi: sic quoque nisi legibus quibusdam vita

humana moderaretur, quæ essent in omnibus hominibus uniformes, nulla esse posset in vitâ humana constantia : nullum inter homines vinculum, nullus concentus, nulla etiam fermè naturæ similitudo, quæ nonnisi ex legum naturalium in omnium hominum voluntates uniformi influxu oriri potest. Imò verò nulla est, neque concipi potest natura ad actionem nata sine legibus naturæ suæ convenientibus. Corpora parent legibus motûs. Bellæ sensationibus ducuntur, et quia in illis nulla est eligendi facultas ex objectorum impressionibus, juxta leges ab auctore naturæ positas necessariò determinantur. Creaturæ verò liberæ sors non patitur, ut bellarum more necessariò ad agendum inclinetur; sed tamen in tali indifferentiâ constitui non potuit, ut nulla esset ei vivendi ratio commendata à naturâ. At si sit quædam vivendi ratio, quam natura commendat, erit naturali lege devincta. Adedque cum Cicerone concludamus : « Nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. »

Tertium argumentum à posteriori. Primò, intellectus hominis est facultas merè passiva, ejusque judicia non ex arbitrio pendunt, sed divini sunt quodammodò afflatus : nam, ut ait auctor sacer, *inspiratio Omnipotentis dat intellectum*; si igitur ratio sit vera lex, ejusque dictata sint vera præcepta, erit certè ratio lex divina. Atqui præcedenti articulo demonstravimus rationem habere vim et potestatem legis, cui qui non paret ipse se fugit et naturam hominis aspernat. Secundò, colligitur à posteriori Deum regnare in homines per leges naturales ex multis divinæ gubernationis signis, præsertim ex manifestis Dei judiciis, et legum naturalium sanctionibus, de quibus articulo sequenti dicemus. Idem tandem colligitur ex omnium hominum consensione et insito animis divinæ gubernationis sensu; de cujus argumenti auctoritate diximus, ubi de existentia Dei. Canamus ergo cum Sophocle in *Œdipo* :

Leges
Excelsæ, cælestis genitor,
Quarum Olympus pater solus,
Neque illas mortalis
Natura hominum peperit,
Magnus est in illis Deus,
Neque senescit.

Objicies 1^o, cum Hobbio : *Lex divina est vox Dei imperantis clarè prolata vel scripta*, ita ut omnes qui obedire teneantur sciant vocem ejus esse. Atqui dictata rationis seu leges naturales non sunt vox Dei neque prolata neque scripta, nisi quatenus eadem à Deo in Scripturis sacris latae sunt. Nego minorem. Nam dictata rationis seu præcepta naturalia sunt vox naturæ; naturæ verò vox est vox Dei, non quidem quæ insonet auribus, sed quæ tamen clarissimè audiatur et ad quam absurdescere nequeamus. Imò hanc vocem Deo acceptam referunt spontè et naturaliter omnes homines; ipsum imperitantem et committantem audire sibi videntur; credunt omnes virtutis patronum esse et remuneratorem futurum, scelorum verò æquissimum vindicem. Neque sanè Hobbii levitatem satis mirari possumus, qui postquam c. 3, l. de Cive, ea posuisset, ex quibus confecta est objectio, c. 4, hæc habet : « Quæ naturalis et moralis, eadem et divina lex appellari solet, nec immeritò : tum quia ratio, quæ est ipsa lex naturæ, immediatè à Deo unicuique pro suarum actionum regulâ tributa est; tum quia vivendi præcepta, quæ inde derivantur, eadem sunt quæ à divinâ majestate pro legibus regni cælestis per Dominum nostrum Jesum Christum, ac per sanctos Prophetas et Apostolos promulgata sunt. »

Objicies 2^o cum eodem : *Doctrina hæc seditiosa est, et reipublicæ quatit fundamenta*, 1^o Quia civium erga principes obsequium minuit. Omne enim imperium civile metu et terrore, quem incutit imperantium potestas, constat et conservatur. Sed admissio regno Dei in homines per leges aliquas naturales, minuitur hic metus civilis imperii : metus et reverentia erga excellentiorem potentioremque naturam tollit metum et reverentiam erga potestatem inferiorem. 2^o Quia jus principum niuim circumscribit. Omnis quippe dominatus ejus est naturæ, ut dividi non possit. Si finibus non caret, nullus est. Sed si sint leges aliquæ divinæ diversæ à legibus civilibus, potestas civilis non est sine finibus. 3^o Quia tollit unitatem voluntatis et concordiam in civitate propositi necessariam. Omne enim corpus civile, omnisque respublica unus est homo arte factus ex multis constans hominibus naturalibus uni capiti subjectis, in quo una communis ratio est, una voluntas, conscientia una. Atqui doctrina de regno Dei per leges naturales privatum introducit de eo quod justum aut injustum est iudicium; tot constituit conscientias

et voluntates, quot sunt civitatis membra (1).

Respondeo hæc omnia esse vanissima, nullamque è contrario disciplinam aptiorem esse ad minuendam principum auctoritatem et ad excitandas, fovendasque seditiones, quàm est illa *Hobbii*, omniumque atheorum. Nam juxta horum placita hoc unum jubet natura, ut quisque omni arte, omni modo vitam suam atque membra conservet. Lex quippe naturæ est « dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad membrorum conservationem, quantum fieri potest, diuturnam. » Ad hanc membrorum conservationem constitutæ sunt civitates, quarum nullus alius finis est. Sceleratus ergo quisque, si illi pœnæ capitales à principe propter admissa crimina intententur, poterit consentienter legi naturæ rempublicam totam miscere, principem interficere et quocumque modo suæ salutis consulere : « quærenda sunt, ut idem *Hobbius* habet, belli auxilia, si pax haberi et vita conservari nequeat. » Et profectò legis primariæ, quæ jubet conservationem membrorum, ex quâ reliquæ omnes fluxere, major vis et potestas sit, necesse est; neque secundariæ ullæ leges sanctæ esse possunt, nisi quamdiù principem legem munit. Quo principio nihil civitati perniciosum magis excogitari potest.

Ad primam verò rationem respondeo primò, non solo metu imperantium contineri civile imperium : continetur scilicet lege naturæ, quæ civibus obedientiam et magistratibus justitiam imperat, cujus sine ullâ divinâ ratione quedam auctoritas est (2) : continetur metu et pietate adversus Deum, cujus personam sustinent principes. Tolle hæc imperii adminicula, solumque metum legum et judiciorum relinque, à nullo exigere poteris, ut pro salute principis vel republicæ se morti objiciat :

(1) Opinio eorum qui docent peccare subditos, quoties mandata principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exequantur, et erronea est, et inter eas numeranda, quæ obedientiæ civili adversantur. De Civ. c. 12. Civitas universaliter et in omnibus obedire obligatur. *Ibid.* c. 14. Si quæretur an obedendum civitati sit, si imperetur Deum colere sub imagine, coram illis qui id fieri honorificum esse putant, certe faciendum est. *Ibid.* c. 15. Sequitur ergo legibus illis, non *occeles*, non *machaberis*, non *jurabere*, *parentes honorabis*, nihil aliud præcepisse Christum, quàm ut cives et subditi suis principibus in quæstionibus omnibus circa meum, tuum, suum, alicuius, absolutè obedirent. *Ibid.*

(2) Virtutis et vitiorum sine ullâ divinâ ratione grave ipsius conscientiæ pondus est. Cic. l. 3 de Nat. deor.

nullum vinculum retinebit eos, qui peccare poterunt impunè. Falsum quoque propterea est, quòd religio minuat obsequium erga principes, cùm è contrario cives illis adjungat et contineat in officio, quando eorum majestas contemni et violari posset. Ergo sine dubio causam principum agimus, ubi docemus non solo terrore et violentiâ eos regnare, sed primùm æquitate naturali, deinde Dei metu eorum imperia firmata esse. Ad secundam verò rationem dico primò, jus infinitum, quale principi tribuit *Hobbius*, esse nullum, non in ipso Deo. Scilicet quod jure fit, id justè fit, seu æquitati consonat. Sed æquitas res est certis finibus conclusa. Si enim sit aliquid naturæ suâ justum et rectum, necesse est aliquid esse injustum et pravum, quod ideirco nulla auctoritas aliis jure præscribere potest. Ipsa Dei omnipotens voluntas æquitate vallata est : *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in viâ gressus suos : justitia et judicium præparatio sedis ejus*. Deinde nullum est jus principum ubi nulla est in subditis obligatio, hæc enim sunt duo correlata : sed absurdissimum est defendere subditos teneri ad infinitam obedientiam. Tandem ad quam rem utile esse potest, hoc infinitum jus concedere principi ? Ut possit nulla non scelera admittere et universum populum suo regimini commissum vexare vel delere. Ad tertiam autem rationem respondeo religionem homines consociare, *Hobbii* doctrinam eosdem dividere. Nam ut observavit *Plato*, « quod commune et publicum est, id conjungit et consociat; quod privatum, dividit et dissolvit. » Jam verò religio proponit hominibus commune bonum, docet anteponenda esse publica commoda privatis utilitatibus, pro salute imperii periculis et morti occurrentium esse, obtemperandum esse decretis judicium etiam cum suorum fortunarum ruinâ. Ex alterâ parte *Hobbius* negat ullum esse prosequendum cuique commune bonum, negat ullo officio homines esse inter se devinctos, omnia ad privatam utilitatem et libidinem referat, nullam aliam legem novit nisi eam quæ jubet membrorum conservationem : ex quibus sequitur quemque judicem esse eorum omnium quæ ad se pertineant, et jure posse tentare quæcumque sibi expedire judicaverit, veneno vel gladio tollere inimicos, rempublicam conturbare. Uno verbo, quamdiù cives religionis præceptis parebunt, ex unanimi boni publici prosecutione summus consensus efflorescit : quamdiù juxta præcepta *Hobbii* suis

studebunt utilitatibus, summa vigebit contentio; neque unquam ab illis expectanda erit illa legibus civilibus obedientia, quam conscientiae dictatis denegant; aut illa erga principem devota voluntas, quam Deo praestare nolunt.

PROPOSITIO II.

Lex naturalis, secundum essentiam considerata, sempiterna est et immutabilis, atque, ut loquitur Cicero, aeterna mens est omnia ratione cogentis Dei (1).

Lex naturalis est sempiterna et immutabilis, si illius praecipua sint posita in naturis rerum, naturae verò rerum sint sempiternae et immutabiles: atqui 1^o legis naturalis praecipua in rerum naturis posita sunt; nam nihil aliud sunt quam dictata rationis seu iudicia intellectus de rerum praecceptorum convenientia atque inconvenientia, ejusdem prorsus generis, ejusdem certitudinis et evidentiae, ac arithmeticae et geometricae veritates aut conclusiones quaevis scientificae. Nam in hac parte non differt moralis disciplina seu ethica, quae in evolvendis officiis versatur, à quacumque alià scientià. Arithmetica, v. g., versatur circa ideas numericas et in deprehendis numerorum rationibus tota posita est: geometria extensionis modificationes et abstractas corporum figuras contemplatur, et in earum similitudine aut dissimilitudine, aequalitate vel inaequalitate, proportionibus et mensuris invenendis, occupatur: sic etiam physica in potentiarum et causarum naturalium vires inquirat, earumque cum affectibus et naturae phaenomenis proportionem seu connexionem investigat: nulla denique est scientia inter eas, quae magis certae et evidentes habentur, quae in rerum considerandis relationibus non occupetur. Si igitur moralis disciplina, quae in deprehendis actionum humanarum regulis versatur, in componendis rerum ideis claris tota sit, idearumque moralium convenientias et disconvenientias tam feliciter investiget, quam scientia

(1) « Sapientia vapor est virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera... Candor est lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius. » Sap. c. 7. « Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra floret: nondum erant abyssi, et ego concepta eram... Quando preparabat caelos aderam... Cum eo eram cuncta componens... Et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo audite me: Beati qui custodiunt vias meas. » Prov. c. 8.

mathematicae, erunt certè rationis iudicia circa res morales, seu praecipua vivendi, ejusdem certitudinis et tam in rerum naturis posita, quam conclusiones quaelibet scientificae. Atqui 1^o ideae morales sunt aequè clarae atque distinctae, ac ideae numericae aut geometricae: distinguimus, v. g., amorem ab odio, gratitudinem ab ingratitude, fidem à perfidia, et caetera ejusmodi tam evidenter ac circulum à triangulo, aut numerum ternarium à binario. 2^o Idearum moralium convenientias aut disconvenientias multas intuitivè apprehendimus; sicut illarum idearum, quae objecta sunt matheos: sic, v. g., intelligo enti sapienti bono et omnipotenti obtemperandum esse; beneficiis gratum animum deberi, cum fido amico non esse perfidè agendum. Non minor est disconvenientia inter injuriam et beneficium, quam inter duos numeros aut duas diversas figuras: haud minus peccat contra rerum relationes, qui non colit Deum, vel non honorat parentes, vel qui innocenti injuriam infert, quam qui in computandis numeris scriberet his duo facere quinque. Ergo praecipua moralia ejusdem naturae sunt ac veritates mathematicae, et aequè posita in naturis rerum.

Praeterea actiones humanae circa quas versatur moralis philosophia, sunt causae physicae boni vel mali naturalis, et cum certis finibus necessariam habent connexionem: atque earum effectus tam clarè et certè cognoscuntur quam effectus potentiarum naturalium: sic, v. g., aequè certum est temperantiam conferre ad bonum corporis habitum conservandum, meditationem ad explicandas animi vires, fidem, gratitudinem, beneficentiam ad generis humani tuendam societatem, ac compertum est mechanicis pondera manere in aequilibrio cum suspenduntur ad distantias à fulcro ponderibus reciproè proportionales: nihil certè impedit quominus leges naturales enuntientur ut totidem theorematum sub hac formà: « Actus hic humanus ad felicitatem meam aliorumque communem praereliquis eodem tempore possibilibus maximè conducet. » (Vid. Cumberland, de Legibus natural.)

2^o Naturae rerum metaphysicae, quae ratione apprehenduntur sunt aeternae et immutabiles. Nam manifestum est res omnes cujuscumque sint generis, seu mathematicas seu morales, tales esse naturam suam, non alienius entis voluntate, neque posse omnino tolli à re aliqua essentiam suam. Nam quomodo rem sine propria essentia cogitabimus? Quomodo, verbi

gratiâ, rem rotundam sine rotunditate, circum-
 lum sine æqualitate radiorum à centro ad cir-
 cumferentiam, actionem bonam sine bonitate,
 honestam sine honestate? Potestne omnipo-
 tentis Dei voluntas hoc efficere? Et verò existit
 mens æterna et immutabilis, nempe Deus. At-
 qui mentem æternam et immutabilem cogita-
 tione complecti non possumus, quin simul co-
 gitemus æternas et immutabiles rerum essen-
 tias, atque necessarias earum rationes: nam
 illas tollere nequeas, quin simul sustuleris
 cognitionem et intelligentiam omnem, quæ nihil
 aliud esse potest in Deo quàm harum æternarum
 et immutabilium essentiarum, atque earumdem
 rationum perceptio: qui ergo ponit
 essentias rerum esse arbitrarias et relativas sup-
 positiones, quæ cognitionis principia esse non
 possunt, qui omnem scientiam cum Hobbio
 revocat ad sensum et experientiam, certè nul-
 lam relinquit æternam et immutabilem verita-
 tem, nec consequenter mentem æternam.

Objicies: Justum et injustum non sunt in
 rerum naturis posita. « Nam, ut ait Puffendor-
 fius, honestas et turpitudinis sunt affectiones
 actionum humanarum ortæ ex convenientiâ
 aut disconvenientiâ cum normâ seu lege. At-
 qui lex omnis est voluntaria superioris consti-
 tutio. Ergo honestas et turpitudinis actionum hu-
 manarum oritur à voluntariâ legislatoris con-
 stitutione, non in naturis rerum posita est. »
 Respondeo, nego minorem: nam est lex æter-
 na, constans et immutabilis, independens ab
 arbitrio divino, orta simul cum mente divinâ,
 posita in incommutabilibus rerum relationibus,
 quæque nihil aliud est quàm ipsa Dei sapientia.
 Ut enim sapientia divina dici possit et sit vera
 lex, sufficit quòd ipsius dictamina habeant
 præceptorum vim, à quibus nequeat divina
 voluntas deflectere: « non enim requiritur ad
 essentiam hujus legis ut à superiore feratur,
 aut ut præmissis et supplicis confirmetur; nam
 extrinseca legis commendatio ab auctore tunc
 non potest esse necessaria, ubi intrinseca ejus
 perfectio est absoluta, pertinetque necessariò
 ad naturam perfectissimam; neque egent dic-
 tamina divini intellectus sanctione per pœnas
 et supplicia, quæ propter intrinsecam volun-
 tati divinæ ad bonum propensionem violari
 nequaquam possunt. » Est igitur æterna lex
 in dictaminibus divini intellectus posita, ad
 quam non tantùm creaturarum rationalium
 actiones expendi possunt, et accipere ex suâ
 convenientiâ aut disconvenientiâ cum normâ
 illâ denominationes varias et oppositas; sed

etiam ipsi actus divini, quoniam huic legi
 conformes sunt, dicuntur justi et honesti:
 nam tolle hanc legem et finge Deum cum Spi-
 nosâ præditum infinitâ potentiâ, sed temerè
 et sine lege operantem, nulla esse poterit in
 illius entis actibus honestas. Hanc fuisse vete-
 rum philosophorum sententiam docet Cicero
 l. 2 de Leg. « Hanc video, ait, sapientissimo-
 rum fuisse sententiam, legem neque hominum
 ingenii excogitamam, nec scitum esse aliquod
 populorum, sed æternum quiddam, quod
 universum mundum regeret, imperandi pro-
 hibendique sapientiam: ita principem legem
 illam et ultimam, mentem esse dicebant omnia
 ratione aut cogentis aut vetantis Dei.... Neque
 enim esse mens divina sine ratione potest, nec
 ratio divina non hanc vim in rectis pravisque
 sciendis habere... Nec si regnante Tarquinio
 nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco
 non contra illam legem sempiternam Sextus
 Tarquinius vim Lucretiæ attulit: erat enim
 ratio perfecta à rerum naturâ et ad rectè faci-
 endum impellens et à delicto avocans; quæ non
 tùm demùm incipit lex esse cum scripta est,
 sed tùm, cum orta est; orta autem simul est
 cum mente divinâ. Quamobrem lex vera at-
 que princeps, apta ad jubendum atque vetan-
 dum, ratio est recta summi Jovis. »

Instabis 1^o: Atqui denominantur actiones
 honestæ vel inhonestæ ex convenientiâ vel
 disconvenientiâ cum legibus voluntariis et po-
 sitivis. Nam honestas et turpitudinis nascitur
 ex obligatione quæ per legem inducitur; illud
 honestum dicitur quod licitum est, quod debi-
 tum, quod officii est. Atqui omnis obligatio
 imponitur voluntate superioris imperantis, nec
 ulla cogitari potest sublato superioris imperio;
 sic tolle Deum, nulla est legum naturalium
 obligandi vis. Ergo. — Nego minorem: est
 quippe quædam naturalis obligatio fundata in
 ipsis rerum naturis, quâ devinctum cogita-
 mus Deum ipsum, et quâ sublata nullam oriri
 potuisse, nisi externam, intelligimus, ex ar-
 bitrariâ entis cujuscumque institutione. Pos-
 set quidem ens viribus præpollens cogere ad
 obsequium, posset præmiorum pollicitatione et
 comminatione pœnarum ad obedientiam addu-
 cere; sed coactio non est propriè dicta et per-
 fecta obligatio, uti supra dictum est: atque
 illa obligatio exterior, quæ ex spe præmiorum
 aut suppliciorum metu oritur, ab utilitate
 uniuscujusque propriâ et amore sui naturali
 potius repetenda foret, quàm ex voluntate im-
 perantis; quia si nulla esset antecedens natu-

ralis obligatio voluntati illi obtemperandi, non nisi propriâ utilitate commoveremur, nullo modo ex officii sensu. Igitur, si diligentius obligationis originem et causas exploremus, reprehendemus quod in illis etiam legibus, quæ positivæ dicuntur ratione materiæ, seu quibus res naturâ indifferentes præcipiuntur, non sola legislatoris voluntas efficiat, ut quæ illis rogata sunt justa fiant et debita, aut ut obligatio aliqua interna et propriè dicta inducatur; sed naturalem potius justitiam alteri quidem jus et auctoritatem imperandi jubendique res indifferentes conferre, alteri officium obediendi imponere. Atque ideò non quàm fuit lege aliqua rogatum, ut hæc vel illa res justa vel injusta fieret, aut ut homines ad obediendum obligati essent; sed jubent ut hoc vel illud aut fiat aut omittatur: non quàm legislator aliquis jus suum imperandi, civiumque parendi officium lege constituit arbitrariâ. Nam foret prorsus ridiculum ejusmodi edictum, quia aut cives ante legis illius rogationem obligatione devincti erant, aut nullâ omnino tenebantur: sin primum, lex inutilis est; sin secundum, nullam vim habebit lex ad obligandum, cum nulla sit in latore auctoritas. Quamobrem patet solam legislatoris voluntatem obligationis causam non esse, ejus originem altius esse repetendam et in ipsis quærendam rerum naturis (1).

Instabis 2^o: Evertitur in præcedenti responsione discrimen ab omnibus jurisconsultis positum inter jus naturale et voluntarium. Illud in rerum naturis fundatum dicitur, hoc voluntate determinatur: scilicet omnes continentur res prorsus indifferentes ante legis positivæ rogationem fieri ex mandato legitimo justas vel injustas. — Respondeo, nullam legem positivam, à quocumque fuerit legislatore, tacere posse ut res quædam bona vel mala fiat, justa vel injusta, quam non ipsa natura talem fecerit. Etenim res indifferentes, tametsi lege præcipiantur, etiam divinâ, ipsæ tamen in se ipsam manent quod antea fuerant; quoniam, ut ait Aristoteles, « voluntas mutare nequit naturam »: quæcumque naturâ suâ sunt indifferentia, ea talia sunt æquè constanter et perpetuò ac ea quæ justa vel injusta sunt. Omnis

(1) Illa obligatio, naturalis quidem et necessaria, reverè non nisi ex voluntate necessaria atque necessario sapientissimâ Dei, simulque vel eo ipso ex rerum essentiali seu naturâ suam ducit originem. Alter si quando intelligatur, id fit per modum abstractionis, ex quo nihil ad realem existentiam concludere licet. — P.S.

laus, omnis justitia, omnis virtus eorum, qui positivis legibus libenter obtemperant, resque ab aliis institutas observant, quia jubentur à legitimis superioribus, non à materiâ ipsarum actionum proficiscitur, sed ab earum formâ, seu ex eo quòd justè imperanti libenter et spontè obsequuntur: sicut ille qui rem aliquam, de quâ nihil jure naturali sancitum est, propterea facit, quia vel pacto, vel promisso semetipsum obligavit; non ideò laudabilis est, quòd illam actionem perficiat, sed hoc unice nomine quòd fidei datæ memor sit. Quapropter voluntas legislatoris cum leges rogat positivas, vel propriâ nostra voluntas cum pollicemur aliquid, non novam aliquam rem moralem producit, sed legem ipsam naturæ quæ imponit civibus parendi officium, quæque violare fidem datam vetat, diversâ ratione moderatur et applicat. Proindeque nec aliena nec nostra voluntas nova justa et debita parit, sed impellit nos tantum ut in talibus actionibus promissis nostris vel legitimis aliorum mandatis obsequamur, quod impetrare à nobis debet naturalis justitia, quæ profectò si nulla esset, nunquàm ex lege positivâ fieri posset ut res ulla esset bona vel mala, aut ulla alia moralis nasceretur obligatio, nisi illa exterior ex præmissis et poenis. Ex his, quæ duabus propositionibus probata sunt, sequitur quamdam esse inter homines et Deum societatis communionem, civisque esse non magnæ reipublicæ, cujus rector est et gubernator Deus, juxta magnificam Platonis et Stoicorum doctrinam, quam pluribus in locis exposuit Cicero præsertim lib. 1 de Legibus. « Est igitur, ait, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in Deo, prima hominis cum Deo rationis societas: inter quos autem ratio, inter eosdem ratio communis est. Quæ cum sit lex, lege quoque associati homines cum diis putandi sumus: inter quos porrò est communio legis, inter eos communio juris est; quibus autem hæc sunt inter eos communia et civitatis ejusdem habendi sunt. Si verò iisdem imperiis et potestatibus parent, multò etiam magis parent huic cœlesti descriptioni mentique divinæ et præpotenti Deo; ut jam universus hic mundus, una civitas Deorum atque hominum existimanda, et quod in civitatibus ratione quâdam agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum naturâ tantò est magnificentius tantòque præclarior, ut homines Deorum agnatione et gente teneantur. »

ARTICULUS III.

De legis naturalis sanctione.

Articulo primo ostendimus esse legem naturæ nostræ congruentem et diffusam in omnes, cui qui non paret ipse se fugit et naturam hominis aspernatur: ex quo conclusimus nos ad virtutem à naturâ excitari et etiam interius obligari independenter à consideratione legislatoris Dei, aut pœnarum et præmiorum legibus naturalibus adjunctorum. Ex iis quæ secundo articulo disputata sunt, magna accessit vis legibus naturalibus, scilicet, cum demonstratum sit jus naturale à Deo constitutum esse, neque ab arbitrariâ illius voluntate profectum, sed æterni numinis mentem esse immutabilem, ad illius observationem inclinare debet erga supremum civitatis moderatorem pietas et reverentia, impellere etiam propriæ excellentiæ cogitatio: nam, ut ait Cicero, « quis cogitare potest aliquid se habere divinum ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum esse, quin tanto Dei munere dignum aliquid semper, et faciat, et sentiat? » Verum potissimum ex iis, quæ hoc articulo à nobis disputanda sunt, pendet legis naturalis, non quidem obligandi vis moralis et interior, sed cogendi vis physica et obligatio exterior. Inquirendum scilicet est in sanctionem legi naturali adjunctam, seu quænam sit illius ad beatam vitam efficientia.

Omnes homines naturali propensione suæ student felicitati, et in omni vitæ ratione instituendâ, quantumvis variâ atque dispari omnes beatam vitam quærunt; idque faciunt, non quia depravatî, sed naturâ incorruptè atque integrè judicante. Quocirca si lex naturalis non elliceret beatam vitam et ad solidam felicitatem duceret, ejus præcepta eisi divinâ confirmata auctoritate amitterent vim, et à creaturis naturaliter ad quæstum voluptatis inclinatis semper contemnerentur, atque naturâ à nobis ipsis dissidentes in contrarias partes distraheremur. In hoc igitur articulo ostendere debemus in honestate et pietate sitam esse omnem vitæ prudentiam; virtutem unicam esse ad felicitatem viam. Cum vario et multum inter se dissidente hominum genere nobis hic erit disputandum; cum Aristippo primùm et suis, contra quos statuimus etiam in hâc vitâ quærendam esse in virtute summam felicitatem; deinde cum Stoicis, contra quos asseremus virtutem ad beatam vitam in hâc præsentî conditione seipsâ non esse contentam, imò ad ærumnas quandoque et miserias ducere;

tandem cum Deistis quibusdam, contra quos conficiemus non esse hujus conditionis mortalis limitibus circumscriptam vitam hominum, sed post mortem sua manere virtutem præmia, vitium autem supplicia.

PROPOSITIO PRIMA.

Leges naturales præmiorum et pœnarum sanctione ita sunt à legislatore Deo confirmatæ, ut etiam in hâc vitâ salutaris virtutis efficientia valdè evidens sit et hominum intersit illâ sese addicere.

PROBATIO. — Nam virtus seu constans legum naturalium observatio est omnis boni aut immediatè et per se effectrix, aut illius ab aliis meritoria: vitium verò è contrario naturali efficientiâ ducit ad ærumnas et miserias. Omne quippe bonum nostrum atque felicitas oritur vel ex conscientia vacuâ omni ægritudine, gratisque animi affectionibus; vel ex jucundis sensationibus seu propria, seu alienâ operâ excitatis: mala autem omnia ad angores mentis revocantur et ingratas sensationes, quas nostra imprudentia, aut aliorum malevolentia nobis procreat. Atqui 1º quòd virtus conciliat conscientie pacem et tranquillitatem, mentemque jucundissimâ perfundat suavitate: quòd vitium naturaliter generet angores mentemque exedat ægritudinibus, omnibus experientiâ notum et in confesso est: neque mirum profectò, cum virtus nihil aliud sit quàm constans voluntas rationi et dictaminibus conscientie obtemperandi, sibi que propterea virtutis assecuta semper constet; è contrario vitium nihil aliud sit, quàm contra rationem et conscientiam agere, vitioque mancipatus secum ipse divisus sit, et ex partibus dissentientibus compositus. Jam verò quàm gravia supplicia sint mentis ægritudines, sequentia sapientum testimonia comprobabunt: « Animus impurus, ait Seneca, diis hominibusque infestus, nec vigilis nec quietibus sedari potest: ita conscientia mentem excitat vastat. » « Scelerum in homines, ait Cicero, atque impietatum nulla expiatio est: itaque pœnas luunt non tam judicis, (quæ quondam nusquam erant, hodiè multifariam nulla sunt, persæpè falsa sunt) ut eos agitant insectanturque furie, non ardentibus tædis, ut in fabulis, sed angore conscientie fraudisque cruciati. » Juvenalis verò satyrâ 13:

Cur tamen hos tu

Evasisse putes, quos diri conscia facti

Mens habet attonitos et surdo verberè cædit,

Occultum qualente animo tortore flagellum?

Pœna autem vehemens ac multò sævior illis,

Quas aut Cæditijs gravis invenit aut Rhadamanthus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Ipsam etiam impurissimam Epicuri scholæ
patronum Lucretium conscientiam habemus,
qui impios etiam atheos negat esse gravissimis
conscientiæ angoribus solutos :

Extorres iidem patriâ longæque fugati
Conspectu ex hominum, fœdati crimine turpi,
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt.

Imò Epicurum ipsam dicere solitum fuisse
legimus, felicitatem à virtute separari non
posse: ille in extremis positus gloriabatur, « se
vesicæ et exulcerati ventris tormenta tolerare
ulteriorem doloris accessionem non recipien-
tia; esse nihilominus sibi illum diem beatum
propter animi lætitiâ è memoriâ rationum
inventorumque suorum natam. » Quòd si tan-
tus fuerit huic philosopho lætitiæ sensus ex
vitâ ad sobrietatem institutâ et ex recollectione
suorum inventorum, quantis deliciis perfundi
oportet eos, qui ad divini numinis voluntatem
se studiosè composuerunt, expectantque à be-
neficio remuneratore bonorum operum maxima
præmia? Ex his saltem sequitur justum hanc
semper consequi felicitatis partem, quòd
mente gaudeat pacatâ et tranquillâ; quam
pacem impii et scelerati habere non possunt,
quia ut civitas in seditione beata esse non
potest, nec in discordiâ dominorum domus,
multò minis animus à seipso dissidens, se-
cumque discordans, gustare partem ullam li-
quidæ voluptatis potest.

2º Virtus propriâ et naturali efficientiâ nostra
promovet commoda, sive consideretur quate-
nus in vitâ privatâ instituendâ occupatur, sive
quatenus instituit vitam hominum ad statum
civilem et religionem. Nam primò virtus qua-
tenus in vitâ privatâ moderandâ occupatur,
nihil aliud est quàm prudentia et constans
studium propriæ perfectionis et felicitatis: sic
temperantia virtutis habitus est, quia ad sani-
tatem servandam corporis producendamque
vitam multum conducit: intemperantia vitium
est, quia corporis habitum vitiat, mor-
bos generat, vitam efficit breviorum. Sic
etiam gravitas habitus virtutis est, quia
multum conducit ad felicitatem delibera-
tio et maturum in agendo consilium: levi-
tas contra vitium est, quia dum temerè et
inconsideratè ferimur, sæpè impingimus et in
mala non prævisa ruimus. Sunt ergo actus
virtutis in vitâ privatâ felicitatis et perfectionis
causæ immediatæ; vitium in ipsâ suâ notione
includit vim nocendi, seu novitum naturâ est.

Deinde actus virtutis quatenus alios respiciunt,
naturali quoque efficientiâ nostra promovet
commoda. Inprimis quia virtute stat hominum
societas; illâ sublata hominum cœtus nullus
esse potest: sunt ergo in virtutem refundenda
magna et multa societatis commoda. Deinde
virtutis est conciliare sibi animos hominum et
ad usus suos adjungere: nam ex opinione vir-
tutis nascuntur in aliis hominibus illi sensus,
quibus naturaliter propensi sunt ad eos dili-
gendos et honorandos qui virtutem colunt:
« Beneficâ voluntate, ut scribit Cicero, bene-
volentia movetur, etiamsi res fortè non suppe-
tit: vehementer enim amor hominum solet
commoveri ipsâ famâ et opinione liberalitatis,
beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque ear-
um virtutum, quæ pertinent ad mansuetu-
dinem morum et ad facilitatem. Etenim illud
ipsam quod honestum decorumque dicimus,
quia per se nobis placet, animosque omnium
naturâ suâ et specie commovet, idcirco illos
in quibus eas virtutes esse remur, à naturâ
ipsâ diligere cogimur. » Fides quoque, sine
quâ nulla potest esse familiaritas aut societas,
virtute conciliatur, justitiâ maximè: illis enim
solummodò nos committimus nostrasque for-
tunas, in quibus nulla est fraudis aut injuriæ
suspicio. Denique laus, honos, gloria, virtuti-
bus præsertim comparantur; nam illos solet
laudare homines et honore dignos putare, quos
suspiciunt et in quibus existimant se excel-
lentes quasdam et singulares virtutes perspicere.
Longè diversi est vitii et injustitiæ opinio
nascuntur sensus, odium scilicet et metus, qui-
bus homines commoventur ad suam querendam
salutem in eorum, quos oderunt, interitu:
« Quem metuunt oderunt, quem quisque odii
perisse expetit, » ut dicebat Ennius. Vitium
quoque consequuntur infamia et contemptus.

3º Virtus nobis conciliat Deum, à quo omninò
pendet sors nostra et conditio, virtutisque
actus esse erga Deum merita naturaliter pu-
tamus. Jam verò quamvis vanum esset illud
naturale augurium seculorum futurorum, in
quibus bonis gaudia, et malis supplicia reposita
sint; tamen illa præsentio et expectatio maxi-
mam habet vim ad efficiendam beatam vitam.
Contra verò, quamvis future pœnæ tantum
possibile considerentur, ingens tamen remanet
periculum, tantumque illud est, ut etsi in
hâc vitâ omnia alia mala virtutem comitari-
entur, voluptates omnes vitium stiparent; relin-
queret tamen illa spem æternæ et infinite
felicitatis, quam hoc auferret; tolleret illa pe-

riculum magnæ et interminatæ miseris, quod hoc relinqueret. Insanum esse oporteret eum, qui in eam partem non inclinaretur, in quâ nullum mali periculum, imò boni maximi expectatio, vel qui anteponecret fluxas et caducas voluptates cum periculo interminatæ miseris conjunctas, minoribus deliciis spem infinitæ felicitatis relinquentibus (1).

Objicies 1^o: Si majora essent virtutis præmia, quàm vitii, aut si virtus naturali efficientiâ tam salutaris esset, vitium tam noxium, affluerent boni semper deliciis, mali æternis conficerentur. Atqui experientiâ omnibus notum est homines improbos abundare sæpè omnibus copiis, summisque frui voluptatibus, dum boni malis omnibus afflicti vivunt. — Respondeo. Distinguo majorem: affluerent deliciis semper boni, et mali æternis conficerentur, si nulla essent fortunæ bona vel mala, si nostra felicitas ab aliis hominibus, persæpè improbis, non penderet, concedo; secus, nego. Igitur præter animi lætitiis et illa bona, quæ virtutis præmia naturalia esse diximus, alia sine dubio sunt vera bona, quæ nullâ industriâ aut consilio à bonis acquiri possunt: sunt etiam præter naturales criminum pœnas mala quædam, quæ nullâ arte vitari possunt. Hæc quoniam ex divinâ providentiâ contingunt juxta leges nobis ignotas, fortunæ adscribuntur. Talia sunt paupertas, ignobilitas, humilitas, graves dolores corporis, infirma valetudo, debilitas, cæcitas, amissio suorum, interitus patriæ, servitus, etc. Sed hæc fortunæ mala et contraria bona, quæ honestis et improbis indiscriminatim obtingunt, non sunt hic computanda, sed ea tantùm quorum vitium aut virtus per se effectrix est. Adeoque non est confidendus impius, cui afflavit fortuna, cum honesto viro fortunæ malis omnibus affecto: sed uterque, si vim virtutis et vitii ad efficiendam beatam vitam intelligere velis, iisdem donandus aut privandus fortunæ bonis et in eadem collocandus conditione. Nego in hæc hypothesi improbum feliciter fore quàm bonum. Præterea animadvertendum est ad virtutem propriè pertinere ea bona, quæ mali virtutis simulatione sibi comparant, videlicet aliorum hominum benevolentiam et existimationem: Hæc etenim non consequuntur quatenus impij et inhonesti sunt, sed propter externam virtutis speciem; consequenter virtuti non vitio tribuuntur. E contrario illa mala quæ bonis

obtingunt ex calumniâ, aut ex falsâ vitii opinione, ad vitium pertinent; nam ab ejus specie accepta ad illud referri debent.

At, inquires, ad virtutem via ardua et difficilis ab omnibus habetur, in prærupti montis apice collocatur, ad vitia verò plana via est et facilis. Deinde virtus avocatur à voluptate: illus alumni appetitum inprimis moderari student, cupiditatibus modum ponere: vir bonus non sibi vivit, sed aliis, et aliorum causâ non solùm voluptatibus valedicit, verùm in se molestias maximas suscipit; constitutum est apud eum famulari virtuti etiam inter scopulos et fluctus vocanti: malus verò sibi res, non se rebus subjungere conatur. — Respondeo viam ad virtutem respectu eorum, qui vitiorum habitus contraxerunt, arduam quidem esse; non verò difficilem esse respectu eorum qui nondum sunt depravati, et benè Seneca sciipsit de Irâ l. 2, c. 13: « Non ut à quibusdam dictum est arduum in virtutes et asperum iter est: plano adeuntur. Non vanæ vobis auctor rei venio. Facilis est ad beatam vitam via: inite modò bonis auspiciis, ipsisque diis benè juvantibus. Multò difficilior est facere ea quæ facitis. Quid enim quiete otiosus animi, quid irâ laboriosus? Quid clementiâ remissius, quid crudelitate negotiosius? Vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno voluntur. » Deinde falsum est virtutem avocare à lætitiis et jucunditatibus, imò multa nobis conciliat à quibus removere vitium solet. Quos in hæc controversiâ appellare judices doceat? An sapientes, quorum rectum judicium et sana mens? An illum

Cui stupet insanis acies fulgoribus, et cui
Achelois falsis animus meliora recusat?

Si sapientes, ut par est, omnes cum Socrate execrantur eum qui primus utilitatem ab honestate sejunxit, pronuntiantque luxuriosos et flagitiosos pessimos esse rerum astimatores, et arithmetice imperitissimos; clamabat ipse Epicurus, et non posse jucundè vivi, nisi sapienter, honestè, justèque vivatur: nec sapienter, honestè, justè, nisi jucundè. Hujus tam communis apud omnes sententiæ causæ in promptu sunt. Scilicet aliæ sunt voluptates animi, aliæ corporis: ad animum pertinent illæ omnes lætitiæ, quæ ex peccatâ conscientiâ, ex honestis officiis, ex bonis studiis, ex nostrorum meritorum opinione, et ex aliorum existimatione oriuntur: ad corpus pertinent illæ voluptates, quæ in sensuum commotione

(1) Vide Isocratem orat. de Permut. Juvenalem sat. 13. Arn. l. 2, init. p. 21, ed. in fol.

positæ sunt. Animi verò lætitiis potiores esse probat apud Ciceronem Torquatus Epicureus, quòd trium temporum particeps animus sit: corpore autem præsentia solùm sentiantur. Quod etiam confirmari ex eo potest, quòd animus in homine præcipua pars sit et in præcipua ejusque animantis parte ponenda sit ejus perfectio et felicitas: quòd in voluptate corporis essent omnia, longè multùmque superaremur à bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios, varièque abundantes nihil laborantibus; nobis autem vix suppetunt multo labore quærentibus. Jam verò vir bonus, uti ex supra dictis satis patet, gaudet maxime animi deliciis; malus solas habet voluptates cum bestiis communes, quæ humiles sunt suâ naturâ et sæpè celandæ, quæ citò fluunt, quas excipit satietas et lædium, quarum insuavis est recordatio, quæ nihil habent nobile et gloriosum quo graviora vitæ incommoda aut ærumnæ compensentur. Falsum quoque est luxuriosos magis abundare corporis voluptatibus, si hoc admittatur verissimum principium, eas voluptates vera esse mala, quæ majoris doloris efficiunt sunt; eos contra dolores bona esse, quæ majoris voluptatis causæ futuræ sunt: nam reverà boni lege naturali avocantur solummodò ab iis voluptatibus, quæ amaræ sunt, quæ sine interiori ægritudine, sine ignominia gustari nequeunt, vel quæ fatales futuræ sunt. Ideò quamvis exercitationes virtutum in juventute molestæ essent, propter mirificos quos afferunt in ætate magis provecti fructus, suscipiendæ sunt: et intemperantia, cum effœtum corpus tradat senectuti, sine dubio fugienda est: hocque ipsi confiteri solent libidinosi et intemperantes.

Cùm lapillos chiragra

Frægerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.

(Pers. sat. 5.)

Concludamus igitur cum Tullio: « Pervertunt homines ea quæ sunt fundamenta naturæ, cùm utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expectimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter illo modo possumus. Nam quis est qui utilia fugiat? Aut quis potius qui ea non studiosissimè persequatur? Sed nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia quærere. »

Objicies 2^o cum auctore libri qui inscribitur *Apum fabula*. Non tam virtute stant et florent

republicæ, quàm civium intemperantiâ; experientiâ enim compertum habemus privatorum vitia publica esse beneficia et ad vires ac potentiam imperii promovendam multùm conferre: illud enim est utile societati et rempublicam florentem efficit, quod illius auget vires ac redditus, promovetque industriam. Atqui vitia augent reipublicæ redditus, videlicet profereundo commercia, et celeriori mercium consumptioni occasionem præbendo; v. g., bibendi intemperantia quàm multis prodest civibus? Vintoribus qui colunt vineam, nautis, et rheadariis qui advehunt, cauponibus qui vendunt, publicæ rei ejus auget redditus. Sic quoque luxus magnatum mercatorum ingentem numerum ad eas et occiduas oras ire cogit. — Respondeo inauditam hanc recentioris auctoris assertionem, non impiam magis, quàm ab omni ratione esse abhorrentem. Qui enim melius quid reipublicæ prosit, quidve obsit judicare poterint, quàm legislatores, qui illas constituerunt, et historici, qui imperiorum conversiones varias intuentes, earum causas diligenter explorârunt? Sed nullus unquam fuit legislator, qui virtuti non sit suis legibus patrocinatus, qui vitia coercere legibus dubitaverit. Nullus historicus reperietur, qui imperiorum incrementa et prosperitatem virtuti non adscriperit, eorumdemque occasum et interitum contrariis causis acceptum non retulerit. « Post subactam Græciam, inquit Salustius, primùm fractæ cœperunt res Romanæ in pejus ruere, quia ibi insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pietas, vasa cœlata mirari, ea privatim et publicè rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. » Ut ait Juvenalis sat. 6, 292:

Sævior armis

Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

Neque omnia certè, quæ promovent industriam, aut quæ præbent occasionem celeri mercium consumptioni, sunt reipublicæ utilia. Si ita res esset, sceleratus incendiarius, qui hanc regni metropolim incenderet, maxime promoveret reipublicæ commoda; nam celerrimè certè mercium consumptionis causa existeret, et industriam in reedificandâ urbe egregiè promoveret. Eadem ergo esse videtur vitii et incendii ad reipublicæ utilitatem efficiencia, quia utrumque eodem modo promovet industriam, videlicet inutiliter mercem consumendo. Igitur non ea, quæ magnam mercium consumptionem efficiunt,

conferunt ad reipublicæ augendam potentiam, sed quæ reddunt cives numerosiores, robustiores et meliores : publicum bonum à privatorem bono sejunctum esse non potest, nec vigere corpus si langueant membra; quod clariùs patebit, si consideremus reipublicam omnem, quantumvis opibus florentem, habere rationem familiæ : quæ, quæso, ratione in familiâ intemperantia et licentia eorum, qui illam componunt, ad ejus opes promovendas possunt conducere?

Præterea, vitia non promovent industriam, neque augment reipublicæ vires atque reditus, etiam multum consumendo. Nam, v. g., bibendi intemperantia habitum corporis corrumpit, vitam reddit breviorum; et nullo modo fieri potest, ut ebriosus, cujus infirma valetudo et vita brevis, plus consumat, quam vir frugi, qui longævam sanus assequitur ætatem. Et numquid non si ille ebriosus illam nimiam quam hausit vini quantitatem pauperioribus civibus largisset, eadem fuisset vini consumptio, cum hoc solummodo discrimine, quòd suam ipse valetudinem non imminuisset, aliorum confirmavisset. Idem de luxu in omni re dicendum, in cuius ipsâ notione includitur inutilitas et vis noxia. Nihil quippe aliud est luxus, quam abusus honorum naturalium, vel ad propriæ valetudinis aut fortunæ imminutionem, vel ad aliorum hominum, quibus opitulari tenentur, detrimentum. Tolle hanc noxiam qualitatem et finge usum pecuniæ suæ, aut cujuscumque alterius rei, neque sibi, neque suæ familiæ, neque patriæ noxium esse, non erit amplius vitium et in eo quisque sibi indulgere poterit. Tunc tantum usus rerum damnatur et accipit luxûs appellationem, quando est perniciosus reipublicæ aut ejus membris. Jam verò contradictionem involvit, ut quod in suâ notione perniciosum est civitati, unquam possit esse utile. Hæc omnia facile cæteris omnibus vitiis possunt applicari.

PROPOSITIO II.

Virtus ad beatè vivendam seipsâ non est contenta, ut gloriabantur Stoici, sed multoties ærumnis implicat gravissimis.

PROBATIO. — Nam primò virtus propter fortunæ varia tormenta, propter hominum levitatem vel perversitatem sua amittit præmia : præbet quidem semper conscientia pacem, sed graves dolores corporis non semper sedant temperantia et sobrietas. Justitia, fides, cæteræque virtutes, quandoque aut non satis animadvertuntur ab hominibus, aut etiamsi

pereccant aliorum oculos, illis non donantur honoribus, quos merentur; « virtus laudatur et alget. » Deinde vitium maximè naturales non semper effectus habet : intemperantia et incontinentia, etsi soleant corpus effectum senectuti tradere cum morbis insanabilibus et intolerabilibus doloribus, tamen quandoque propter fortuitum corporis firmitatem hæc efficiëntiâ carere videmus. Quædam etiam vel ex tarditate ingenii, vel occæcati cupiditatibus, pravi rectique discrimina non satis œruant et omnem fermè conscientia sensum præfocant. Tandem multi improbi sunt, qui propter externam virtutis speciem debita virtuti præmia possident, benevolentiam et existimationem aliorum; aut propter divitias et potentiam non solum effugunt scelerum pœnas, sed sibi hominum obsequia conciliant (1) : dum ex alterâ parte boni innumeri, onerati falsis Christianibus, scelerum quæ non commiserunt pœnas luunt aut improborum etiam propter ipsam virtutem experiuntur sævitiam. In exemplo est Socrates; exemplo etiam esse possunt veteres Christiani, et quotquot pro justitiâ et veritate animas dederunt. « Omnia in futurum servantur incerta, eò quòd universa æquè eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti.... Vidi et velocium non esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium pacem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus. » *Eccl. c. 9.*

PROPOSITIO III.

Vita hominum non describitur luxus conditionis mortalis limitibus, sed post mortem manent virtutem præmia, vitium verò supplicia à iudice omnium Deo certissimè retribuenda.

PROBATIO. — ARGUMENTUM PRIMUM. *Ex consideratione divinarum perfectionum.*

Mundus intellectualis Dei præstantissimum opus est et totius creationis finis. Sunt quippe entia rationalia tam excellentis naturæ, ut cum nullo alio nisi cum ipso Deo comparari queant : tolle hanc creationis partem, erit orbis corporeus, eremus magna, immensa solitudo, compages exanima quæ nec auctoris sui potentiam, sapientiamve cognoscere, aut experiri bonitatem, aut personare laudes poterit. Proindeque mundus intellectualis est pars divini

(1)

MULTI

Committunt eadem diverso crimina fato :

Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.

(Juv. sat. 13.)

operis est, de quâ maximè sollicitus esse debet universi artifex; et moralis providentiæ ratio perfectiùs exprimitur divina attributa, sapientiam, bonitatem et justitiam debet, quàm rerum ordo naturalis. Uno verbo, in spirituum gubernatione magis quàm in aliâ quâvis recognoscere debemus rectorem sapientem, parentem bonum, æquum sanctamque judicem. Atqui si hujus vitæ limitibus circumscriberetur vita hominum, nullo modo habere videretur morale Dei imperium in omnibus partibus colorem proprium numinis aut divinorum attributorum notas, non ordinis et sapientiæ, sed confusions et imperitiæ; non bonitatis, sed malitiæ; non æquitatis, sed injustitiæ et perversitatis.

1^o Morale Dei imperium non semper ferret sapientiæ signa. Non est certè legislatoris sapientis leges ferre et earum non prospicere observationi: non est rectoris prudentis subditorem contemptui se obnoxium præbere: finis siquidem quem in ferendis legibus intendit legislator, ad eas sanctiandæ præmiis et suppliciis determinare debet; neque ullus inter homines princeps exiit, tantæ imprudentiæ et stultitiæ reus, ut quas rogavisset leges ad reipublicæ salutem, easdem pœnis non sanxerit. Atqui sublâtâ legum naturalium sanctione per pœnas et præmia in futurâ vitâ Deus leges tulisset, nec earum observationi satis prospexisset, se suamque auctoritatem contemptui exposuisset; siquidem sublatis illis futuris præmiis atque pœnis nulla esset obligatio completa seu moralis necessitas servandi illas leges ex motivo propriæ felicitatis; è contrario ex insuperabili quo moveamur felicitatis amore, sæpè fortius inclinaremur ad contemnendas leges divinas, quàm ad illas observandas; et proinde naturalibus affectionibus non tam ad obsequium auctori nostro debitum, quàm ad inobedientiam astringemur; quo nihil absurdum magis aut ab omni sapientiâ alienum. Ergo sub regimine entis sapientis, quod nequit se contemptui obnoxium facere, quod suas creaturas legibus devinctas esse vult, quod gubernationis suæ honorem et dignitatem vindicare debet, virtus et felicitas separari non possunt. Ergo cum in hac vitâ non semper consciantur, erit altera in quâ hæc obtinebit tam naturalis concordia.

2^o Non semper haberet moralis Dei imperii ratio notas bonitatis, sine quâ nulla majestas est. Nam vita hæc mortalis, nisi consideretur ut via ad beatiorum, ut stadium in quo decer-

tamus, ut quidam militiæ et probationis status, divinæ benevolentiæ illam acceptam vix referre possumus; neque illius providentiæ ratio ullo modo boni legislatoris esse videtur. Nam quid tam alienum à bonitate, quàm creaturas suas infinitis malis implicare, illasque ad malum innumeris tentationibus allicere, nullo constituto victoribus præmio, sed ut eam exantlaverint infinitos labores, et ad virtutem per molestias et ærumnas summo studio contenderint, incidant in mortis malum sempiternum? Profectò si ex benevolentia Deum excitatum fuisse intelligimus ad creandum, multò magis ad conservationem suarum creaturarum illum inclinare debet eadem in eas propensa voluntas. Nam acceptâ semel existentia quoddam comparatur ad illam jus, beneficium est quod auferri nisi ab ingratis non debet: *Turpius ejicitur, ut fert adagium, quàm non admittitur hospes*. De inde estne boni legislatoris ferre leges beatam vitam non efficientes, aut subditos devincere institutis quæ ad ærumnas ducunt et miserias? obedientia voluntati legislatoris sapientis et in bonum suorum subditorum propensi necessariò beatos efficere debet legibus obtemperantes. Sed si non sit altera post hanc conditionem mortalem vita, in quâ Deus se absolvat, videbitur tulisse leges felicitatem suarum creaturarum nullo modo efficientes: reperietur obedientiam divinæ voluntati ad ærumnas sæpè et miserias ducere; religiosos propter pietatem in Deum infelices esse, improbos propter impietatem suas utilitates consecutos.

3^o Divina administratio aliena esset ab æquitate et justitiâ. Nam justitia generatim nihil aliud est quàm æqua voluntas, id est, constans propositum agendi juxta æternum ordinem in rerum naturis fundatum. Atqui si nulla esset post hanc conditionem mortalem vita, in quâ bonos præmia, pœnæ fontes manerent, divina administratio aliena esset ab immutabilibus rerum naturis, neque ullo modo æterno ordini consona. Etenim, ut juxta confectum fuit, inter bonum et malum morale est discrimen essentielle in rerum naturis positum, illaque dividit communis Dei et hominum intelligentia: bonum naturali pulchritudine decorum est et amabile, provocatque sponte suâ omnium rationalium studia: vitium contra ex propriâ fœditate turpe est et odiosum. Atqui nisi Deus se absolvet in alterâ vitâ, ageat ab iis rerum naturis modò vahlè abhorrenti, ex ejus gubernationis ratione

judicandi locus esset, nullum esse ejusmodi naturale inter bonum malumque discrimen, cum ipse omnium parens et legislator bonorum et malorum non haberet rationem : nullo modo ex ejus regiminis formâ concludere possemus illum virtutibus hominum delectari, aut ab improbitate aversum esse; bonos siquidem et malos eodem tractaret modo : imò illum constituisset ordinem in quo majora quandoque essent vitii quam virtutis præmia.

Præterea ubi erunt divinæ immutabilitatis signa? Certè si Deus sit ens immutabile, neque temerè et sine consilio agat, fixa atque constans esse debet illius voluntas, hancque ejus constantiam experiri debent præstantissima ejus opera. Sed quid tam inconstans, tam à consilio et omni gravitate alienum, quam in destruendis creaturis perpetuò occupari, et id ipsum agere quod exprobrare solemus homini levi et inconstanti, qui *diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*? Deinde ex æternitate suâ pendet omnis rationalis naturæ dignitas, « nisi ad contemplandas res divinas admitteret, non erat operæ pretium nasci : quid enim erat cur in numero viventium me positum gauderem? An ut cibos et potiones percolarem? Ut hoc corpus caesarium et fluidum periturumque, nisi subinde impleatur, farcirem et viverem ægri minister, et mortem timerem cui omnes nascimur? Detrahe hoc inestimabile bonum immortalitatis, non est vita tanti ut sudem, ut æstuem. Quàm contempta res est homo, nisi supra humana se exerit!» Imò monstruosus naturæ partus homo esset, si ejus vita hujus conditionis limitibus finiretur, affectionibus commoveretur naturalibus sine causâ, futurorum seculorum terroribus vanis frangeretur, vel spe deluderetur honorum quæ nunquam esset consecuturus : quid tam informe et disjunctum à Dei sapientiâ cæterisque perfectionibus?

At, inquires, hæc parùm consentire videntur cum iis quæ supra confecta sunt, videlicet, Dei sapientiam, bonitatem et justitiam in rerum administratione evidentissimè elucere. — Respondeo has Dei perfectiones elucere quidem, et quantum decet in statu militiæ et probationis; non verò quantum decet in statu finali et in ultimâ scenâ. Deus certè leges sanxit sapientissimas, illas pœnis et præmiis confirmavit; et bona multa nostris usibus paravit, ut faciliè agnoscere possumus illum rebus interesse humanis, virtutis patronum esse et vindicem seclerum : satis, ut concludere possimus

illum aliquando homines in judicium adducturum esse, sed non satis ad vindicandas suas perfectiones. Quippe non possumus aliter ab solvere divinam providentiam, nisi cogitemus illam extra hujus vitæ limites excurrere, hanc conditionem mortalem statum esse militiæ et probationis, in quo decertandum sit, superandæ variæ difficultates; in quo magis promissis divinis ad virtutem accendimur, quam propter virtutem remuneramur; in quo vitium non tam divinis castigatur judiciis, quam gravissimis comminationibus et terroribus coercetur : nempe animadvertere licet impios non tam luere pœnas seclerum supplicis, quæ sæpius nulla sunt, quam metu suppliciorum; bonos non tam frui voluptatibus, quibus sæpe non nunquam potiuntur, quam quâdam jucunditate ex spe felicitatis. Ergo quoniam in hac vitâ habemus spem et expectationem præmiorum aut suppliciorum, in aliâ illa retribui necesse est. Ita certè conclusum fuit etiam à paganis philosophis, inter quos illi solummodò interire funditus animum in morte judicârunt, qui negabant Deum habere ullam rerum humanarum procuracionem. Unius hic utemur auctoritate Plutarchi qui in libro *de iis qui serò à numine puniuntur*, scribit : « Pugnat anima sicut athleta in vitâ; postquam verò certamen peregerit, accipit quæ ipsi conveniunt. » In eodem libro demonstrat immortalitatem animarum in iisdem planè rationibus fundari, in quibus fundatur ipsa Dei providentia. Ex quibus observatio omnibus hoc aliud nascitur argumentum.

ARGUMENTUM II.

Ex præsentis rerum administratione.

In superiore disputatione confectum est Deum in hoc mundo personam judicis suscinere; judiciumque, quantum convenit rerum humanarum præsentis sorti, severum exercere : ostensum est virtutis exercitio conjuncta esse præmia multa naturalia, quæ probos beatos efficerent, si nulla essent fortunæ tormenta, et inter malos non versaremur; vitio adjunctas esse pœnas, quæ nisi suspenderentur corporis voluptatibus, varisque fortunæ bonis, malos miserè cruciarent : uno verbo, demonstratum est Deum exercere morale imperium per leges naturales sanctione præmiorum et pœnarum confirmatas. Jam verò quòd Deus exerceat morale imperium in hac vitâ, id argumento est in vitâ alterâ futuram ejusdem imperii moralis continuationem. Cur abdicabit se hoc imperio? Cur personam judicis deponet? Quæ causa suspicandi esse potest, virtutem amissuram

salutarem suam vim, aut vitium noxiam suam naturam? Potestne hæc tanta mutatio consistere cum divinâ constantiâ?

At, inquires, sit constans divinæ administrationis ratio : ex eo solummodo concludere licebit partem divinæ administrationis futuram, extra conspectum nostrum jam positam, consentientem et analogam fore cum administratione presenti, in quâ alget virtus et lætos cernimus florere nocentes. — Respondeo administrationem dici posse constantem duplici modo; primò si iisdem causis perpetuò et sine mutatione agentibus iidem semper consequerentur effectus; alio etiã sensu administrationem dici posse unam et constantem, nempe unitate consilii et finis, cum omnia ad finem aliquem ordinata sunt : sic cum architecti saxa secant, machinas admovent, tabulata ad fornicum constructionem faciunt, quoniam hæc ad ædificium construendam necessaria sunt, suum propositum prosequuntur et constans habetur eorum agendi ratio. Jam verò divina administratio dici non potest una atque constans priori sensu, cum hominis conditio à primâ conceptione multas experiat mutationes et insignem expertura sit, ubi positus corporis exuviis mundam hunc relinquet; quia præterea experimur animum humanum ad capiendâ scientiæ et felicitatis incrementa aptum natum esse : ergo una et constans tantum esse potest Dei moralis administratio ratione finis et consilii. Sed quis est finis imperii Dei moralis? An ut felicitas vitii merces sit, miseria effectus virtutis? Nullatenus : nam huic fini opposita est utriusque efficientia naturalis, neque in hac perturbatione rerum is est exitus. An ut omnia sint semper incerta, et nunc vitio, nunc virtuti temerè famuletur felicitas? Nequaquam : quia experimur felicitatem esse virtutis naturalem appendicem, hancque salutarem ejus vim nonnisi contingentibus causis et in hoc præsentis statu operantibus suspendi : experimur quoque vitio, utpote naturæ rationali contrario, naturaliter adjunctam esse ægritudinem, et nonnisi accidentalibus causis deliniri improbos. Uno verbo, ubi virtus est infelix et vitium felix, violentus status est, rerum naturis repugnans, Deo hominibusque invisus; qui ideò perdurare non potest : neque in præsentis vitâ obtinet aliquando nisi ob sapientissimas causas, quarum aliquas etiã nobis non difficile est intelligere. Placuit præsentis optimo nos in statu probationis et disciplinæ collocare; cuius ratio postulat, ut boni

per aliquod tempus difficultates experiantur, et severiorem adhibeant disciplinam, ad virtutis perfectum statum, seu acquirendum, seu conservandum. Sed unde novimus statum hunc esse statum probationis et disciplinæ respectu alterius vitæ? Hoc primò concludimus ex divinarum perfectionum, quas aliter absolvere non possumus, consideratione : deinde etiã cum unicuique experientiâ suâ et observatione constet nos esse in statu probationis et disciplinæ respectu felicitatis hujus vitæ, quæ maximâ ex parte pendet ex cuiusque prudentiâ et in moderandâ vitâ industriâ, per analogiam concludimus in eodem esse nos respectu felicitatis futuræ. Cum argumento hoc sequens conjungendum est.

ARGUMENTUM III.

Ex hominis naturâ morali.

1º In omni sapienti rerum administratione hoc principium fundamentale est, quamque rem regendam esse pro suâ naturâ : multoque magis hanc legem sequetur omnium naturarum parens : sic intelligimus Deum à belluis non esse postulaturum rationem operationum suarum, quia cognitionis et libertatis expertes in iudicium adduci non possunt : propter eandem rationem si homines ad rationem reddendam sint à naturâ comparati, benè auguramur illos esse vocandos aliquando in iudicium : cur enim eos tractaret modo naturæ suæ non convenienti? Atqui homo est reverè comparatus à naturâ ad reddendam rationem suarum actionum : nam rationis particeps scienter agit, liberè etiã et ad arbitrium vivit, præterea lego devincitur, denique agnoscit superiorem et iudicem. Nec solum propter hanc naturalem conditionem rationis reddendæ par est, verum insuper videmus eum semper paratum esse ad defendendum sese ad accusandum, quasi ante tribunal iudicis staret : nam sese turpiter agentem damnat, et etiã in tenebris ignavi pudet facinoris : si qui testes fuerint inhonestæ actionis, rubore suffunditur, aut defensionem suscipit facinoris. Ii sensus non solum infimis hominibus insunt, sed ipsos principes, à quibus nulla ratio in terris exigi potest, afficiunt. Cum ita igitur simus comparati, ut non modò rationis reddendæ pares, sed etiã motu quodam naturali inclinemur ad illam reddendam omnibus quorum interest, nullum dubium est quin supremo rerum omnium rectori ratio nobis aliquando reddenda sit.

2º In omni disputatione proficiscendum est ab hoc principio, quòd omnis naturalis sensus necessariò verax sit; à Deo quippe insitus naturæ illius quodammodò monentis vox est. Quòd verò insitæ sint ab ipsâ naturâ omnium animis expectatio futuri Dei iudicii et quædam præsentiones futurorum seculorum, colligimus ex eo quòd hi sensus universales sint; quòd spontè et naturaliter sine institutione et doctrinâ exoriantur in hominum animis; quòd ita inhæreant, ut nullâ industriâ possint extirpari. Primò certè illi sensus generales sunt. Nam habemus in hæc parte consentientes omnes antiquissimos populos, Hebræos, Ægyptios, Chaldæos, Indos, Persas, Getas, Gallos, Græcos et Romanos, omnemque antiquitatem: priscis illis omnibus insitum fuisse legimus apud Herodotum, Pausaniam et alios, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem ut funditùs interiret: idque cum multis aliis rebus, tum è pontificio jure, quòd ubique obtinuit et cæremoniis sepulcrorum intelligi licet, quas tantâ curâ non coluissent omnes populi, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quædam quasi migrationem, commutationemque vitæ. Hinc quoque totum propè cælum à priscis populis genere humano completum est, et primus derivatus fluxit idolorum cultus. Veteribus populis consentiunt omnes, qui hodiè sunt terræ incolæ, Mexicani, Peruviani, Brasilienses, etc. Denique si speciem naturæ cunjshbet à naturâ optimâ sumendum sit, uti possumus auctoribus præclarissimis ingeniis summisque philosophis in omni gente, Confucio, Zoroastre, Socrate, infinitisque aliis, quorum extant gravissimæ de hæc re sententiæ. Secundò. Illa opinio non est institutis et legibus confirmata, non illam communem fecit collocutio hominum, sed ipsa vox naturæ. Spontè enascitur sine doctrinâ in animo quædam magnifica de se opinio: cogitare quippe non possumus animum nostrum nobis ingeneratum esse, instar salis, ad accendam à corpore putredinem. « Quid multa? ait Tullius, sic mihi persuasi, sic sentio; cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum providentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem. » Deinde, ut ait idem Cicero, « maximum argumentum est naturam ipsam de

« immortalitate animorum tacitè judicare, quòd omnibus curæ sint, quæ post mortem futura sunt; quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogiasignificant, nisi nos futura etiam cogitare?... Nonne in his ipsis libris, quos scribunt philosophi de contemnendâ gloriâ, sua nomina inscribunt? Quòd si omnium consensus naturæ vox est, et omnes qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui è vitâ cesserint, nobis quæque idem existandum est. Et, si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia naturâ optimâ sunt, cernere naturæ vim maximè: verisimile est, cum optimus quisque maximè posteritati serviat, esse aliquid cujus is post mortem sensum sit habiturus. » Denique homines boni in maximis molestiis et ærumnis gravissimis spe futurorum bonorum naturaliter confirmantur: impij è contrario quamvis afflēt fortuna et abundant voluptatibus, tamen in illâ suâ copiâ metuunt, perturbantur et ægritudinibus exeduntur. Tertiò. Illi de immortalitate animorum sensus nullo modo extirpari possunt, sicut experientiâ constat: et uti possumus auctoritate ipsius Epicuri, qui docebat non posse jucundè vivi, nisi honestè vivatur, quòd ea quæ sunt luxuriosis efficitia voluptatum metus injunctia graves Deorum à quibus nullâ industriâ liberari possunt. »

At, inquit, prædicti sensus ex quibus petitur argumentum omninò vani sunt: illa suæ excellentiæ opinio animi plus æquo superbientis manis elatio est. Desiderium immortalitatis nihil aliud est quàm suæ conservationis studium; vivere ambimus, interitum reformidamus; vitæ ideirò limites ambitiosè nimis proferimus. Metuimus etiam futuras pœnas, sicuti in tenebris lenures, sicut horrebat olium totum humanum genus triepitem Cerberum, Cocylj fremitum et furias anguibus terribiles. Humana vanitas, ut observat Plinius, in futurum etiam se propagat, et in mortis quoque tempore, ipsa sibi vitam mentitur, aliàs immortalitatem animæ, aliàs transfugationem, aliàs sensum inferis dando et manes colendo, Deumque faciando, qui jam etiam homo esse desiderit. — Respondeo, si anima ad immortalitatem genita sit, sapienter factum esse, ut hujus destinationis

conscia magnificè de se existimet, sin mortalis sit, cur tantoperè superbiat nullam causam esse. Nos ergo naturæ partes tuemur, et præstat certè tueri, cum nullam aliam nacti simus præceptricem. Deinde desiderium immortalitatis longè distat à studio propriæ conservationis: divisos enim sæpè experimur istos scelus; mali optant interitum sempiternum, dum ardentissimè suæ student conservationi: boni vitam facillè profundunt propter immortalitatis spem. Sed demus immortalitatis desiderium spontè nasci ex suæ conservationis studio: ergo ambimus naturali inclinatione æternam vitam, æquè constanter et necessariò ac conservationem vitæ. Quid porrò tantò certò expectandum, quàm quod naturâ duce necessariò appetimus? Denique spes immortalitatis beatæ et metus futurorum suppliciorum cum vanis terroribus confundi non possunt, quia formidines vanæ, quatenus distinguuntur ab ipsâ voce naturæ, neque universales sunt, neque spontè nascuntur et facillè extirpantur; phantasix fetus sunt et fictæ à poetis imagines, non rationis secum ipsa deliberantis judicia: quam verò habent constantiam, eam omnem mutantur à sensibus naturalibus, quibuscum consociatæ sunt et quodammodò confusæ.

ARGUMENTUM IV.

Ex naturâ animorum immortalis.

Idcirco futurorum post mortem iudicium incredibile quibusdam videtur, quòd difficile sit cogitatione comprehendere, qualis animus sit vacans corpore; magnum ergo pondus superioribus argumentis addemus, si confecerimus animum esse à corpore diversum ex naturâ suâ immortalē. Jam supra ubi de existentia et immensitate Dei, plures demonstrationes propositæ sunt, quibus officitur substantiæ cogitantis simplicitas, segregata non tantum ab omni concretionē corporeâ, sed etiam ab omni extensione: adèque hic solummodò observabimus, quantum distat vita animi à vitâ corporis, ut arripiamus occasionem confutandi varias rationes, quibus animi immortalitas impugnari solet et quas nondum attingimus. Animus ea est hominis pars, quæ intelligentiâ et ratione valet, quæ doloris et lætitiæ sensus experitur, quæ suorum actuum arbitra vim continet movendi sese. Atqui hæc pars naturæ erit corpori superstes, quia hæc vita spiritalis animi est omnino diversa à vitâ corporis, quia cum eâ

nullam, etiam habet necessariam conjunctionem, nec ab eâ pendet ullo modo, quia cogitatione comprehendere non possumus quomodo animus possit interire.

Primò vita animi multum disjuncta est à vitâ corporis. Etenim corporis vita in organisatione posita est, id est, in quodam partium coherentium contextu et motu, legibusque nascitur et viget mechanicis. Illius origo minutum semen est, aut ovum, aut si velis animalculum, quod evolvitur ut arborum et fructuum semina, calore nempe et nutritione intus susceptâ. Omnes quibus constat partes, unde nascantur cerno: sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, cerebrum et omnem denique membrorum et totius corporis figuram, videor posse dicere unde concreta et quomodo facta sint. Continuis mutationibus obnoxiū est, singulis ferè septenniis, tutum perit et renascitur. Quid contra animus est? Eius cuius primarium attributum individua cogitatio est: non porrigitur in longitudinem et latitudinem, non dividitur, non ponderat, non collisione vel motu partium consistit; non pulsu agitatur externo, sed affectibus; suarum operationum arbitra commovet se sponte suâ, exercetque in corpus dominium. Manet mens amputatis membris integra, diffluente corpore immota, mutato alternis annis corpore eadem. Nihil intelligimus in animo quod ex terrâ fictum esse videatur: nihil aut humidum, aut stabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ et cogitationis habeat, quod præterita teneat, futura prævideat et complecti possit præsentia. Concludendum igitur est cum Platone, cæterisque omnibus gravioribus philosophis singularem esse naturam et vim animi longissimè sejunctam à naturâ corporis quam entelechiam vocabat Aristoteles, quasi quamdam continuatam motionem et perennem.

Secundò. Quancumque sit communio inter corpus et animum, manifestum est nullam esse inter utramque substantiam connexionem; ac etiamsi anima nihil aliud sit quàm atomus quædam materiæ, tamen ejus vitam spiritalem independentem esse à vitâ corporis organici. Nam si hæc vis spiritalis ab organici dispositione corporis ullo modo penderet, vel penderet à partium numero, vel ab earum figurâ, vel ab eorundem motu et contextu. Sed profectò viginti partes per vim collisionis vel gravitatis connectæ non sunt ad cogitan-

dum aptiores quàm decem; neque pars sanguinis velociter agitata sapientior est aliâ parte minore actâ velocitate, neque pars rotunda triangulari felicior ullo modo esse potest. Pone ergo vim cogitandi materia insitam esse, fac animum igneum cum Stoicis, vel cum aliis aereum et spirabilem, erit æternus: quia cum non vigeat, neque figura motu partium, sed divino munere; nunquàm interire poterit nisi Deo repositente munus concessum. Optimè ergo concludit Cicero: « Anima sit animus, ignisve nescio; cum tamen jurarem esse divinum. Et si animus ignis est, idem esse et Deus poterit: nam qui siderum conversiones, omnesque motus animo vidit, is docuit similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus esset in cœlo; cum enim Archimedes lunæ, solis et quinque errantium motus in spheram illigavit, effecit idem quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit Platonis Deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio: quod si in hoc mundo fieri sine Deo non potest, ne in spherâ quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari »

Tertiò. Nullo modo cogitatione comprehendere possumus mortem animi, quia mors seu interitus est discessus et diremptio earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. Sed in animis nihil admixtum, nihil coagmentatum, nihil duplex cogitamus, quod secerni aut dividi possit. Deinde hæc propria natura animi est, quòd seipsum moveat, quòd vi quâdam interiori et suâ cogitet, propendeat, agat, uti supra confectum est. Ergo nunquàm moveri et seipsum cedere desinet, quia hoc fieri non potest quin à seipso deseratur. Sic concludit acutè Cicero post Socratem et Platonem: « Sentit animus se moveri; quod cum sentit, illud unâ sentit, se vi suâ, non alienâ, moveri, nec accidere posse ut ipse à se unquàm deseratur. » Tusc. l. 1.

At, inquires, singularem illam substantiam nullo modo licet complecti cogitatione; nec qualis sit, nec ubi sit, omninò intelligere. Deinde nullo modo concipitur quâ ratione cum materiâ conjungi possit: nam, ut ait Lucretius l. 1 :

Quippe etenim mortale æterno jungere, et unâ
Consentire, putare et fungi mutua posse,
Desipere est.

Respondeo primò nobis fortassè æquè no-

TR. II.

tum esse animum ac corpus: nam utramque substantiam ex attributis solummodò intelligimus: in corpore extensionem, figuram, motum et qualitates sensibiles percipimus; quæ omnia si tollas, nulla restabit materiæ notio: sic in animo cogitationem, vim memoriæ, inventionem, affectiones varias cogitamus, atque ex his attributis æquè clarè quid sit animus intelligimus, quàm ex supra memoratis corpus cognoscimus. Et verò Deus rerum omnium parens et moderator intelligitur à nobis: « Alio tamen modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta quadam et libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens et movens. » Verba sunt Cicero-nis. Deinde gratis assumitur à Lucretio naturam simplicem materiæ conjungi non posse: non intelligo quid id fiat, sed si omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, tamen iis uti licet quæ habeo. Sentio animi vim ad movendum corpus; sentio quoque illam vim ad movendum in corpore esse non posse: restat igitur ut animus, licet singularis nature, cum corpore conjungi possit. Et certè Deum nature motus moderantem non video, ubi habitat nescio, quomodò agat ignoro: tamen certò intelligo tam ratos siderum motus, tantæ molis ordinatissimum cursum procedere divinæ legis imperio. Sic mentem hominis quamvis non videamus, ut Deum non videmus; tamen ut Deum agnoscimus ex operibus ejus, sic ex memoriâ rerum et celeritate cogitationis vim divinam mentis agnoscere debemus.

Objicies: Quæcumque sit animi natura, concludere debemus illum experturum esse sortem corporis, quia ad illius societatem unicè factus à naturâ videtur. Nam 1º animus diffusus in corpore quodam modo cum illo confunditur: propterea memoriâ in cerebro, intelligentiam in arce capitis, in corde affectiones naturaliter collocamus:

Sic anima atque animus per se nil posse videntur.
Nimirum quia per venas et viscera mixtum
Per nervos atque ossa tenentur corpore ab omn.

Inde pedes et crura mori: post inde per arius
Ire alios tractim gelidâ vestigia lethi. (Lucret. l. 3.)

2º Corporis ope cogitat: omnis cognitio est ex sensibus, et nullum refert quali in corpore animi locati sunt; multa è corpore existunt, quæ acunt mentem, multa quæ obtundunt:

Si immortalis natura animi est,

Et sentire potest secreta à corpore nostro,
Quinque, ut opinor, tam fatendum est sensibus aequi-
tatis. Lucret. l. 5.

3^o Omnes corporis vices experitur animus; cum corpore nascitur et evolvitur; corpore astante aut languente astant aut languet mens; corpore senio confectio senilis mens desipit: somno vel lethargo oppresso corpore sensus nullus est: qui igitur dubitare possumus sensum in morte nullum esse, cum in somno, ejus simulacro, videamus esse nullum sensum?

Præterea gigni pariter cum corpore, et unâ
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infans puer teneroque vagatur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.
Iude ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus et auctior est animi vis.
Post ubi jam valida quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtusa ceciderunt viribus artus,
Clarificat ingenium; delirat linguaque mensque,
Omnia deficient atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convertit omnem animam
Naturam, cum fumus in altis aëris auras.
Et quoniam mentem sanari, corpus ut agrum,
Cerasimus, et fœci medicinâ posse videmus,
Id quoque præcipit mortalem vivere mentem.

Ibid.

Nego antecedens. Confitemur quidem animum humanum posse à Deo post corporis interitum ad nihilum redigi, posse etiam suspendi ejus vires; sed negamus ex phænomenis naturalibus confici illum delendum, aut ejus vires suspendendas. Nam nedum vis illa divina cogitationis pendeat à corporis artificio et organo, nullo modo cogitatione consequi possumus quomodo fieri possit, nisi ex omnipotentissimi Dei voluntate, ut tam intima sit duarum rerum adeo diversarum communio; quam voluntatem si tollas, intelligimus nullam fore amplius inter corpus et animum connexionem, et utramque à se invicem disjunctam propriâ naturæ suæ vi potituram esse: ac nedum eventurus sit animi interitus, è contrario corporis artificio, quo circumseptus erat, quasi carcere liberatus et spatia ingressus liberiora, multò pariora et dilucidiora cernet, quàm nunc, per foramina illa quæ potent ad animum è corpore. « Mibi quidem, inquit Cicero, naturam animi intuenti multò difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam in alienâ domo, quàm qualis cum exierit et in liberum coelum quasi domum suam venerit. »

Ad primam verò rationem respondeo, tam arctam quidem esse animi et corporis conjunctionem, ut animus in corpore quodammodo diffusus et ad omnes oras pertingere videatur. scilicet propter leges ab auctore naturæ positas, hujus necessitudinis causas; quibus legibus efficitur, ut motus quosdam corporis comitentur in mente cogitationes aut affectiones, quasi ab illis motibus excitatæ; et vicissim animi desideria corpus certo modo afficiant: animum tamen cum corpore confundere multa vetant. 1^o Quia evidentissimum est illas corporis commotiones non posse esse veras causas efficientes et physicas cogitationum et sensationum, sed tantum occasionales: quis enim non videat variam nervi vibrationem esse rem planè diversam à sensu coloris, vel soni, vel voluptatis, aut à quicumque idea, nec ejus causam propterea esse posse: nam motu nihil generatur nisi motus. 2^o Quia apertissimum est animum in corpore non diffundi, nec ipsi esse ullo modo commensuratum: cum amputatis membris integer manet animus, et illius solummodo coarctetur imperium; cum maximi sint in corpore motus, quorum animus non est coactus; qualis est motus sanguinis, stomachi, cæterorumque musculorum: cum scapiens accidat ut manu abactâ dolorem tamen sentiat animus, quasi in digitis, qui jam non sunt sui corporis: quod probat certè animam sentire posse etiam in illis partibus ubi diffusa non est. Notum quoque est, quòd ligaturâ aliquâ sic compresso nervo ut motus perducere ad cerebrum non possit, non sentiat animus illius nervi vellicationem. Propter quas omnes rationes vulgò creditur animus esse in arce capitis collocatum, corpus autem esse organum nervis, quasi fidibus, intentum, cujus pinnae ab objectis percussæ excitant tremores, quibus ad animi sedem productis, ut totidem nuntiis, mens admonetur et variâ ratione afficitur. Potuisset certè eadem planè ratione, si rerum omnium parenti placuisset, cum universâ naturâ conjungi animus humanus, præsensque ubique adesse, sicut adest in corpore humano.

Ad secundam verò confirmationem respondeo, nullo modo confici quòd animus corporis ope egeat ut cogitet, quasi verò sine corpore intelligere et cogitare non possit. Nam duas quasi vitas agere videtur homo in corpore, unam spirituales, sensuales alteram: suas habet utraque leges, suas læticias, suas tristitias; neque à se invicem pendere videntur.

Sic cum ex sensuum commotionibus afficimur, agimus vitam istam sensualem, et illam interitum esse cum sensibus facile concedimus. Sed ubi nullâ re sensus vellicante animum ad seipsum advocamus et à corpore abducimus, cogitamus, argumentamur, atque afficimur propriâ et interiori vi; hæc vita sensuum externorum ope non viget, neque cum illis interire experientiâ deprehendimus: nam sine oculis, sine auribus, imò paralyti dissoluto toto corpore, viget animus, eandem vim servat quandoque memoriæ et rationis, eosdem sensus amoris et odii, spei et metûs. Sed demus propter illam arctam corporis et animi necessitudinem vix ullam esse in animo cogitationem, quam non comitetur aliquis in corpore motus. At tamen principium motûs esse in animo sentimus, eique competere vim sese excitandi corpusque suum variâ ratione afficiendi, ex quo efficitur non esse semper motum in corpore causam primam cogitationum et affectionum animi: nam quod principium motûs est, à motu pendere non potest, quia causa non potest debere existentiam suo effectui. Præterea commotiones sensuum excitant quidem in animo affectiones, sed illæ affectiones nullam habent cum illis motibus proportionem: verbi gratiâ, quam proportionem habet contumelia in sermone alicui illata cum illâ excandescentiâ quam solent excitare? Imò experimur verbum temerè ab aliquo prolatum et sine offensionis studio, vel litteris consignatum, quod certè levissimè oculorum aut aurium nervos vellicat, in furorem tamen quosdam quandoque agere. Tantæ perturbationis causa esse nequit commotio organi ab objecto externo.

Ad tertiam rationem respondeo, propter illam arctam, quam esse voluit Deus inter corpus et animum necessitudinem, experiri hunc illius vices, illudque prorsus esse necessarium quamdiù manebit hæc associatio. Nam ut continetur illud commercium, opus est organo, canalibus, fibris, etc. Si quid horum impeditum sit, vel corruptum, tum commercium ipsum aliquid detrimenti capiat aut etiam abrumptur omninò necesse est. Sed profectò illa organa tam sunt ab ipso animo distincta, quam vitrea illa perspicilla quibus utuntur myopes: sunt enim oculi, sicut illa instrumenta, viæ quædam: neque magis concludere possumus animum non esse ab organis distinctum ex eo quòd oculo malè sano non videamus, quam liceret concludere ex eo quòd per

perspicillum fuco illitum non perspiceremus, idè animum non esse ab illo instrumento disjunctum. Idem dicendum de cæteris sensibus, quos nihil aliud esse, quam vias ad animum perducatas, extra omnem controversiam est, qui pròinde possunt mutari aut omninò interire, sine animi aut mutatione aut interitu. Deinde falsum est animum evolvi cum reliquo corpore et ejus vices experiri: nam non eibis alitur, sed meditando vires explicat et ingenii exercitationibus confirmatur; corpus quotidie mutatur, mens eadem manet. Denique somnus et lethargus nedùm probent animum cum corpore interitum esse, contrarium evincunt: nam nobis exhibent animum, quasi in statu mortis vigentem nec ullam passum ex tanto corporis morbo mutationem; si post somnum et lethargum maneat facultas cogitandi eadem, cur non post mortem? Si maneat facultas, quis audeat dicere illam nullam habituram actionem? Concludimus ergo hoc argumentum pulcherrimis verbis Senecæ: « Dies ille, quem tanquam extremum reformidamus, æterni natalis est: hora illa non est animo suprema, sed corpori: quidquid extra te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta. » Paulò antea dixerat: « Cùm venerit ille dies, mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc ubi inveni relinquam, ipse me diis reddam.... Per has mortalis ævi moras illi meliori vitæ longiorique præluditur: quemadmodum novem mensibus nos tenet mater uteris et præparat non sibi, sed illi loco in quem videmur emitti, jam idonei spiritum trahere et in aperto durare; sic per hoc spatium quod ab infantiâ patet ad senectutem, in alium naturæ sumimur partum, alia origo nos expectat, alius status. »

Imponamus finem gravissimæ huic controversiæ quibusdam observationibus in « minorum philosophorum » incredibilem imprudentiam. Omnibus opibus elaborant, ut divinæ providentiæ cogitationem, justî et injusti sensum, delicti et innocentæ conscientiam, futurorum seculorum præsentionem exuant. Cur hoc tentant, qui constantes et animosi dici amant? Quia metuunt. Arcanum hoc prodidit Lucretius.

Et metus ille foras præceps Acherontis agendus
Funditûs, humanam qui vitam turbat ab imo.

Videretur igitur timorem potiùs sustulisse Deos, quam fecisse. Decetne sapientem metuere et horrere parentem naturæ, et quærere in

omnium rerum perturbatione solatium? Possuntne « minuti philosophi » in extirpandis funditis hisce sensibus succedere? Id paucis aut nullis contingere fatentur scholæ magistri Epicurus et Lucretius : vanus ergo labor est. Si feliciter succederent, quis esset questus? Præclarum hoc adepti erunt, quod credent se totos esse in æternum perituros : quid ista res lætabile habet aut gloriosum? Fingamus omnes reipublicæ cives factos subito « minutos philosophos, » atque perfectionis apicem adeptos, id est, omni vacuos esse erga Deum et homines reverentiâ, omni sensu honoris et justitiæ, omni pudore, quis erit exitus? Existet, ut posuit Hobbius, bellum omnium adversus omnes, in quo omnia licebit vi et dolo tentare : atque ad communem salutem necesse erit per leges et pœnas civiles homines reluctantes adigere ad illam temperationem morum, ad quam ex naturalibus sensibus sine labore finguntur ; et ad illa invitè præstanda officia, quæ imbuti naturalibus sensibus cum jucunditate obirent.

Finge jam aliquem minutum philosophum inter homines imbutos sensibus prædictis degentem, eosdem sensus exuere et consentienter suis principis vivere, quis exitus erit? Ipe omnium hostis constitutus, omnes experietur hostes, et ut immanis bellua, cujus feritas tolerari nequit, citò exterminabitur. Pulchra sanè philosophandi ratio, quæ publicè recepta communem, privatim admissa privatam operatur ruinam ! Quis erit philosophiæ hujus fructus post mortem ? Si Deus nullus sit, bene est : sed si forsitan sit aliquis mundi arbiter, et humanarum censor actionum (1).....

(1) Hactenus de lege naturali. Eam verò potius in formâ legis quam Religionis consideravit auctor, officia nostra erga Deum breviter exponens, specialem de cultu silens questionem. E contra ad eandem istam referunt quiddam propè de primitivâ ut naturali religione disserunt hodierni scholastici, quorum unum Theologum scilicet Rotomagensem citabimus, ad calcem voluminis § 3, De Lege naturali. P.-S.

Dissertatio prima.

DE IMPERFECTIONE ET OBSCURITATE LEGIS NATURALIS,

ET DE REVELATIONIS POSSIBILITATE, UTILITATE ET NECESSITATE.

Legem naturalem hactenus defendimus ; illam naturæ nostræ congruentem, diffusam in omnes, à Deo auctore divinam, imò in rerum positam naturis immutabilem esse et sempiternam, eademque sanctione præmiorum et poenarum, tum in hæc, tum in futurâ vitâ, confirmatam esse probavimus. Deinde philosophiâ duce illius tabulas evolvimus et varia erga Deum, erga nosmetipsos, erga alios homines officia descripsimus. Vicinus, puto, quos habuimus adversarios, Scepticos, Epicureos, Hobbianos, Spinosianos, cæterosque omnes qui boni et mali discrimen non naturâ sed opinione dijudicari, docuerunt ; aut qui Dei in creaturas rationales morales imperium negaverunt ; aut qui censoris et judicis æqui in remunerando et puniendo personam tribuere Deo recusarunt. At ne in commendandâ, illustrandâque naturæ lege nimium tribuisse rationi credamus, aut videamur oblitum multorum et maximorum beneficiorum, quæ huma-

no generi attulit divinum revelationis munus, nunc justissima instituenda venit rationis et naturæ humanæ in hæc, quâ versamur, pravitate, accusatio. Cui nostro consilio novi obsistunt hostes, Deistæ nempe, quorum alia pugandi ratio, diversam armorum genus. Nostris siquidem, quas contra superiores retulimus, victoriis, quasi suis successibus superbiunt, propriisque nos aggrediuntur armis : causam naturalis religionis à nobis jam aliquâ ex parte desertam sustinent, nosque ignavia arguant et inconstantie, quod relicta hæc simplicissima atque excellentissima vitæ regulâ vanarum religionum defensionem suscipiant. Legem hanc naturæ perfectam esse clamitant ; esse illam divini throni assistricem sapientiam, nobis communicatam ; ejus tabulas omnium hominum mentibus exhiberi integras, atque in tam perspicuâ luce, ut qui percurrit, legerit eas ; ita esse easdem immutabiles, ut alia nulla præcepta illis adjici possint ex positivâ Dei insti-

tutione : proindeque revelatas leges hoc ipso non solum inutiles esse et supervacaneas, sed omnino impossibiles. Hæc placita præsertim exposita et confirmata sunt ab auctore libri, cui titulus est : *Christiana religio mundi æqualis*, cujus pressit vestigia scriptor libri qui inscribitur *Les mœurs*. Omnis dictorum librorum doctrina, quantum ad rem nostram præsentem pertinet, ad tres sequentes propositiones commodè revocari potest. Prima est : Lex naturæ tam perfecta est, ejusque præcepta omnia tam evidentia et omnibus etiam rudibus sunt obvia, ut ad instituendam rectè vitam, omnis revelatio inutilis et supervacanea sit, et solummodò ad procreandas lites accommodata : adeòque revelatio, quamvis esset solummodò promulgatio externa ipsius legis naturalis, est Deo indigna. Secunda est : Lex naturæ tam perfecta atque integra est, ut per illam unicuique hominum innotescant omnia officiorum suorum principia ; ita ut revelatione nihil doceri possint, in rebus ad religionem et mores pertinentibus, quod ratione non assequantur. Unde sequitur quodcumque supra rationem est, idem esse contra rationem ; neque illis posse homines devinciri officiis, nisi quæ ex præsentis suæ conditionis consideratione ratio detegere valeat. Tertia est : Lex naturæ ita est completa et immutabilis, ut illius præceptis nulla adjici possint mandata positiva, quæ omnia sunt contra iura bono publico et divinâ constantiâ indigna ; ex quâ sequitur religionem, tum Christianam, tum Judaicam, quæ abundant præceptis positivis, divinas esse non posse, et hominibus esse perniciosas (1). Quas propositio-

(1) Eandem doctrinam secutus est auctor libri, qui inscribitur *Emile seu de Educatione*. Docet tom. 3, pag. 150, 152, præter religionem naturalem, nullam aliam revelatam seu necessariam, seu utilem esse ; Deum omnia ad religionem et bonam vitam spectantia offerre omnium hominum oculis, conscientiâ, jussio ; per revelationem nihil hominibus innotescere posse ad gloriam Dei et hominum utilitatem, seu publicam, seu privatam pertinens, quod lex naturalis non præscribat ; nullamque virtutem « ex supernaturali cultu posse oriri quod « ex cultu naturali non consequatur ; » idèò omnem revelationem, quæ religioni naturali esset superaddita, supervacanea esse et inutilem. — Docet p. 177, naturam librorum quendam esse oculis omnium patentem et omnibus intellectu facilem, in quo quisque etiam extra societatem humanam in insulâ deserta positus, facile per facultates solas naturales omnia ad cultum Deo debitum et proximi amorem spectantia legere potest, ita ut quidquid præterea docere queant homines, illud fini huic assequendo nihil prosit ; non cerni revelationis

nes tribus articulis refellemus. In primo statuemus legem naturalem, qualis inest in plebisque aut etiam in omnibus hominibus, nullo modo sufficere ad instituendos eos perfectè ad religionem et bonam vitam : ex quo consequetur revelationem valdè expectandam esse, quamvis nihil contineret nisi præcepta naturalia, et esset quædam promulgatio clarior ipsius legis naturæ. In secundo efficiemus legem naturaliam utilitatem ; Deum, quæ ab hominibus exigitur, non docere per alterius hominis ministerium, sed ea cuicunque interius revelare et cordi unicuique inscribere ; idèò promulgationem externam ipsius legis naturalis nullam habere posse utilitatem. — Docet p. 153, 154, non opus esse revelatione, ut homines eum discant modum quo Deus colitur, nullamque esse probationem, quæ ad id adstruendum afferret, putam ex diversitate cultuum insuorum, quos varii instituerunt populi ; sine tantâ divinæ potentiae molitione, id est, sine divinâ revelatione posse induci et servari uniformitatem cultûs, nempe religionem à ritibus secerandam ; hanc in intimo cordis cultu sitam esse, qui si sincerus sit, semper est uniformis, adeò ut nunquam nisi una fuisset religio, si quod singulis in pectoris recessu monet Deus, homines auscultassent ; rituum autem seu cultûs externi uniformitatem, si societati est necessaria, ad politiam civilem attineret, quæ sola sine revelatione illi instituendæ ac fovendæ sufficit ; sed statim atque populorum animos subit hæc cogitatio loquentem Deum esse inducendum, tunc ad unumquemque eorum arbitrium loquentem esse inductum, et quæ singulis illis placita fuere, hæc divinis dictis fuisse ab eis annumerata. Ex censura sacræ Fac. Paris.

Quantò sapientius decrevit alius ex eadem sectâ philosophus : « Pour la possibilité d'une « révélation divine, l'homme dont il est question (le deiste ou l'homme raisonnable) l'admettra sans difficulté. Il ne trouvera pas « étonnant que la Divinité s'intéresse pour « l'homme, qui est son ouvrage ; que par ce « même endroit elle mette en œuvre différents « moyens pour le former et le perfectionner, « tels que peuvent être les soins d'un père « pour former et perfectionner ses enfants ; « qu'ayant placé l'homme au milieu d'une infinité d'objets différents, elle prenne soin de « l'avertir ou de l'instruire de l'usage qu'il en « doit faire ; que le laissant jouir de la vie si « peu de jours, elle l'avertisse encore de ce « qui l'attend au-delà, suivant l'emploi qu'il « aura fait de ce temps. L'homme que nous « supposons conviendra non seulement de la « possibilité de la chose, mais il pensera même « qu'il serait à souhaiter qu'elle fût : il comprendra que si l'intelligence que l'homme « a reçue, a besoin de quelque secours pour « se développer, de quelque instruction venant « du dehors, aucune ne pourrait être aussi « avantageuse que celle qui lui serait dispensée par l'auteur de son être. Voilà déjà la « possibilité et même l'utilité de la chose reconnue. » Religion essentielle à l'homme, c. 7, p. 75.

lem, qualis per rationem evoluitur (1), multò minùs dici posse perfectam, eo sensu quòd per eam innotescant omnes seu Dei perfectiones, seu inter nos et Deum aliaque entia rationalia relationes; ex quo efficitur supernaturalem dispensationem, quæ nobis aperiat rerum ordinem rationi impervium, quæque nos supernaturalibus devinciat officiis, esse possibilem. In tertio conficiemus legem naturalem non esse illo sensu immutabilem, ut nulla præceptis naturalibus adjici possint mandata positiva, atque hæc præcepta positiva multiplicem habere utilitatem: quæ tria continebunt generalem definitionem Religionis christianæ, quæ non est tantùm promulgatio legis naturæ, sed est essentialiter supernaturalis institutio, officia imponens supernaturalia, vires præbens supernaturaliales, et ad finem ducens supernaturalem; quæque confirmata est legibus positivis, aptis ad honorificentissimum Dei cultum, hominumque sanctificationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De summâ utilitate revelationis, quatenùs est externa promulgatio legis naturæ.

Per legem naturalem, quo nomine hic intelligimus legem rationis, vel intelligitur ratio cujusque hominis propria, seu illa collectio præceptorum, quam apud quemque promulgat propria sua conscientia, aut quam sibi proprio Marte potest conficere; et hæc est accuratissima notio legis rationis, quæ cuique non est lex, nisi quatenùs facultatibus naturalibus, et communi institutione innotescit, aut cum morali diligentia innotescere potest: vel intelligitur per legem rationis, ratio exulta philosophorum excellentissimorum, seu ratio quasi communis generis humani, id est, ea collectio

(1) Quatenùs per rationem evoluitur. Scilicet per legem naturalem philosophi, tum veteres, tum recentiores et etiam theologi, non semper intelligunt illam legem seu præceptorum collectionem, quam cuique homini promulgat propria cujusque conscientia, quæ varia est et magis aut minùs extenditur pro scientiâ cujusque: sed intelligunt legem illam principem, immutabilem et æternam, ideò naturalem dictam, quia in immutabilibus rerum naturis et convenientiis posita est. Hanc Cicero post Platonem definiit « rationem summam Joëvis, natam simul cum mente divinâ. » Scholastici vulgò appellant legem æternam; at in communi sermone et apud omnes scriptores retinet sæpè nomen legis naturalis: v. g., ubi dicimus omnia præcepta legis naturalis non esse obvia cujusque hominis menti, absurdum esset intelligere per legem naturalem illam collectionem præceptorum quam cuique promul-

gatur, quæ in variis ætatibus à diversis philosophis inventa, videtur posse, doctrinam et institutionem, aliorum hominum animis inculcari. Negamus legem rationis ullo sensu perfectam esse, ut summa non sit et semper fuerit revelationis utilitas, et homines in summam non sint ejus indigentia.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex naturalis, quatenùs per rationem cuique hominum innotescit, non est par et sufficiens ad eos instituendos perfectè ad religionem et bonam vitam, ita ut inutilis censeatur revelatio.

PROBATIO.—Legis cujusque duplex pars est, præceptum, quo indicatur quid faciendum sit, omittendumve; et sanctio, quæ imponitur ne-

gat propria conscientia: intelligitur regula uniformis et flecti nescia, nec commensurata majori aut minori cujusque hominis scientiæ. Hæc lex cum complectatur omnes rerum convenientias et ex illis nascentia officia, evoluitur magis aut minùs, magis etiam vel minùs distinctè, pro majore cujusque illustratione, seu interiori per rationem, seu exteriori per doctrinam; et illa etiam supernaturalis revelatio, quam continent libri nostri sacri, officiaque omnia christiana ex illa penduntia, pertinent sine dubio ad illam legem naturalem, æternam et immutabilem. Cum Tindallus in libro modò memorato multis laudibus extulisset legem naturalem, nuncupassetque divini throni assistentem sapientiam, hanc notionem non repudiârunt quotquot adversùs eum pro revelatione scripserunt, præsertim vir doctissimus Conybeare, nunc apud Anglicanos episcopus, sed nonnerunt illam legem esse intimam et soli Deo perfectè cognitam; ejus notitiam creaturis intelligentibus non nisi per partes communicari, et pro spirituum majori aut minore perfectione majorem esse aut minorem ejus evolutionem; legem naturalem naturæ humanæ propriam esse illam divinæ sapientiæ partem cum hominibus communicatam, aut, ut verbis Ciceronis utar, esse « divinam rationem in hominis mente confirmatam et confectam, » etc. Si ergo in illa propositione tot doctorum virorum censuris lamo-à: *Religio revelata neque est, neque esse potest alia à lege naturali magis evoluta, ponas à lege æternâ magis evoluta*, quæ vox eundem habet sæpe sensum, carebit omni vitio, et episcopus Antistiodorensis, qui multis verbis et eruditè demonstravit omnes leges quascunque esse ex lege æternâ derivatas, atque ejus evolutiones, invenitur ejusdem propositionis sic intellecta veritatem demonstrasse: hanc observationem necessariam judicavimus, ne contra auctoris mentem quibusdam ejus verbis falsus sensus alligatur. Vide legis divisiones supra allatas, et propositionem 2 de orig. Legis naturalis et quæ modò dicemus de christiana Religione principis et præceptis in articulo secundo hujus dissertationis. Ipse episcopus Antistiodorensis de Lege naturali hæc habet: « *De tous les philosophes du paganisme, Cicéron est*

cessitas morales parendi præcepto; in lege perfectâ, utraque pars perfecta esse debet, et ratio cujusque hominis lex perfecta dici nequit, nisi clarè de rebus ad Religionem et mores pertinentibus, saltem gravioribus, præcipiat; et ea simul proponat motiva, quæ aptiora sunt ad inclinandos homines ad præstandum legibus naturalibus obsequium. Sed sub neutro respectu ratio cujusque hominis lex perfecta dici potest.

1^o Ratio cujusque hominis propria non est perfectè præceptrix. Id primùm apparet ex omnium seculorum experienciâ, quâ comperit habemus, nullum unquam omnes ad vitæ optimam institutionem necessarias veritates comprehendisse. Videmus barbaras et efferatas gentes in vitæ ratione parùm à belluis abhorere; atque apud omnes gentes ad civilem cultum deductas, quæ neque Moysem, neque Christum institutorem habuerunt, magnam deprehendimus opinionum perversitatem. Etiam inter ipsos philosophos nullum reperimus, qui universam de Deo et moribus doctrinam complexus, omnia vitæ et religionis præcepta docuerit; imò qui veris falsa non miscuerit. Exempla perversarum apud barbaras et ethnicas gentes opinionum recensere nimis longum foret (1). Ex tam constanti experienciâ concludit Cotta apud Ciceronem l. 3 de Naturâ deorum rationem homines ducere non posse ad sapientiam. « Nam si consensu omnium philosophorum, ait, sapientiam nemo assequitur, in summis malis omnes sumus, quibus vos optimè consultum à diis immortalibus dicitis. Nam ut nihil interest utrum nemo valeat, an nemo possit valere; sic non intelligo quid intersit utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit. » Nos verò non eò usque progredimur, quia ad rem nostram necesse non est; quisque fortassè olim potuit et nunc potest ad sapientiæ et virtutis apicem pervenire; at saltem ex omnium, qui revelationis luce caruerunt, ignorantia et pravitate concludere licet, opem Dei supernaturalem, et hominibus valdè utilem, et homines in magnâ ejus indigentia extitisse.

Deinde quicumque attendere voluerit ad

« celui qui a parlé d'une manière plus solide et plus lumineuse de la LOI NATURELLE. Cette loi, dit-il, est universelle, invariable, éternelle... l'univers entier lui est soumis, » etc. Numquid non hic confunditur lex naturalis cum lege aeternâ?

(1) Vide Sextum Empiricum, Locke de Intell. hum. l. 1. A. Bayle Lettre sur la comète et à un prov. Lettres édifiantes. Voyages, etc.

ingenium, indolemque multitudinis, puto, deprehendet illam tot tantisque causis avocari ab investigatione officiorum, ut nulla spes sit illam proprio Marte in tali inquisitione multùm profecturam. Afferenda est primùm non levis attentio et in quærendâ veritate sedula diligentia; multa quippe ponderanda sunt, quæ sit natura Dei, quæ hominis conditio, quæ inter seipsum et Deum aliosque homines relationes existant, quæ sit actionum humanarum efficientia, et ex hisce principiis officia religionis et vitæ per seriem quandoque argumentorum difficilem, colligenda sunt. Secundò, afferendum est ad considerationem rerum sanum rectumque judicium, liberum à præjudiciis opinionibus: ut in physicis rebus necesse est perpetuò errare eum, qui falsis imbutus principiis et acri parùm præditus ingenio rerum naturalium investigationem tentat: sic in moralibus errores innumeros vitare nunquàm poterit, qui officiorum indagacionem ratione debili et errori assuetâ, aut judicio præconcepitis opinionibus vitiato, aggreditur. Tertio, afferendus animus pacatus et magna constantia: nam quem immoderata rerum terrenarum cura sollicitat, aut æstus abripit cupiditatum, hic parùm idoneus est philosophiæ studio. Libido caliginem mentibus offundit; universum statum interiorem immoderatâ suâ vi perturbat, sensus omnes corruptit, efficitque ut acclinis falsis animus meliora recuset, rationemque velut ingrati præcepticem aut accusatricem inimicam exhorreat.

Atqui hæc omnia ab hominum vulgo nullatenus speranda sunt. Paucissimi sunt, qui ad principia Religionis et morum attendunt, qui satis ingeniosi sunt aut satis vacati, ut scientiæ sese dedere possint. Plerique, contentionis omnis incapaces, res extra sensum positas vix cum præceptore assequi valent. Sed pauciores sunt quibus rectum sit sanumque judicium, et qui benè utantur ratione in inquisitione veritatis. Corruptunt enim judicium præconceptorum opinionum, quibus omnes fermè homines, qui sedulâ et diligent institutione caruerunt, ab ipsâ pueritiâ manciantur, et per totam vitam, quasi ad saxum, adhærescunt. Ciceronem audiamus: « Si tales nos natura genuisset ut eam ipsam intueri et perspicere, eaque optimâ duce cursum vitæ conficere possemus, haud esset sanè quòd quisquam rationem et doctrinam requireret... nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut

nusquam naturæ lumen appareat. Simul atque in lucem editi et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summâ opinionum perversitate versamur; ut penè cum lacte nutriticis errore suscipere videamur. Cum verò parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatæ natura ipsa cedat... Cum verò accedit eodem, quasi maximus quidam magister populus et omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate, à naturæque ipsâ desciscimus (1). » Denique quàm pauci sunt, qui rei familiaris sollicitudine non detineantur, aut perversis cupiditatibus non avocentur ab hæc veritatis inquisitione (2) !

2° Lex naturalis, sumpta pro ratione ejusque hominis propriâ, non habet sanctiones perfectissimas, seu non proponit hominibus ea motiva, quæ satis potentia sint ad inclinandos homines ad præstandum obsequium præceptis naturalibus. Hoc etiam confirmare possumus omnium temporum experientia : in quibus omnibus dicere potuit Juvenalis :

Egregium san tumque virum si cerno, bimbri
Hoc monstrum puero, vel miranti sub aratro
Piscibus inventa, et fetæ comparo malæ. (Sat. 15.)

De hæc hominum perversitate et conquesiti sunt in omni ætate legislatores, philosophi, historici, poætæ et oratores. In hæc eadem pravitate

(1) « Rien n'obscurcit tant les idées de vertu, que la nature avait gravées dans nos âmes en nous formant, que les faux dogmes et les lois d'état, qui sont contraires à la pureté de la loi naturelle. On a trouvé en naissant ces lois tout établies, elles sont munies du sceau respectable de la religion et de l'autorité souveraine : le moyen de soupçonner, que ce qu'elles ordonnent soit un crime, ou ce qu'elles défendent une vertu ! Que de peuples, même polices, ont poussé la barbarie, par principe de religion, jusqu'à immoler des hommes à la Divinité ! Tant que le crime passe pour un attentat contre la police établie, il ne tire pas à conséquence, et rarement le criminel se croit-il innocent. Mais est-il acéré par une loi ou par un usage universellement reçu, c'est alors qu'il entame les cœurs par l'endroit le plus important, ne se contentant pas de leur enlever leur innocence; mais, ce qui est mille fois pis encore, les rendant incapables de repentir. » Les Mœurs, p. 21. Nonne hæc olim fuit conditio populorum omnium, et etiamnum eorum quos lux Evangelii non collustravit ?

(2) « Il y a dans le cœur deux régions distinctes : l'une est une île un peu plus qu'à fleur-d'eau ; l'autre est l'eau même qui baigne l'île. La première a une surface plane, dure et blanche, comme serait une table du plus beau

cause suæ arcem posuerunt atheni. Ad frenandam hæc eandem intemperantiam hominum inventæ sunt civitates et leges in ultionem criminum latæ. Videtur ergo satis constare experientiâ rationem per se non esse optimam ad virtutem adhortatricem, seu non proponere hominibus motiva apta ad suspendendam vim immoderatam appetitûs et causas ad vitium sollicitantes.

Idem constabit, si perpendere voluerimus naturam illarum sanctionum, quæ adjunctæ sunt legi naturali. Etenim inclinamur ad virtutem sensu morali, quo percipitur virtutis pulchritudo et fœditas vitii; conscientia delicti, quæ angit malos, vel innocentia, quæ remunerat pios ac bonos viros; et ratione, quâ percipitur felix virtutis ad promovenda nostra commoda efficientia et contraria vitii natura. At 1° sensus moralis honesti et decori, quamvis à nullo prostris abist, tamen minimam vim in plerisque hominibus habere experimur; in illis solummodò mirabiles sui amores virtutis excitat, qui divino munere nati ingenui, optimam sortiti sunt institutionem, et qui se à cupiditatibus liberos servârunt. Majorem quidem habent vim illi metus naturales et ægritudines, quibus avocantur à vitiiis; sed etiam ad hæc naturæ monita, nescio quomodò, obsurdescimus; atque illis terroribus potius pœnas limum post admissa facinora, quàm à patrandis criminibus colibemur. Ex alterâ parte illa cause, quibus ad vitia sæpissimè sollicitamur,

marbre de Paros. C'est sur cette surface que sont gravés les saints préceptes de la loi naturelle. Près de ces caractères est un enfant dans une attitude respectueuse, les yeux fixés sur l'inscription, qu'il lit et relit à haute voix : c'est le génie de l'île; on l'appelle l'amour de la vertu. Pour l'île dont l'île est environnée, elle est sujette à de fréquents flux et reflux; le plus doux zéphir souffle pour l'agiter; elle se trouble, mugit et se gonfle. Alors elle surmonte l'inscription, l'on ne voit plus les caractères, l'on n'entend plus lire le génie. Mais du sein de l'orage renaît bientôt le calme, la surface de l'île sort du gouffre plus blanche que jamais, le génie reprend son emploi. » Ibid. Utinam ut bellè conficta, sic ad veritatem esset hæc imago composita ! Summe ergo mentis tabulis insculpta clarè sanctæ legis naturalis præcepta ? Vigetne in animis genius virtutis, ad leges inscriptas attentus, easdemque perpetuò relegens ? An ea plerorumque hominum tranquillitas interior est, ut sæpè ne levissima aura passionum maxime vacat ab ambitione, à cupiditate gloriæ, ab invidia, ab odio, à spiritu vindictæ, ab avaritiâ et libidine ? Unde ergo tanta et tam constans, tam confessæ et deploratæ ab omnibus plerorumque excitis et depravatio ?

sensus omnes tangunt, altâ voce vocant et invitant, continuâ assultibus fatigant. Ut ait Seneca Ep. 59: « Vitia de mercede sollicitant, avaritia pecuniam promittit, luxuria multas et variâ voluptates, ambitio purpuram et plausum, et ex hoc potentiam, et quidquid potentia ponit. » Imò tanta est cupiditatum vis, ut non tam invitare, quàm homines abripere videantur; illarum enim æstu plerique sic perturbantur, ut naturali quâdam cedant inclinatione, quam ii solum, qui in virtutis palestra sunt excreitati, sistere norunt. Videamus jam quod et quale præsidium habeat virtus in ratione. Docet quidem ratio per virtutem tutissimum esse iter ad felicitatem, neque dubium ullo modo esse potest diligenti rerum æstimatori, quin homines boni majori, quàm improbi, potiuntur solidâ felicitate. At quam sæpè contingit, ut virtus careat justissimâ mercede suâ? Quàm sæpè accidit, ut ipsa sua simplicitas atque candor bonis causæ sint ærumnarum et ruinâ fortunarum suarum? Dum ex alterâ parte scelere consequuntur improbi utilitates suas; unoque facinore eam opum vim et potentiam comparant, quibus in tuto collocantur. Hoc animadvertit ratio imbecilla, passionibus plerumque delimita, nunquàm earam satis severa iudex; lucroque appetitûs apponitur. Apparent quoque rationi virtutis præmia incerta et remota: virtus laudatur et alget: adest ante oculos criminis merces, semperque improbi illam spectant ut mularum suarum actionum certissimam consequentiam. Virtus ergo in nullâ re sufficiens habere præsidium videtur.

Obijcies 1°: Lex naturalis seu ratio hominibus data est à Deo ad eorum vitam regendam, neque frustra à Deo sapienti et bono data fuit. Atqui nisi esset perfecta et contineret omnia præcepta ad institutionem optimam vitæ pertinentia, non responderet huic fini. — Respondeo 1° argumenta metaphysica contra facta clarissima nullam habere vim. Eodem planè ratiocinio concludere liceret, nullos homines nasci cum membris ad functiones suas inutilibus; v. g., nullos nasci surdos vel cæcos. Nam oculis datus est à Deo ad res videndas, neque vanè à Deo sapienti et bono datus est. Conficeres etiam nullum esse in mundo malum neque physicum neque morale, quia hæc nobis non consentire videntur cum Dei summâ bonitate. Respondeo 2°: Distinguo majorem. Lex naturalis à Deo hominibus recens conditis data, naturâ adhuc

integrâ et incorruptâ, erat perfecta et apta ad perfectam vitæ informationem, esto. Lex naturalis ut in præsentî conditione naturæ humanæ cuique homini per facultates naturales innotescit, nego. Confitemur igitur libentissimè Deum dedisse homini legem relativè ad conditionem suam perfectam, aptam ad perfectam ejus informationem. Certum quoque videtur primam Dei progeniem non fuisse cæcam, neque surdam, sed certum est quoque rationem cujusque hominis illam perfectionem jam non habere. Certum est aliquos nasci cæcos et surdos. Quid igitur concludendum nisi hominem ex eo statu, in quo primitus conditus est, aliquo modo excidisse? Non est hæc duplicis status distinctio petiti principii, sed conclusio evidentissima ex duabus præmissis, quarum primam accipimus à Deistis, altera in experientiâ posita est.

At, inquit, distinctio hæc duplicis status non elevat omnem difficultatem, neque Deum absolvit. Nam est Dei voluntas etiam in hoc præsentî statu, ut homines omnia præcepta servent, quæ ipsi imposita primitus fuerunt; ad eadem officia obligantur. Jam verò estne Dei boni eadem omnia exigere ab hominibus ægrotantibus et graviter læsis, quæ sani solummodò præstare potuerunt? — Duo in hæc objectione nobis imputantur, quæ apud nos dogmata nullo modo sunt, et de quibus putamus pronuntiandum non esse. Primum est, quòd Deus ab hominibus malè sanis illa omnia exigit, quæ ab hominibus sanis exigebat. Sine dubio creditor æquus est parens optimus, non vult metere ubi non seminavit, usuram talenti commodatî tantummodò repetet, si amplius voluerit et vires dabit ampliores. Secundum est, quòd naturalia officia, quæ homines olim præstabant, nunc non possunt præstare, à quâ assertione puto etiam abstinendum, quia nescimus quousque laudabiles hominum conatus, quos Deus adjuvare paratus est, peringere possunt. Hoc certum est homines esse in summâ difficultate veritatis inveniendæ et virtutis exercendæ; hæcque difficultatem tantam fuisse, ut vix ulli existerint olim sapientes et benè morati viri. Hæc tanta difficultas sufficit, ut dicere possimus legem rationis esse imperfectam et homines esse in magnâ indigentia opis alicujus supernaturalis. Si Deus hominem ad terram aridam incolendam damnasset, quæ fruges non nisi maximo labore exercita funderet, cujus laboris homines impatientes vesci noxiis potius herbis spontè nascentibus elige-

rent, nonne hæc hominis conditio deterior esset quam nunc existit? Nonne in summâ indigentia essent divinæ opis, summumque æstimaretur beneficium, quidquid hunc laborem minueret?

Objicies 2^o : Lex omnis naturalis paucissimis veritatibus simplicissimis continetur, scil. notitiâ existentia et perfectionem Dei, et quod ad praxim attinet, scire oportet honorandum diligendumque esse rerum omnium parentem Deum, et benevolentia prosequenda esse omnia entia rationalia cum quibus est nobis juris communio. At hæc duo principia omnibus obvia et nota sunt, in omnibus mentibus sunt uniformia. — Respondeo 1^o hæc principia paucissima, præsertim ea quæ spectant naturam divinam, ante propagationem Religionis christianæ non esse visa Ciceroni tam obvia, tamque uniformia in omnium mentibus. Sic enim orditur libros suos de Naturâ deorum : « Cùm multæ res in philosophiâ nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis, Brute (quod tu minime ignoras), et perobscura quæstio est de naturâ deorum : quæ et ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria. De quâ tam variæ sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiæ esse scientiam, prudentiorum Academicos à rebus tam incertis assensionem colibuisse(1). »

(1) « Il y a de dangereux sophistes qui font de Dieu une image bien étrange : il y a des impies qui reconnaissent une divinité oisive et dédaigneuse, qui, de crainte de troubler son repos, n'entre pas dans le détail des affaires de ce bas monde, qui ne se tient pas offensée des injustices des hommes, ni honorée par leurs hommages. » Les Mœurs, *ibid.*

Auctor libri qui inscribitur *Emile*, scribit tom. 2, p. 352 : « Il est clair que tel homme parvenu jusqu'à la vieillesse sans croire en Dieu, ne sera pas pour cela privé de sa présence dans l'autre vie, si son aveuglement n'a pas été volontaire, et je dis qu'il ne l'est pas toujours. Vous en conviendrez pour les insensés, qu'une maladie prive de leurs facultés spirituelles, mais non de leur qualité d'hommes, ni par conséquent du droit aux bienfaits de leur créateur. Pourquoi donc n'en pas convenir aussi pour ceux qui, sequestrés de toute société dès leur enfance, auraient mené une vie absolument sauvage, privés des lumières qu'on n'acquiert que dans le commerce des hommes? Car il est d'une impossibilité démontrée qu'un pareil sauvage pût jamais élever ses réflexions jusqu'à la connaissance du vrai Dieu. » Et pag. 344 : « Le polythéisme a été la première religion des hommes, et l'idolâtrie leur premier culte. Ils n'ont pu reconnaître un seul Dieu que quand, généralisant de plus en plus leurs idées,

2^o Fatemur omnia legis naturalis præcepta, quæ vitam humanam spectant, contineri in illo principio, quod benevolentia generali omnia entia rationalia complecti debeamus, sed continentur tanquam conclusiones in principiis. Non simul cum ipso principio intuitivè apprehendantur, sed evolventa sunt per argumentationem et per difficilem quandoque consecrationem seriem. Pauca etiam sunt eaque obvia matheseos axiomata, ex quibus immensa deducitur disciplina à vulgi intelligentia longè disjuncta. Nisi etiam moralis disciplina haberet difficultatem aliquam, tantam laudem non comparavissent Socrates et alii, qui in eâ explicandâ ingenium exercuerunt. « Ex philosophis, inquit Cicero Tusc. qu. 1. 5, nonne optimus et gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare; multa sibi etiam atque etiam esse discenda? » Si philosophi optimi et gravissimi tantas in investigandis veritatibus difficultates experiantur, quantum magis abest rudis plebs ab hæc officiorum perfectâ comprehensione!

3^o Fortassè homines, veritatis detegendæ cupidi et vacui à præjudiciis, poterunt invenire illas omnes veritates, in quibus vita præsertim vertitur. Atamen ideò dicimus hoc à multitudine non esse expectandum, quia leves sunt plerumque homines, quia desides, quia impatientes laboris et contentionis, quia pravis sunt imbuti opinionibus. « Multis signis, inquit Cicero de *Amicitia*, natura declarat quid velit..... Obsurdescimus tamen nescio quomodo nec audimus. » « Mihi autem, inquit idem, non modò ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa quæ aliquè ex parte cerni videantur hebetes et obtusi. » « Sicut in luce solis vespertilionum oculi, habet Aristoteles, ita in rebus clarissimis mens humana. » « Mihi semper, inquit Plato in *Epinomide*, semper visum est et etiam nunc videtur, alias omnes artes non admodum difficiles esse; hominum verò ad rectam vitam institutionem omnium longè difficultatim(1). » Et l. 2 de *Leg.* dicit rarò evenire,

ils ont été en état de remonter à une première cause, de réunir le système total des êtres sous une seule idée et de donner un sens au mot de substance, laquelle est au fond la plus grande des abstractions. Tout enfant qui croit en Dieu est donc nécessairement idolâtre, ou du moins anthropomorphte. » Quàm hæc parùm consentiunt cum his quæ supra ex eodem descripta sunt col. 465 et 466!

(1) Hæc verba Platonis ad difficultates sacri ministerii traduxisse videtur S. Gregorius Magnus, cujus dictum hoc percelebre est : *Arrium regimen animarum.* P. S.

ut vel in senectute homines sapiant, rectasque habeant rerum notiones. Multa de difficultate inveniendæ in rebus divinis et moralibus veritatis habent etiam recentiores philosophi, ut Lockius in libro inscripto *le Christianisme raisonnable*. Imò copiosè in hoc argumento versari solent minuti quidam philosophi, à religione revelatâ multùm alieni, et respectu primorum principiorum legis naturalis nimis exaggerant mentis humanæ cæcitatem. Et profectò etiãsummi inter ethnicos philosophi et propemodùm omnes contra rationem sententiam non dixissent, ea quæ ubique olim obtinuit rerum divinarum ignorantia, vanissimæ paganorum religiones et infamia instituta summæ temeritatis Deistas arguunt. Quippe si officia religionis tam essent in aperto constituta, ut facilè et sine labore ab omnibus etiam rudibus perfectè cognoscerentur, quomodò, quæso, factum est, ut tam ridiculas circa deos opiniones tenerint? ut ne fortuitò quidem in rationabilem Dei cultum incidere, sed spiritùs immortalis loco, sol, luna, astra, fluvii et quæcumque inanima divinos acceperint honores? Qui factum est, ut bobus, crocodilis et vilissimis animalibus condita fuerint templa splendidissima (1)? Sua etiam habuerint delubra, non solum virtutes, sed fortuna, sed febris, sed metus et ipsa impudentia (2)? In cultu externo quàm multo ritus ridiculi sacerdotum ministerio perficiebantur? Quàm vana augurum et aruspicum disciplina et omnis veterum divinatio? Quàm multa scelera et flagitia diebus festis admissa erant et religione publicâ consecrata? Hic litabatur humano sanguine; illic scortationibus et impudicitis nomen colebatur, vel bæcchantium furoribus. Neque apud unum aut alterum populum hæc

(1) Firmiores videas apud eos (Ægyptios) opiniones de bestiis quibusdam, quàm apud nos de sanctissimis templis et simulacris deorum. Etenim lana multa expoliata, et simulacra deorum de locis sanctissimis ablata vidimus à nostris; at ne fando quidem iudicium est crocodilum aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptiis. Cic. de Nat. deor. l. 1.

(2) Nam illud Athenis quod, Cylonio scelere expiatio, Epimenide Crete suadente, fecerunt contumeliæ fanum et impudentiæ... araque vetus stat in palatio, febris: et altera Esquilæ matæ fortunæ, decestateque. Cic. de Leg. l. 2. Cupidinis et voluptatis et Iubentinx Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium. Idem de Nat. deor. l. 2. Tantis error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modò deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Idem de Nat. deor. l. 3.

impura instituta obtinuerunt, sed apud omnes propemodùm; non tantùm apud barbaras et efferatas gentes, sed apud excultissimas, in quibus scientiæ et artes floruerunt; neque solum ad breve tempus, sed ab antiquissimâ ætate: nam ethnica superstitiò apud omnes populos, quantumvis temporis et loci longinquitate divisos, invaluit. Sola illa gens, quæ Deum verum habuit appropinquantem sibi, à quo acceptam legem gloriatur, à communi contagione libera, rectè de Deo et officis sensisse deprehenditur (1).

PROPOSITIO II.

Generis humani, in omnem errorem et pravitatem prolapsi, reformationi philosophia præsidere non potuit.

PROBATIO.— Nam 1^o philosophiã duce nunquam confici potuit præceptorum perfecta collectio. 2^o Illa ipsa qualiscumque præceptorum summa, quam ex philosophorum scriptis conficere licuit, nunquam potuit humanâ doctrinâ et institutione apud vulgus promulgari.

1. Philosophia quidem in summam redigere omnia præcepta religionis et vitæ non potuit, ob has evidentissimas causas. Primò. Quia philosophorum nulla schola totam veritatem tenuit: illæ quæ de disciplinâ morali optimè meritæ sunt, ut Academia, Lyceum, Porticus, in absurdissimas opiniones abierunt. Multi numerantur divini Platonis, Aristotelis et Zenonis etiam in rebus moralibus errores (2). Neque facile alicui fuisset veritatem sparsam per sin-

(1) Vide de toto hoc argumento eximium opus et omni referentur eruditione Joannis Leiland cum hoc titulo: *Utilitas et necessitas Religionis christianæ, demonstratæ ex consideratione status religionis olim apud gentiles*.

(2) Plato uxorum communitatem commendabat; concubitus vagos seu fornicationem permittebat; infantium expositionem tam crudelem et à parentali affectione tam abhorrentem, non modò non improbavit, sed commendavit quidem, ubi non essent benè conformati; in festis Bacchi ebrietatem non damnat. Aristoteles tam obscurè de Deo scripsit, ut atheus à multis habitus sit; quàm ineptis argumentis confirmat novam suam opinionem de mundi æternitate! partium abactiones non condemnat, neque in infantes crudelitatem; turpes et lascivas deorum imagines approbat. Sæci maxime erant in scriptis obsceni; ipsis Deus igneus erat; pler que fatalem rerum concatenationem defendebant, fornicationem probabant universi, ipse etiam Epicætes: incestum etiam à naturâ maxime abhorrentem patris et filix, matris et filii concubitum non horrebant: quàm absurda sunt eorum dogmata! Faria sunt peccata; est aliquid quo sapiens antecede-

gulos in summam redigere. « Facile est docere, ut ait Lactantius lib. 7 div. Instit. penè universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam..... nullamque sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inane, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniant, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantùm elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdidierunt. Quòd si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam, colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens, potest. » Secundo. Philosophi clarissimi plerùmque auxilii et dubii extiterunt circa ipsa religionis et morum fundamenta. Audivimus jam supra Ciceronem dicentem : « Cùm multa sunt in philosophiâ nequaquam satis explicata, tum per difficilem et per obscuram quæestionem esse de Naturâ deorum. » Idem philosophus disserens de altero vitæ moralis principio, videlicet animi immortalitate : « Ea quæ vis, inquit Tusc. lib. 1, ut potero explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quæ dixerò; sed ut homunculus unus è multis, probabilia conjecturâ sequens : ultra enim quò progrediar, quàm ut verisimile videam, non habeo. » Ibidem scribit : « Nescio quomodò dum lego (ea quibus conficitur immortalitas animi) assentior; cùm posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnis illa elabatur. » « Credebam faciliè, ait Seneca, opinionibus magnorum virorum, rem gratissimam promittentium magis, quàm probantium. » Ipse Socrates, qui in morali philosophiâ totam ætatem consumpserat, in ultimo quem habuit ad amicos sermone dubitanter de vitâ futurâ locutus est, quod Tertulliano occasionem præbuit hæc scribendi : « Adeò omnis illa tunc sapientia Socratis de industriâ venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia competentæ veritatis. » Jam verò confitente ipso Cicerone, « nisi hæc pro certis habeantur, necesse est homines in maximarum rerum ignoratione versari, quibus sublatis (vel in dubium vocatis) nulla potest esse pietas, nulla sanctitas, nulla religio; et perturbatio vitæ sequitur,

dat Deum, quia Deus nature beneficio, non suo sapiens est; Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit ætate : si cui virtus animusque in corpore præsens, hic deos æquat.

magnaque confusio; fides etiam et societas humani generis et una excellentissima virtus iustitia tollitur. » Tertio. Quia philosophi neque cognoverunt, neque potuerunt cognoscere omnem veritatem ad perfectam religionis et morum informationem pertinentem. Quid enim ad religionem tantùm attinet, quantum cognitio viæ et modi, quo peccata expiari possint; et placari infensum sceleribus numen? quæ questio in totâ philosophiâ est momenti majoris et ad hominis tranquillitatem et salutem? Cùm quis in civitate aliquid adversus leges admisit, de re nullâ tam sollicitus est, et esse debet, quàm ut primum discat, quæ pœna legis violationi adjuncta sit; deinde quæ via ad veniam obtinendam minuendamve pœnam pateat : sic quoque in civitate Dei, quam novimus legibus æquis temperatam esse, nihil tantùm interest hominum peccantium (et omnes sumus) quàm scire quæ impendant nostris capitibus à justo iudice infligenda mala, et quomodò possint averti. At dum malum aperiebat ratio, minitabatque conscientia, remedium nullum afferebat philosophia. Docebat quidem illa Deum bonum non solum erga bonos, sed erga malos quoque; quandoquidem patientem eum et in puniendis sceleribus tardum observabat : verùm ut patientem, bonum et misericordem, sic sapientem, justum, sanctumque demonstrabat; misericordiam nihil posse detrudere justitiæ, neque posse exerceri nisi juxta sapientiæ et sanctitatis leges incommutabiles. Penitentia nunquam visa est philosophis neque videri debuit expiatio criminis sufficiens ad ulciscendum legum divinarum contemptum, ad vindicandam imperii divini majestatem, ad manifestationem divinæ sanctitatis, uti alio loco fusiùs conficiemus. Hincque sine dubio ad sacra omnis generis et expiatoria sacrificia veteres ubique confugerunt, et ipso humano sanguine litaverunt, rati pœnitentiæ esse aliquid adjiciendum. Quæ tamen sacrificia sapientiores haud multùm probabant et parùm apta putabant expiandis sceleribus, expectandumque ducebant, donec ipse Deus significaret hominibus quo cultu vellet honorari.

II. Quamvis philosophi conficere potuissent collectionem perfectam præceptorum, eam apud vulgum per disputationem philosophicam promulgare nunquam potuissent. Primò. Quia homines erudiendi philosophiâ addiscendæ nequaquam apti sunt. Oportet philosophiæ auditores esse veritatis studiosos, nam doceri non possunt, qui nolunt discere; esse quoque at-

tentos, alicujus contentionis capaces, in prosequendâ veritate constantes; esse etiam prædictos acuto satis ingenio, rectoque judicio, ut unâ cum præceptoribus religionis et vitæ moralis principia et officia evolvere valeant. Atqui experimur homines primùm esse à doctrinâ alienos, tædet eos discere, deinde esse leves, nec attendere rebus clarissimis, quæque incurrunt quodammodò in oculos; eosdem esse omnis contentionis incapaces, nec habere satis otii, ut vacare possint addiscendæ philosophiæ; paucos tandem pollere ingenio satis acuto, sanoque judicio, ut philosophorum rationes capere possint. Præterea vivendi scientiam in omni ætate et in omni conditione vitæ necessaria est; institutione ergo à primâ pueritiâ vel auctoritate inculcanda est, et ut habet Lactantius Inst. div. lib. 3, c. 16: « Adicienda est omnis philosophia, quia non studendum est sapientiæ, quòd sine et modo careat; sed sapiendum est, et quidem maturè. Non enim nobis altera vita conceditur, ut cum in hæc sapientiam quæramus, in illâ sapere possimus: in hæc utrumque fieri necesse est: citò inveniri debet ut citò suscipi possit, ne quid pereat ex vitâ, cujus finis incertus est (1). » Secundò. Ut philosophi docere possent humanum genus omnem veritatem, requirebatur, ut plurimi essent philosophi generis humani verè amantes, qui cæteros docere ea studerent, quæ philosophiâ duce cognovissent: pauci tanto operi parè non extitissent. Jam verò paucissimi semper fuère veri philosophi, qui religionis et morum legibus investigandis seriò allaborârunt; qui

(1) Sequerentur tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodò rationi inquirenda relinqueretur. Unum est quòd paucis hominibus Dei cognitio, saltem accurata, inesset: idque tum ob tardum multorum ingenium, qui ad sciendum naturaliter indispositi sunt, tum ob necessitatem rei familiaris, tum denique ob pigrum. Secundum inconveniens est, quòd illi, qui ad prædictæ veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter veritatis profunditatem, tum propter multa quæ præexiguntur; tum quòd tempore juventutis, dùm diversis motibus passionum anima æstuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem. Tertium inconveniens est, quòd investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admisceatur propter debilitatem intellectûs nostri in judicando et phantasmatum permutationem; et idè apud eos in dubitatione remaneret ea, quæ sunt etiam verissimè demonstrata, dùm vim demonstrationis ignorant et præcipuè cum videant à diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. S. Thomas lib. 1 contra gent. cap. 4.

superstitionibus et præjudiciis popularibus non sint obsecuti. Sapientissimis non tantoperè cordi fuit generis humani ad veritatem institutio, ut ad hanc procurandam molestias et labores in se voluerint suscipere. Socrates, Plato, Cicero, quibus nihil divini novit ethnica antiquitas, quos privatim irridebant deos, colebant publicè: docebantque uno ore, in iis quæ de religione constituta sunt, nihil esse immutandum, neminemque sanæ mentis id unquam susceptorum (1). Imò apud ipsos receptum fuit, expedire falli in religione civitates (2). Hinc cum Cicero multa in libris suis adversùs religiones paganorum scripsisset, monet illa non esse vulgò disputanda, ne susceptas religiones disputatio talis immutet. Mirari se cum Catone ait, *de Div.* lib. 2, quòd non rideret aruspex, aruspicem cum videret: jubet tamen ut in religione instituta pontificum et aruspicum scrventur. An idonei censi possunt veritatis magistri illi philosophi, qui *illam in injustitiâ detinebant, quique cum cognovissent Deum, non sicuti Deum glorificaverant*, sed ea fecerunt, quæ faciebant illi, quos stultissimos confitebantur? Tertio. Oportebat philosophos doctores gaudere quâdam apud vulgus auctoritate ex virtute et doctrinâ: nisi enim apud plebem in honore haberentur, suspicerenturque ut singulares viri, et hæc eorum reverentia frangeret vim sensuum, cupiditatum, præjudicatorum opinionum et malæ consuetudinis, paucissimi illis docentibus præbuissent benignas aures, quamvis aperta et clara protulissent. At quæ philosophorum apud plebem auctoritas esse potuit (3)? Inter se perpetuò divisi

(1) Socrates probabat illud oraculi Delphici responsum, *Deos ex instituto civitatis colendos esse*, et morti proximus rogavit familiares suos, ut Esculapio gallum quem voverat pro se sacrarent. Cui consentit Cicero lib. 2 de Leg. « A patribus acceptos Deos placuit colere... illud ex institutis pontificum et aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum enique Deo. » Seneca apud S. Aug. de Civ. Dei lib. 6, c. 10: « Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longa superstitione congesti, sic adorabimus, ut meminerimus cultum istum magis ad morem quàm ad rem pertinere. » Et alibi: « Quæ omnia sapiens servavit, tanquam legibus jussa, non tanquam diis grati. »

(2) Expedire existimabat Sævola pontifex maximus falli in religione civitates. S. Aug. de Civ. Dei lib. 4, c. 10. Varro de religionibus loquens evidenter dicit multa esse vera, quæ vulgò sciri non sit utile; multaque, quæ tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat. Hic certè totum consilium prodidit sapientum, per quos civitates et populi regerentur.

(3) Nullam fuisse apud plebem philosopho-

de omni re litigabant : et præterea suâ vivendi ratione præceptis omnem vim adhibebant. Vita hominum carpebat vitiiis ipsi mancipati, quod illis exprobrat Tullius Tuscul. lib. 2 : « Hæc eadem (morum regulas) num censes apud ipsos philosophos valere nisi admodum paucos, à quibus inventa, disputata, descripta sunt? Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo et vitâ constitutus, ut ratio postulat : qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet; qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? videre licet multos libidinum servos, » etc. (1).

PROPOSITIO III.

Legis naturalis externa per revelationem promulgatio aptissima via est ad homines erudiendos et ad virtutem excitandos, proindeque hominibus utilissima.

PROBATIO. — 1^o Per revelationem externam clarius, brevius et perfectius doceri possunt homines rudes ea quæ pertinent ad religionem

rum auctoritatem fatetur Cicero : « Est philosophia paucis contenta iudiciis, multitudinem consultò fugiens, eique ipsi suspecta et invisa : ut vel si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit. » Tuscul. disp. lib. 1, c. 4. Ibid. lib. 5, c. 2.

(1) Je consultai les philosophes, je feuilletai leurs livres, j'examinai leurs diverses opinions; je les trouvai tous fiers, affirmatifs, dogmatiques, même dans leur scepticisme prétendu, n'ignorant rien, ne prouvant rien, se moquant les uns des autres; et ce point commun à tous, me parut le seul sur lequel ils ont tous raison. Triomphants quand ils attaquent, ils sont sans vigueur en se défendant. Si vous pesez les raisons, ils n'en ont que pour détruire; si vous comptez les voix, chacun est réduit à sa sienne; ils ne s'accordent que pour disputer: les écouter n'était pas le moyen de sortir de mon incertitude. Je conçus que l'insuffisance de l'esprit humain est la première cause de cette prodigieuse diversité de sentiments, et que l'orgueil est la seconde... Quand les philosophes seraient en état de découvrir la vérité, qui d'entre eux prendrait intérêt à elle? Chacun sait bien que son système n'est pas mieux fondé que les autres; mais il le soutient, parce qu'il est à lui. Il n'y en a pas un seul, qui, venant à connaître le vrai et le faux, ne préférât le mensonge qu'il a trouvé à la vérité découverte par un autre. Où est le philosophe qui, pour sa gloire, ne tromperait pas volontiers le genre humain? Où est celui qui, dans le secret de son cœur, se propose un autre objet que de se distinguer? Pourvu qu'il s'élève au-dessus du vulgaire, pourvu qu'il efface l'éclat de ses concurrents, que demande-t-il de plus? L'essentiel est de penser autrement que les autres. Chez les croyants il est atténué, chez les athées il serait croyant. Emil. lib. 1, p. 27.

et bonam vitam : imò verò fides sola via est apta erudiendis rudibus. Nam experientiâ constat præcepta vivendi facilitis mentibus hominum inculcari, ut articulos fidei, quam ut scientificas conclusiones; multos ubique invenimus qui fide imbuti veritatis receptis ex auctoritate constanter adherent; paucissimos qui in philosophiâ versati per causas didicerunt; pauciores qui proprio studio valeant ratione veritatem consequi. Non solum in rebus ad religionem pertinentibus, sed in omni vitâ civili homines fide ducuntur: pauca perfectè norunt, plura credunt; nulli fermè sunt, qui suum adhibeant iudicium et qui id non habeant ratum, quod iudicatum vident ab iis quos maximè probant (1); et ubi iudicandum est, magis sunt à naturâ comparati ad recta de factis ferenda iudicia, quam ad argumentorum vim explorandam; certitudinis moralis, quam metaphysicæ, meliores aestimatores. Præterea revelatio medetur illis omnibus incommodis supra enumeratis. Ideò vulgus hominum incapax est addiscendæ philosophiæ, quia rude caret ingenio satis acuto, quia caret otio, quia leve præceptionibus philosophorum rarè aures benignas accommodat; quia pervicax ad quamcumque disciplinam fuerit fortitudo delatum, illi quasi affixum saxo adhærescit. Jam verò testante Deo, non est opus inquisitione, neque acri et perspicaci ingenio, neque multo otio; quia per revelationem sine labore ea innotescant omnia etiam pueris, quæ non nisi post adultam ætatem et post longa studia consequuntur philosophi. Ad divinam vocem arrectas aures habere homines solent, atque eorum animis impressa manent mandata celestia, dum elaborantur humana. Denique præceptionibus divinis mentem submittimus, neque continenter cum omnipotente contendere audent. Imò ipsi philosophi in externâ promulgatione legum naturalium sine dubio multa invenient adjumenta scientiæ et veritatis adminicula. Nam philosophi quocumque polleant ingenio, non apprehendant intuitivè omnia præcepta naturalia, sed eadem ratiocinando concludunt: proindeque illud omne, quod investigationem veri feliciter promovere potest

(1) Hujus rei evidentissimam continent demonstrationem pervagata olim apud omnes gentes de religione et sacris absurda dogmata, quæ nullam habebant ex ratione commendationem fatentibus philosophis omnibus, sed temerè et gradatim introducta usu ipso convalescerunt, et per traditionem et institutionem majorum propagata sunt.

aut ab errore revocare, maximæ utilitatis est. Atqui complexio legum naturalium per revelationem promulgata multum juvaret etiam perspicacissimos: primò oculis exhibendo eas veritates, ad quarum demonstrationem mentem conferre deberent. Sic, v. g., si haberemus solummodò enuntiata theorematum in libris mathematicorum contentorum sine ullis demonstrationibus, facilius certè mathematica disciplina inveniretur, quàm si illis careremus enuntiatis. Idem de morali disciplinâ verum est (1); et quia hæc caruerunt veteres philosophi, « errarunt velut mari magno, ut habet Lactantius, nec quò ferirentur intelligebant: quia nec viam cernebant, nec duces sequebantur. » Recentiores Deistæ perfectionem complexionem legum naturalium confecerunt; an quia Pythagoram, Socratem, Platonem vincunt ingenio et gravitate? An non potius propter illam ipsam revelationis lucem, quam ingrati aspernantur? Secundò, si veteres habuissent præceptorum collectionem, quam à Deo accepissent, non fuissent profectò in rebus maximi momenti tam dissentientes, tantisque implicati erroribus. Tertiò, vox divina omnem sustulisset anxietatem et dubitationem, quam in animis philosophorum relinquere videtur ratio, etiam circa res gravissimas, easque maximè confirmatas.

2º Per revelationem externam non solum clariùs, brevius et sine erroris admixtione docemur præcepta vitæ et religionis, sed additur etiam præceptis auctoritas, quâ fortiùs ad obsequendum inclinentur homines. Sic quamvis quisque investigare posset omnem moralem disciplinam, multò tamen idem efficacius commoveretur ad officia exequenda, si eadem illi à Deo ipso externè injungerentur et miraculorum splendore confirmarentur (2). Et verò, quod maximum est, per divinam revelationem in clariori luce constitui possunt futura virtu-

(1) « Nam neque tam est acris acies in naturis hominum atque ingenis, ut res tantas quantum nisi monstratas possit videre: neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modò adpexerit. » Cic. de Orat. l. 3.

(2) « Dei præcepta quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maleducus, effrenatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem..... Nam quis hæc philosophorum aut unquam præstitit, aut præstare, si velit, potest. » Lact. de falsâ Sap. l. 5.

tis præmia et vitio destinata supplicia. Nam etsi ratione confici possit manere animos post mortem et experturos esse pro meritis bona vel mala, tamen quoniam imperfectè apprehenditur futuræ vitæ conditio et sibi fingunt homines quidquid velint, non satis solent futurorum honorum vel malorum expectatione commoveri. Sed si Deo admonente intelligamus paratum esse bonis regnum, ubi admissi ad intuitivum Dei conspectum consecuturi sumus immensum et inenarrabile gloriæ pondus; et ex alterâ parte impios horrenda manere supplicia, vermem nunquam moriturum, ignem inextinguibilem: quis dubitet, quin majorem habituræ sint vim ad impellendos nos ad virtutem vel coercendos à flagitiis hæc expressæ denuntiationes, quàm fictæ camporum Elysiorum et Stygis imagines?

Propter hanc revelationis utilitatem maximam, videmus summos philosophos illam ardentibus votis expetisse et etiam aliquibus spem affulsisse tantî à Deo muneris. Certè Plato in *Epinomide*, postquam docuit pietate nihil majus inter homines esse, subjungit: « docere eam neminem posse nisi Deus, quasi dux et magister, præverit. » In ejusdem Platonis *Aticib.* 2, postquam docuit Socrates justitiam ac sapientiam apud homines sanâ mente præditos in summo pretio esse, sapientes verò ac justos illos esse, qui intelligunt quid faciendum, dicendumque sit apud deos et apud homines, tum fatetur ignorare homines quid diis gratum sit, idèque concludit « nihil tutius atque consultius esse, quàm quiescere et expectare donec aliquis didicerit, quo animo et erga deos et erga homines esse oporteat. » Sic etiam in *Phædone*, qui dialogus est de immortalitate animæ, postquam Simmias dixit idem sibi videri quod Socrati, nempe de hujusmodi rebus certam ratamque cognitionem habere aut planè esse impossibile, aut supra modum esse difficile, monet humanarum rationum quæ melior sit, id est, quæ minus refutari possit, eam eligendam atque tuendam, « nisi quis firmiore quodam vehiculo, aut verbo quodam divino transvehi possit. »

Objicies: Si aliquam asferre posset hominibus utilitatem revelatio, vel ad certiore[m] vel ad faciliorem officiorum cognitionem. Atqui tum certius, tum faciliùs ratione, quàm quovis alio modo cognoscuntur. Certius quidem, quia certitudo quam parit ratio est metaphysica et demonstrationi innititur: certitudo quam parit auctoritas est ad summum moralis, sed illa

nanc vincit. Præterea ea est natura certitudinis moralis, ut perpetuò minuatür donec tandem evanescat. Nam ut observavit Lockius *l. 4 de Intell. hom. c. 16*, etsi instrumenti apographum signatum testibus fide dignis in foro fidem faciat, tamen exemplum apographi, quicumque confirmatum auctoritate, nullius est ponderis. Sic quoque homini, cujus probitas comperta est, dicenti se vidisse, fidem facillè addimus; sed si referat se ab alio accepisse, minus firma est assensio. Deinde facillior quoque via est ad veritatem per rationem, quam per auctoritatem: nempe difficillius est dijudicare revelationem veram à falsà, quam naturâ duce pervenire ad veritatem, idque ob multiplicem causam: imprimis ob varietatem prætersarum revelationum, cum nulla gens unquam fuerit, quæ diis acceptam religionem suam non retulerit. Imò hæc varietas sufficiens argumentum videtur ad refellendas quascumque probationes, cum ostendat plebem ad res miras cum summa credulitate suscipiendas propensam semper fuisse, et existisse in omni ætate veteratores, qui populos in religionibus fallerent. In omni religione per traditionem propagata multa in dies immutantur, tolli solent vetera instituta, ut novis locus fiat: adeoque longè major est illius labor, qui præcepta vivendi ex auctoritate, potius quam ex ratione accipere velit.

Respondeo: Nego minorem, quoad utramque partem. 1^o Fatemur quidem quòd si præcepta morum et religionis forent per se evidentiâ et eorum veritas intuitivè apprehenderetur, illa tunc certius cognosci non posse; sed quia paucissimi homines eâ pollent ingenii facultate, ut illas sibi possint conficere demonstrationes, manet revelationis summa utilitas respectu multitudinis. Manet etiam respectu sapientum, quamvis in minori sint illius indigentia: quia externa promulgatio præceptorum naturalium, confirmata miraculorum et prophetiarum splendore, confirmat animos jam veritate per rationem imbutos, efficitque magis constantes, dubiis et suspicionibus minus obnoxios: est lucis quoddam augmentum, quia hæc externa promulgatio magis auctoritativa est, quam ea quæ fit per rationem; et cum omnes sensus feriat, attentionem majorem provocat. Deinde, quod spectat moralem certitudinem, constat in vitâ civili eam eandem vim habere ad persuadendos homines, quam habet certitudo metaphysica, imò esse ingenii hominum magis accommodatum. Adhibemus fidem sensibus et testimonio hominum sine ullâ errandi formi-

dine. Cui enim philosophico principio firmiter adhaeremus quam factis positis in consensione omnium? Prius dubitarem de æqualitate trium angulorum in triangulo et duorum rectorum, quam de existentia Henrici quarti et ejus infelici exitu. Sic quamvis immortalitas animi optimis rationibus fuerit à Platone et aliis demonstrata, tamen Cicero scripsit, quod multi experiuntur: « Dùm lego, assentior; cum posui librum, omnis illa assensio elabitur. » Atque ad persuadendum quemcumque hominem, non solum rudem, sed etiam philosophum, nullum esset argumentum magis accommodatum quam mortui sepulchrique amici frequens apparitio et de rebus hujus et alterius vitæ sermo gravis et constans, in his circumstantiis cum omnes sensus sine ullâ perturbatione essent liberrimi. Quocumque igitur nomine vocetur certitudo quam parit ratio et illa quam pariunt sensus et consensus hominum, certum est hanc illi nullo modo, quoad vim et efficaciam ad persuadendum, concedere.

Ad id quod additur ex Lockio respondemus rectè esse constitutam ut non valeat exemplum apographi, licet valeat ipsum apographum, non quia certi esse non possumus exemplum esse accuratè descriptum, sed quia nulla ratio est cur non alectur ipsum instrumentum: rejici debet testimonium magis remotum, cum aliud minus remotum haberi possit. Sed si aliquo casu instrumentum ipsum primum interisset, sine dubio apographum locum ipsius instrumenti teneret, ex quo postea alia apographa valerent. Sic in religione traditâ, cum vetustate consumpta sunt prima instrumenta, regula juris non vetat quin valeant antiquissima et fide dignissima apographa et ex illis nova descripta.

2^o Valdè absurdum est asserere homines facillius invenire posse per rationem vitæ præcepta, quam eadem per revelationem accepta magistrorum institutone addicere: cum experiamur nullos planè priori modo informari, totum genus humanum institutione à parentibus, magistris et publicâ fide acceptâ, ubique reipsâ erudiri, videtur ex eo sequi homines facillè institui, difficillè philosophari. « At extiterunt in omni ætate impostores, qui populos fallerent, et idcirco profundè sunt spiritus utrum ex Deo sint; atque hoc examen difficillius est, quam ipsam veritatem per rationem invenire. » Nequaquam: non est difficillius primò maxime rudibus et ad omne examen ineptis, his enim omnia æqualiter sunt difficilia;

et summa eorum felicitas est, si sorte nascenti hoc summum acceperint à divini providentiæ beneficium, ut cum lacte suscipiant veritatem, cujus inveniendæ pares non fuissent. Aliis supra horum conditionem positis facilius est factum dijudicare, quàm philosophicâ disputatione veritatem invenire; quia experimur hos ad ratiocinam quamvis ineptos, tam benè contextere narrationem facti, cujus ipsi testes fuerunt, et rectè judicare de aliorum relationibus. Quod spectat prudentiores et doctiores, qui solent præsidere ceterorum hominum religionibus et opinionibus, nullum dubium esse potest, quin summam inveniunt utilitates in religione revelatâ propter rationem multiplicem supra allatam. Uno verbo sit facilius, quantum velis, exploratio veritatis, revelatio divina eandem veritatem exponens et confirmans, afferret sine dubio argumenta scientiæ et consequenter crit valdè utilis.

« At, inquis, religio traditione propagata immutari potest, libri quibus continetur possunt interpolari et adulterari. » Hoc è numero rerum possibile est: sed ex hac generali observatione non sequitur quancumque religionem reverà mutationi obnoxiam fuisse, omnesque libros esse corruptos. Si postulent à nobis deistæ, ut librorum sacrorum vindicemus integritatem, non feremus ægrè, id nobis sine dubio incumbit: sed ex vanissimâ suspitione contra nos concludere, uti solent, temeritatem habet maximam. « At quomodò vulgus hominum, qui neque sermonem, in quo scripti fuerunt libri sacri, intelligunt, sensum verum certò poterunt exprimere, cum translationibus uti cogantur? » Poterunt novisse illas translationes accuratas esse ex consensione omnium seculorum et publicâ fide, ex consensione ipsorum deistarum, qui hoc seriò negare non audent.

« Sed populus semper avidus fuit novarum revelationum, » esto; ergo nulla vera: quàm ridicula conclusio! Unde orta est hæc populi ad recipiendam revelationem propensio, nisi ex conscientiam suæ ignorantiam et sensu illius indigentiam, in quâ erant constituti, aut ex antiquissimâ traditione acceptâ à communibus parentibus, quâ sciènant Deum olim cum hominibus locutus esse. Generalis hujus effectus generalis aliqua causa assignari debet, et præter illas duas vix aliquam, quæ communis sit, poteris invenire. Sed si illa omnium hominum olim credulitas orta sit ex sensu suæ ignorantiam et indigentiam summæ, in quâ erant reve-

latæ religionis, ergo contra communem hominum sensum negant deistæ revelationem esse utilem, et deprecantur munus ab omnibus expetitum. Vel si omnes olim crederint Deum curare res humanas, et homines alloqui non dedignari ex veteri traditione, ergo manebit existentia revelationis confirmata unanimi votis humani generis fide et persuasione, necdum propterea haberi possit incredibilis (1).

(1) Auctor libri dicti *Emile* multis verbis disputavit contra ea, quæ modò confecta sunt, quorum hæc summa est: affirmat ad cognoscendam revelationem, eique prudenter assentiendum, infinitus opus esse disquisitionibus et immensâ eruditione, et remotissimarum antiquitatum memoria aliis repetatur; ut prophetiæ, revelationes, facta, monumenta fidei omnia et eorumdem tempora, loca, auctores et occasiones expendantur; ut instrumenta authentica à supposititiis secerantur; ut versiones cum scriptis primigeniis conferantur; ut judicetur utrum nihil in iis suppressum fuerit, nihil additum, nihil transpositum, nihil mutatum, nihil adulteratum, nihil contradictionis supersit; an testes sinceri, prudentes, intelligentes, nec partium studio abrepti; cujus ponderis sit adversariorum silentium circa facta adversus eos prolata, etc. Præterea cum ex variis religionibus quæ pro revelatis venditantur et sese mutuò excludunt, una tantum sit vera, si qua tamen vera sit, universas, ut omnis à judicio temeritas absit, esse ab unoquoque sedulo examinandas; non unius solum, sed omnium religionum doctores esse audiendos; si quis de hoc argumento libris doceri quærat, ei omnes per mundum sparsos legendos esse libros et omnes addiscendas linguas; neque id satis esse, cum plures extent nationes numerosæ apud quas libri non eduntur, neque nostri leguntur; cumque sententia libris expressa sæpè scriptoris menti non consonet, cujus habetur exemplum in libro Bossueti inscripto *Expositio Doctrinæ Ecclesiæ catholicæ*, in quo doctrina exhibetur longè distans ab eâ quam populis suis pastores catholici tradunt; ut certum de religione aliquâ feratur iudicium, populos qui hanc sequuntur esse inviendos, et apud eos eandem esse inspicendam, quod per totum orbem peregrinandi imponit necessitatem; non esse veritatis argumentum, quòd rationi conformis nobis appareat cultus quem Deo impendimus, siquidem apud varias nationes inveniuntur viri cordati, iudicio praditi et veritatis amatissimi, qui pariter cultum suæ nationi proprium, quantùmlibet nobis insulsus et aliis absurdus videatur, sentiant cum ratione et veritate consentire; revelationes Judaicam et Christianam, ut et Mahumetanam, scriptas esse linguas quas jam populi eis adhærentes nesciunt; istud autem, nempe Deum ad homines docendos ut sermone eis ignoto, certè non esse viam eos docendi simplicem, versos quidem esse libros sacros, sed neminem esse sponsorem interpretationes esse, aut etiam posse esse accuratas, nec quid causæ esse cur Deus interprete indigeat; à Catholicis frustra ostentari Ecclesiæ auctoritatem, quippe

ARTICULUS II.

De revelatâ religione quatenus est dispensatio supernaturalis.

Religio christiana non est solummodò promulgatio externa legis naturæ, quæ nos docet clarè ac sine ambiguitate, cum magno compendio, sine ullius erroris admixtione et cum summâ auctoritate omnia principia et officia religionis ac vitæ moralis: sed est etiam supernaturalis dispensatio, quæ novum aperit rerum ordinem rationi non investigabilem, institutum ad reparationem humani generis per peccatum lapsi et depressi, procedentem auctoritate Christi mediatoris et Spiritûs sancti ministerio; quaque propter nova hæc beneficia ordini naturali superaddita homines fortius devincit officiis amoris, gratitudinis, fiducia, devotionis, cæterisque omnibus, etiam erga

qui ad hanc asserendam non minori opus habent apparatus, quàm aliæ sectæ ad suam doctrinam directè adstruendam, et qui, nisi velint in hac parti probatione consistere: Ecclesia definivit sibi jus esse definiendi, revocantur ad omnes memoratas disquisitiones, etc. Ex censurâ Fac. Par. jam laudatâ.

Certè admirationem cujusque habere debet quomodò vir ingeniosus et sagax sic sophistam agere potuerit. Novit ipse benè plerasque prædictas observationes esse plane inanes, ferè omnia quæ objectat non modò non esse incerta, sed esse extra controversiam, esse notoria, habere evidentiam facti. Et quàm absurdum est asserere, nos non posse esse certos de authenticitate, integritate, et sensu saltem in principibus librorum novi Testamenti, aut securus de auctorum bonâ fide, quin utrumque potum, et duos Indos adeamus et omnium hominum sensus exploremus! Quæ probatione aliquâ egebunt, et in sequentibus confirmantur; hoc loco superiori declarationi hanc solummodò opponemus simplicem propositionem: « Resurrecto Christi, aliæque facta historica in quibus ponitur divina Christi legatio, habeant summam moralem evidentiam, et consequenter veritas Religionis christianæ in illis factis, aliisque argumentis internis posita, sese hominibus doctis offert cum summâ auctoritate; atque etiam in regionibus christianis sese offert etiam rudibus cum majore auctoritate quàm est ea, quâ in rebus civilibus inclinatur. » Hujus propositionis veritatem totius operis tenor comprobabit. Sed absurdum aliunde est velle probare id fieri non posse, quod reverà factum est. A mille et octingentis annis ingens hominum multitudo constantissimè adhæret Religioni christianæ, pars evidentibus adducta argumentis; pars altera prudentissimè auctoritate societatis seu Ecclesiæ christianæ inclinata: et qui hanc Religionem puram non servârunt, ut hæretici, imò et ipsi Mahumelani, imò et deistæ, summam tamen ex eâ perceperunt utilitatem. Rei ergo experimento refelluntur inania auctoris nostri contra revelationis utilitatem ratiocinia.

hos patronos suos. Non pertinet ad præsens nostrum institutum hanc dispensationem fusiùs evolvere aut defendere; animus est solummodò generatim ostendere ejusmodi supernaturalem dispensationem non esse impossibilem nec inutilem dici posse.

PROPOSITIO.

Revelatio considerata ut nova dispensatio et manifestatio mysteriî supra rationis captum possibili, possibilis est et exoptanda.

PROPOSITIO. — Nam si revelatio hoc sensu intellecta esset impossibilis, vel quia religio naturalis ea omnia complecteretur quæ sciri possunt, tum de Dei naturâ, tum de hominis conditione, tum de divinis in hominem consiliis; et proinde nulla esset revelationis materies, vel quia Deus non potest nos docere de rebus incognitis, aliter quàm per rationem et argumentationem ex primis principiis: sicque omnis revelatio externa esset quoad modum impossibilis; vel quia talis revelatio humano generi inutilis foret, et propterea divinâ sapientiâ indigna: atqui 1º absurdum est dicere religionem naturalem, quatenus per rationem humanam innotescit, complecti ea omnia quæ sciri possunt, vel circa Dei naturam, infinitasque ejus perfectiones, vel circa hominis conditionem, seu primævam, seu presentem, seu futuram, vel circa divinam in nos providentiæ consilia, ut satis patet. Docet Religio christiana esse in divinâ naturâ distinctiones personales; hominem primitivè immortalem conditum fuisse, auctum gratiæ donis indebitis, atque ad interiorum in statu supernaturali cum Deo conjunctionem destinatum fuisse; eundem nunc nasci filium iræ, ejusque facultates passas esse gravem mutationem, neque pristinam excellentiam propriis viribus recuperare posse; quemque in magno esse periculo æternæ damnationis (1). Hæc omnia impossibilia esse non demonstrant deistæ, et revelationis supernaturalis materies esse possunt. 2º Revelatio divina continens mysteria inscrutabilia, quoad modum non est impossibilis, quia infinitis modis auctor naturæ suam nobis mentem manifestare potest, vel clarâ voce sicut Moysi ex rubo ardente, sicut Judæis in Sina monte legem dedisse credimus. Potest etiam prodigus

(1) In ordine morum, consilia evangelica tam coelestis perfectionis, voluntatem humanam perficientia, sicut intellectum dogmatis christiana, a quæ sunt supernaturalis revelationis materies.

et virtutibus oculis ipsis obviam facere voluntatem suam. Potest denique qui nos variis imbut cognitionibus, et intuitivam concessit primorum principiorum cognitionem, eodem modo illustrare mentes hominum circa eas res, quæ iam ipsi imperviæ sunt: neque creator naturæ caret illâ illuminandi facultate, neque humanus intellectus illustrationis istius incapax est. 3^o Revelatio illa non foret inutilis, ac consequenter indigna divinâ majestate. Nam illud non est inutile quod hominem perficit, et novis excitat ad pietatem momentis: sed ex revelatione quâ homo illustraretur circa eas res quarum notitiam assequi ratione non vallet, profectò sapientior et perfectior evaderet, atque ex ampliore divinæ naturæ et suæ conditionis cognitione nova exorirentur motiva pietatis. Ergo ex nullâ parte revelatio, considerata ut nova dispensatio supra rationem, impossibilis est, aut divinâ majestate indigna.

Obijcies: Illa dispensatio planè inutilis est, sine quâ rectè vivitur; quæ negligi potest, et tamen ad virtutem pervenitur. Atqui sine revelatâ religione per solam legem naturalem cognosci possunt omnia necessaria præcepta ad institutionem religionis et vitæ. Revelatio mysterii absconditi nullum novum imponit hominibus officium, necessarium ad rectam vitæ institutionem. — Respondeo, nego minorem: non est hæc recens seu nova adversus religionem revelatam argumentatio; legimus apud sanctum Augustinum paganos ita disputasse adversus Christianos. « Invenis multos, ait Enarratione in Ps. 51, propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bonâ vitâ suâ. Benè vivere opus est? Quid mihi præcepturus est Christus? Ut benè vivam? Jam benè vivo. Quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam invenitur in vitâ meâ aliquid quod reprehendatur, et qui reprehenderit faciat Christianum. » Sed profectò in re gravissimi momenti multum aliena est à ratione hæc in propriis suis meritis securitas; ea est auctoritas Dei, ut ad ejus verba aut etiam quancumque revelationis suspensionem arrectas aures semper habere debeamus, neque ullo modo circa ea quæ ad cultum Dei pertinent nobis licet esse incuriosis, etiamsi non cerneremus ejus essent utilitatis ea quæ cœlitus dicuntur revelata. Verùm si vel leviter attendamus ad illam revelationem, quam Judæi et Christiani sibi factam

esse asserunt, deprehendemus vel primo intuitu illam multa continere quæ maximi sunt momenti, et quorum incuriosi sine crimine esse non possumus. Novum nobis aperit ista revelatio divinæ providentiæ ordinem, nostrarumque rerum procuracionem à Deo Patre commissam esse docet duobus quibusdam patris, *Filio Dei mediatori*, et *Spiritu sanctificatori*; quibus multa et innumera fluxerunt in homines beneficia, quique jam promovent eorum salutem. Consequenter ad hanc novam et ignotam antea supernaturalem Dei providentiam jubentur Christiani baptizari non solum in nomine *Patris*, sed etiam in nomine *Filii* et *Spiritus sancti*, novisque erga has duas personas devinciuntur officiis. Jam verò hæc officia maximi sunt momenti, nec sine magnâ temeritate aut etiam impietate contemni possunt: non enim sunt illa positiva quadam præcepta, instituta arbitrariâ voluntate, sed post supernaturalis ordinis manifestationem, æquè in rerum naturis et convenientiis posita sunt, ac aliud quodcumque naturale officium. Sicuti ratione naturali nobis revelatur illa habitudo seu relatio, quam cum Deo rerum omnium parente ac domino habemus, atque ex hac relatione exoriuntur omnia officia religionis naturalis: sic quoque per revelationem christianam innotescunt novæ relationes, ex quibus eodem planè modo nascuntur christiana officia. Statim atque constat *Filium Dei* esse hominum apud Deum *mediatorem*, *Spiritum* ejus *sacrum* esse hominum *sanctificatorem*, non magis quærendum est, cur in nomine *Filii* et *Spiritus sancti* baptizemur, aut cur erga istas personas reverentiæ, amoris, gratitudinis, timoris et spei sensus fovcamus, vel cur in cultu externo habeamus rationem illarum duarum personarum, quàm quærendum est, cur isdem officiis prosequamur rerum omnium parentem Deum. Hæc posteriora ad legem naturalem semper pertinuerunt, quia relationes, in quibus posita sunt, semper fuerunt lumine naturali perspectæ: illa verò nova post factam revelationem æquè fundata sunt in rerum convenientiis, tamque rens est læsæ divinæ majestatis, qui officia hæc revelatione cognita contempserit aut illa explorare neglexerit, quàm ille qui religionis naturalis officia discere, aut ad ea mores componere recusaverit. Præterea si vera sit christiana Religio, Christus est unus Dei et hominum mediator; solius Spiritus sancti auxilium rectè vivere possumus; soli fidei et mediis à Christo institutis

illa auxilia adjuncta sunt, proindeque nihil tam temerarium est, quàm has novas dispensationes, nisi falsæ demonstrentur, non curare. Ista brevius hic attingimus, quòd de mysteriis alius erit dicendi locus.

ARTICULUS III.

De revelatione, quatenus est positiva constitutio.

Religio christiana spectari potest ut constitutio *positiva*, quæ originem dedit novæ societati, quæ *Ecclesia* dicitur, ab omni aliâ legibus peculiaribus, cultu externo et ministerio publico distinctæ; cujus præsertim institutionis positivæ præsidio diffusa est per omnes nationes Evangelii prædicatio et per omnia sæcula propagata. Habetne revelata religio sub hac formâ quiddam divinâ constantiâ indignum? Nullanne hominibus afferre poterit utilitatem?

PROPOSITIO.

Revelatio considerata ut positiva constitutio, et ut complexio legum positivarum, non modò possibilibus est, sed hominibus utilissima esse potest.

PROBATIO. — Nam 1º, positiva præcepta multùm conferre possunt ad decentiam et uniformitatem cultûs externi, qui pars religionis naturalis est: cultus enim externus sine ritibus et cæremoniis perfici nequit; nec decenter et uniformiter perfici ab hominibus potest, nisi in iisdem ritibus et cæremoniis homines consentientes sint. Si igitur ordo in divino officio, si consociatio hominum in præstandis Deo solemnibus deceat, et res optanda sit; ergo ad hunc finem præcepta positiva dari possunt: præsertim cum cultus externus aliter determinari convenienter nequeat. Si ille relinqueretur proprio cuiusque hominis arbitrio, tot essent colendi ritus, quot homines. Nec etiam religioes populorum magistratuum determinationi permittere satius fuisset (1): tum quia nec in optimas aut numini acceptissimas ipsi incidissent; tum quia eorum in hæc re constitutiones non receptæ fuissent cum eadem reverentiâ, quâ divinæ recipiuntur; nec cum eo studio et alacritate perficerentur: certè magnum est incitamentum, cogitare nos non modò in divino cultu honorare Deum, sed etiam illum cœere eo modo, qui ipsi acceptissimus

(1) Il fallait un culte uniforme... Le culte que Dieu demande est celui du cœur; et celui là, quand il est sincère, est toujours uniforme... Quant au culte extérieur, s'il doit être uniforme pour le bon ordre, c'est purement une affaire de police; il ne faut pas de révélation pour cela. » Emile t. 3, p. 434.

sit. 2º Præcepta positiva conducere multùm possunt ad fovendos internos religionis sensus, ad excitandam et promovendam virtutem; idque duplici ratione: primò avocando à tentationibus, si videlicet ea præceptis positivis prohibeantur, quibus plerùmque abutimur; et propter hanc rationem sine dubio multæ datæ olim sunt Judæis præceptiones positivæ. Perfectò si parens bonus suos liberos illis rebus possit interdicare quibus prævidet abusuros, quidni etiam supremus hominum parens ac magister eadè gaudebit auctoritate? Secundò, præcepta positiva excitant pietatis sensus, illisque obtemperando ad arduas virtutes erudimur. Si homines perfecti essent, si laboris patientes, si ad præstanda officia prompti, hæc auxilia externa supervacanea essent: sed quia è contrario leves sunt et obliviosi, certis regulis indigent, quibus de officiis perpetuò moneantur; quia minimis franguntur difficultatibus, necesse est ut assuescant virtutum exercitationibus et ad pugnam erudiantur. Jam verò melius est uti Deo institutore, quàm suopte ingenio vel alieno.

3º Multùm conferre possunt præcepta positiva ad imprimendum animis nostris vividum divinæ auctoritatis sensum, hocque titulo nobis à Deo imponi. Nam præcepta positiva eo ipso quòd in rerum naturis fundata non sint, ut sunt moralia præcepta, significant fortiùs et efficacius supremi numinis imperandi jus, nostramque dependentiam; et hujus dependentiæ sensum efficacius excitant: atque nobis subministrando opportunitatem agendi ex nullo alio nisi pietatis motivo, illam in Deum pietatem fovent et augent.

Et verò opinio Deistarum, asserentium leges positivas inutiles esse hominibus et Deo indignas, contraria est sensui omnium hominum: nam videmus omnes populos, qui religiones suas diis acceptas retulerunt, servasse multa positiva præcepta. Ex quo certè efficitur tum eos qui religiones illas invenerunt, tum eos qui easdem susceperunt, nunquàm dubitasse quin Deus illas jubere possit et sint hominibus utiles.

Objicies 1º: Deus in agendo sequitur necessariò æternum rerum ordinem; æterna sapientia divinæ voluntatis regula est à quâ nequit deflectere: hæc Deo ostendit quædam naturâ bona esse, et idèò jubenda; quædam mala esse, et idèò prohibenda; alia esse indifferentia, nec jubenda nec prohibenda. Atqui si Deus injungeret hominibus præcepta positiva,

non sequeretur hunc rerum ordinem, sed ageret arbitrariè et tyrannicè : imperium exerce- ret nullà alià nisi imperitandì causà, quod in hominibus culpari solet et alienum duci à sa- pientià, bonitate et justitià. — Nego minorem : aliquis dici potest agere arbitrariè diverso sensu, qui multiplex sensus sedulò notandus est. 1^o Agere arbitrariè sæpè significat agere contra rerum æternum ordinem : sic princi- pem agere arbitrariè dicimus, cùm aliquid con- tra jus statuit : sine dubio Deus non potest hoc sensu agere arbitrariè. 2^o Agere arbitrariè significat agere temerè, inconsideratè, sine consilio : hoc etiã sensu Deus agere non potest arbitrariè. 3^o Significat agere ex proprià sui arbitrii determinatione, quando rerum natu- ræ regulæ esse nequeunt : cùm, v. g., ex duobus mediis ad finem aliquem obtinendum æquè aptis unum præ altero liberè et arbitra- riè eligimus. Hoc ultimo sensu Deum agere ex arbitrio contendimus, sicque sese determinasse ad creandum mundum, ad creandum in illo præcisè temporis puncto, vel in illo spatii im- mense, si quod sit, loco. Non tamen in hisce casibus Deum egisse inconsideratè aut sine consilio dici potest : est generalis agendi ratio, licet nulla sit particularis ratio agendi hoc vel illo modo, id est, possunt esse rationes deter- minantes ad speciem actûs, licet nullæ sint determinantes ad individuum : res indifferentes factæ ex præscripto divino possunt con- ferre ad exercitationem virtutis, ad fovendos pietatis sensus, ad decantiam et uniformitatem cultûs externi, ad conservandam factorum me- moriam; et hæc generalis ratio est, cur res indifferentes à Deo jubantur. Sed penès di- vinum arbitrium est hunc vel illum ritum ad hos fines instituire (1).

Objicies 2^o : Religio vera quæ Deo grata est et homini necessaria, fundatur in æternis re- rum relationibus, non in rebus indifferentibus : immutabilis est, non varia aut aliquando in- venta : debet esse objectum rationis et omni- bus creaturis ratione utentibus olvia. Atqui si religio poneretur in rebus indifferentibus, non esset res sempiterna et immutabilis, non esset objectum rationis : sed in arbitrio divino po- sita mutabilis esset, nec nisi per revelationem posset innotescere (2).

(1) Quòd sint leges positivæ, id ipsum ex natura est; ipsæque leges positivæ principiis naturalibus suo modo connectuntur, si ponantur sapienter.

P. S.

(2) « Mais qu'est-ce que la vertu ? C'est la

Respondeo veram religionem fundatam esse in rerum naturis, idèoque sempiternam esse et immutabilem, Deum non posse ei derogare vel abrogare, hominem ejus observantem ne- cessariò Deo gratum esse. Proindeque positiva præcepta per se partes religionis neque neces- sariæ nec essentialis sunt, nec injungi pos- sunt, nisi ad confirmandam legem illam princi- pem in naturis rerum positam, excitandosque homines ad exercitium virtutis; nec possunt sine impietate ritus aliqui anteferri officiis natu- ralibus (1). Consequenter concedimus eam religionem falsam esse in quâ cæremoniæ quæ- dam locum virtutum tenerent, et non tan- quàm media ad virtutem spectantur. Attamen quamvis religio non consistat necessariò in præstandis positivis præceptis, tamen illa exequi religio jubet, quia ad obtemperandum divinis mandatis lege devincimur nature. Ex quo etiã sequitur religionem veram semper objectum esse rationis. Homines nullis devin- ciuntur institutis positivis, quamdiù eadem sine culpâ ignorant : ubi norunt, ad ea ratio- nem obligantur.

Objicies 3^o : Institutiones positivæ pugnant cum divinâ bonitate. 1^o Per positiva præcepta hominum minuitur felicitas, quia per illa cohi- betur libertas naturalis, in quâ magnâ ex parte sita est felicitas. 2^o Manifestum est per injun- ctionem novorum præceptorum nec neces- sariorum, homines majori periculo peccandi ex- poni. — Respondeo 1^o institutiones positivas coercendo libertatem hominum non minuere eorum felicitatem : nam præcepta positiva communiter facilia sunt, eaque homines dili- gentiùs observant quàm ea quæ pertinent ad legem naturalem : quotidie etenim videmus

fidélité constante à remplir les obligations que la raison nous dicte. Vous me demandez peut- être encore, quels sont ces devoirs ? Quelle est la loi qui les prescrit ? Je réponds que la loi qui les prescrit est la volonté immuable de Dieu, à quoi la droite raison nous avertit de nous conformer, et que c'est dans cette con- formité que consiste la vertu. Toute loi qui a commencé dans le temps et qui peut cesser d'être en vigueur, n'est point celle qui constitue la vertu : le Créateur n'avait pas astreint les hommes au nouveau joug qu'elle impose, mais il les avait certainement créés pour être vertueux. » *Les mœurs.*

(1) Euntes discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium. *Matth.* 9 et 12. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recorda- tus fueris quia frater tuus habet aliquid adver- sum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens, offers munus tuum. *Ibid.* c. 5, v. 23.

eos, qui officiis naturalibus malè funguntur, positivis tamen constanter adhærere. Præterea nedùm positiva præcepta hominis felicitati noceant, illam è contrario certam magis et majorem efficiunt : scilicet ubi sunt virtutis adjuncta, vel promoveant commoda et utilitates naturales : tunc enim non libertas in quâ posita felicitas est, sed licentia tollitur, quæ ærumnarum mater est. Insuper quamvis libertatis cupidissimi simus, tamen ex ejus exercitio non tam multæ et magnæ oriuntur jucunditates, quàm ex exercitio libertatis juxta divinam voluntatem, propter conscientiam suæ erga Deum devotionis et opinionem divinæ erga se benevolentiæ.

2º Negamus etiam quòd per positiva præcepta homines in deteriori conditione constituantur propter majus peccandi periculum : nam ex eadem argumentandi ratione sequeretur pejorem esse sortem hominum doctorum quàm rudium : quia nempe illi cernunt multa acutiùs, pluribusque devincuntur officiis, proindeque doctrinam esse inter mala recensendam. Sed reverà nedùm deterior evadat propter positiva præcepta hominum conditio, è contrario multa suppeditant adjuncta virtutis, in quâ solè posita est vera hominis præstantia. Si officia plura sunt, sunt etiam ex præstatione officiorum multæ et magnæ percipiendæ utilitates; si peccato locus sit, est etiam meritò; si pœnis magis obnoxii et variis virtutum adminiculis efficiamur, ubi illam non amplectimur, majora etiam præmia divinis præceptis obtemperando et faciliùs etiam consequi possumus. Uno verbo cùm illa præcepta positiva apta sint, uti ostendimus, ad fovendos pietatis sensus, ad exercendos homines ad virtutem, non possunt esse hominibus noxia, nisi quoque pietas et virtus deteriorem efficiant eorum conditionem.

Objicies 4º : Positiva præcepta apta tantùm sunt ad præfocandam veram virtutem : nam 1º per ea animus à præceptis naturalibus et à verà virtute avocatur : sicut corpus onustum cibis deficit, ita mens occupata ritibus et vanis cæremoniis minus cogitat de Iis quæ sunt necessaria et officii naturalis, quibus tamen totam mentem debemus. 2º Præcepta positiva superstitioni homines obnoxii efficiunt et ad illam semper inclinant, quia ubi ratio sola dux vitæ non est, sed quidam ritus in se planè indifferentes in religionem introducuntur, homines pròni fiunt ad eos perpetuò multiplicandos, neque unquam consistunt donec supersti-

tiosis ritibus omninò occupentur : præterea cùm videbunt illas cæremonias à Deo ipso institutas, existimabunt eas esse bonas naturâ suâ et ad religionem essentialem pertinere ; ex quâ opinione infinita sequuntur incommoda, odia et dissensiones privatorum, aliquando etiam bella civilia. Nego antecedens. Et ad primam rationem dico, fieri posse ut nimio rituum numero mens à magis necessariis officiis abducatur; eosdem ritus noxios esse posse quando apti non sunt ad significandos sensus religionis, illosve excitandos; vel cùm non sunt accommodati conditioni eorum quibus præscribuntur. Sed ex eo quòd positivæ institutiones esse possint noxiæ, possintque multiplicitate suâ vel naturâ ob officiis magis necessariis avocare, non sequitur omnes ritus vanos esse : in illis circumstantiis cæremoniæ nocent, non quia positivæ, sed quia multiples et superfluæ, vel quia non sunt idoneæ. Certè pars magna naturalis religionis in cultu externo posita est : aliis hominibus nostri in Deum sensus oportet testari et exemplis accendere ad cultum divinum : quod cum nequeat fieri sine cæremoniis, seu externis signis, manifestum est illas esse planè necessarias; et propterea ubi Deus non præscripsit hos ritus, videmus homines tales sibi constituisse.

Ad secundam rationem dico homines abuti sæpiùs positivis institutionibus; sed rebus optimis abutuntur, proindeque satis non est probare homines abuti institutionibus positivis, et ad superstitionem esse propensos; sed demonstrandum est positiva mandata ad superstitionem homines inclinare. Jam verò certum est hanc non esse naturalem efficientiam præceptorum positivorum. Superstitio quippe consistit vel in tribuendo cæremoniis propriam aliquam et interiorem excellentiam, vel in iis recipiendis tanquàm divinis quæ humanæ sunt, vel tandem in nimio rerum indifferentium studio. Atqui certè ex eo quòd positiva instituta sanciat Deus, non idcirco docemur illis aliquam tribuere propriam excellentiam, quam retineant ubi absunt veræ virtutes; neque docemur humanis adhærere inventis, vel illa nimio studio persequi ad injuriam legis naturalis. Quomodò ergo præcepta positiva ad superstitionem inclinent non intelligimus : observare positiva præcepta ex pietate, quia jussa sunt a Deo, non hominis superstitiosi sed sapientis est, legique naturæ obsequentis

(Annotatio, auctore P. S.)

Etiam doctrinam in hac primâ dissertatione

propugnatam, doctè evolvit eruditus Fr. Antonini Valsecchi, atque stabilivit in suo opere egregio *de Fundamentis Religionis*, cujus auctoris eà de re argumenta, fusiora ut referantur, ad hujus calcem voluminis remittimus. Id verò dictis nostri auctoris addendum censemus, scilicet non tantum moraliter, sed et absolutè in præsentì rerum ordine necessariam esse revelationem, tum quia fides necessaria est ad religionem, neque, sublatà revelatione externà, daretur in rebus moralibus auctoritas ulla, ac proinde principia cultus, morumque, virtutis notiones, honoris, etc., à singulis privatis penderent, ex quo nullam notionem esse certam, omnia denique discordantia ac perturbata in ruinam abire; tum etiam quòd universæ ordinis moralis partes intimas cum revelatione habeant connexiones, cum scilicet, v. g., Deus lege ordinarià et generali nonnisi ministris mediantibus sua hominibus documenta, sua beneficia in ordine morali communicet; idem etiam fluit inde quòd inventio verbi humanis facultatibus impervia, jam Deum cum nostris primis parentibus colloquentem prærequirit, seu revelationem.

Cæterum ex ipso divinæ existentis revelationis facto, jam spontè eam revelationem possibilem esse, bonam, convenientem, perutilem sequitur; neque quid ultra desiderent Deistæ, nos advertimus.

Nunc operæ pretium est, priusquam ipsas quibus sit recognoscenda genuina revelatio exquiramus notas, ejusdem investigandæ revelationis rationem expendere, quod quidem breviter, egregiè tamen, hoc modo apud D. Liebermann factum reperimus. (Explicit annotatio P. 5.)

De veræ revelationis indagazione in genere.

Duplex deistarum error est. Primum religiones omnes quæ se revelatas dicunt, ut indifferentes habent, dummodò religio naturalis servetur, cui soli ab omnibus obsequendum esse contendunt. Deinde volunt, in revelationis indagazione primum veritates, quæ credendæ proponuntur, ad rationis tribunal vocandas esse et examinandas, neque ulterius procedendum, nisi perspecta sit earum intrinseca cum ratione conformitas, quod certissimum esset non inveniendæ sed destruendæ revelationis medium.

PROPOSITIO PRIMA

Quando religio aliqua ut àrmitiùs reveiata proponitur, hominem non licet esse indifferenterem.

Prob. 1^o: Ex dictis patet revelationem non

exoptabilem tantum esse, sed etiam aliquo modo necessariam, quia homines hæc luce destituti nunquam potuissent se ab innumeris erroribus, quibus implicati erant, expedire et quidem in rebus maximi momenti. Cum ergo hominis ante omnia intersit, in rebus ad ejus felicitatem quam maxime pertinentibus non falli, profectò indifferens manere non potest, cum revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur.

Prob. 2^o: Si Deus religionem aliquam revelavit, necessariò ab hominibus exigit obsequium; ergo qui se indifferentem haberet, conjiceret se in periculum divinæ voluntati non obtemperandi, adeoque salutem suam in summum discrimen adduceret quo nihil est à verà sapientià magis alienum.

Prob. 3^o: Indifferentia religionum supponit absurdum; supponit enim omnes religiones esse æqualiter veras, quod nemo sanæ mentis asserere potest, siquidem tum in dogmatibus, tum in præceptis invicem opponuntur.

Confirmatur. Indifferentismus non tantum injuriam Deo, hominique perniciem inferi gravissimam, sed etiam pestis est societatis. Supponatur enim religionem spectari ut medium in officio continendi et principes et populos; numquid efficax esse poterit medium hoc, nisi Religionis cultoribus persuasum sit, eam vere divinam esse, neque posse se prohibito ab ejus obsequio se eximere? Sed hæc cum Religionum indifferentià consistere non possunt.

PROPOSITIO II.

Optima veræ revelationis indagandæ ratio est examen auctoritatis, non philosophica rerum et veritatum, que revelatæ dicuntur, disquisitio.

Prob. Via philosophicæ disquisitionis nec religioni convenit, nec religionis indagatoribus; è contra utrique parti quam maxime convenit examen auctoritatis. Ergo, etc.

Prob. ant. pars prima. Non convenit religioni, ex triplici ratione: 1^o quia revelatio ex parte Dei est actus liber, qui rationibus metaphysicis probari non potest. 2^o Quia revelatio est factum; factum autem argumenta externa tantum admittit. 3^o Quia Deus potest revelare mysteria, ut alibi probatum est; atqui inceptum esset veritates rationi impervias ad rationis tribunal adducere. Ergo, etc.

Non convenit religionis indagatoribus. Nam cum religio res sit maximi momenti, et bonum

aliquod omnibus hominibus commune, necesse est, ut ad eam perveniri possit viâ tutâ et facili; verum nec tutâ nec facilis est investigationis philosophicæ viâ. Ergo, etc.

Prob. Min. Non est tutâ. Cùm enim religio multa continere possit rationi impervia, facilitimum esset errorem pro veritate amplecti. Quis porrò nescit, rationem humanam, cùm sibi relicta est, ferè semper præjudiciis et cupiditatibus famulari, et crebris discussionibus dubia non tolli, sed augeri? Quis nescit etiam philosophos in omnibus, quæ suæ rationi et inquisitioni subjecerunt, quod longè vires excedit, non tantùm illitteratorum, qui partem hominum efficiunt longè maximam, et nec vim habent ingenii satis acutam, nec tempus tam operosæ inquisitioni impendere possunt; sed et eorum qui ætatem suam in studio philosophiæ contulerunt, et qui, cùm religionem solâ ratione investigant, omnia confundunt, et tam parùm novas veritates inveniunt, ut etiam eas, quas tenuerunt, amittant.

Non est facilis. Illa enim methodus opus est difficilimum, quod longè vires excedit, non tantùm illitteratorum, qui partem hominum efficiunt longè maximam, et nec vim habent ingenii satis acutam, nec tempus tam operosæ inquisitioni impendere possunt; sed et eorum qui ætatem suam in studio philosophiæ contulerunt, et qui, cùm religionem solâ ratione investigant, omnia confundunt, et tam parùm novas veritates inveniunt, ut etiam eas, quas tenuerunt, amittant.

Prob. pars secunda ant. Via auctoritatis 1^o convenit religioni, ut patet ex præcedente probatione. 2^o Convenit Religionis indagatoribus, quia et tutâ est et facilis: nam motiva habet certa, quibus securè quilibet etiam in rebus maximi momenti fidere possit; siquidem credere Deo revelanti tutissimum est, scire autem an Deus revelaverit facilitimum, cùm motiva credibilitatis obvia sint et omnium apti accommodata, ut ex sequentibus patebit. Ergo, etc.

PROPOSITIO III.

Ad amplectendam religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva.

Prob. Vera est propositio, si 1^o homo non potest revelationem amplecti sine examine, si 2^o aliud examen instituere non potest, quàm illud motivorum credibilitatis; atqui utrumque verum est; ergo, etc.

Prob. min. 1^o Homo non potest revelationi firmum præbere assensum, nisi de illius divinitate intimè persuasus sit; persuasio autem necessariò argumenta supponit, et argumen-

torum cognitionem. Ergo, etc. 2^o Deus infinite justus et sapiens non potest ab homine exigere, ut revelationi se subjiciat, quam divinam esse scire non potest; atqui ut illud sciat, examen adhibeat necesse est; vel dicendum esset Deum hominem per internam inspirationem instruere, quod falsum esse omnium hominum experientia probat. Ergo, etc. 3^o Experientia certum est diversas esse religiones, quæ revelatæ dicuntur; cùmque non omnes possint simul esse veræ et divinæ, necesse est veram à falsis discernere; atqui hoc sine examine fieri non potest. Ergo, etc.

Prob. secunda pars. Si examen necessariò instituendum est, illud versari debet, vel circa intrinsecam veritatem rerum, quæ credendæ sunt, vel circa auctoritatem, cui credendum est; atqui primum fieri non potest ex rationibus in prop. secundâ allatis. Ergo manet secundum.

SOLVUNTUR OBJECTA. — Obijciunt contra primam propos.: Cùm de revelatione agitur, inquisitio homini est impossibilis; ergo potest manere indifferens. — Resp.: Neg. ant. Non enim requiritur examen veritatum, ut diximus; quod non tantùm omnibus ferè hominibus esset impossibile, sed etiam plenam convictionem nunquàm generaret, inprimis quando hominis interesset non credere. Verum agitur hic de examine auctoritatis, ut constet Deum esse locutum; quod argumentis perficitur externis omniumque hominum ingenio accommodatis, tamque obvis et splendidis ut facilitimè cognosci possint ab iis, qui sensum communem habent et animum ad obsequendum divinæ voluntati paratum.

Instant 1^o: Facilior est via ad veritatem per rationem, quàm per auctoritatem. Nam ut revelationem aliquam factam esse cognoscam, eique assentire possim, non tantùm examinanda sunt facta, miracula, prophetiæ, etc., quibus revelatio probatur, sed et testium auctoritas, librorum in quibus ea continentur authenticitas et veracitas; determinandus est genuinus librorum sensus. Imò cùm plures religiones se revelatas dicant, omnes excutiendæ sunt, argumenta ponderanda, objecta examinanda, cum aliorum responsis conferenda. Sed in his omnibus labor est infinitus, et pleborumque hominum vires excedens. Ergo, etc. Ita Rousseau, Emile, tom. 5. — Resp. 1^o: Hoc argumentum nimis probaret; sequeretur enim neminem Deum unicum colere, justum ab injusto secernere, neminem mentem humanam immortalem credere posse, nisi omnes philo-

sophos interse dissidentes legerit et argumenta in utramque partem pugnantlya perpenderit, aut novos humani generis præceptores ipse audivit. Sequeretur opifices et agricolas totam vitam legendo, mediando, discurrendo, transigere debere. Quod sanè ridiculum est. Jam verò si absurdæ consecutiones principii falsitatem evidenter probent, quilibet intelligere potest, quid censendum sit de ridiculâ illâ Rousseau argumentatione. — Resp. 2^o: Religionis christianæ veritas iis innuitur argumentis, quæ nulli sinceræ mentis homini incerta esse possunt, cum sint notoria, habeantque evidentiam facti; talia sunt splendida quædam miracula Christi, in primis ejus resurrectio, insignes utriusque Testamenti prophetiæ, christianæ religionis per orbem propagatio, etc. Qui autem planè rudes sunt, iis semper manet motivum, quo etiam doctissimi carere non possunt, nempe societatis christianæ seu Ecclesiæ auctoritas, quâ prudentissimè ad credendum inclinantur.

Instant 2^o: Ut indifferentia circa religionem posset in vitium verti, debuisset Deus veræ religioni tam certos et conspicuos characteres imprimere, ut quilibet etiam rudis homo eam facillimè à falsis discernere posset; atqui tamen res aliter se habet. Ergo, etc. — Neg. min. Manifestum est Religionem christianam tam splendidis fulgere characteribus, ut eam ab aliis secernere difficile non sit; quamvis fateamur, tantam non esse vim luminis, ut etiam nolentes cogat ad assensum, nullumque libero voluntatis obsequio locum relinquat. Quod disponente benignissimâ Providentiâ ita factum est, ut ad veritatem pervenire possint qui eam recto corde inquirunt, et tamen fides non sit sine merito. Adest lux clarissima, quâ frui possunt omnes venientes in hunc mundum; sed manet etiam tenebris locus, ut possint in umbrâ mortis permanere, qui tenebras magis diligunt, quàm lucem. Vid. *Pensées de Pascal*, chap. 48.

Objiciunt contra secundam propos. Omnis revelationis probatio necessariò reducitur ad testimonium hominum; atqui ex hominum testimonio nunquam tam certum efficitur argumentum, quam ex philosophicâ demonstratione, quæ veritates ex primis principiis deducit. Ergo melior et tutior est rationis via quàm auctoritatis. — Resp. 1^o: Nego min. Quamvis diversa sint certitudinis genera, propter rerum, quæ probandæ sunt, diversitatem, non sequitur diversos etiam esse certitudinis gradus, ac

si daretur certitudo certitudinè major. Ea certè, quæ ex generali et constanti hominum testimonio comprobantur non minùs certa sunt, quàm demonstratio quævis geometrica, magis enim valent ad convincendos animos, ad excludendam omnem errandi formidinem. Principia, quibus inniuntur demonstrationes metaphysicæ ab ingeniosis tantùm hominibus cognoscuntur, neque ab omnibus etiam philosophis pro veris habentur. At principia moralia, quæ fundamentum sunt morali certitudinis, tum acutiorum, tum tardiorum consensum habent. Atque ubi semel hæc certitudo adest, tanta est tanque perfectæ mentis adhæsiò, ut novis accedentibus argumentis augeri non possit. Sic homo quadraginta annorum circa solis ortum et occasum, lunæ tam crescentis, tum d crescentis mutationes, miram rerum terrestrium, animalium, arborum, fluminum varietatem tam certus est, ut etiamsi vitam ad 400 annos protraheret, toties repetitâ experientiâ, majorem certitudinem non acquireret. Quis non de pugnâ Waterslaviensi ita nunc certus est, ut quæ ultra accedere possunt testimonia, firmiter reddere non valeant assensum? Resp. 2^o: Etiamsi major esset certitudo metaphysica quàm moralis, non sequeretur illud quod in minore propositione asseritur; probandum enim esset, philosophicas veritatum probationes rectam viam esse, quâ ad certitudinem metaphysicam perducimur. Verùm quis hæc audeat asserere? An non potius revelatæ veritates hæc methodo in philosophicas opiniones transirent, quibus nihil est in mundo incertius, nihil mutabilius? Nam quæ à philosophis ut certa hodiè prædicantur, ut evidentia veritatum principia, novo succedente systemate ut vana exploduntur et absona. Præter mathematicas conclusiones et principia quædam metaphysica, nihil est de quo non disputent. Quin etiam geometriæ principia, ut diximus, à mathematicis nonnullis in controversiam vocata sunt, cum in iis quæ sensus percipiunt, cum in factis historicis quàm plurimis tam concurs, tam firma sit totius humani generis persuasio.

Resp. 3^o: Neg. conseq. Etiamsi adm teretur 1^o certitudinem metaphysicam esse morali certitudine majorem; 2^o ex philosophicis rationibus oriri posse metaphysicam certitudinem, adhuc confecta res non esset; sed probandum esset eos, qui convincendi sunt, hujus discussionis esse capaces, et res ipsas tales esse, quæ ejusmodi discussiones admittant. Contrarium ex probatione patet.

Pauci sunt qui veritatem ratiocinando assequi possunt, neque id ignorant philosophi, qui ideò tantùm Dei auctoritatem eripere volunt hominibus, ut suam imponant. Quid autem volunt, cùm de rerum seu veritatum indagatione loquuntur? An non sophisticam suam philosophandi rationem consultò cum mathematicâ demonstratione confundunt? Aut an seriò contendunt, veritates religionis mathematicè demonstrandas esse? Sed quis nescit ejusmodi demonstrationes non nisi ad res merè theoreticas et abstractas pertinere? Ita quidem, ut cùm ad res physicas geometriæ vel arithmetiæ regulæ applicantur, ad eas transferri non possit mathematica evidentia? Qui agros, v. g., juxta geometriæ regulas metandos susciperet,

metaphysicè quidem de regulis suis certus esset; de rectâ autem agrorum partitione eam certitudinem non haberet. Jam, cùm religio omnis et revelatio res sit ad hominis vitam quàm maximè pertinentes; cùm non de ideis agatur, rebusque possibilibus, sed de eo quod à Deo ipso profectum dicitur, et homini ad æternam salutem datum, stultum esset genus aliquod certitudinis requirere, quod ad rem, de quâ agitur, pertinere non potest. Æquè ridiculus esset qui facta vellet metaphysicis demonstrationibus probare, et domi sedens, abjectis libris, meditando et ratiocinando historiam componere, quàm qui theorema aliquod geometricum ex historiâ probaret. (Liebermann, Instit. theol., t. 1, p. 105, sect. 1.)

Dissertatio secunda.

DE NOTIS DIVINÆ APUD HOMINES LEGATIONIS, PRÆSENTIUM MIRACULIS ET PROPHETIIS.

In primis apud omnes certum est et in confesso, revelatam doctrinam cum ratione pugnare non posse. Etenim cùm *inspiratio Dei det intellectum*, sitque ratio communicatio quædam cum hominibus sapientiæ divinæ; si ratio et revelatio secum non consentirent, Deus secum ipse divisus esset; tolleretur quoque omnis veritatis principium, nec ipsius revelationis certitudo ulla esse posset, ad quam credendam ratione ducimur. Verùm cavendum est ne doctrina supra rationis captum, contraria rationi putetur; sicque omnis veritatis normam faciamus illam, quâ nos dignatus est Deus, lucis ingenitam scintillam. Secundò, nulla posterior revelatio priori opposita esse potest, quia verum cum vero pugnare nequit. Possunt quidem positivæ leges in temporum, locorum et personarum circumstantiis positæ, mutari, et aliæ aliis succedere, aut obscura revelatio per aliam explicari; at nulla in talibus dispensationibus cernitur contradictio. Tertio, suspicio gravis est, non esse doctrinam aliquam à Deo revelatam, quæ non insigni quâdam præstantiâ se commendat, quâ non promoveatur Dei gloria et vera hominum felicitas; aut illum non esse verum prophetam, qui non affert hominibus nuntium à Deo talidè

utile aut necessarium. Quartò, vix credibilis erit illa revelatio, quæ ad homines deferretur per viros nullatenus pietate et virtute conspicuos: decere videtur divinam sapientiam, aut uti sanctis viris ad officium reformationis hominum, aut sui communicatione eosdem sanctos elicere, ne quædam scandalosa existat morum et prædicationis discordia. Attamen fieri sine dubio potest in certis circumstantiis, ut Deus impios quoque cogat ad veritatis declarationem. Verùm hæ notæ sunt tantummodò conditiones, sine quibus nulla est vera revelatio; at statim ubi hæ sunt omnes, non est propterea vera Dei legatio, cujus nullum aliud signum directum et positivum esse potest præter divinæ voluntatis, extraordinariam significationem, per miraculum, aut prophetiam (1).

(1) Eas notas vocat naturales, tum negativas, tum positivas D. Liebermann; de quibus tamen verba Theologi Rotomagensis invocabimus, nec non et de signis supernaturalibus, nempe de miraculis et prophetiis, quæ merito attentionem sibi conciliant longè majorem. Porrò de illis insufficienter omninò disserit floeck, fusè autem et luculenter auctor præfatus, cujus dissertationem ad calcem voluminis reperiet lector. P. S.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA ET AUCTORITATE MIRACULORUM.

§ 1. *Miraculi variae definitiones.*

Miraculum à mirando dicitur, cui respondet vox græca θαυμαζα; unde juxta nomen significat id omne quod vel magnitudine, vel novitate, vel raritate, vel propter causæ occultæ ignorantiam, habet admirationem hominum. Septem celebrata olim humanæ industriæ opera vocabantur miracula, ut in hoc Martialis versu :

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.

At magis propriè significat idem vocabulum eventus prodigiosos, qui extra ordinem causarum naturalium producantur, per interventionem entis invisibilis et intelligentis, supra humanam sortem potentis. Eandem potestatem habent apud auctores veteris et novi Testamenti voces hæc, *mirabilia, signa, virtutes.*

Miraculum variè definitur à philosophis et theologis. Est juxta Lockium miraculum, « operatio sensibilis quæ excedens captum spectatoris et cursui naturæ contraria credita, ab eo divina judicatur. » Eòdem redit hæc S. Augustini generalis descriptio : « Miraculum voco quiddam arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. » Habent sæpè hanc significationem voces prædictæ, *miracula, signa, virtutes*, tum apud profanos, tum apud sacros scriptores : sed ad nostrum usum in hæc theologicâ dissertatione non est satis accurata ista descriptio. Nam juxta illam effectus verè supernaturales, quique omnem vim creatam superant, non essent miracula, si talia non haberentur à spectatoribus : et ex alterâ parte fraudes et præstigiæ essent vera miracula, ubi à spectatoribus divinâ virtute admixtæ crederentur ; imò idem effectus esset simul miraculum et non esset, si diversa de eo judicæ ferrentur à diversis spectatoribus. In hæc ergo definitione non exprimitur natura miraculi, quæ ex opinione spectatoris pendere non potest. Miraculum definitur à S. Thomâ, « id quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. » Sine dubio ea opera, quæ sunt præter ordinem totius naturæ, sunt vera miracula. at hæc definitio angustissimis limitibus materiam omnem miraculorum concludit. Juxta eam Deus non potest uti naturæ efficacî angelorum ad patranda propriè dicta miracula : multaque prodigia relata in veteri et in novo Testamento : quæ certissime

habent vim argumenti, esse præter ordinem totius naturæ creatæ demonstrare non possunt. Ideirò alii definiunt miraculum, « operationem sensibilem supra facultatem et vires ejus, à quo præstari videtur, vel ad cujus arbitrium fit. » Sic oratio, quæ naturalis est homini, miraculosa est in asino ; et ea, quæ naturalia sunt spiritibus homine excellentioribus, sunt miraculosa, ubi admittuntur ad imperium hominis. Juxta hanc definitionem ea omnia opera, quæ superant naturalem virtutem causarum visibilium et corporalem, sunt respectu hominum miracula. Hanc loquendi rationem probare videtur S. Augustinus contra Faustum, lib. 26. « Contra naturam, inquit, non incongruè dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in naturâ. Hanc enim appellamus naturam, *cogitum nobis cursum, solitumque naturæ*, contra quem Deus cum aliquid facit, magna et mirabilia operatur. » Non distat ab hæc sententiâ ipse S. Thomas qui definit miraculum, ut ait largè, « id quod excedit humanam facultatem, et considerationem, et sic demones possunt facere miracula. » Sed audiamus eminentissimum S. R. E. cardinalem de Lambertinis, nuper sanctissimum totius Ecclesiæ Papam, eruditè et accuratè hanc questionem discutientem in immortalis opere, jam non semel à nobis laudato, *de servorum Dei Beatificatione, et beatorum Canonisatione*, l. 4, p. 1, n. 14 : « Quæres, an ad constituendum miraculum necesse sit, ut aliquid excedat vires et facultatem naturæ, tum invisibilis et incorporeæ, tum visibilis et corporeæ ? quod est idem ac quærere, an si aliquid excedat tantum vires naturæ visibilis et corporeæ, et sit arduum, et insolitum, et admirandum, miraculum dici possit, etiamsi non excedat vires naturæ invisibilis et incorporeæ, hoc est, angeli, juxta doctrinam S. Thomæ, p. 1, qu. 110, art. 4, videtur negandum. Ibi enim docet, miraculum esse, quando aliquid fit præter ordinem totius naturæ creatæ, et sic tum visibilis et corporeæ, tum invisibilis et incorporeæ. Idem autem S. doctor in cit. qu. 110, art. 4, ad *secundum*, docet, non omnem virtutem naturæ creatæ esse nobis notam, et sic miraculum esse quoad nos, cum aliquid fit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam : quod ipsum docuerat l. 5 contra gentes, c. 103, ubi attentibus angelis rebus nonnullis naturalibus, tanquam instrumentis, aut sic effecta, quamvis miracula

simpliciter dici non possint, reddi tamen nobis dupliciter mirabilia; uno modo ex hoc, quòd per spirituales substantias tales causæ modo nobis inconsumo ad proprios effectus apponuntur, et alio modo ex hoc, quòd causæ naturales appositæ ad effectus aliquos producendos aliqui virtutis sortiantur ex hoc, quòd sunt instrumenta spiritalium substantiarum, et hoc magis accedit ad rationem miraculi. Ex his autem inferri posse videtur effecta insolita et admiranda, quæ excedunt vires et facultatem naturæ creatæ visibilis et corporeæ, nobis notæ, miracula esse, sed minora miraculis, quæ excedunt vires et facultatem naturæ etiam invisibilis et incorporeæ. » Eminentissimus auctor hanc suam determinationem confirmat multis allatis scholasticorum testimoniis, inter quæ est hoc Suarezii ex l. 4 de Angelis, c. 59, n. 10. « Ut sint vera miracula necessarium et sufficiens est, ut superent omnem naturalem virtutem causarum naturalium visibilium et corporalium.

§ 2. *Varie de miraculorum naturâ sententiæ.*

1. Prima est eorum, qui nulla planè admittunt miracula propriè dicta, sed omnia evenire credunt, juxta ratas et constantes naturæ leges: quorum duplex classis est.

Alii nempe cum Spinosâ ferream inducentes necessitatem, negant quidquam reverâ fieri, aut fieri posse contra naturæ corporeæ leges, quas nullatenus arbitrarias, sed in corporum naturis positas arbitratur. Spinosâ hanc opinionem his confirmat rationibus: « Quòd hæ leges sint decreta divina ex necessitate, et perfectione divinæ naturæ profluentia: adeòque si quid contingeret, quod repugnaret Dei naturæ, aut si operaretur contra has leges, contra suam naturam ageret. Addit potentiam naturæ esse ipsam Dei potentiam; potentiam autem Dei esse ipsam Dei essentiam, cui nihil contrarium existere potest: proindeque quidquid fit, id fieri secundum leges, quæ æternam necessitatem et veritatem involvunt. Unde concludit nomen *miraculi*, non nisi respectivè ad hominum opiniones intelligi posse, nihilque aliud significare, nisi opus quod ab iis, à quibus refertur, explicari non potest, seu cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non potest is qui miraculum scribit vel narrat. » Hos jam supra confutavimus, ubi ostendimus omnes naturæ corporeæ leges esse arbitrarias, eas posse mutari vel suspendi pro Dei beneplacito, cursumque naturæ nihil aliud reverâ esse, quàm voluntatem Dei, secundum

leges constantes, quas sibi liberè præscriptis, agentem, et contra has leges in miraculis agere Deum, non mutabili, sed æterno consilio.

Alii verò, quamvis non inducant fatalem rerum concatenationem, tamen existimant Deum nunquam in rebus hujus mundi modo extraordinario intervenire; sed ita cuncta ab initio constituisse, ut ex legibus positis spontè oriantur ea, quæ mira nobis videntur. Hanc sententiam plures nostris temporibus philosophi defenderunt, inter quos eminent abbas de Houtteville, qui illam præsertim commendavit argumentis à priori, ductis ex Dei sapientiâ, quæ juxta alibi, administratione rerum uti debet causis universalissimis et simplicissimis. Hanc quoque sententiam exposuimus et confutavimus alibi quòd rem, uti videtur, planè impossibilem credendam nobis proponat, nempe perfectam cursus rerum mechanici attemperationem voluntatibus liberis et meritis creaturarum spiritalium, non verò quòd multum minuat auctoritatem miraculorum. Nam si mundi machina fuerit ab initio sic constituta, ut illo anno, exempli gratiâ, quo Moyses liberavit populum Israel ab Ægyptiorum servitute, omnia relata in Exodo prodigia evenirent, tam certum est Moysen fuisse legatum, consiliumque Dei fuisse ut illis prodigiis uteretur ille dux ad confirmandam suam legationem, quàm certum est Deum cum providentiâ mundum condidisse. In hac hypothesi eandem vim in hominum mentes servant miracula, propter singularitatem et disjunctionem à consueto cursu rerum, aut propter causas reconditas, et non investigabiles. Ut huic vi resistere quis prudenter pòsset, deberet esse saltem aliquis suspicandi locus, tum nullum fuisse Dei in sic temperandis causis naturalibus consilium, tum hominem naturali sagacitate illas causas reconditas, et ex illis oritura phænomena detegere potuisse, cui suspitioni nullus locus est in circumstantiis non modò plagarum Ægyptiacarum, sed nec ullius miraculi, sive veteris, sive novi Testamenti.

2. Secunda sententia ea est, quam Jacobus Serces ingeniosè defendit speciali de miraculis tractatu. Hic omnem potestatem immutandi, suspendendi, aut ullo modo intervendi leges naturæ Deo reservat; adeòque rotundè negat spiritus homine superiores ulâ præditos esse ad miracula edenda potestate, et omnia, quæ feruntur, dæmonum miraõna veteratorum fraudi et artibus accepta refert. Hujus sententiæ commendatio est quod simplex sit et aperta.

sine ullis ambagibus, quòd soli Deo asserat omnium rerum immediatam administrationem : quòd in eà summus sit miraculorum splendor et auctoritas, summa populorum securitas, in discriminandis veris et falsis miraculis nulla difficultas. Illam ergo libentissimè amplectemur, si illam conciliare possemus cum omnium seculorum fide.

5. Samuel Clarkius, illustris apud Anglos philosophus, contrariam amplectens est sententiam, in opere *de Religionis naturalis et revelatæ argumentis*. Hic observat primò, nullas res, respectu Dei, magis vel minùs esse difficiles; opera naturalia et supernaturalia eandem requirere virtutem; adeòque miracula non esse distinguenda per majorem, vel minorem difficultatem. Hoc puto ab eo notatum, quòd à perisque scholasticis miraculum dicitur opus arduum. Observat secundò, nos determinare non posse, quà virtute naturali præditi sint boni et mali angeli; nec qui limites eorum potestati positi sint à Deo: pauca esse miracula in Scripturis recitata, ad quorum productionem necessaria videatur originaria illa, princeps et absoluta Dei omnipotentia, quòd etsi dæmones non essent ingenio et industrià hominibus præstantiores, tamen propter invisibilem eorum agendi modum patrare eos posse magna signa et prodigia. Adeòque negat miraculum definiri debere, «opus quod solà Dei potentia effici possit.» Observat tertio, non modò angelorum potestatem esse aliquam naturalem, cujus limites figere nequeamus; sed probabile esse Deum uti eorum ministerio in gubernandà hæc rerum universitate. Cursum rerum materialium nihil aliud esse, quàm ipsam, seu Dei, sui agentium spiritualium inferiorum, perpetuam efficaciam, juxta leges cætas sese exerentem; proindeque non esse Deo neque angelis difficiliorem legum naturæ suspensionem, quàm conservationem: malè ergo definiri miraculum, «id quod est contra potentiam omnis naturæ creatæ,» si intelligas ipsas causas, non consuetum operandi modum. Observat quartò, quosdam effectus nobis exhibere constantem et uniformem voluntatis divinæ efficaciam, in quibus elucent numinis sapientia, potentia, bonitas et cætera attributa: alios arguere occasionales interventiones, seu Dei ipsius, seu aliorum entium spiritualium, qui vi activè præditi sunt: esse difficile ex ipsà re distinguere inter effectus divinæ actionis, et opera potestatis angelicæ: nullam esse rationem cur credamus omnia opera mirabilia, quæ

à dæmonibus patrata leguntur, non fuisse veras et reales in rebus externis mutationes, seu alterationes, sed tantum meras præstigias: præterea præstigias illas, quibus afficiantur vel unius, vel plurimum hominum omnes sensus, ex omni parte habere rationem mutationum realium; nec minorem requiri ad eas producendas potestatem, nec minorem illis inesse persuadendi vim; quia eòdem redit, quantum ad persuasionem spectatoris attinet, an prodigium reverà fiat, an fieri videatur; v. g. fuerit, Ægyptus ranis repleta, an omnibus incolis plena ranis visa fuerit, nihil interest; imò fortassè non requiritur minor potentia ad perturbandos omnes sensus universæ nationis Ægyptiæ, quàm ad multiplicandas ranas. Concludit ergo sextò quasdam regulas statuendas esse, quibus opera divina secernantur ab operibus dæmonum, notasque hujus discriminis repetat ex doctrinà ad quam confirmandam fiunt miracula. . . . Doctrinæ manifestò falsæ aut impiæ nulla miracula conciliare possunt auctoritatem; è contrario talis doctrina quocumque mirabiles effectus arguit fraudis diabolicæ. . . . Si doctrina apta sit ad promovendam Dei gloriam, hominumque sanctitatem et felicitatem, nec tamen demonstrari possit; vel si sit indifferens, id est, cujus utilitas non satis cernatur, in eo casu, si ad talem doctrinam confirmandam edantur miracula, et nulla sit miraculorum contentio, habebit illa doctrina testimonium divinum, quia fieri non potest ut Deus malis angelis permittat homines sic deludere, ut error ipsis sit ineluctabilis: hoc eòdem rediret, ac si Deus ipse ad homines decipiendos faceret miracula. . . . Si autem talis doctrina sit, ut ratio judicare nequeat vera sit, an falsa, et sit miraculorum quædam contentio, attendendum erit ad splendorem et numerum miraculorum. In hæc quoque sententià salva est miraculorum auctoritas, et ad eam confirmandam argumenta non spernenda afferuntur ex Scripturis, ex sanctis Patribus, et ex factis historicis, quæ memoriæ prodita sunt à scriptoribus, seu profanis, seu sacris. Undè non mirum est quòd approbata fuerit à viris valdè ingeniosis, tum apud protestantes, tum apud Catholicos.

4. Quarta tandem sententià est inter illas duas quasi medià, quæ relinquit malis angelis naturalem potestatem mirabilia opera faciendi, sed divino imperio sic subordinatam, ut illam nunquàm exerant ad consilia divina evertenda, aut religionem in animis hominum labefactandam; verùm illà uti quandoque Deum, ve. ad

explorationem pietatis suorum, vel justissimo iudicio in eos qui ad vocem veritatis diu obsurdierunt; tuncque divinam bonitatem cavere ne prodigia edita à veritatis inimicis, noceant bonis, qui malis permixti vivunt, electosque suos confirmare, ne sint deceptioni obnoxii (1).

(1) Hanc sententiam, quam nos modò defendemus suam fecit eminentissimus cardinalis de Lambertinis, operis supra laudati l. 4, p. 1, c. 3: « Omnis virtus et potestas, inquit, operandi ad extra actione transeunte et corporali, quæ angelis est naturalis, mansit integra in dæmonibus post peccatum: cum per peccatum non fuerint in angelis naturalia dimmuta, nedum amissa, ut est axioma theologorum cum D. Thomà 1 p. qu. 63, art. 4. Licet autem virtus ipsa in se non fuerit diminuta, propter ordinem nihilominus gratiæ, et supplicium culpæ, subjectio illius fuit aliquo modo mutata. Potest angelus superior naturaliter in naturali perfectione cogere inferiores, aut resistere ne sua virtute exterius operatrice utatur, quia sicut est natura superior, ita etiam agendi vi et facultate. Ordo hic autem non est mutatus in dæmonibus inter se, sed respectu sanctorum angelorum est immutatus, quia licet angelus bonus hæpedit interior in natura, nihilominus sanctus angelus potest cogere summum dæmonem, et ei efficaciter præcipere, cum tunc non operetur solà virtute naturali, sed ut minister Dei, sine cuius nutu et voluntate nihil intentat. Communis est hæc theologorum sententia, quæ præmissa ad institutum nostrum venimus. Quærit S. Thomas 1 p. qu. 114, art. 4, utrum dæmones possint homines seducere per aliqua miracula, et respondet vera ab eis proprià virtute edi miracula non posse, cum miraculum propriè sit illud quod sit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine omnis natura creata continetur; posse tamen à malis angelis aliqua fieri, quæ humanam facultatem et considerationem excedunt, et sic quæ largè et impropriè miracula dici possunt. Idem doctor in quæst. disput. qu. 6 de miraculis art. 5, docet: Sicut angeli boni per gratiam aliquid possunt ultra naturalem virtutem, ita angelos malos minus posse ex divinà providentiâ eos reprimere, quam possent secundum virtutem naturalem, et eos quædam non posse, etiamsi agere permittantur, quia naturæ modus eis præstitus hoc non permittit: et concludit idcirco ipsos vera miracula facere non posse, quod nulla datur eis à Deo potestas quoad illa, quæ sunt supra facultatem naturæ, quia cum operatio miraculosa sit quoddam divinum testimonium indicativum divinæ virtutis et veritatis, si dæmonibus, quorum est tota voluntas ad malum, aliqua potestas daretur faciendi miracula, Deus falsitatis eorum testis existeret, id quod divinam bonitatem non decet. Quæcumque ergo dæmones insolita et admiranda in rebus corporeis operantur, triplici modo operantur juxta doctrinam S. Thomæ 1 p. qu. 114, art. 4, vel per illusionem sensuum, tam interiorum, quam exteriorum, quibus obijciunt vel immittunt species et phantasmas earum rerum, quæ nusquam sunt, vel non sunt presentes: vel per summam atque imperceptam celeritatem, sub-

PROPOSITIO.

Deus solus, ob sapientissimos fines, causarum naturalium ordinem per seipsum, aut ministerium angelorum, intervertit: demonum quæcumque naturalis vis sit, nulla est licentia; ac ubi se nostris rebus immiscens, divinorum iudiciorum sunt ministri, non suo arbitrio unquam relinquuntur, neque unquam per eorum ministerium in confirmationem falsi miracula patrantur.

PROBATIO. — Consideremus primò, quæ argumenta à priori suppeditet ratio sejuncta ab experientiâ et auctoritate, quid Deo dignum videatur; deinde quam confirmationem ab experientiâ et auctoritate accipiant rationis decreta.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex ratione. — I. Demonstratum est superioribus, Deum cunctas res ditione sua continere, et moderari providentiâ, procuracionemque peculiarem habere rerum humanarum: ad hanc administrationem universalem illum adstringere omnia sua attributa, nec posse sapienter, benignè, justè, casui vel temeritati habenas regni relinquere. Ergo multò minus habenas regni committere potest in ullà parte impuro spiritui: si solio descendere non potest, neque in eo dæmonem collocabit. Atqui dæmoni facultatem concedere suspendendi leges naturæ, aut naturales vires solummodò dirigendi, esset illi permittere arbitrium rerum mundanarum, saltem in aliquibus. Nam imperium in hoc uno positum est. Teneamus ergo hanc conclusionem etiam paganæ theologiæ: « Deo nihil præstantius; ab ipso ergo necesse est mundum regi; » non in unâ parte, sed

lato aliquo corpore, et alio in ejus locum substituto, uti subito generatum videatur; vel applicando activa passivis, ut vel generetur aliquid novum et insolitum, vel aliud solum quidem et vulgare, sed novo et inusitato atque hominibus incognito generationis modo.

Quod si quis ex hucusque adductis inferre vellet, à dæmone suo naturali virtute miracula fieri posse excedentia vires et facultatem naturæ visibiles et corporeæ, aperte falleretur: cum aliud profectò sit, Deum operâ dæmonis aliquando usum esse, et uti posse in patratione miraculorum, aliud dæmonem facere miracula: cum juxta nostrum loquendi modum et communem intelligentiam ille dicatur facere miraculum, qui opus aliquod extraordinarium efficit pro confirmatione veritatis, quam prædicat; aut ille, ad cuius intercessionem aliquid mirandum à Deo fit, ut de ejus sanctitate apud homines constet... Quamvis in punitione impiorum gloria divina reluceat, et ipsi sint ejus ministri, sunt tamen ministri reluctantes, et in malo obstinati, qui gloriæ Dei inviti sciunt, sed eam nec exoptant, nec quærunt.

ubique, non in unâ re, sed in universis: sapientia ipsi committit imperium, quia fines optimos novit, et media ad fines obtinendos magis idonea. Fert mundus impressum characterem divinarum perfectionum, in eo propterea sibi Deus complacet; negligere ergo non potest, aut imparo spiritui tradere deformandum.

Deinde providentia hæc sancta est, aliena ab omni malitiâ, invidiâ, crudelitate, injustitiâ, falsitate et quocumque morali defectu. Sanctitas est amor recititudinis et boni moralis, et aversio omnis impuritatis et peccati. Hæc sanctitas exprimi debet in universo opere divino. Jam verò veniat in partem aliquam administrationis rerum humanarum impurus et mendax spiritus, malitiâ et invidiâ tumens, habebitne in illâ parte administratio rerum notam sanctitatis? an eis iis quæ in illâ parte aget dæmon arbitrio suo permissus, licebit colligere virtutes Dei morales?

Deus veritas est; *vult omnes homines ad agnitionem veritatis venire; illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; ad eum finem ab initio habuit inter homines Prophetas, aut interpretes suæ voluntatis, quibus virtutem suam dedit ad veritatis confirmationem et abolitionem erroris: fac Deum commodasse etiam dæmoni potestatem suam ad confirmationem errorum, ad simplices decipiendos, quid tam leve et sibi contrarium, quàm sigillum suum ad contrarios fines concedere? Est certè miraculum Dei sigillum, ob hæc evidentissimam causam, quòd Deus omnipotens nullo testimonio quidquam apud homines confirmare possit, quod efficacius sit attestazione miraculorum, et propterea vim miraculi ex comparatione sigilli benè exposuit Bellarminus de Sacramentis in genere l. 1, c. 14: « Eadem est vis sigilli et miraculi. « Semper etenim sigillum regium notius est « et firmius quàm litteræ regis. Sigillum « enim omnes norunt discernere, litteras non « omnes discernunt, et sigillum sine litteris « auctoritatem habet, litteræ sine sigillo non « habent. Sic etiam miraculum notius est et « efficacius quàm prædicatio; omnes enim qui « vident cæcum illuminari, aut mortuum excitari, intelligunt illud esse opus supernaturalis et divini, et proinde moventur ad credendum id, quod tali testimonio confirmatur: non autem omnes qui audiunt prædicationem, continuo intelligunt illa esse verba Dei. »

Dei providentia justa est, et hujusce justitiæ

argumenta sunt, ut supra suo loco exposuimus, primùm ille ordo naturalis juxta quem vitia quæque propriam habent adjunctam pœnam, virtutem aliqua semper præmia remunerantur, deinde justorum Dei judiciorum extraordinaria exempla. Fac dæmonem bona et mala dividere pro arbitrio, omnis hic ordo interrumpitur et in rerum gubernatione injustitiæ plura extraordinaria signa quàm justitiæ deprehendemus.

Deus bonus est, et hujus bonitatis argumentum est à posteriori, quòd tota mundi constitutio et administratio benigno consilio comparata sit, nullumque existat machinationis invidiæ aut sævitiae vestigium. Sed fac dæmonem contra Dei consilia per interruptionem legum naturæ machinari, eripietur nobis sine dubio hoc tam illustre et solati plenum divinæ charitatis argumentum.

At, inquires, Deus quamvis providus sit, causarum naturalium, seu materialium, seu spiritualium, efficaciam non suspendit, ad mala avertenda: quamvis sapiens sit et fines optimos prosequatur per optima media, creaturas tamen patitur sequi ad inventiones suas: quamvis sit sanctus et verus, improborum hominum dolos et fraudes non impedit: quamvis sit ipse bonus ac justus, multa tamen sub ejus imperio fiunt mala et iniqua. Quidni ergo et dæmonem, saltem aliquando, non sinet uti potentiâ, quâ naturaliter instructus creditur, ad explendum infensum Deo et hominibus animum? — Respondeo, Deum quidem ob sapientissimas causas, supra expositas ubi de Dei providentiâ, permittere mala multa physica et moralia, quæ in ipsâ rerum machinatione non fuerunt destinata tanquam finis ipsius propriis, sed quæ eveniunt juxta generales leges, quæ sunt valdè utiles: in ipsis etiam malis omnibus conspicuam esse Dei benignitatem, cæterasque perfectiones morales. At licentia dæmonem in homines, ad confirmationem erroris et virtutis extinctionem, non est lex generalis, cujus aliqua sit utilitas; neque in tali imperio, concessio impuris spiritibus, ullo modo cernere liceret notas divinæ bonitatis, cæterarumque virtutum.

Permittit Deus ut homines hominibus dolos struant, et se mutuo decipiant: at ad hunc eundem finem, nunquam patietur dæmonem naturam perturbare, aut bona et mala hominibus dividere, ob has præsertim rationes: Primò humanas fraudes examinare et detegere non est res admodum difficilis, atque excusari

non potest is qui arte aliqua humanâ in gravem errorem induci se patitur. Sed invisibilem spirituum, quibuscum nobis nulla est vitæ societas, machinationes investigare non licet. V. g., sacerdotum Æsculapii artes perviderunt olim omnes cordati viri; illi soli decepti fuerunt, qui inconsultò superstitioni mancipati, ratione uti noluerunt: at si dæmon reverâ à morbis insanabilibus supplices suos supernaturali virtute liberasset, dolum neque simplices, neque ingeniosi suspicari potuissent; neque ab ullo idiotâ saltem et simplice contemni potuisset tam salutaris potestas. Secundò, homines astuti quæcumque faciunt, ea agunt sine auctoritate ullâ; illis pares nõrunt cæteri homines, judiciumque de iis sibi permissum: at dæmones agerent in homines per miracula cum imperio et auctoritate, siquidem legum naturalium interruptio, vel causarum secundariarum directio est providentiæ munus et ejus Dei, qui causas illas constituit, illisque leges dedit. Quid enim tam divinum est, quàm naturæ cursum suspendere aut quò velis flectere? quàm hominem et malam valetudinem miseris hominibus dividere? quàm aeris præsidere tempestatibus? quàm principum cordibus cogitationes et consilia indere vel auferre, eorum appetitus accendere vel extinguere, sicut imperiorum fata suscinere vel inclinare? Hæc concede dæmoni, quid Deo proprium servasti? Deinde nulla veritatis confirmatio, ut modò diximus, major esse potest attestazione miraculorum: ergo necessariò ut divina habetur. Nulla alia omnipotenti suppetit; nemo ergo cogitare potest illam dæmoni permissam; et propterea nullus etiam est, qui huic mentem submittere non teneatur. Idque sic situm est in communi omnium sensu, ut tum omnes veri Dei prophetæ, tum impostores in hoc miraculorum testimonio, tanquàm firmissimo fundamento omnem auctoritatem suam posuerint; populi que omnes tanquàm auctoritatis infallibilis legitimum adminiculum semper hoc idem miraculorum testimonium admiserint. Magnum ergo ex hæc parte discrimen est inter fraudes humanas, et seductiones dæmonum miraculis commendatas. Tertio, homines parùm se mutò suspiciunt; imò, qui in alios imperium arrogare volunt, eos experiuntur parùm ad obtemperandum promptos; at quantum iidem contemnunt ejusdem naturæ consortes, tantùm verentur invisibiles potestates; ad levissimam earum præsentie suspicionem trepidant, et spiritus illis excutitur. Unde non in

magno periculo sunt ex fraudibus veteratorum, nisi qui sensibus et ratione uti nolunt: at spirituum invisibilium impressioni nequit vulgus resistere. Fac dæmonem simplices homines beneficiis demereri posse, et eosdem terrere pœnis, cum in his duobus imperium omne consistat, necesse est ut ei tanquàm Domino spe et metu adjungantur: v. g., si in templo Æsculapii ægri confecti intolerabilibus doloribus sanitatem recuperabant, ferine potuit ut illi miseri ejus operi supplices non efflagitarent, et post expertam gratiis non prosequerentur salvatorem? Si Gallorum exercitus, et Brennus dux Apollinis ultionem cum tanto suo damno senserunt, qui fieri potuit ut Gallorum reliquæ, cæterique tantæ cladis spectatores non timerent Apollinis iram, eundemque Delphici impensius non colerent? Maximum ergo ex omni parte discrimen est fraudes inter humanas et diabolicas, nec quia illas, sic has permittere Deus potest.

II. Illæ omnes modò allatæ rationes nullâ contrariâ suspenduntur; unde nascitur aliud argumentum, quod quamvis negativum, aptum est ad conficiendum. Nam tunc nullus est dubitandi locus, ubi nulla est argumentorum contentio. Atqui pro potestate dæmonum nullum planè est argumentum ex ratione petitum. Nullum aliud afferunt adversarii, præter hoc ratiocinium: « Dæmonum naturam atque vires non habemus exploratas, adeoque ea, quæ nobis sunt admirabilia, illis esse possunt facilia; vixque fortassè ulla operatio est præter creationem ex nihilo, quæ ipsis competere non potest. » At si nobis rem ex ratione dijudicantibus valdè benè cognita sit Dei creatoris virtus, et dæmonis potentia nullatenus sit perspecta, omnis sine dubio, ut ita loquar, præsumptio est ex parte Dei, et provisorie supernaturalia omnia opera ei adjudicanda sunt.

III. Contrariæ sententiæ defensores infinitis se implicant ambagibus, ex quibus expedire sese non res facilis est. Quid enim? ex physicis miraculi circumstantiis plerumque ejus naturam nequit dijudicari, sed ex moralibus tantum præsertim ex doctrinâ, ad cujus confirmationem patrat? Si doctrina, aiunt, sit consentiens pietati, de divinâ miraculi origine non erit dubitandum; si doctrina repugnet veritati, aut naturaliter notæ, aut ex præcedente revelatione cognitæ, erit prodigium in ejus gratiam patratum, dæmoni tribuendum; si tandem fuerit indifferens, seu mediâ, cujus neup

veritatem, vel falsitatem, ratio certò nequè determinare, miracula ad illam confirmandam edita Dei operà censebuntur; et si sit miraculorum contentio, adhærendum erit prophætæ miraculorum splendore et numero vincenti.

1º Deus omnipotens nullum habet suæ voluntatis apud homines gravius testimonium attestatione miraculi; tamen in hæc sententiã, si excipias mortuorum suscitationem, et ea opera quæ supponunt vim creatricem, miracula sunt testimonia respectu nostri æquivoca, et in patrociniū erroris æquè ac veritatis patrari possunt. Nam quantumcumque discrimen sit inter modum operationis divinæ et operationis diabolice, cum nos mortales illud discrimen explorare non possimus, et cernamus solummodò effectum externum, qui in miraculis Dei et dæmonis idem supponitur, manifestum est auctoritatem miraculorum ex alà re, quam ex ipsis miraculis, pendere in prædictã sententiã, quod grave incommodum est.

Excipiunt vulgò adversarii, ut modò diximus, mortuorum excitationes, quas extra potestatem dæmonis positas asserunt. At S. Hippolytus, et alii SS. Patres, quorum auctoritatem sequuntur, hæc etiã prodigia saltem simulatè à dæmone patrari posse putarunt. Atque reverà si dæmon hominibus creare possit morbos omnis generis, eos orbare visu, vel auditu, vel loquelà; eorum membra contrahere, vel solvere, etc., ac deinde eosdem sanare: cur etiã omnem motum in corpore sistere non possunt per aliquot horas, ut mortuus aliquis videatur, et detur Apollonio alicui occasio excitandi puellam elatam, et conciliandi tanto prodigio sibi famam virtutis divinæ, aut auctoritatem cælestis legationis?

2º Sic sunt homines comparati à naturã, ut levissimã manife tatione supernaturalis virtutis maximè commoveantur: deorum vox, simulata olim ab impiis et ambitiosis sacerdotibus, hominum genus detrusit in tristissimam servitutem; rationis lumen extinxit; impulsi ad faciendã natorum sacrificia, nequicquam repugnantibus omnibus sensibus naturalibus. Tamen in hæc sententiã permittit Deus, ut tanta hominum imbecillitas ludibrio sit malitiæ diabolice; et ut ad homines ad omne nefas trabendos naturam dæmones perturbent, et miseros mortales ad omnem repentinum somnum trepidantes supernaturalibus circumdant undique terroribus. Grande incommodum.

3º Dæmones possunt facere miracula in confirmationem idololatricæ, omniumque errorum;

non possunt (juxta Clarcium) miracula facere in confirmationem veri, neque etiã in confirmationem doctrinæ indifferentis et mediæ. Estne hæc decisio ex rationis principiis petita? An non idè inventa, ut pateat aliquis exitus ex angustiis, quò se contereret oppositæ nobis sententiæ defensores? propterea hæc Clarckii determinatio ab omnibus, qui ejus principia sequuntur, non admittitur; alii contrarium docent, nempe posse dæmonem, ut melius homines decipiat, se transformare in angelum lucis, et veritatis quandoque patronus videri.

4º Dæmon quamvis innumerabilia miracula patraret in confirmationem erroris, eaque maxima, nihil proficeret; illa omnia nullam, inquit adversarii, haberent vim argumenti. Principium hoc sine dubio verum est, hypothesim solummodò possibilem negamus, et inter alias rationes propter hoc incommodum. Quia si esset possibilis, ac si Judæus vel Mahometanus sibi persuaderet doctrinam de sanctissimã Trinitate, vel peccato originali, esse contrariã rationi, ejus esset insanabilis error; neque miraculis adduci posset ad captivandum intellectum in obsequium fidei, quibus tamen ut sunt Christus et Apostoli ad frangendam omnem pervicaciam, deprimendamque omnem altitudinem extolentem sese adversus scientiam Dei.

5º Jubetur idiota nullam fidem miraculis concedere, donec expenderit doctrinam, ad quam confirmandam patratur: id est, negligere Moysen Ægypti jure poterant, donec de petitionis Mosaicæ justitiã consilium habuissent; Christum Dominum contemneret licet Judæis, donec, benè expensã ejus doctrinã, illam cum lege consentientem invenissent. Sed hujus discussionis plerique homines sunt planè incapaces, ii præsertim ad quorum utilitatem miracula comparata sunt, ex hæc siquidem discussione orta est incredibilis doctorum discordia. Negabant pontifices maximi, sacerdotes, scribæ, universa synagoga, Jesum ferre notas Messie, aut ejus doctrinam revelationi Mosaicæ esse congruentem; si nulla sit per se miraculorum auctoritas, cui adjungere se debebat multitudo, Caiphæ, an Domino nostro?

6º Moyses dicebat se cum potestate miraculorum ad Israelitas missum esse, ut cognoscerent quòd Jehova esset Deus, et non esset alius præter eum. Christus dicebat se patrare miracula, ut scirent homines quòd pater in eo esset; et ipse in patre, et omnes honorificent filium; si-

aut honorificat patrem. At in sententiâ adversariorum, miracula Moysis non probabant directè unitatem Dei, nec miracula Christi probabant ejus divinitatem; sed idèò miracula prioris pro divinis habenda erant, quia afferebat doctrinam rationi consentientem; et posterioris, quia afferbat doctrinam mediam, de cujus veritate et falsitate ratio dijudicare non poterat. Non est certè adversariorum nostrorum forma loquendi consentieas in hæc parte Scripturis.

7^o Supponunt adversarii dæmonem cum Deo miraculis contendere, et eodem tempore doctrinas oppositas prodigiis confirmari posse: atque in illo casu splendidioribus adhærendum esse docent. Ecce novæ ambages! quis ignorat nunquàm magis discordes esse hominum sententias, quàm ubi agitur de æstimandâ rerum præstantiâ? Apud adversarios nostros excitatio mortui summum miraculum est, et quidam inter eos docent ex Lazari excitatione derivatam præcipuè in cætera Christi miracula lucem, quæ eorum conspicua erat divina origo. At si eodem tempore extitisset aliquis pseudo propheta, qui ignem celo descendere jussisset ad confirmandum synagogæ judicium, nescio an non in factiones scissi fuissent Judæi utriusque miraculi testes, totque falsus vates habuissent sectatores, quot Dominus noster. Vel supponamus cum multis adversariis nostris vera fuisse miracula Apollonii Thyanæi, Vesposiani, Æsculapii, Apollinis apud Delphos, aliaque quæ passim leguntur apud ethnicos scriptores, et esse judicium ferendum inter paganam superstitionem et religione in Judaicam, vel Christianam, ex miraculis in utràque societate factis; nescio an paganus contumaciter contendere non posset, splendidiora et plura apud suos fuisse divinæ præsentie et favoris indicia quàm apud populum Dei. Habuerunt Æsculapii opem perpetuam, et in ejus templis sanationes morborum innumeras; severissima iudicia in deorum hostes exercita; auxilia divinitus piis adoratoribus præstita. Habuerunt quoque mortuorum plurimorum excitationes; quid non? hæc quidem posteriora miracula ab adversariis nostris planè negantur; at profectò cætera admissa multùm conferrent ad horum fidem adstruendam, præsertim apud homines in pagana superstitione natos et educatos. Atque si ipsis objiceretur religionis absurditas, responderet Porphyrius, vel Plotinus, neminem cordatum tenere vanas populorum opiniones, neque in ullâ societate ex superstitionibus plebis

de summâ religionis judicium esse ferendum.

ARGUMENTUM II.

Ab experientia. — Quantumcumque sit prædictorum argumentorum pondus, confitendum tamen est illa non constituere opinionem nostram extra omnem controversiam; imò multùm cavere debemus ne absolutum feramus de divinâ administratione judicium, ex nostræ sapientiæ modulo* et rationibus aliquibus à priori; siquidem potest Deus multas alicujus rei permittendæ causas habere quæ nos omninò lateant, multa in ordine tum physico, tum morali eveniunt, quæ humanam rationem confundunt. Hoc igitur solummodò præcedente argumentatione consequi volumus, scilicet, magnam esse ex ipsâ ratione pro nostrâ sententiâ præsumptionem; at ex auctoritate et experientiâ querenda est questionis certa solutio. Quod experientiâ attinet, ex eâ nulla certitudo metaphysica oriri unquàm potest, sed tantùm physica in ullâ re. Hic ergo nulla alia expectanda est; id est, miraculorum in confirmationem falsi non tam impossibilitatem, quàm summam improbabilitatem conficere licebit.

Jam verò in rebus physicis hoc commune principium est ab omnibus admissum, et id certissimum esse, quod constat ex perpetuâ experientiâ sine ullâ à mundi origine oblata exceptione. Sic certò novimus gravitatem esse generalem corporum omnium affectionem, legemque hanc obtinere in omnibus nostræ telluris partibus, quia ab origine mundi nullum corpus inventum est, quod non gravitaret; imò et per analogiam certò etiam concludunt physici eandem legem, in sole, lunâ, et omnibus sideribus obtinere, et varias partes, ex quibus astra illa componuntur, in globos solidos constringere. Sic novimus legem esse generalem, ut terra volvatur circa axem suum spatio 24 horarum, ut planetæ moveantur circa solem; neque ullam esse in naturâ vim, que hos motus possit suspendere. Si ergo experientiâ æquè constanti compertum sit, nunquàm nisi in Dei creatoris nomine, et ad ejus gloriam promovendam, homines mortuos fuisse ad lucem revocatos, aut præscientiam rerum futurarum aliquibus concessam, aut claudos, paralyticos, cæcos, demùm quocumque modo egrotantes subitò, et sine mediis naturalibus sanatos fuisse: tam certò constabit nullam esse ad hæc omnia perficienda dæmonum ordinariam virtutem, quàm certum est nullam esse

in naturâ vim parem suspendendis siderum motionibus. Atqui reverâ dæmones nunquam mortuos suscitârunt; nunquam prophetas futurorum præscios inter homines habuerunt; nunquam cæcos, surdos, claudos, paralyticos, aut quemvis morbum unquam subito per efficaciam spiritualem sanârunt. Hoc conficiemus aîbî, ubi de confutatione paganæ superstitionis. Dicemus ergo contrariæ sententiæ defensoribus: « Ostendite, quòd benè aut malè unquam fecerint dii gentium aut dæmones, nisi ex Dei imperio, et ad Dei gloriam promovendam, et sciemus quia aliqua est dæmonum licentia: *Ecce illi ex nihilo, et opus eorum ex eo quod non est.* »

ARGUMENTUM III.

Ex auctoritate. — Hæc omnia summam habere videntur confirmationem ex scriptorum sacrorum apertissimis testimoniis, quæ omnia ad quatuor capita revocabimus: primò describemus ea loca, in quibus Deus sibi soli arrogat rerum planè omnium arbitrium et præsertim miraculorum potestatem; secundò exhibebimus illos textus, in quibus omnis denegatur diis gentium potestas ad bonum vel malum faciendum; tertio ostendemus miracula in Scripturis representari, ut certissima divinæ voluntatis signa, quibus non fidem addere maximum peccatum sit; quartò denique representabimus loca illa, in quibus promptissimum priorum hominum obsequium maxime commendatur.

I. Describenda esset tota Scriptura vetus et nova, si exhibere vellemus omnia loca, in quibus Deus sibi soli vindicat rerum planè omnium arbitrium; unum ergo aut alterum laudâsse satis erit, quæ alia in memoriam revocabant. Deut. 32 in pulcherrimo cantico quod incipit: « Audite, cæli, quæ loquor. » canit Moyses v. 37: « Et dicit (Deus): Ubi sunt dii eorum in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedeant adipos, et bibebant vinum libaminum; surgant et opulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Videte quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me: ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam te, et ego sanabo; et non est qui de manu meâ possit eruere. » Isaïæ cap. 43, v. 10: « Vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi, ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque

me salvator. » Ibidem cap. 48: « Audite hæc, domus Jacob... Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua; et frons tua ærea. Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea, et conflatia mandaverunt ista... Propter me, propter me faciam, et gloriam meam alteri non dabo. » Salvatores ergo et protectores nunquam extiterunt dii gentium Apollo et Æsculapius: hic in templis suis non præstitit unquam miseris salutem, nec ille ab exercitu Gallorum liberavit Delphos; uno verbo nullus ex gentilium diis potestatem ullam liberam in homines exercuit. In aliis locis disertè declaratur Jehova solum facere miracula, ut Ps. 71, v. 48: *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit miracula solus*; eadem habet Ps. 76, v. 43, unde Jehovæ appellatio propria in toto veteri Testamento est *faciens miracula*. Vide Ps. 85, 40; et 135, 4; et Dan c. 6, v. 27. Libro quarto Regum cap. 5, cum rex Syriæ misisset ad Joram regem Israel litteras in hæc verba: « Cùm acceperis epistolam hanc, scito quòd miserim ad te Naaman servum meum, ut cures eum à leprâ suâ. Cùmque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, et ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim et vivificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem à leprâ suâ? animadvertite et videte, quòd occasiones quærent adversum me. » Dei ergo ex consentienti voce omnium sacrorum scriptorum est *facere miracula*; et inter hæc miracula Deo propria, est *leprosi curatio*, ac consequenter morborum omnium sanationes.

II. Hæc maximam confirmationem accipiunt ex aliis locis, in quibus omnes dii gentium infirmitatis arguuntur, ipsisque denegatur omnia benè vel malè faciendi potestas. Vocantur passim in veteri Testamento אלהים *Elilim*, id est, res nihili; vel עֵבֶל *Ebel*, quæ vox significat vanitatem; vel שִׁבְרִים *Sehirim*, id est, hirci pilosi; vel tandem שִׁדִּים *Shedim*, cujus tæcis propria significatio ignoratur, vertitur à 70 interpretibus et in vulgatâ per hæc, *dæmonia*. Universè pronuntiat David: « Omnes dii populorum *Elilim*. Propter hanc infirmitatem suam confunduntur cum idolis simulacris suis, et cum iis deridentur à Davide et Prophetis: ut Ps. 115: « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Oculos habent et non loquentur, oculos habent et non videbunt... Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. » Similiter libro 3

Reg. c. 18, v. 27 : « Quinque esset jam meridies, illudebat (sacerdotibus Baal) Elias, dicens : Clamate voce majore : Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut itinere, aut certè dormit, ut excitetur. » Isai c. 41, v. 25, Deus causam suam agens contra Deos gentium, ait : « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dñi estis vos : bonè quoque aut malè, si potestis, facite; et loquamur, et videamus simul. Ecce vos ex nihilo; et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est qui elegit vos. » Ibidem c. 43 : « Quis similis mei?... piastæ idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, confundantur... Artifex lignarius succidit cedros, tulit ficem et quercum, quæ steterat inter ligna saltûs : sumpsit ex eis, et calefactus est, et succendit, et coxit panes; de reliquo autem operatus est Deum, et adoravit, fecit sculptile, et curvatur a te illud, et adorat illud, et obsecrat dicens : Libera me, quia Deus meus es tu. » Jeremiæ c. 10 : « Hæc dicit Dominus : Juxta vias gentium nolite discere... quia leges populorum vanae sunt; quia lignum de salta præcidit opus manûs artificis in ascia; argento et auro decoravit illud; clavus et malleis compegit, ut non dissolvatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur; portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec malè possunt facere, nec bonè. » Apud Danielem c. 2, declarant regi Nabuchodonosor sapientes et magi Chaldæorum, nullum mortalem ei posse indicare somnium suum : « Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere; sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujusmodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo : sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est, nec reperietur quisquam qui in die illius in conspectu regis, exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio. » Demùm Baruch, ut deterreat Judæos Babylonem deportatos ab idolorum cultu, pluribus demonstrat eorum cultores nihil quidquam nec boni nec mali inde consecutos esse. « Neque dare divitias, inquit c. 6, v. 34, possunt, neque malum retribuere; hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt; hominem cæcum ad visum non restitunt, de necessitate hominem non liberabunt... neque pluviam hominibus dabunt... quia nihil possunt sicut corniculæ

inter medium cœli et terræ. » Juxta hæc clarissima testimonia dñi gentium non possunt indicare somnia, ignorant futura, neque queunt ullo modo bonè vel malè facere : non possunt ergo homines morbis affligere, quia hoc malum est; nec infirmam valetudinem restituere, quia hoc bonum est, et salvatoris officium, quod in prædictis locis ut suam propriam gloriam sibi vindicat *Jehova*. Hæc duntaxat de idolis dici. suadere volunt potentiæ dæmonum defensores, non verò de dæmonibus, qui idolis præsidebant : at vanum est effugium. Nam ratione infirmitatis hujus, nullo modo dividant prophætæ eos, quos vocant שְׁחִירִים *Sehirim* et שְׁדִמִּים *Shedim* (quæ voces vertuntur *dæmones*), ab idolis : hi omnes in numero vanitatum et rerum nihili reponuntur. Aliunde, quomodo concludere posset Deus se solum esse salvatorem, sibi soli competere potestatem bonum vel malum faciendi, si dæmones idolorum præsidet, et quos per idola colebant ethnici, possent quoque bonè vel malè facere, quamvis simulacra id non possent? Ut valcat argumentum, et ut conclusio non latius pateat quàm præmissa, in istis locis necesse est universos gentium deos significari : eos omnes provocat, ut dent aliquod indicium, si possint, suæ potentiæ; appellat fidem populi sui, quòd illos semper infirmos expertus sit. Ponit, v. g., Judæos Babylonem deportatos vidisse in templo Beli, hujus idoli cultoribus divitias largà manu suppeditatas, contemptores verò malis omnibus afflictatos, infirmos sanitati restitutos, cæcos visu donatos, pluvias hominibus concessas, etc., qui id, quæso, cum Baruchi verbis conciliare potuissent? Præterea non ita erant pagani, qui simulacra sua nudè et abstracte considerata cultu aliquo presequerentur; sed existimabant, vel deos suos ea incolere, vel in divinam quamdam naturam ea transformari : hinc magno caeremoniarum et sacrificiorum apparatu statuas suas consecrabant (1), ac proinde quæcumque bona suis in templis consecuti fuissent, ea omnia idolis suis accepta retulissent.

III. Miracula ubique exhibentur ut divinæ voluntatis signa et legationis cœlestis sigilla. Sic Gen. c. 4, v. 13 : *Posuitque Dominus Cain signum, ut (quòd) non percuteret eum ullus qui invenisset eum.* Cujus loci sensus esse videtur, quòd Deus Cainum dejectum et desperantem facto miraculo erexit et confirmavit. Gen.

(1) Vide Arnob. lib. 6, p. 203, 207. Orig. c. Cels. lib. 7. Sor. hist. eccl. lib. 7.

c. 15, promissiones factæ Abrahamæ, et prædictiones de sorte gentis suæ, confirmatæ sunt miraculo, v. 17: *Cum ergo sol occubisset, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibans fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Exodi c. 4, Moysi expostulanti et neganti suæ legationi Israelitas fidem habituros, respondit Deus miracula futura signa evidentiâ, quibus essent obtemperaturi: *ut credant quòd tibi apparuerit Dominus Deus patrum suorum.* Miracula verò quæ Moyses ut missionis suæ certissima pignora edere cò loci iubetur, non alia sunt quam virgæ in serpentem mutatio, manus leprâ affligenda et modica aquæ quantitas in sanguinem convertenda: et reverâ illis permoti Israelitæ crediderunt. Num. c. 16, cùm Core, Dathan, Abiron, et ducenti quinquaginta viri proceres rebellassent adversus Moysen et Aaron, ac contentio esset de imperio et sacerdotio, res miraculo dirimenda permissa est: *Manè notum faciet Dominus, ait Moyses, qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi, et quos elegerit appropinquabunt ei... In hoc scietis quòd Dominus miscrit me ut facerem universa quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim: si consuetà hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, quâ et cæteri visitari solent, non misit me Dominus.* Ibidem c. 17, sacerdotium miraculo tanquàm certissimo signo Aaroni confirmatur: *Quem ex his elegero, ait Deus v. 5, germinabi virga ejus, et cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.* Tandem Moyses singulis paginis recitat miracula suo imperio patrata ad Israelitarum provocandum obsequium, negat talia unquàm patrata fuisse, affirmat ea esse per se certissima signa divinæ virtutis. Deut. 4, 32, habet: *Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creavit Deus hominem super terram, à summo cælo usque ad summum ejus, si facta est aliquando ejusemodi res, aut unquàm cognitum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti, si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta... ut scires quoniam Dominus est Deus, et non est alius præter eum.* Libri Josue c. 5, Deus mandata dans de transitu Jordanis, ait ad Josue v. 27: *« Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut sciant quòd sicut cum Moysè fui, ita et tecum sim.* » Judicum c. 6, duplex accipit signum Gedeon: primum, ut certior fieret suæ

divinæ legationis: *« Da mihi signum, quòd tu sis qui loqueris ad me... Extendit angelus summitatem virgæ, quam tenebat in manu, et tetigit carnes, et panes azymos; ascenditque ignis de petrà, et panes azymos-que panes consumpsit: angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.* » Alterum, ut confirmaretur fides et spes victoriæ reportandæ adversus hostes Israel: v. 36: *« Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in areâ; si ros in solo vellere fuerit, et in omni terrâ siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. Factumque est ita.* » L. 1 Reg. c. 12, Samuel miraculo convincit Judæos peccati, quo se obstrinxerant petendo sibi regem; et illud miraculum nihil aliud fuit, quàm improvisa et subito exorta tempestas. Denique, ut plura alia prætereamus, insignis est locus l. 3 Reg. c. 18, ubi Elias miraculo delineandam relinquit Mosaicæ religionis veritatem: accedens Elias ad omnem populum, ait: *« Usquequò claudicatis in duas partes? si Jehova est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum... Ego remansi propheta Domini solus; prophetae autem Baal quadringenti quinquaginta viri sunt. Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini, et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus, ait: Optima propositio.* »

Ex his colligere licet nullam esse dæmonis ordinariam potentiam, vel virgam in serpentem vel aquam mutandi in sanguinem, vel ignem cælo demittendi, vel tempestatem excitandi, vel aquas dividendi, aut virgam ab arbore decidam viridem reddendi, aut aliud quodcumque ex supradictis prodigiis patrandi.

2º Eadem est consentiens doctrina novi Testamenti: Christus Dominus ejusque Apostoli auctoritatem suam in miraculis ponunt, Joan. 5, 36: *« Ego autem habeo testimonium, ait Christus, majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. Ibidem, 10, 37: « Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia pater in me est, et ego in patre. »* Vid.

Math. 11, 4, Marci 16, 17. Joan. 20, 30. Act. 14, 3, ad Heb. 2, 5. Passim legimus hæc verba : Contestante Deo signis et porten is ; vel, Domino cooperante, et sermonem confirman- te sequentibus signis. Propterea miracula vocantur per antonomasiam opera Dei, Joan. 11, 5. Brachium Dei, Joan. 12, 58. Signaculum Dei, Joan. 6, 27. Marci 2, cum dixisset Christus paralytico : « Fili, dimit- tuntur tibi peccata tua : *et murrurarent scribæ quæ se dicentes* : Blasphemat ; quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Dixit Christus ad eos* : Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata, an dicere : Surge, tolle grabatum tuum et ambula? Ut autem sciat is quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata (ait paralytico) : Tibi dico : surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. » Erat ergo sanatio paralytici signum certissimum, quòd haberet potestatem dimittendi peccata, et cum divinâ ageret auctoritate.

IV. Miracula ut divinæ auctoritatis signa apud omnes cordatos habita sunt. 3 Reg. 18, postquam populus viderat victimam Eliæ igne cœlitis delapso consumptam, occidit in faciem suam, et ait : *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* 4 Reg. 5, 15, cum Naaman Syrus mundatus fuisset ab infirmitate suâ, reversus est ad Elisæum cum universo comitatu suo, et ait : *Verè scito quòd non sit alius Deus in universâ terrâ, nisi tantum in Israel.* Sic quoque in novo Testamento laudatur eorum fides, qui sine ullâ morâ miraculis convicti Christo adhæserunt. Joan. 3, 2, Nicodemus Phariseus et princeps Judæorum ad Christum ait : « Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. » Ibid. 9, 23 : « Cum esset (Jesus) Jerosolymis in pascha in die festo, multi crederunt in nomine ejus videntes signa ejus, quæ faciebat. » Ibid. 7, 51 : « De turbâ autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit? » Ibid. 9, 52 : « Non est auditum à seculo, quia quis aperuit oculos cæci nati, nisi Deus esset cum eo. » Ibid. 4, 52, regulus, cujus filium febricitantem subito sanavit Christus, laudatur, *quia credidit ipse et domus ejus tota.* Vide Act. 8, 6, et 9, 35, et 15, 12, et 14, 10. Imò gravissimi peccati arguit eos Christus, qui fidem statim non dabant : Math. 11, 20 : « Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia

non egissent poenitentiam. Væ tibi, Corozain ; væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Veruntamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissus erit in die judicii, quàm vobis. Et tu, Capharnaum, » etc. Et capite sequenti declarat « reos blasphemæ in Spiritum sanctum (quæ non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro) illos Phariseos, qui dicebant : Ille non ejicit demones, nisi in Beelzebub principe demoniorum. »

Objectiones. — At sunt apud Moysem et in Evangelio monita quadam contra pseudo-prophetas, sunt et facta historica, quæ minuire multis videntur nostracum rationum vim, quæ j un expedienda sunt.

Objicies 1^o. Dent. 13, 1, Deus sic admonet populum suum : « Si surrexerit in medio tui prophetes, qui somnium vidisse se dicat, et praxiderit signum atque portentum, et even- rit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palmâ fiat utrûm diligatis eum an non, in toto corde et in totâ animâ vestrâ. » Jeremiæ c. 23, v. 32 : « Ecce ego ad Pro, hetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narxaverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis. » Matthæi 24, 25, monet suos Christus : « Surgent enim pseudo-christi et pseudo-prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errore inducantur, si fieri potest, etiam electi. » 2 Thess. c. 2 de anti-christo scribit Apos-tolus : « Et tunc revelabitur ille iniquus,.... cujus erit adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, et prodigiis, et signis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis. » Apocalypsis c. 13, prophetia est de bestia de mari ascendente septem capitum et decem cornuum, decemque diadematum, cui dedit draco virtutem suam et potestatem magnam : « Hujus caput unum occisum est in mortem, et plaga mortis ejus curata est. » Et de secundâ bestia cum duobus cornibus, quæ « facit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum... et datum est illi ut daret spiritum imagini bestia, et faciat ut quicumque non adoraverint imaginem bestia, occidantur.... Et seduxit habitantes in terrâ propter signa : et adoraverunt bestiam omnes qui inhabitabant terram ; quo-

Ita non sunt scripta nomina in libro vite agni, qui occisus est ab origine mundi. Jam autem hæc vulgò intelliguntur de anti-christi miraculis.

Respondeo 1^o, in primo loco ex Deut. c. 15, vocem *prodigium* non significare propriè dictum miraculum, seu opus præter naturæ leges, sed rem mirabilem, quæ vel humanâ sagacitate præsciri, vel casu prædicari potest: hanc quippe significationem sæpè tabet illa vox (1).

Illa verba: *Quia tentat vos Domi us Deus vester*, innuere viderentur Deum ipsum futurum istius prodigii auctorem: at reverà intelliguntur Deo videtur pervertere naturæ cursam, ut experiatur hominum pietatem. Homines tentat Deus, cum permittit fraudes et præstigijs deceptorum. Præmunis igitur hoc in loco Moyses Israelitas contra ea prodigia, quibus astrologi, divini et pagani sacerdotes cultum deorum propagarunt, somniorum nimirum, portentorum, aliarumque id genus rerum mirabilem, licet merè naturalem, interpretatione. Hæc namque à diis immissa existimârunt, et id in se sumpserunt ut ea interpretarentur, sicque eventuum futurorum prædictionem sibi vindicarent (2). Moysis itaque verborum hic sensus esse videtur: Si quis vobis proposuerit aliquod signum in falsorum deorum gratiam, et ex eo futurum eventum prædicere contenderit, eaque res postea evenierit, non idcirco existimate aliquid ibi miraculi inesse, nec in animum inducite, propterea teneri Deum auctoritatem suam interponere, ne res illa contingat: hæc enim Deus permittit ad vestram fidem explorandam; si namque vos patimini ob incertas et æquivocas istiusmodi prædictiones à cultu Dei divelli, erit id certum indicium, non esse vos in ejus fide et amore constantes, cum vos non lateat quænam nuper prodigia

effecerit, ut vos Ægyptiacâ à servitute liberaret, seque totius naturæ Dominum esse demonstraret.

Quòd verò hic non agatur de miraculis opo dæmonis factis, satis patet ex eo quòd per tota prodigia nunquam tentaverit populum suum Deus, sæpè autem id fecerit permittendo pseudo-prophetarum artes: quòd etiam in alio loco hæc veri prophætæ criterium det Moyses, et prophætæ post eum: *Si evenierit, quod prædixerit ille propheta*; quòd denique Moyses et prophætæ, ut ex superioribus patet, omnem potestatem et scientiam futurorum dæmoni denegent. Jam verò non est credibile Deum monita dedisse contra rem non eventuram, et quam evenire non posse, et ipse et prophætæ post ipsum videntur satis claris verbis asseruisse.

Dici quoque potest verba Deuteronomii continere hypothesim impossibilem, ita ut sensus sit: Etiam si, quod est impossibile, aliquis propheta prædixerit signum atque portentum, etc., quomodò Apostolus, Gal. 1, 8, ait: *Licet angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* 2^o In textu Jeremiæ vox, quam vulgatus interpres vertit in *miraculis*, significat in *temeritate sua*, vel in *instabilitate sua*: ita transtulit paraphrastes Chaldaicus, et 70 interpretes habent, in *erroribus suis.* 3^o In capite 24 S. Matthæi prædicit Christus excidium Jerosolymitanum, et ejus omnes circumstantias. Unde agitur de miraculis impostorum tunc temporis, qui, ut scribit Josephus, turbas illectas post se trahabant in similitudines, dicentes se eis ostensurus manifesta prodigia et signa. Sed referente eodem historico nulla vera miracula ediderunt, et qui eos secuti sunt stultitiæ suæ pœnas dederunt. 4^o Obscurus nimis est Apostoli textus laudatus ex Ep. 3 ad Thess., quàm ut ex eo quidquam contra nostram conclusionem conici possit. In summâ sunt discordiâ interpretes, quid intelligendum sit per illam *discessionem*, de qua vaticinatur S. Paulus; aut qui sit illud *mysterium iniquitatis*, quod in Apostolicâ ætate jam inchoatum erat; aut quis ille *homo peccati*, in templo Dei sessurus, tanquam sit Deus, et quem Dominus Jesus interfectorurus est illustratione adventus sui. Unde alii quidem de *anti-Christo* hæc interpretantur; alii autem *Caligulam* vel *Neronem* intelligunt, et defectionem gentium ab imperio romano; alii rebellionem Judæorum adversus Romanos, et scelera ac flagitia, quæ in ultimo excidio Jerosolymitano commissa sunt à Zelatoribus; alii *Simeonem magum*,

(1) Voces vel hebraicæ מִוֹתֵיךָ *oth* signum, מִוֹתֵיךָ *mopheth* prodigium, vel græcæ iis respondentes *σημείον* et *τίσημα*, licet sæpè, non tamen semper significant opus verè miraculosum. Etenim מִוֹתֵיךָ *oth*, signum quodcumque denotat Gen. 17, 11. Ex. 12, 15. Josue 2, 12, 20, 12. Similis est sensus vocis *σημείον* tum in locis citatis, tum in nov. Testam. Matth. 26, 48. Luc. 11, 12. Rom. 4, 15. Herum מִוֹתֵיךָ *mopheth* nequit miraculum significare Ps. 71, 7. Is. 20, 5. Eze. 12, 5, etc., quæ loca 70 interpretes per *τίσημα*. Imò *oth* et *mopheth* adhibentur Is. 20, 3. Ez. 12, 6, 21, 24, de rebus quæ futuros eventus præsignificent, quo etiam sensu hic à Moyse illa accipi contendimus.

(2) Vid. Hom. II, 1, v. 62 et II, 2, v. 508, 524. Herod. Eut. c. 2

Larchochobam, *Mahumetum*, aliosque pseudo-prophetas, vel hæresiarchas, qui seculorum decursu ab Ecclesiâ deficient. At quicumque sit illius loci verus sensus, nusquam efficietur ex eo demonem posse facere miracula, cum Apostolus diseretè appetlet signa pseudo-prophetarum *signa mendacii* seu *falsitatis*; id est, *signa mendacia* seu *falsa*. Sicut in eodem capite, homo peccati est homo peccator, filius perditionis est filius perditus, mysterium iniquitatis est mysterium iniquum, efficacia erroris est error efficax, seductio iniquitatis est seductio iniqua. 5° Totâ beati Joannis orat' o. c. 15, metaphoricè est, et illam exposuerunt præclarissimè interpretès non de *anti-christo*, ejus miraculis et persecutione, sea de imperio Romano, persecutionibus imperatorum et eventibus, in quibus nulla fuit legitimè naturalè mensibilis eversio. Eorum varias interpretationes hic referre, nec vacat, nec necesse est.

Objicies 1° : Quamplurima facta sunt in utroque Testamento memorata, ex quibus colligitur magnam esse dæmonum ad patranda prodigia potestatem. 1° Gen. c. 3, dæmonem serpentis organo usum esse ad primos parentes decipiendos, docet Moyses. Serpentem cerè (in homine colloqui et ratiocinari magnum prodigium fuit. 2° Exodi c. 7, legitimus magos imitatus esse tria priora Moysis miracula; convertisse virgas suas in dracones, aquam in sanguinem, atque ranarum ingentem multitudinem procreasse. 3° In libro Job plura exempla habemus virtutis et furoris diaboli. 4° L. I Reg. c. 28, legimus mulierem pythouissam, quæ artes magicas exercebat, rogatam à Saule, evocasse ex inferis animam Samuelis, illudque spectrum prædixisse cladem exercitûs Israelitici, mortem regis et filiorum ejus; quòdque hæc die proxima essent eventura. 5° Matth. c. 4, narratur translatum à dæmone fuisse Christum Dominum super pinnaculum templi, et deinde super montem excelsum, eique à malo spiritu monstrata esse omnia regna terrarum.

Rpondeo, nos nullo modo negare quin dæmones multa mirabilia facere possint, permittente Deo; neque etiã negamus quin sæpè rebus humanis sese immiscuerint, Deo jubente, sive ad bonorum probationem, sive ad castigationem malorum; negamus solummodò illos unquam naturæ cursum interruptisse a erroris confirmationem, ut supra exposuimus: neque certè allata exempla contrarium efficiant. 1° Namis obscura est historia

tentationis primorum parentum, quàm ut ex eâ argumentum confici possit. Erant Adamus et Eva in conditione vitæ multùm à nostrâ miserâ sorte discrepante, et quod ad eos tentandos permittere potuit divina sapientia, ad nos trepidos mortales in errorem præcipitandos non sinet. Deinde non videntur primi parentes multùm fuisse stupefacti serpentis loquelâ, aut id miraculi loco habuisse; neque ipse demon illâ virtute suâ, quâ animalis corpus agitabat, tanquàm signo ad confirmandas falsas promissiones suas, utebatur: nullam quippe fingebat legationem divinam, sed divinorum mandatorum contemptum palam præ se ferebat. 2° De prodigijs magorum Pharaonis dicemus loco magis idoneo, ubi de divinâ Moysis missione: illa tribuit ipse Moyses *arcanis quibusdam et incantationibus Ægyptiacis*, non diabolo, cujus in totâ illâ Moysen inter et magos contentione nullâ planè mentio est. Nihil inuitur, undespiciari datur diaboli operâ magos usos esse: istos representat Moyses ut meros circulatores, qui arcanis suis artibus et industria à similia quedam atque ipse, facere conati sunt. Contra dæmonum fraudes, neque hic nec alibi (1), Hebræos præmuniunt, seu

(1) Si excipias Gen. c. 3, dubitari potest, an in toto Pentateucho diaboli mentionem Moyses iniecerit. Quæ enim leguntur vel Levit. 27, 7: *Ei nequaquam ultra immolabunt hostias suas demonibus cum quibus fornicati sunt*; vel Deut. 32, 17: *Immolaverunt dæmonibus et non Deo, dnis quos ignorabant: nri recentioresque venerunt, quos non cœverunt patres eorum*; ea neminem morabantur, si consulatur textus Hebræus: in priori enim textu legitur pro dæmonibus שֵׁרִימ, sehirim, טֵרֵף מַצְרַיִם, rebus vanis, juxta 70. Vox porò שֵׁרִימ, sehir, in singulari significat, vel pilosum, hirsutum, Gen. 23, 25, et 37, 11; vel hircum, Levit. 4, 21, et 16, 9, et innumeris aliis in locis: in plurali, hircos Levit. 16, 7, 8. Num. 7, 87. Hinc Isaias cap. 15, 21, et 34, 14, prædicens destructionem Babilonis et Edom: *Tripiudabunt*, inquit, *ibi שֵׁרִימ sehirim, seu hirci sylvestres* (*). Istud verò animalium genus in magnâ olim veneratione et omnis generis spurcitiis cultum erat apud Ægyptios (**): quorum inaparis ritibus deditos jam tum fuisse Israelitas patet ex Jos. 24, 14. Ez. 20, 7, 23, 2, 3, ut mirum non sit Moysen tale eis præ-

(*) Quod verò comminiscuntur quidam interpretes, satyrorum et lanorum specie dæmones olim apparuisse, eademque idcirco sub figurâ fuisse representatos, nullam habet ex Scripturis probationem.

(**) Clariss. Boch Hieroz. lib. 2, c. 53, fusè probat sacra omnia Ægyptiorum animalia fuisse pilosa, et hircum præcipuè in honore ipsis semper habitum.

Moyſes ſeu prophetæ : quod cùm in præſenti diſcrimine, tum aliis in locis, fuiſſet in ſententiâ adverſariorum omninò neceſſarium. Ex tribus enim miraculis, quæ juxta adverſarios diaboli ope magi perfeceſerunt, duo planè ſimilia jam antea coram Iſraelitis fecerat Moyſes, ut cum poteſtate divinâ miſſum ſe comprobaret : eaque dederat ipſe Deus ut legationis divinæ certiffima teſtimonia, Ex. 4. Prophetæ autem in nullo alio argumento sæpiùs verſantur, quàm in exponendâ deorum gentilium vanitate, imbecillitate et omni omninò, ſeu ad bonum ſeu ad malum, impotentia. 3° Ex nullâ Scripturæ ſacræ parte meliùs intelligimus, quàm ex libro Job, nullam eſſe dæmoni conſeſſam in res naturales poteſtatem ordinariam : nihil in ſanctiſſimum virum agere potuit niſi priùs impetratâ ſpeciali Dei veniâ; neque quiddam factum ab eo eſt ad erroris alicujus confirmationem : ipſe Job calamitates ſuas acceptas refert Deo : *Manus Domini tetigit me : Dominus dedit, Dominus abſtulit.* 4° Alienum quoque eſt à noſtrâ cauſâ exemplum tentationis Chriſti Domini : nempe ſicut in illâ primi parentis Adami, dæmon inimicitiam cum Deo præ ſe tulit, ſic quoque in Iac; neque per demonſtrationem divinæ virtutis in errorem inducere unum aut alterum conatus eſt, ſed pollicitatione præmiorum à vero et recto cogito avertere ſatagebat. Præterea notandum

ceptum dediſſe Ægypto mox profectis. Hæc confirmationem habent ex 2 Par. 11, 15, ubi Jeroboam dicitur ſibi conſtituiſſe ſacerdotes excelsorum, et ſehirim שְׂעִירִים, hircorum et vitulorum quos fecerat. Non fecit profectò dæmonia Jeroboam : ſed totus in id, ut Iſraelitas à veri Dei cultu abſtraheret, hircorum cultum, quem mutuaverat ab Ægyptiis quibuſcum dñu vixerat, 3 Reg. 11, 40, apud ſuos propagavit. In textu autem poſteriori pro dæmonis legitur שְׂדִיִּים, shedim, quæ vox non occurrit, ſi agatur de idolis, niſi hic et Ps. 106, 36; derivatur autem à שָׂדֵד, destruxit, vaſtavit; innuitque prætenſam indolem eorum idolorum aut deorum, qui ſanguinis humani effuſione delectabantur; dicuntur hi dii novi et recentes reſpectu Iſraelitarum, quos alloquebatur Moyſes, quia hoc idolorum genus non colerunt niſi ſub ingreſſum terræ Chanaan. Hæc omnia lucem accipiunt ex præfato Ps. 106: *Et initiati ſunt Beelphegor, et comederunt ſacrificia mortuorum (ſeu hominibus mortuis oblata), et commiſati ſunt riter gentes, et didicerunt opera eorum, et factum eſt illis in ſcantalum, et immolaverunt filios ſuos et filias ſuas* שְׂדִיִּים, shedim, diis iſtis vaſtatoribus, et effuderunt ſanguinem innocentem: *sanguinem filiorum ſuorum et filiarum ſuarum, quas ſacrificârunt ſculptilibus Chanaan.* Demùm quos Moyſes vocat v. 17 שְׂדִיִּים, shedim, eosdem appeilat v. 21 גִּבּוֹרִים vanitates, mera idola.

eſt poſt multos ſanctos Patres et doctiſſimos Scripturæ interpretes, Chriſti assumptionem in templi pinnaculum, et poſtea in montem excelſum ſine miraculo veriſimiliter peractam fuiſſe, cùm S. Lucas ſcribat diabolum *duxiſſe* (1) Dominum noſtrum in templum, quæ vox nullo modo innuit Chriſtum per aera à dæmone fuiſſe tranſlatum : neque iſt eſt ſenſus, qui neceſſariò aſſingi debet voci, *assumpsit*, quâ utitur S. Matthæus. 5° Quod attinet hiftoriam pythoniſſæ Endoreniſis, Jacobus Serces in tractatu de Miraculis, et Alphonsus Turretinus in diſſertationibus de Veritate chriſtianiſſæ Religionis, magnam induſtriam contulerunt, ut efficerent totam rem fraudulenter geſtam fuiſſe, et aſtutam anum regi ſuperſtitioſo et pavido impoſuiſſe. Cui ſententiæ facile ſubſcribere-mus, niſi vetaret nos auctoritas Siracidis, qui Eccleſiaſtici c. 46, v. 23, de Samuele ſcribit, ad hanc hiftoriam alludens : *Et poſt hoc dormivit, et notum fecit regi, et eſtendit illi finem vite ſuæ; et exaltavit vocem ſuum de terra in prophetiâ, delere impietatem gentis ſuæ.*

Longiùs tamen abſumus ab eorum ſententiâ, qui putarent animam Samuelis evocam fuiſſe virtute magiæ alicujus, in quâ auſu Endoreniſis eſſet perita. Piorum virorum ac prophetarum animæ dæmonis certè imperio ac ludibrio à Deo ſuorum amante non ſic permittuntur, ut ad votum præſtigiatricis eſt domicilio ſuo in has terras tranſferantur. Neque probare magis poſſumus eorum ſententiam, qui putant non ipſam Samuelis animam apparuiſſe, ſed oblatum fuiſſe ſpectrum, cujus organo uſus eſt dæmon ad prædicendam Sautis et liberorum fata. Quæ opinio multa et magna habet incommoda : primò, non ſat'ſ convenit textui ſacro et Siracidis teſtimonio, in quibus Samuel apparuiſſe dicitur. Secundò, unde conſtat dæmoni competere poteſtatem ſpectra quædam excitandi, eaque adhibendi tanquàm inſtrumenta ad loquendum, ad terrendum, et ad quos lubet uſus? Denique cùm dæmonis nulla ſit futurorum ſcientiâ, prævidere non potuit futuram mortem regis et filiorum ejus, niſi ex conjecturâ, quod et mulier potuit ſine dæmonis monitis.

Unde conſtituendum eſt, artem magicam, quam exercebat mulier Endoreniſis, vaniſſi-

(1) Vox παραλαμβάνω, quâ utitur S. Matthæus, tum apud profanos auctores, tum apud ipſum S. Matth. et alios N. T. ſcriptores ſignificat, *invenit ſecum ducere.* Vid. Math. 17, 1, 20, 47. Marc. 5, 40. Luc. 9, 10. Act. 21, 26, etc.

mam fuisse. At in alio casu, cum ipsa sese ad fraudes pararet, Dei voluntate reverè apparuisse Samuelem, et futura prædixisse; hinc mulieris summa extitit perturbatio; et hinc tanta eventus eum prædictione consensio: neque profectò hic tam extraordinarius eventus, quo fortassè pythionissa ad meliorem vitam conversà est, ullam magiæ conciliavit auctoritatem, aut in eo præstigiatrix se famulum gessit Deus, quod affirmare solent oppositarum sententiarum defensores. Pœna præterea in Saulem promptissima satis avocabat superstitiones à regis imitandâ stultitiâ et impietate.

Ex his omnibus colligere licet sine ulla ambagibus: 1^o quamlibet legum naturalium perturbationem indicare divinam manum, vel terrentem et punientem, vel consolantem et remunerantem, suorum pietatem explorantem vel patientiam exercentem, falsitatem refellentem vel veritatem confirmantem: atque ubi hæc perturbatio fit ex imperio prophætæ alicujus in nomine Creatoris ad alicujus doctrinam, vel revelationis cujuscumque confirmationem, præter ipsum miraculum nullas alias notas requiri; id est, physicas miraculi circumstantias per se sufficere. 2^o Colligitur cursum naturæ, legesve naturales cognosci certò ex perpetuâ experientiâ, sine ullâ oblatâ ab origine mundi exceptione, uti cognoscitur lex, quæ cursum solis diurnum et annuum regit, vel lex gravitatis, vel lex permutationis motûs in collisione corporum, et aliæ physicas notissimæ. Nascitur ex hac experientiâ divinæ constantiæ certitudo physica, cui homo sapiens in rebus physicis assentitur, sicut in metaphysicis certitudini metaphysicæ, et in moralibus certitudini moralium. Unde effectus novi ac stupendi, ut cometarum apparitio, eclipses solis et lunæ, pulverispyrii vis, phænomena materiæ electricæ, etc., cum primùm observati sunt, non habuerunt rationem miraculorum, quamvis eorum causæ ignorarentur. Nam in illis omnibus, quæ lex naturæ suspensa est, cujus efficaciam constantem ab origine mundi senserunt homines? Nihilominus vir sapiens inquireret sedulo in moralibus miraculorum circumstantiis, in prophætæ thaumaturgi vitam, doctrinam, ejusque doctrinæ fructus, ex quibus omnibus maximam confirmationem accipit physicarum circumstantiarum momentum et auctoritas (1).

(1) Dùm hæc typis mandarentur, accepit auctor has anonymas litteras, in quibus cum doctè et ingeniosè disputetur contra ordinem illam demonibus vulgò attributam pote-

CAPUT II.

DE PROPHECIE NATURA, FINE, MODO, ET AUCTORITATE.

§ I. *Definitio et nomen prophetiæ.*

Prophetiæ nomine intelligimus « præsensio-nem et prædictionem futuri alicujus eventus, qui in causis naturalibus non sit prævisus. » Dicimus 1^o, prophetiam esse præsensio-nem futuri eventus, ut excludamus temerarias prædictiones casu quandoque veras, sed factas sine ullâ præscientiâ. Dicimus 2^o, prophetiam præsensio-nem et prædictionem futuri eventus, ut amoveamus omnes rerum, seu præteritarum, seu abitarum declarationes, quæ propriè dicuntur revelationes: latiore sensu quidam nomen prophetiæ accipiunt pro divinâ inspiratione, « quâ eventus rerum procul à nobis distantium (sive sint

statem, quâ rebus hujus mundi aspectabilis intervenit ex arbitrio suo creduntur, et etiam contra hypothesim abbatis de Houtteville; eas hic exhibendas ducit, certas eas futuras ut sibi, sic lectoribus gratis imas... Après avoir rapporté la définition de S. Thomas, vous ajoutez, Monsieur, qu'elle renferme toute la matière des miracles dans des bornes bien étroites; que, cette définition une fois admise, Dieu ne pourra t pas employer la puissance naturelle des anges, pour opérer des miracles proprement dits... Il est, ajoutez-vous, plusieurs prodiges rapportés dans l'ancien et le nouveau Testament, qui ont certainement force de preuve, quoique nous ne puissions pas démontrer qu'ils sont au-dessus de l'ordre de toute nature créée. Cette réflexion m'a paru faire entendre que, selon vous, Monsieur, on ne peut pas démontrer que les anges n'ont pas la puissance naturelle d'opérer de vrais miracles. Pour vous exposer mon doute sur ce point, permettez-moi de rapprocher quelques observations presques toutes puisées dans votre ouvrage.

1^o Tout vrai miracle est un événement, ou une opération sensible. Il doit donc renfermer une production ou une détermination, une cessation, ou une interruption d'ordre ou de mouvement dans le monde visible. Je donnerais plus de développement à cette observation, si je ne parlais à un homme en état de la saisir beaucoup mieux que je ne saurais l'expliquer.

2^o Un événement sensible, pour être véritablement miraculeux, doit être au-dessus des lois générales que Dieu a établies pour le gouvernement du monde visible et l'arrangement de ses parties. Je discuterai plus bas l'hypothèse de M. Houtteville, et j'écarte les chicanes sur ces expressions *sæper, præter, contra ordinem*, etc.

3^o Dieu peut-il se servir du ministère des esprits créés, comme de purs instruments entre les mains de sa toute-puissance, comme de causes occasionnelles, pour déroger à ces lois générales? La difficulté ne roule pas sur cette

« præterita seu præsentis) aut per dicta aut per facta immobili veritate et maxinâ cum certitudine annuntiantur. » Ita ferè Cassiodorus præf. in psalmos. Sed ut habet S. Tho-

mas, « ad prophetiam propriissimè pertinet « revelatio eventuum futurorum; unde et non « men prophetiæ sumi videtur. » Dicimus 3^o, prophetiam præsentionem eorum, quæ in

question; je ne sais même s'il est possible de la proposer sérieusement, et de balancer sur l'affirmative.

4^o Mais est-il impossible de démontrer que, par sa nature, un esprit créé, quel qu'il soit, dès là même qu'il est créé, n'a pas la puissance de déroger, comme cause efficiente, aux lois constantes et générales établies par le Créateur, pour l'ordre et la marche de la nature corporelle? Voilà ma difficulté.

5^o Proposer cette question, c'est demander si un esprit créé peut, ou ne peut pas, par le seul mouvement de sa volonté, déroger à des lois qu'il n'a pas établies; troubler ou suspendre un arrangement qui lui est totalement étranger; arrêter ou accélérer, suspendre ou interrompre, anéantir ou produire des mouvements qui sont des résultats nécessaires de ces lois générales établies par la seule volonté du Créateur, aussi indépendantes de tout esprit créé, aussi supérieures dans leur exécution à toute activité créée, que la volonté souveraine qui en est le principe, et dont elles empruntent toute leur stabilité, toute leur force.

6^o Pour simplifier, et peut-être pour éclaircir davantage ma pensée, je demande s'il y a, s'il peut même y avoir, et s'il ne régné pas qu'il y ait un rapport physique et naturel, le rapport d'une cause proprement dite avec son effet, entre la volonté actuelle d'un pur esprit, et un événement contraire ou dérogeant aux lois constantes et générales du monde visible. Le plus parfait des esprits créés dira, par exemple: Je veux que les tours de Notre-Dame se transportent à Pontoise, que le dôme des Invalides s'écroule, qu'un rocher se soutienne en l'air sans appui, que le soleil s'arrête, etc., et la chose arrivera en vertu de l'ordre donné, si Dieu ne suspend l'exercice de la puissance productrice, de l'activité naturelle à cet esprit.

7^o Un habile homme à qui je proposais cette question, a cru que, dans les termes où je la réduisais, elle laissait subsister tout entière la difficulté sur le pouvoir et l'influence des esprits créés, par rapport aux miracles. En effet, disait-il, que l'esprit créé soit véritablement la cause productrice du miracle, ou qu'il n'en soit que la cause purement occasionnelle, on demandera toujours si le démon peut faire de vrais miracles; et cette question renfermera toujours la même difficulté.

8^o Je pense que la question proposée n'est embarrassante que parce qu'elle est équivoque. S'il est démontré, ou si l'on peut démontrer que, par ses forces naturelles, un esprit créé ne peut pas véritablement produire un miracle, alors la question se réduit à savoir si Dieu peut se servir du ministère d'un esprit créé, bon ou mauvais, comme d'un pur instrument, d'une cause occasionnelle que sa puissance emploie, pour déroger elle-même aux lois qu'elle a établies. Or, dans la question ainsi proposée, je ne pense pas qu'un esprit tant soit

peu éclairé, puisse trouver une difficulté raisonnable.

9^o A la vérité, je ne sais pas l'étendue, le degré de puissance ministérielle et précaire que la Providence a donné, ou qu'elle a pu donner aux esprits créés, sur les différentes parties de l'administration du monde visible. Je n'ai pas même besoin de le savoir, pour voir clair sur la question des miracles: il suffit que je sache, et je crois le savoir, que, par ses propres forces, par son activité naturelle, un esprit créé, parce qu'il est créé, ne peut pas plus produire, contre les règles constantes et générales, le mouvement d'un atome, qu'il ne peut lui donner l'existence. Il n'y a pas moins de distance de l'acte de sa volonté, comme cause efficiente, au mouvement de cet atome, comme effet naturel, qu'à sa création. Cette distance ne peut donc être franchie que par la seule volonté du Créateur, qui seul peut donner le mouvement et la vie aux parties du monde visible, comme seul il peut leur donner l'être. *Je veux, et le corps existe; je veux, et le corps est mu;* entre la cause et l'effet énoncés dans ces deux propositions, s'il s'agit d'une production véritable, la distance est égale: la volonté qui, dans son propre fonds, trouverait une force suffisante pour remuer un atome, contre les lois constantes et générales du mouvement dans le monde corporel, pourrait arrêter le soleil, éteindre sa lumière, bouleverser toutes les parties de l'univers.

10^o Le commerce du corps et de l'âme, la réciprocity de leurs opérations ne me paraît pas fournir la matière d'une difficulté sérieuse; 1^o il est démontré que l'impression des sens, ou le mouvement des organes, n'est que la cause occasionnelle des sensations de l'âme. 2^o Il n'est rien moins que prouvé que la volonté de l'homme soit la cause véritablement productrice des mouvements du corps. La bonne physique qui calcule moins, pour étudier davantage la nature, sait ajout d'hui à quoi s'en tenir sur cet objet. 3^o Dans ces opérations réciproques, rien qui exige dans l'âme, non plus que dans le corps, une force véritablement productrice; rien d'ailleurs qui ne soit soumis aux lois constantes et générales du monde visible, dont l'homme est la plus noble partie.

11^o D'après ces notions, que je me contente d'esquisser, parce que, beaucoup mieux que moi, vous saurez en apprécier la valeur et en développer l'étendue; j'entre avec la plus grande facilité dans la pensée de Benoit XIV, que vous citez. « Si quelqu'un, dit ce saint pontife, concluait des principes rapportés ci-dessus, que les démons peuvent, par leur vertu naturelle, faire des miracles qui surpassent les forces et la faculté de la nature visible et corporelle, il se tromperait bien certainement. Autre chose est, continue-t-il, que Dieu se soit servi quelquefois, et qu'il puisse se servir du ministère du démon dans la production des

causis naturalibus non sunt prævisa, ut physicorum, medicorum et politicorum præcognitiones, sæpè probabiles, aliquando etiam certas, rejiciamus. Eòdem redit divinationis defi-

miracles, et autre chose, que ce soit le démon qui fasse des miracles. »

12° Si donc l'on m'objecte le miracle du reptile qui parle à Eve, les prodiges des enluteurs de l'Égypte, ou l'évocation de Samuel par la pythoïsse, etc., les faits étant incontestables, j'avoue qu'ils sont miraculeux, je les envisage d'abord dans leur être physique, et j'y reconnais l'action de Dieu qui déroge à ses lois par le ministère de ses créatures bonnes ou mauvaises. Donc, envisagés dans leur être moral, ces miracles sont aussi la voix de Dieu qui parle à l'homme pour l'instruire, pour l'éprouver, ou pour le punir, par un moyen extraordinaire. Quelle que puisse être la vue de l'agent subalterne dont il emploie le ministère pour l'opérer, jamais il ne se servira d'un être maléfaisant, ou imposteur, pour faire un miracle dans des circonstances où il serait impossible à un homme tant soit peu attentif, de discerner le langage de la Divinité, de la voix de l'imposture. Le discernement était facile à faire dans les exemples que j'ai cités, et dans les autres faits qu'on a coutume d'opposer.

13° Vous dites, Monsieur, que vous embrasseriez très volontiers ce sentiment, si vous pouviez le concilier avec la croyance de tous les âges; vous faites plus: après l'avoir prouvé par les passages les plus formels, vous l'appuyez sur l'expérience constante de tous les siècles.

14° La raison, l'expérience et l'autorité sont donc sur ce point dans le plus parfait accord. La raison me paraît répandre autant de lumières sur les arguments que fournissent l'expérience et l'autorité, que celles-ci donnent de force aux preuves appuyées sur la raison.

15° Mon doute ne tombe donc que sur le jugement que vous portez de la définition du miracle donnée par S. Thomas, adoptée par Benoît XIV, et suivie, je crois, par le grand nombre. En conséquence de ce jugement, vous dites que les preuves par vous puisées dans les lumières de la raison, ne mettent pas ce sentiment hors de toute controverse; par elle-même, la raison ne vous paraît fournir qu'une forte présomption en sa faveur: c'est dans l'expérience et l'autorité qu'il faut en chercher des preuves certaines. Paris, 3 mai 1775.

Vous m'encouragez, Monsieur, par le favorable accueil que mes premières observations ont éprouvé de votre part. Vous en ferez tel usage qu'il vous plaira. Je les ai pleinement soumises à votre jugement; je les abandonne entièrement à votre bon plaisir. Il est de la bonne foi de vous prévenir que, pour la plupart, elles ne sont pas à moi. Celles dont je ne vous suis pas redevable, je les ai presque toutes empruntées d'un recueil de lettres adressées à M. Houtteville, et imprimées en 1722. On m'a toujours dit que le P. Tournemine en est l'auteur. Quoi qu'il en soit, vous ne pensez pas que l'hypothèse de M. Houtteville dimi-

nitio apud Ciceronem, juxta quæ est eorum rerum, quæ fortuito putantur, prædictio et præsensio. »

Propheta apud Hebræos triplici nomine ap-

me beaucoup la force des preuves que les miracles fournissent pour établir la vérité de la religion. Quelques écrivains modernes paraissent en avoir porté le même jugement. M. de la Chambre n'a osé prononcer entre M. Houtteville et M. Clarke; il est même impossible, selon lui, de prendre un parti sur le différend qui les partage. Cette décision ne m'a pas empêché de regarder jusqu'ici le système de M. Houtteville comme insoutenable, soit que l'on considère le miracle dans l'ordre physique, ou dans l'ordre moral. Je ne dirai pas avec l'auteur des lettres, que ce système me fait horreur, qu'il a révolté tous les lecteurs, qu'il s'est attiré autant d'ennemis qu'il y a de chrétiens dans l'univers; mais je pense qu'il altère la nature du miracle, et qu'il en atténue la force.

J'observe d'abord une différence essentielle entre l'hypothèse de M. Houtteville et l'opinion du P. Mallebranche. Celui-ci, à la vérité, n'admet en Dieu qu'une volonté simple, unique et générale pour tous les effets ordinaires et miraculeux; mais, selon lui, les miracles sont toujours au-dessus de toutes les forces et de toutes les lois de la nature: quoiqu'ils n'aient pas pour principe des volontés particulières, ils n'en sont pas moins des dérogations au cours ordinaire. Mais, dans le système de M. Houtteville, le miracle est un résultat de l'ordre général de la mécanique du monde, et du jeu de tous ses ressorts. C'est une suite de l'harmonie des lois générales que Dieu a établies pour la conduite de son ouvrage; mais c'est un effet rare, survenant, qui n'a point pour principe les lois générales, ordinaires et connues, qui surpasse l'intelligence des hommes, dont ils ignorent parfaitement la cause, et qu'ils ne peuvent produire par leur industrie.

Dans ce passage de M. Houtteville, qui embrasse tout son système, je trouve beaucoup d'embarras sur les lois générales de la nature, et peu de concert avec les lumières ordinaires de la raison. Le miracle est un résultat de l'ordre général, une harmonie des lois générales. Cependant il n'a pas pour principe les lois générales, ordinaires et connues. Je le demande, y a-t-il donc dans la nature, peut-on même raisonnablement supposer qu'il y ait des lois générales inconnues et extraordinaires, qui produisent des effets contraires aux résultats des lois générales, ordinaires et connues? La mécanique du monde roulerait donc sur des lois opposées, dont les unes, accessibles à nos recherches, seraient combattues par d'autres absolument inaccessibles à notre intelligence. Toute cette théorie, monsieur, m'a bien l'air de n'être qu'un pompeux jeu de mots, ou un fatras inintelligible. Que ne dit-on que ces lois générales, inconnues et extraordinaires, sont des lois dérogatoires au cours ordinaire de la mécanique du monde? alors on se ferait entendre; mais on rentrerait dans la voie commune.

pellabatur : 787, *Rohe*, id est, *idens*; 787, *Choze*, quæ vox eamdem habet significationem; sed sæpius נביא, *Nabi*, quod vocabulum juxta verissimilem conjecturam Salomonis Jarchi deriva-

Supposerait-on que les lois ordinaires et connues se prêtent à des combinaisons singulières, à des résultats impénétrables à l'esprit humain, pour produire des effets rares, singuliers, et absolument éloignés de la marche générale dans la mécanique du monde? Cette supposition serait peut-être admissible pour quelques circonstances particulières, où les hommes ont dû voir une maladie désespérée se guérir, un ciel serein s'obscurcir, des nuages se former sur-le-champ, et se fondre en pluies abondantes aux ordres d'un thaumaturge, ou aux vœux d'un peuple. C'est ici le cas de dire que les lois du mouvement sont susceptibles d'une infinité de combinaisons et de rapport, dont il est impossible de saisir tous les résultats.

Mais je demande avec l'auteur des lettres, par quelles modifications naturelles du mouvement, la ville de Jérusalem a-t-elle pu voir autrefois sept pains se multiplier assez abondamment pour rassasier un peuple nombreux? Par quels rapports secrets aux lois de l'équilibre des liqueurs, les Apôtres ont-ils vu leur maître marcher sur la surface des eaux, et se faire suivre par l'un de ses disciples? Par quelle harmonie astronomique des planètes, qui ne doivent être opposées l'une à l'autre, que dans des temps mathématiquement définis, peuvent-elles sans forcer leur marche naturelle, et sans déroger aux lois qui les régissent, s'arrêter, ou s'éclipser extraordinairement, et mettre en défaut tous les principes et tous les calculs de l'astronomie? par quelles combinaisons une ame retourne-t-elle dans un cadavre déjà glacé, déjà infect, déjà livrée à la pourriture, pour lui rendre le mouvement et la vie, sans violer les lois générales de la nature, et sans éprouver la plus légère opposition de sa part? Proposer ces questions, n'est-ce pas démontrer l'absurdité du système qui les occasionne? Ce qui est physiquement absurde, la métaphysique la plus raffinée a-t-elle droit de le supposer naturellement possible?...

Parmi tous les miracles de l'ancien et du nouveau Testament, ne s'en trouvait-il qu'un seul qui résistât invinciblement à cette hypothèse, il suffirait pour la renverser de fond en comble. Non, personne ne connaît jamais, jamais personne ne pourra connaître tous les rapports, tous les résultats possibles. Mais depuis le plus ignorant des hommes jusqu'au plus savant des philosophes, est-il quelqu'un qui ne sente, qui ne saisisse la vérité de cette assertion : La résurrection d'un mort est un effet au-dessus de toute la force, de toute l'énergie des lois connues et inconnues, générales et particulières de la nature. Si les apôtres du dixième avaient avancé cette hypothèse, je ne sais comment elle aurait été accueillie dans le sein du Christianisme.

Jusqu'ici je n'ai envisagé les miracles que dans l'ordre physique relativement aux principes de M. Houtteville, et c'est sous le même

rapport que vous avez solennellement combattu son système dans votre premier volume. Toute ma difficulté roule donc sur le jugement que vous en portez, monsieur, en le considérant dans l'ordre moral, je veux dire, sous le point de vue où le miracle est pour nous le langage de la Divinité, et le sceau authentique qu'elle appose à la doctrine qui nous est annoncée de sa part. Sur quoi voiez les doutes qui me sont venus, et les réflexions qui les ont fait naître. Dans le système de M. Houtteville, le miracle est un effet rare, singulier, impénétrable des lois générales; mais il en est un effet, un résultat foncièrement naturel. Voilà sa nature physique, je n'y vois pas encore le langage de la Divinité. Eh! à quel signe pourrais-je reconnaître que Dieu veut m'instruire d'une manière extraordinaire, par un événement purement naturel? serait-ce parce que cet événement est singulier, qu'il est rare? Mais combien de maladies rares et singulières, qui épuisent toutes les ressources de l'art, qui déconcertent toutes ses lumières, qui échappent à toutes ses recherches? J'en appelle aux mémoires des académies de Paris, de Leipsick, etc. Mais ces miracles surpassent toute la portée de notre intelligence... Je le veux, et je conclus que j'en ignore le principe. Or, de l'aveu sincère de mon ignorance, au langage extraordinaire de la Divinité, l'induction ne me paraît ni directe, ni prochaine, ni nécessaire dans l'ordre des événements les plus singuliers, dès qu'on les suppose naturels.

D'ailleurs, si les miracles ne sont que des résultats extraordinaires, des combinaisons inconnues, des lois générales, dans quelles sources vont-ils puiser toute leur force pour établir la vérité d'une Religion surnaturelle? Elle ne peut partir que de leur concours avec le moment où le thaumaturge en invoque le témoignage en faveur de la doctrine qu'il annonce; concomitance de l'événement rare et singulier avec la prédication d'une doctrine extraordinaire, incompréhensible, proposée par un homme qui se dit l'envoyé de Dieu, et qui le prouve par cet événement. Je suppose qu'il savait que le miracle devait arriver au moment où il le prédit qu'il arrivera. Cette connaissance surpassait toute l'intelligence de l'esprit humain, je l'accorde, et alors je conçois que la prévoyance certaine et l'annonce précise de l'événement miraculeux seront le langage de la Divinité; mais j'en conclus aussi que l'événement prévu et annoncé ne prouvera rien par lui-même dans les principes de M. Houtteville. Toute la preuve qu'il offrira aux yeux d'un philosophe imbu de son système, ne viendra ni de la singularité, ni de la rareté de l'événement, mais du surnaturel de la prédiction, ou de l'annonce faite par le prédicateur, ce qui enlève au miracle toute sa force, pour confondre la preuve qu'on en tire, avec la preuve appuyée sur la prophétie: ce n'est plus comme thaumaturge,

oraculorum et decretorum divinorum internuntius. Ex. 7, 1 : *Dixitque Dominus ad Moysen : Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron si a'er tuus erit Nabi tuus.* 5° נבִּיָּא, *Nibba*, seu prophetare, significat aliquando *furere*. 1 Reg. 18, 10 : *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus sue.* 4° *Nibba*, est laudes divinas canere. 1 Reg. 19, 23 : *Factus est etiam super eum spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque diem veniret in Naioth, in Ramatha.... Unde et exiit proverbium : Num et Saül inter Prophetas?* Eodem sensu sumitur 1 Paral. 25, 1 : *Igitur David et magistratus exercitüs segregaverunt in ministerium filios Asaph, et Heman, et Idithun, qui prophetarent in cytharis, in psalteriis, et cymbalis.* 5° Quia latronis cadaver injectum sepulcro Elisæi vitam recepit, ideo dicitur Eccl. 48, 14 : *Et mortuum prophetavit corpus ejus (Elisæi).* 6° *Nibba*, significat *divinare*, seu rem occultam aperire, ut 1 Reg. 9, 7. Tandem in novo Testamento est *Scripturas interpretari*, vel populum hortari ad pietatem, 1 Cor. 14, 3 : *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, et exhortationem, et consolationem.* Scilicet ut habet Maimonides in More Novechim l. 2, c. 45 : « Secundus prophetiæ gradus est, cum homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri, et super se quiescere, quæ eum impellit ad loquendum, et ita ut loquatur vel de scientiis et artibus, et vel psalmos et hymnos, vel utilia ac salutaria rectè vivendi præcepta, vel res politicas et civiles, vel denique divinas, et quidem inter vigilandum, et in vigore sensuum or-

c'est comme prophète, que l'envoyé de Dieu prouve la divinité de sa mission.

Je suppose qu'un philosophe, partisan du système de M. Houtteville, lise le livre de Josué; que trouvera-t-il dans le commandement que l'homme de Dieu fait au soleil et à la lune de s'arrêter dans leur course? Tous les autres lecteurs y aperçoivent une prière que Dieu exauce, et un ordre que le ciel respecte; ils voient avec admiration un Dieu qui obéit à la voix de son ministre, et toute la majesté du spectacle que l'écriture lui présente, le frappe, le saisit. L'énergie des traits qui composent ce magnifique tableau se soutient, se sent, se conçoit, dans les principes qui admettent une véritable dérogation aux lois générales de l'astronomie; mais tout cela disparaît aux yeux du philosophe : il ne voit qu'un événement rare, singulier, surprenant, inexplicable, à la vérité, mais naturel, mais nécessaire, puisqu'il résulte d'une combinaison particulière des lois générales : le ciel et ses astres obéissent, non à la voix de l'homme, mais aux lois de la nature; l'ordre, la prière de Josué ne sont phy-

« dinario. Et hic est de quo dicitur, quòd loquitur per Spiritum sanctum. »

Apud Græcos duplex præsertim nomen erat ejus, qui res futuras prædicabat; προφητῆς *propheta* nempe, et μάντις *mantis* : prius derivatur à radice quæ significat præcere. At in vulgari sermone illo nuncupabantur quicumque occultæ rei divinatores, oraculorum interpretes, et sacrorum antistites. Secundum, scilicet μάντις *mantis* (unde μαντεία, *mantia*, et μαντικόν, *mantichè, propheta*) est à radice μαννῶμαι, *mainomai*, quæ significat *furere*, per epenthesis litteræ τ, quia per *furorem* reddebantur oracula. Apud Latinos variis nominibus appellabatur arcanorum revelator et interpret. 1° Dicebatur *divinus*, quia divi proprium videtur occulta revelare, neque sine Dei interventu futura prænoscerent. 2° *Vates*, quasi à fando, mutando litteram f in v. *Vatis* erat, deorum effata proferre ac interpretari. 3° *Præ-sagus*, à sagiendo : sagire autem, teste Cicerone l. 1 de Div. significat acutè sentire : unde saga anus, id est, vetula sacrorum perita. 4° *Ariolus*, quasi fatiolus, à fando dictus, vel ab aris, quòd esset illis addictus. 5° *Fatidicus*, quòd fatum, seu futuram hominum sortent prædiceret. Dicebatur etiam ex modo vatei-nandi auspex, augur, aruspex, extispex, sortilegus, astrologus, et Chaldæus.

§ 2. *Propheticum apud Judæos munus.*

Propheticum munus apud Hebræos pars erat theocratia, in quâ formâ regiminis Deus ipse, extraordinariâ et supernaturali ratione, republicam gubernabat : prædictum in Ra-

siquement ni la cause, ni l'occasion de l'événement : l'apostrophe au soleil et à la lune de vient même un appareil inutile : si le philosophe n'a pas raison d'y trouver le langage de l'imposture, lui démontrerait-on qu'il a tort d'y trouver le ton de la fanfaronnade? N'est-ce pas jusqu'à un certain point en imposer, sinon sur le fonds, au moins dans la forme et l'appareil de l'événement, que de commander au soleil d'interrompre sa course au moment où l'on sait, par revelation, qu'il doit la suspendre, en vertu des lois générales? Je pourrais pousser plus loin cette induction, et l'étendre sur tous les faits miraculeux qui se sont opérés par la voie du commandement. Si les Juifs, du temps de J.-C., avaient connu le système de M. Houtteville, ils n'auraient pas dit : Quel est celui-ci? les vents et la mer obéissent à sa puissance! Ils auraient dit : Que cet homme est éclairé! les événements les plus singuliers, les plus surprenants, les plus éloignés de la marche ordinaire de la nature, les plus incompréhensibles combinaisons des lois générales, n'échappent pas à sa connaissance!... Paris, 17 juin 1775

Iaani oraculo est, futuros apud Israel divinæ voluntatis internuntios : *Non est augurum in Jacob, nec divinitio in Israel; temporibus suis dicitur Jacob, quid operatus sit Deus; et lego Moysis cautum fuit ut prophetis obtemperaretur. Erant ergo propheta: à Deo ipso electi et ejus quasi à latere legati, divinoque afflatu ad munus suum obediunt instructi. Ex eorum tamen numero plerumque assumpti erant, qui ab ineunte ætate in convenientem disciplinam traditi et ad sacra ministeria prius instituti fuissent: ideò Judæi negare solent Davidem, Salomonem, Danielem prophetes propriè dictos esse; ideò Amos, cum non esset è prophetarum collegio, dicebat: *Non sum propheta, nec filius prophetæ, sed armentarius ego sum.* Constat ex multis sacræ historiæ locis à primis reipublicæ Hebrææ temporibus fuisse quædam prophetarum collegia, in quibus semoti ab hominum frequentia prophetici muneris candidati studiis et exercitationibus sacris vacabant. Horum singulis præerat vates aliquis summâ auctoritate, et Spiritûs sancti instinctu eximie præditus, universi cœtus moderatores et præceptor. Tempore Eliæ et Elisæi in magnum numerum excreverant hæc collegia, et illis opponebant impii principes sub insigni aliquo pseudo prophetâ magnas quandoque sodalitates; cum Elias interficere curaverit, uti narratur, Reg. I. 3, c. 18, ejusmodi seductores octingentos quinquaginta.*

Quamquam de eorum institutis et disciplina paucis tantummodo atque obiter mentionem faciat sacra Scriptura, nihilominus in eo sæpè multumque occupatos fuisse intelligimus, ut hymnis et carminibus cum fidium et tiliarum cantu et symphoniâ Dei laudes celebrarent. Legimus Sam. 10, 5, Sauli jam regi designato et solenni unctione jussu Dei jam consecrato obviam factum esse, ut prædixerat Samuel, cœtum prophetarum descendentium de monte Dei (id loci nomen, in quo situm erat sacrum collegium) et præcedentibus nabliis, tympanis, tibiis, citharisque, vaticinantium: quibus auditus ipse rex protinus, celesti etiani Spiritu instinctus, unâ vaticinabatur. Idem illi evenit, ejusque etiam nuntiis Naotham missis ad capiendum Davidem, qui cum prophetas viderent vaticinantes, et presidentem choro Samuelem, afflatu divino pariter correpti unâ vaticinati sunt, id est, Deo laudes sancti Spiritûs instinctu carmine cantuque celebrabant. Eorundem ergo erat in usum Ecclesiæ, et carmina condere, et edere oracula; neque id

quidem dubium est, quin magna pars hymnorum sacrorum vaticinia sint propriè dicta, nec quin ex vaticiniis nonnulla reverâ sint hymni. Imò ex universâ sacrorum voluminum serie constat, eventuum futurorum significationes ferè semper versu et numeris enuntari; et ejusdem fuisse spiritûs rerum prævisionem suo afflatu impertire, iisque magnificos poeseos sensus et carminis ornatum inducere, ut cum rebus ipsis, longè humanos conceptus superantibus, quædam etiam eloquii divinitas consentiret. Et certè cum is esset initio præcipuus poeseos finis, ea singularis utilitas, ut dicta sapientium ad mores vel ad fidem pertinentia in animis hominum altè imprimeret, et ad posteritatis memoriam commendaret, nemini mirum id videri debet, si prophetia, quæ in eo genere principem locum obtinet, maximeque est momenti, ejus operam noluerit repudiare et ministerium ad usus suos præcipuè accommodatum aspernari. (Vide Lowth de sacrâ Poesi Hebræorum præf. 18.)

§ 3. *Varii modi prophetandi, seu futura præsentendi.*

Cum Deo rerum omnium creatori, adminiculo perpetuo et gubernatori, nota necessariò sit operis sui series, prophetiæ possibilitas manifesta est, modò possit Deus scientiam quam habet rerum futurarum cum hominibus communicare. Jam verò id fieri posse et factum esse docent Scripturæ quatuor modis. Primò, per immediatum afflatum et inspirationem, qualem promittit Christus Matth. 10, 49: « Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabit enim vobis in illâ horâ, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. » Et Lucæ 21, 14: « Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterant resistere et contradicere omnes adversarii vestri. » Et qualem expectati sunt Apostoli in die pentecostes, Act. 2, 4: « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. » Et Stephanus disputans cum Judæis, ibid. 6, 10: « Et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur. » Certè Deus omnium nostrarum facultatum auctor, qui intuitivam primarum veritatum cognitionem hominum mentibus inspiravit, quidni eadem

ratione eosdem certiores facere potest cujus-
cumque alterius veritatis? Secundò, revelatio
divinorum consiliorum et eventuum futuro-
rum fiebat per claram vocem et familiare allo-
quium : sic cum Adamo et Patriarchis con-
versatus Deus legitur; sed præsertim cum Moyses,
« qui cum ingredietur tabernaculum foderis
« ut consuleret oraculum, audiebat vocem lo-
« quentis ad se de propitiatorio. quod erat super
« arcam testimonii inter duo Cherubim. unde
« et loquebatur ei, » Num. 7, 39. « Loquebatur
« autem Dominus facie ad faciem, sicut solet
« loqui homo ad amicum suum, » Ex. 15, 11.
Unde in ejus laudem ipse Deus pronuntiavit,
Num. 12, 6 : « Si quis fuerit inter vos pro-
pheta Domini, in visione apparebo ei, vel
« per somnium loquar ad illum. At non talis
« servus meus Moyses, qui in omni domo meâ
« fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei,
« et palam, et non per ænigmata et figurâs
« Dominum videt. » Tertio, revelatio fiebat
per visionem, quando scilicet vigilante pro-
pheta, at sopitis sensibus, ejus imaginationi
representabantur res futuræ, ut præsentés;
res remotæ, ut in conspectu; res absconditæ,
ut patentés. Sic describitur visio, Num. 24,
13 : « Dixit Balaam filius Beor; dixit homo,
« cujus obturatus est oculus; dixit auditor
« sermonum Dei, qui novit doctrinam Altis-
« simi, et visiones omnipotentis videt, qui
« cadens apertos habet oculos: Videbo eum,
« sed non modò. » Et Act. 22, 17 : Factum
« est autem revertenti mihi (Paulo) in Jeru-
« salem, et oranti in templo, fieri me in stu-
« pore mentis, et videre illum (Jesum) dicen-
« tem mihi : Festina et exi velociter ex Jeru-
« salem, quoniam non recipient testimonium
« tuum de me, » etc. Visiones ejusmodi in-
numeræ recitantur in veteri et novo Testamento.
Quartò, revelatio fiebat per somnia. Jobi 55,
13 : « Per somnium in visione nocturnâ, quan-
« do irruit sopor super homines, et dormiunt
« in lectulo, tunc aperit Dominus aures viro-
« rum, et erudiens eos instruit disciplinâ. »
Et Joel c. 2, 28 : « Et erit post hæc : effun-
« dan spiritum meum super omnem carnem;
« et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ;
« senes vestri somnia somniabunt, et juvenes
« vestri visiones videbunt. » Hujusmodi etiam
somnia divinorum infinita exempla sunt.

§ 4. Notæ veræ et falsæ prophetiæ.

Quomodò autem divini afflatus ab humanis
cogitationibus, vel visa divina per vigiliam et

quietem secernantur à visis lymphaticorum et
somniaantium ludibriis, ii soli norunt, qui ex-
perti sunt. Clarè sanè intelligimus Deum om-
nipotentem suæ præsentis signa dare eviden-
tissima posse, et in prophetarum mentibus
eos sensus excitare, quibus sine ullâ dubita-
tione secernant vocem divinam quâcumque
aliâ interiore commotione; quibusque omninò
subigantur intellectus et voluntas propheta.
Atque illam efficacissimam vim expertos esse
Prophetas legimus Jer. 20 : « Factus est mihi
« sermo Domini in opprobrium et in derisum
« totâ die, et dixi : Non recordabor ejus ne-
« que loquar ultra in nomine illius; et factus
« est in corde meo quasi ignis exæstans,
« claususque in ossibus meis : et defeci, ferre
« non sustineas; » et c. 23, 25 : « Audivi
« quæ dixerunt prophetæ prophetantes in no-
« mine meo mendacium atque dicentes : Som-
« niavi, somniavi... Quid paleis ad triticum,
« dicit Dominus? Numquid non verba mea
« sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi mal-
« leus conterens petram (1)? »

Cùm prophetiæ Dei nomine fiant eâ inten-
tione, ut ab hominibus pro Dei verbo habeantur,
necesse est dari signa quædam, quibus
veri prophetæ à falsis dignoscantur. Prophetiæ
post eventum nullâ aliâ probatione indigent,
nisi eventus cum prædictione convenientiâ. Si
prædicta fuerit res, quæ in causis naturalibus
prævideri non potuit, et in casum non possit
prædicto refundi, qui illam rem prædixerit,
ille post rei prædictæ eventum habebitur ut
verus propheta : si res non evenierit, falsus
erit. Deut. 18, 20 : « Quod si tacitâ cogita-
tione responderis : Quomodò possum intel-
« ligere verbum quod Dominus non est locu-
« tus? hoc habebis signum : Quod in nomine
« Domini propheta ille prædixerit et non eve-
« nerit, hoc Dominus non est locutus, sed per
« tumorem animi sui propheta confixit. » Je-
rem. 28, 9 : « Propheta, qui vaticinatus est
« pacem, cum venerit verbum ejus, sciatur
« propheta, quem misit Dominus in veritate. »
Propheta, ante compertam ejus per eventum
veritatem, nullum aliud habere potest signum

(1) « Spiritus quoque levavit me et assump-
« sit me, et abiit amarus in indignatione spi-
« ritus mei : manus enim Domini erat me-
« cum. » Ezech. 3, 14. « Si dederit mihi Ba-
« lac plenam domum suam argenti et aurî,
« non potero præterire sermonem Domini
« mei, ut vel boni quid, vel mali proferam ex
« corde meo, sed quidquid Dominus dixerit,
« hoc loquar. » Num. 24, 13.

veritatis, præter auctoritatem prophetæ pietate suâ, miraculis et vaticiniis jam completis confirmatam. Sic primò si quis aliquid suaderet contrarium pietati, aut legis divinæ fundamentalibus principiis, is habendus esset pro falso prophetâ non expectato eventu. Deut. 13 : « Si surrexit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris... Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur. » Apost. 1 Cor. 12, 3 : « Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. » Et ad Gal. 1, 8 : « Sed licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. » Quia scilicet Deus sibi contrarius esse nequit. At cum Deus in veteri Testamento usus est Balaamo licet impio ad prophetandum, et Christus Matth. 7, 22, declaraverit reprobandos esse multos, qui in die iudicii dicent illi : « Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? » Ideò, ut vitæ apparens sanctitas non est certum signum divini afflatus, sic nec improbitas aut perversitas morum semper prophetas falsitatis arguit : licet probabilis conjectura ex moribus capi possit, quia rarò improbis utitur Deus.

§ 5. *Finis et usus prophetiæ.*

Manifestum est prophetiæ et totius Dei providentiæ supernaturalis finem nullum aliùm esse posse, quam veræ religionis conservationem et hominum per eam salutem ac felicitatem. Et reverà in Scripturis sacris nulla alia ratio exhibetur omnium prophetiarum, sive res temporales et statum nationum politicum spectantium, sive earum quæ spirituales res, regnumque Christi Domini cæleste adumbrabant. Prima omnium prophetia data est primis parentibus lapsis et desperantibus ad excitandam in illis spem futuri liberatoris et victoriæ in serpentem reportandæ, quæ esset omnis religionis fundamentum. Ad eandem spem, religionemque in eo positam confirmandam factæ sunt Patriarchis tot repetitæ de *semine benedicto* promissiones. Et cum sub impiis principibus numerus eorum augetur, qui iriderent istam expectationem, et qui dicerent : « Festinet et citò veniat opus ejus, ut videam

mus, et approplet, et veniat consilium sancti Israël, et sciemus illud, » Is. 5, 19, bonos clarioribus prophetiis confirmabant quoniam plurimi prophetæ : « Audite, inquit Isaias c. 66, 5, audite verbum Domini, qui trepidantes ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos, et abjicientes propter nomen meum : Glorificetur Dominus. Videbimus in lætitiâ vestrâ, ipsi autem confundentur. » Ac deinde de Messîa et ejus Ecclesiâ vaticinatur.

Idem etiam erat finis fœderis temporalis cum Abrahamo initi, ac postea solemniter in monte Sinâ confirmati, omniumque vaticiniorum temporalium ad illud pertinentium : vocatus etenim Abraham dicitur cum diis serviret alienis, « ut Deus statueret pactum cum semine ejus in generationibus suis; ut esset Deus illius et seminis ejus post eum. » Et contractus initi in monte Sinâ hæc verba sunt : « Deus elegit te hodiè, ut sis populus peculiaris, in laudem, et nomen et gloriam suam. » Per hæc oracula non vanam curiositatem alebat Deus; sed primò Judæis ostendebat suâ diuione omnes gentes contineri, eos avocabat ab ineundis cum exteris gentibus fœderibus. Deinde avocabat etiam a consulendis ethnicorum oraculis; ideò jussus est Elias obviam ire legalis regis Ochoziæ 4 Reg. 1, 3 : « Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbitem, dicens : Surge et ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, et dic es ad eos : Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus : De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. » Hunc finem esse declarat etiam Deus apud Is. 48, 5 : « Priora ex tunc annuntiavi; et ex ore meo exierunt, et audita feci ea : repente operatus sum et venerunt. Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua area. Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicavi tibi, ne fortè diceres : Idola mea fecerunt hæc, et sculptilia mea, et conflabilia mandaverunt ista. » Tertio, prophetiæ hæ temporales, quæ res mox futuras prænuntiabant, ubi eventu complebantur, pignora erant futuri complementi earum, quæ ad res post plura secula futuras pertinebant : cujusmodi erant oracula de Christi adventu, de conversione gentilium ad veri Dei cultum, de propagatione christianæ religionis. At si hæc omnia vaticinia tantam habuerint vim sub

V. T. ad excitandam fidem atque spem hominum ab ipsâ mundi origine, et in mundo idololatrica veram religionem semper conservaverint; multò magis eadem confirmant animos post eventum, et veram religionem usque ad finem mundi conservabunt.

§ 6. *De claritate et obscuritate prophetiæ.*

Prophetia dici potest clara aut obscura, vel ratione sui et terminorum, quibus res futuræ enuntiantur, vel ratione objecti, vel respectu diversorum hominum.

Prophetia in se clara ea est, quæ nudam ac simplicem significationem habet, qualis est illa Osee 5, 4: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine Theraphim.* Et profectò de essentia prophetiæ nullo modo est, ut sit obscura. Nam tam clarò licet de rebus futuris loqui, quàm de præteritis, et reverà de imperiorum futuris fati locuti sunt Prophetæ, tanquàm historici. At prophetiæ obscuritas oriri potest ex multiplici re: 1^o ex metaphoris, parabolis et allegoriis, ex meditata confusione, ex typis et prophetiis duplicem habentibus sensum congruentem et analogum; unum proximum, alterum remotum. Talium prophetiarum exempla plura alibi proponuntur, quando rationes afferuntur, cur Prophetæ obscuritatem illam tanquàm velum suis vaticinationibus obduxerint. Verùm hæc quarundam prophetiarum obscuritas longissimè differt ab oraculorum ethnicorum absurditate, quorum alia concipiebantur terminis non intelligibilibus, alia sic erant ambigua, ut sensus admitterent planè contrarios; quæ æquivocatio omnem illis vim prophetiæ adimebat. Prophetia clarâ ratione objecti ea est, quæ rem verisimilem et humanæ rationi probabilem prænnuntiat. Obscura verò est, quâ res prædicatur in speciem absurda et impossibilis: talis illa Isaïæ 7, 14: *Ecce virgo concipiet et pariet filium,* sensu literali intellecta. Tales quoque illæ erant, quæ de Christi morte et sempiterno regno, opprobriis et gloriâ editæ sunt. Hanc obscuritatem tollit eventus. Prophetia tandem clara vel obscura dici potest respectu diversorum hominum, scilicet respectu ipsius prophetæ, aut eorum qui prophetiam audiunt ante eventum; vel respectu eorum qui prophetiam excutiant, postquàm completa est. Ac 1^o certum est Prophetas ipsos non semper intellexisse prophetias illas, quæ visis symbolicis et ænigmaticis constabant. Dan. 12, 8: « Et ego au-

divi et non intellexi; et dixi: Domine, quid erit post hæc? Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus. » In primis tempora eventuum, quos prænnuntiabant, clarè et distincte non cognoscebant: ideò Judæi Ezechieli exprobrabant illam temporis diuturnitatem 12, 27: « Ecce domus Israel dicuntur: Visio quam hic videt, in dies multos: et in tempora longa iste prophetat. » Quæ exprobratio abierat in proverbium, ut scribit propheta ibidem v. 22: « Quod est proverbium istud vobis in terrâ Israel, dicentium: In longum differentur dies, et peribit omnis visio? » Unde et in novo Testamento de Prophetis legimus 1 Pet. 1, 11, quòd fuerint « scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænnuntians eas, quæ in Christo sunt passionnes, et posteriores glorias, quibus revelatum est, quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant ea, » etc. Si hæc prophetiæ quandoque respectu ipsorum Prophetarum obscuræ erant, multò minus illas perfectè intelligebant Judæi, in quibus generalem tantummodò spem in Messiam fovebant. 2^o Etiam respectu nostri quamplurima vaticinia servant multam obscuritatem; ea scilicet, quorum obscuritas oritur ex metaphoricâ oratione, ex allegoriis, ex meditata confusione, ex duplici sensu, vel ratione typicâ: his quippe omnes causas obscuritatis non tollit eventus.

§ 7. *Diversa genera prophetiarum.*

Duplex generatim prophetiæ genus apud Hebræos fuit; aliæ verbis et sententiis continentur, aliæ rebus, nempe figuris: « Scimus, ait Tert. l. de Resur. carnis, ut vocibus, ita et rebus prophetarum. » Est autem figura, quæ *typos* græcè dicitur, « persona, res, vel eventus analogiâ quâdam aliam personam, rem, vel eventum ex intentione et consilio Dei præsignificans. » Jam verò tota vetus dispensatio erat novi apparatus: in eâ, Dei apud Judæos officia representabant officia Messie patris futuri seculi; constitutionem civitatis judaicæ formam Ecclesiæ; fata populi israelitici fortunam populi christiani; cultus mosaicus in omnibus suis partibus, templo, sacerdotio, sacrificiis, religionem christianam, personæ præcipuæ Messie quoque typi fuere, et in ipsis denique eventibus insignioribus præsignificati fuerunt eventus evangelici. Ex hæcyporum institutione spontè nate sunt allegoriæ mysticæ, seu prophetiæ duplicem habentes sensum; nam statim

atque David, Salomon, Zorobabel, alique assumpti sunt in typum futuri ducis Messiae praeemptum erat antitypi recordari, atque statim ac illorum injecta erat mentio, hunc quoque cogitatione complecti, ejusque effigiem generalioribus saltem lineamentis adumbrare (1). In hujusmodi prophetiis pertinentibus ad Messiam, aliae sunt quae duplicem habent sensum litteralem, ferme aequaliter obvium; aliae directè referuntur ad Christum, ad alia verò obliquè; aliae contra allegoricè pertinent ad Christum; juxta obviam et simplicem significationem aliò spectant. Prioris generis est illud vaticinium de statu Judaici interitu, Matth. 24, quod congruit etiam litteraliter futuræ consummationi totius seculi. Secundi generis ea est, quae habetur in vicesimo primo psalmo, quamque adnotarunt Evangelistæ: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Hoc enim reverè et secundùm litteram Christo contigit, ad Davidem autem obliquè refertur. Tertii generis hoc exemplum suppeditat idem psalmus: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiae laudabo te;* quæ de se David secundùm litteram, de Christo secundùm figuram prædixit. Quanquàm et secundùm litteram potest in Christum congruere. Hisce prophetiis duplex inest futurorum indicium, seu bis vaticinia hæc rem præsignificant: primum quidem, cum ipsum editur oraculum; secundò, cum in eo exitum habet quem directè spectavit. Exemplo erit Nathanis vaticinium, quo Davidem Deus sic compellat: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus; ipse ædificabit domum nomini meo.* Cum ea enim ad Salomo-

(1) Sed magna est varietas in usu et tractatione allegoriæ hujus mysticæ; in modis quibus disponuntur hinc imagines inter se convenientes, quibusque earum altera alteri subternitur. Interdùm sic apparet atque eminent imago proxima, tantùmque in vocibus et dictionibus dominatur, ut à grè patiatur interlucere remotiorem: contra interdùm, idque multò frequentius, tam perspicuè tantoque verborum splendore effulget remotior, ut proximam suo lumine penè obruat et extinguat. Aliàs perpetuè et æquabili quâdam luce et satis aperta, intento quidem oculo sese conspiciendam exhibet imago præcipua; aliàs nec opinantem præstringit, et subitus atque improvisis quibusdam coruscationibus quasi è nubibus fulgur, erumpit. Quandoque tandem, et is certè modus maximam habet elegantiam et pulchritudinem, cum per totum poema geminæ imaginæ, pariter conspicuæ, ac quasi parallelè consociantur, sibi invicem apertè respondententes, seseque mutuò illustrantes. Vide Cowth de sacrâ Poesi Hebræorum, præf. 41.

nem directè, obliquè ad Christum spectent; per verba hæc Christus primùm prædictus est tum, cum vaticinium ipsum edidit Nathan; iterùm quoque prædictus est Christus cum ortus est Salomon, ad quem directè spectaverat Nathanis oraculum, et cum templum construxit, quod Ecclesie à Christo ædificatæ imago fuit.

§ 8. *Varia prophetiarum interpretatio.*

Hinc prophetiarum sensus duplex distingui debet, nimirum litteralis et mysticus. Sensus litteralis est ille, quem verba accepta sive propriè, sive metaphoricè, primò et immediatè significant. Ideoque sensus litteralis alius proprius, quem verba significant sine tropo vel figurâ; alius metaphoricus, quem verba exhibent translata in alienam significationem; sic illa Isaie: *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hædo cubabit..... pro salicè ascendet abies, et pro urticâ crescet myrtus;* vel hæc Joannis Baptistæ de Christo apud Matth. c. 3, 12: *Cujus ventilabrum in manu sua, et permandabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili;* sumi nequeunt sensu litterali proprio, sed eorum verus sensus litteralis est sensus metaphoricus. Sensus mysticus est ille, qui non proximè et per voces, sed mediatè et remotè, mediantibus scilicet rebus per voces sensu litterali significatis, indicatur. Sensus hic mysticus semper supponit sensum litteralem; at metaphoricus sensum litteralem proprium excludit.

Gravis est inter theologos controversia, utrùm idem Scripturæ textus habere possit plures sensus litterales; affirmant S. Thomas, Tostatus, Gregorius de Valentia, Salmero, Lud. Molina, Cornelius à Lapide, Joannes Mariana, Bonfrerius, Bellarminus, Melchior Canus et alii plures. Ad eandem sententiam accedere necesse est eos, qui duplicem sensum in quibusdam Scripturæ locis ita admittunt, ut primarius sit imperfectus: cum enim omnis Scripturæ locus habere debeat sensum litteralem perfectum, necesse est ut iidem statuatur duos esse nonnunquam sensus litterales. Prioribus ergo accensendi sunt Jansenius Gandavensis, Lucas Brugensis et innumeri alii. Negant verò Atensis, Albertus Magnus, Michael Medina, Ribera. Ad quam etiam sententiam accedere videntur quicumque theologi duos sensus solimmodò, unum primum, alterum secundarium distinguunt;

nam per primum intelligunt litteralem, per secundarium, mysticum et allegoricum. Sed de his alio loco fusiùs dicemus.

§ 9. Auctoritas prophetiæ.

PROPOSITIO.

Neque præsciri, neque etiam casu prædicti à creaturis possunt, 1º ea omnia quæ præter naturæ ordinem divinæ et supernaturali virtute contingunt, ut miracula et divinorum decretorum manifestationes; 2º futuri post longa intervalia temporum mundi physici successivi status; 3º futura hominum consilia et fata imperiorum.

PROBATIO. *Ab experientiâ.* — 1. Manifesta est ex ipsâ experientiâ propositionis veritas. Scilicet in rebus physicis, et ubi de potentiis naturalibus agitur, summa est auctoritas constantis et perpetuæ experientiæ, sine ullâ oblatâ ab origine mundi exceptione: sic certum est extra omnium hominum naturam positum esse volare, vel etiam uno saltu decem exapedas transgredi: qui contrarium assereret, insaniret. Sed neque homines, neque ulli alii spiritus, quibus est cum hominibus commercium, futura illa prædixerunt, nisi ad id fuerint à Deo ad homines legati.

Ex ratione. — 2. Ratio manifestè demonstrat ea omnia cuique creaturæ inserustabilia esse. 1º Miracula et decreta divina in causis naturalibus videri nequeunt, cum sint præter ordinem naturæ; nec in divinâ voluntate, cuius consilia, nisi Deo prodente, innotescere non possunt. Si ex divinæ potentiæ effectibus, quos experimur, ad divinorum consiliorum investigationem assurgere non possimus, quantum minus eadem in antecessum præsagiemus? 2º Mundi quoque physici status successivi, non nisi Deo patent; quia mundus constitutio est, in quâ causæ sunt inter se nexæ innumerabiles, quæ mentis aciem tenuitate effugiunt, et numero ac varietate excedunt; illæ omnes sibi invicem respondent et se mutuo librant, idèoque omnes uno intuitu comprehendere necesse est; nec tantum præsentem earum statum pervidere oportet, sed successivos omnes usque ad prædictum eventum status. Si levissima pars fugerit attentionem, si concatenatio immensa et perpetua non fuerit accuratissimè evoluta, et collectæ omnes antecessiones, totâ numeratione erratur. Quæ mens creata universalitatis immensitatem complexi, aut cogitationis celeritate æquari cursum naturæ potest?

3º Multò magis extra mentis creatæ cognitionem posita sunt futura hominum ignotorum consilia liberrima, et multò quidem magis, quæ pendent ex innumerabilium voluntatum consensione, earundemque cum infinitâ seriò causarum physicarum conjunctione: quæ sunt imperiorum fata remotissima. Is solus, qui ordinem physicum et moralem instituit, nexumque miro copulavit, tanti operis seriem, cursumque rerum æternum investigare valet. Si quæ ergo ab hominibus aut creaturis quibuscumque naturali sagacitate prædicta sunt, ea jam in causis cognitis continebantur. Sic prædicimus vicissitudines temporum anniversarias, ortus, occasus, conjunctiones et eclipses planetarum. Sic ex agrorum symptomatibus morbi exitum colligunt medici; sic uberem olearum proventum anno proximo futurum ex quibusdam iudiciis Thales, et ex scaturiginum et aquarum subterraneorum insusitato sapore instantem terræ motum Pythagoras, augurari potuerunt.

Sed si hæc omnia extra mentium creaturarum aciem sunt, haud magis in casum refundi possunt. Nam quavis prædictiones quædam casu et fortuito veræ esse possint, certæ tamen sunt notæ, quibus temeraria vaticinatio secernatur ab eâ, quæ à divinâ scientiâ proficiscitur. Primò, cum evenit res prædicta ejusmodi, ut vero sit valdè absimilis sive ratione sui, sive ratione adjunctorum, veritas illius prædictionis in casum refundi non debet, resque dicenda est non prædicta solum, sed etiam prævisa: multò quidem magis si res prædicta mediis naturalibus contingere non potest. Sic olim veri Dei cultum toto orbe per aliquot homines propagandum ac idololatriam prorsus profligandam, res erat in se et ratione sua valdè à verisimilitudine remota: cuius prædictio fortuita esse non potuit. Idem vero perficiendum à paucis ex infirmâ plebe hominibus idiotis, omnique præsidio humano destitutis, per crucis Christi prædicationem, inter gravissimas persecutiones, et cum incredibili celeritate, res erat ratione horum adjunctorum multò magis abhorrens à verisimilitudine. Eiusdem generis sunt prædictiones pleæræque inferiùs recitandæ quæ compleri non potuerunt, nisi interveniente divinâ virtute. Secundò, cum evenit res prædicta ejusmodi, ut ipsa quidem sive ratione sui, sive ratione adjunctorum, nihil habeat à vero alienum, sed ita sit naturâ sua incerta, ut illius prædictio sit supra modum mirabilis, tunc

etiam casu vera dici non debet. Sic olim futurum hominem nomine Cyrum, qui Judæos captivos in patriam ex Babylone remitteret, res erat nec ratione sui, nec ratione adjunctorum à verò abhorrens; sed quia tunc temporis Judæi in florentissimo statu erant, nec quidquam à Babyloniis metuebant, qui cæteris gentibus opibus et potentiâ non præstantibus; quia Persarum res parvæ erant; denique, quia appellatio et nomen est aliquid valdè arbitrarium, incertum et infinitum, idcirco nemo jure prædictionem illam Isaïæ ad casum referre potest. Adjuncta illa, seu circumstantiæ loci, temporis et personarum, tam variæ esse possunt, ut contra probabilitatem infinitam sit, ut quis temerè et sine prævisione benè conjectet. Tertio, cum multa ab aliquo prædicta sunt, veniuntque omnia, prædictiones ille omnes in casum refundi non possunt, inò nullæ. Neque, ut habet Cicero, casu facta dici possunt, quæ habent in se omnes numeros veritatis. Quatuor tali jacti casu venereum efficiunt: num etiam centum venereos, si quadraginta talos jeceris, futurum putas? Aspersa temerè pigmenta in tabulâ oris lineamenta effingere possunt, num etiam Veneris Cœæ pulchritudinem effingi posse aspersione fortuitâ putas? Sus rostro si humi litteram A impresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Ennii ab eo posse describi? Sic enim se profectò res habet, ut nunquam perfectè veritatem casus imitetur (1). »

Ex auctoritate. — Futurorum præcognitionem certam ad Deum solum pertinere constans et perpetua omnium vox ac sententia semper fuit. 1^o Hæc sacerorum apud Judæos scriptorum doctrina fuit: Moyses Deut. 18, 20, hoc inter divinum et falsum vatem discrimen ponit, quòd,

(1) Parùm ergo scitè scripsit auctor libri, qui inscribitur *Émile* t. 3, pp. 156, 157: « Je dis qu'aucunes prophéties ne sauraient faire autorité pour moi, parce que pour qu'elles le fissent, il faudrait trois choses dont le concours est impossible, savoir: que j'eusse été témoin de la prophétie, que je fusse témoin de l'événement (sûlcut il mourut liter certum sit utrumque), et qu'il me fût démontré que cet événement n'a pu quadrer fortuitement avec la prophétie: car fût-elle plus précise, plus claire, plus lumineuse qu'un axiôme de géométrie, puisque la clarté d'une prédiction faite au hasard n'en rend pas l'accomplissement impossible, cet accomplissement, quand il a lieu, ne prouve rien à la rigueur pour celui qui l'a prédit. »

quæ ille prædixit reipsâ certòque eveniant, alterius autem prædicta plerumque eventu careant: « Si tacità cogitatione responderis, quomòdò possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: « Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, et non e venerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit. » Sic Jeremias quoque 28, 9: « Propheta qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus sciatur propheta, quem misit Dominus in veritate. » Idem hunc proprium veri Dei characterem esse affirmant, ut sit præscius futurorum. Is. 41, 53: « Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos. Et 4, 6: Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus: quis similis mei? vocet et annuntiet, et ordinem exponat mihi, ex quo constituat populum antiquum: ventura et quæ futura sunt annuntiet eis. » Ibid. v. 24: « Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinatorum et ariolos in furorem vertens, convertens sapientes retrorsùm, et scientiam eorum stultam faciens; suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum completus. » Et c. 23, 21: « Annuntiate et venite, et consiliumini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, et tune prædixit illud? numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me. » Negant idem quemquam præter Deum hominum cogitationes secretas et consilia presentia scrutari posse. 3 Reg. 8, 59: « Tu nôsti (Deus) solus cor omnium filiorum hominum. » Jerem. 17, 9: « Pravum est cor omnium et inscrutabile: quis cognosceret illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes: qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum. »

2^o Ab hæc doctrinâ non deviarunt Ecclesie christianæ doctores. Tertullianus in Apologético ait dæmones æmulari divinitatem, dum furantur divinationem; et c. 20, « Idoneum, inquit, testimonium divinitatis est veritas divinationis. » Auctor quæstionum et responsionum ad orthodoxum, resp. ad qu. 146: « Penès hunc (Deum) humanarum rerum est prædictio juxta et eventus. » Minutius Felix in Octavio: « Oracula efficiunt (dæmones) falsis pluribus involuta: nam et falluntur, et fallunt, et nescientes sinceram veritatem, et quam sciunt in perditionem suam non contentes. »

S. Hilarius l. 9 de Trinitate : « Proprium Deo quid aliud est, quàm cognitio futurorum? » S. Augustinus l. de Divinatione dæmonum c. 5 : « Quæ cum ita sint, sciendum est, quoniam de divinatione dæmonum quæstio est, eos ea plerùmque prænuntiare, quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpè potestatem, et morbos immittere, et ipsum aerem vitando morbidum reddere.... Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscent, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, ante prædicunt.... Aliquando et hominum dispositiones non solum voce prolatas, sed etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimantur in corpore, perdiscunt, atque hinc etiam multa futura prænuntiant... In cæteris autem prædictionibus suis dæmones plerùmque, et falluntur, et fallunt. Fallunt quidem, quia cum suas dispositiones prænuntiant, et improvisò desuper aliquid jubetur quod eorum consilia cuncta perturbet... Fallunt autem etiam studio fallendi, et invidià voluntate, quâ hominum errore letantur. Sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt ut interpretibus suis, signorumque suorum conjectoribus culpa tribuatur, quando decepti fuerint, vel mentiti. » Universi etiam Patres negant dæmonem secretarum cogitationum, quarum nullum proditum est signum exterius, habere notitiam, atque Christi Domini divinitatem ex eo colligunt, quòd ipsi paterent mentium interiores recessus. Jam verò sine hæc scientiâ, nulla est prævisio futurorum etiam proximorum, quæ ex hominum pendet voluntatibus.

3° Neque vates ipsi paganorum, augures, aruspices, astrologi, aliunde quàm à Deo ipso futurorum cognitionem ad se pervenire gloriabantur. Omnis enim divinationis auctoritas in hoc ratiocinio fundabatur : « Si sunt dii, neque ante declarant homini quæ futura sunt, aut non diligunt homines; aut quid eventurum sit ignorant; aut existimant nihil interesse hominum scire quid futurum sit; aut non censent esse suæ majestatis præsignificare hominibus, quæ sunt futura; aut ea nequidem dii significare possunt. At neque, non diligunt nos : sunt enim benefici, generique hominum amici. Neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata sunt. Neque nostrâ nihil interest scire ea quæ eventura sunt : erimus enim cautiore, si sciamus. Neque hoc alienum à ducunt majestatis suæ : nihil est enim

beneficentiâ præstantius. Neque non possunt significare. Est igitur divinato, »

Observatio.

DE NATURA ET AUCTORITATE CERTITUDINIS MORALIS.

Occasio sæpius exiit, existetque in hoc opere disserendi de fidei humanæ et traditionis auctoritate, in quâ ponitur omnis factorum certitudo : adeoque de eâ fusam instituere disputationem planè supervacaneum est : hic igitur paucis observationibus generalia in hæc materiâ principia brevissimè complectemur.

I. « Res æqualiter veræ, et certæ respectu nostri, esse possunt, quæ non habent ejusdem generis evidentiam. » Exempli gratiâ, regnasse in Galliâ Henricum IV, æquè verum est, et certum respectu nostri, ac verum et certum est, solem hesternò die consuetum ab oriente in occidentem confecisse; aut tres angulos in triangulo esse æquales duobus relictis : quamvis prioris propositionis certitudo posita sit in testimonio hominum; secundæ, in testimonio sensuum externorum; tertie, in testimonio sensus exterioris.

Sunt hæc tres propositiones æqualiter veræ, quia veritas non recipit majus et minus. Sunt etiam æqualiter certæ certitudine, ut dicitur, subjecti; quia homines sani æqualiter illis adhærent sine ullâ errandi formidine. Sunt denique æqualiter certæ certitudine motivi, quia earum certitudo in idem principium resolvitur, nempe in divinam veracitatem... Etenim certitudinis metaphysicæ immediatum principium est clara perceptio convenientiæ vel inconvenientiæ inter duas ideas per sensum interiorem : et hujus sensus interioris auctoritas oritur ex eo, quòd præceptor nobis datus sit à naturâ, seu potiùs à Deo auctore naturæ, à cujus judicio ad aliud tribunal provocare non possumus; à quo naturaliter inclinamur ad assentiendum; adeoque si nos falleret, falleret natura, falleret Deus naturæ institutor; error esset perpetuus et invincibilis... Certitudinis physicæ principium est clara, et uniformis perceptio rerum sensibilibum per sensus externos : et horum sensuum auctoritas in eo sita est, quòd sicut sensus interior datus est ad dignoscendas affectiones animi et abstractas veritates, ita sensus externi dati sunt ab auctore naturæ tanquam rerum sensibilibum

cauti: hi quoque naturaliter extorquent omnium assensum; si fallerent, falleret Deus; error esset perpetuus et ineluctabilis... Certitudinis moralis principium est clara perceptio facti alicujus per attestationem hominum circa eandem rem consentientium, cujus attestationis nulla alia causa esse potest, nisi facti realitas vel communis delusio: et hujus attestationis auctoritas summa est, quia hominum consentientium fides solum medium est datum ab auctore naturæ ad res absentes vel præteritas cognoscendas: hæc fides impetrat naturaliter assensum; ac si falleret uniforme hominum testimonium, falleret Deus, et error in factis (atque in his vertitur vita hominum) esset perpetuus et ineluctabilis. Verum quidem est, quod veritates abstractæ et metaphysicæ versentur circa objecta necessaria et immutabilia; veritates autem physicæ et morales, circa objecta contingentia: at hæc diversitas objectorum nullo modo afficit certitudinem, ut dicitur motivi: quia hæc in omni veritate, quocumque donetur nomine, posita est in necessitate hypotheticâ et consequente, hoc est in necessariâ connexionem inter perceptionem clarâ, seu per sensum intimum, seu per sensus externos, seu per testimonium hominum, et veritatem rerum metaphysicarum, physicarum et moralium. Ideo etiam omnis certitudo dici potest metaphysica.

II. « Ideo certitudo summa in unâquâque re existit ubi motiva, quibus inducimur ad assentiendum, vel supponunt rei veritatem, vel delusionem in auctorem naturæ refundendam. — Exempli gratiâ: si tres anguli in triangulo non essent æquales duobus rectis, existeret in animo sensus interior falsus, à Deo insitus. Si sol cursum suum hesterno die non confecerit, fuerunt homines ab auctore naturæ delusi. Si nulla sit urbs Roma, si consensionem generalem non peperit urbis existentia, existit communis deceptio, à bis mille quingentis annis; cujus nulla alia causa esse potest præter universalem causam: quæ enim alia fingi potest?

Hæc ergo veritatum et aliarum similium summa certitudo est. Ejusdem generis certitudo nascitur ex uniformi depositione plurimum hominum de facto publico et sensibili; ubi sunt illi homines studiois divisi: atque in illo casu nulla est necessitas inquirendi in testium bonam fidem, quia statim intelligitur homines studiois, commodis et propensionibus divisos in fraudem consentire non velle. Certum quoque moraliter censeri debet factum aliquod, quod testantur plures viri probi, si eorum sic nota sit probitas, ut uniuscujusque testimonium rem valdè probabilem redderet, quia nulla potest esse suspicio eos consentire voluisse ad fraudem hominibus sine causâ imponendam. Probitas autem cognoscitur ex infinitis indiciis. Item certum erit moraliter factum, quod testabuntur plures homines, quorum dubia est probitas, vel etiam nota improbitas, si factum habeat multa adjuncta; et eorsim interrogati convenientia omnes testentur; et aliunde certum sit eos convenire inter se de responsionibus non potuisse; atque etiamsi inter se convenire potuerint, eorum fraudem, si quæ uti velint, facit plerumque detegit solers interrogator, si de levibus circumstantiis interrogaverit, et testes eorumdem omnium se memores aut oblitos esse profiteantur. Hæc certitudo tanta est, ut in judiciis, apud omnes gentes, duorum hominum convenientibus testimoniis gravissimæ causæ determinantur. Et rectè quidem, quia hæc omnia convenientia testimonia et responsiones considerari debent, ut totidem effectus, quorum aliqua causa assignari debet, quæ sæpissimè nulla alia esse potest, nisi facti veritas.

III. « Non est necesse ad impetrandum assensum, ut motiva credendi habeant hanc summam evidentiam: *securitas* existit, ubi ad sunt omnes rationes credendi, quæ in simili causâ adesse solent; et quæ solæ adessent, si res credenda existisset, vel etiam ubi rationes multæ ad assentiendum inclinant, nullæ animam in contrariam partem trahunt. »

PROŒMIUM.

Antequàm hanc adversùs deistas disputationem aperiamus, visum est à re nostrâ non alienum brevem totius œconomie divinæ de-

scriptionem et successivam illius diversis temporibus hominibus factam à Deo dispensationem præ oculis ponere: tum quia solent ad-

versarii magnis clamoribus efflagitare, ut antequàm ad rationes nostras expendendas vocemus eos, non dedignemur rem in controversiâ positam exponere: quasi verò talis esset divina œconomia, cujus cœlestem originem prædicamus, quæ apertam lucem ferre non posset, manifestasque haberet notas falsitatis; tum etiam quia nihil ad doctrinam utilius dari à me posse putavi brevi illâ scientiæ christianæ complexione, ex quâ totius providentiæ Dei supernaturalis ratio possit intelligi.

Præterea arripiemus opportunitatem eas ponderandi impiorum hominum rationes, quas etsi vendant ut invieta argumenta, quibus sapiens avocari debeat etiam ab examine nostrarum rationum, viv tamen *præsumptiones* nuncupari possunt; quæque cum totam divinæ œconomia formam impugnet, idcirco ad nullam operis partem commodè revocari potuerunt.

I. — *Religionis revelatæ summa.*

Post perfectam totius mundi fabricam, hominem formavit Deus, iisque cumulavit ingenii et corporis dotibus, ut procreatorem suum in orbe corporeo exprimeret, et ejus quasi vicarius esset. Animus rerum cognitione et scientiâ amplissimâ instructus, nullis commovebatur perturbatis motibus, nec appetitus aut præcurabat temerè rationem aut ignavè sequebatur: habuit homo vitæ arborem, immortalitatis alimentum; nec experturus erat, quamdiù innocens et rectus permansisset, vel dolores, vel interitum: divinam in eo venerabantur bestię omnes imaginem, fundebatque tellus facilem jucundumque vitum. Habuit quoque vitæ interioris et spiritualis principium supernaturale, gratiam sanctificantem et inhabitantem in se spiritum Dei. In tam felici statu constituti humani generis auctores, ad probationem obedientiæ et virtutis facillima jussi exequi mandata, eaque salutaria, videlicet quibus parendo perfectionis et felicitatis incrementa mererit, et ad stabilem pervenire perfectionis et felicitatis supernaturalis conditionem potuissent, haud tamen obtemperarunt, sed oblitii divinorum munerum et beneficiorum, maligni spiritus consiliis, quem species tegebatur serpentis, divina ausi sunt monita minusque contemnere. Carpsere lethalis arboris mala, quibus illos interdixerat optimus parens, et quorum mortiferum virus docuerat. Quoniam perfecta felicitas et iniquitas in constitutione entis sanctissimi nequeunt consociari, quasi

veneno lethifero tacta caro confestim exarsit, motuque agitata perturbato similes in animo perturbaciones excitavit: obnubilata mentis acies cœpit hebescere; corporis motus jam pulsabant temerè animum, nec expectabant rationis imperium; solioque ferè deturbavit ducem illam vitæ et reginam appetitûs vis immoderata. Amisit etiam homo cum originali justitiâ et naturæ suæ optimo statu corporis augustam speciem et dignitatem, nec illius aut formam ampliùs animantes tremebant aut vocem agnoscebant. Exclusus tandem paradiso, hortisque illis divinâ manu consilis, in terram incultam ejectus est ad labores et ærumnas eas quas experimur, quas tamen hominis malitiâ graviores fecit, quàm natura.

Homini lapsio et divinæ facto obnoxio iracundiæ nullus erat pœnitentiæ locus, nec læsæ potuit Dei majestati satisfacere, nec ullâ potuit industriâ pristinam recuperare felicitatem; proscriptus à Deo filiosque generans ærumnis et miseris iisdem obnoxios, paterni reos criminis, damnationis et maledictionis ejus hæredes; sicque res humanæ in pejus semper ruisset, ac animæ immortales solutæ corporibus in æternâ morte cum dæmonibus permansissent. Hæc in ordine à Deo primum constituto erant delicti proto-parentis nostri stipendiâ, generisque Deo invisibilis naturalis conditio. In hæc luctuosâ sorte constitutum humanum genus divinam deavò expertum est, quam non meruerat, benevolentiam. Non est passus Deus interire hominem, sed stupendo charitatis mysterio, in quo verè *justitia et pax osculatæ sunt*, nihilque derogatum est divinæ majestati et sanctitati. consuluit ejus, posteriorumque salutem. Homo in gratiam recipitur, capitis sententia in exiliis pœnam mutatur propter merita futuri liberatoris ex semine mulieris oriundi: hujus seminis benedicti mediatiõne novum sancitur pactum, verè *pietatis magnum sacramentum*, cujus hæc fuere fundamenta, hæc conditiones.

Unigenitus filius Dei, factus propensissimâ in nos suâ et patris voluntate hominum patronus, totam gentem humanam sibi cognitione conjugere, assumptâ nostrâ ex virgine naturâ, decrevit, et carne indutus eam offerre Deo plenissimam satisfactionem, quam reddere ipsi homo naturâ filius iræ et debitor non potuit. Ita factus propitiatio pro delictis totius mundi delevit chirographum, quod erat contrarium nobis, expoliavit principatus et potestates, atque ab æternâ morte humanum genus liberavit: *quoniam quidem per hominem mors, et per*

hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Illic ratione empto humano genere, non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine suo, imperium in homines obtinuit à Deo Patre, qui propter passionem mortis exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, omnemque dedit potestatem. Hoc nomine novi fœderis ab initio mundi auctor et mediator fuit, quod fœdus gratiæ optime dicitur quod Deum obstrinxisse erga homines intelligitur et homines erga Deum. Pactus est pro hominibus apud Patrem, ut cisea impertiretur gratiæ auxilia, quibus dignè ei servire et ita placere possent; atque in filios adoptionis et cohæredes regni eos assumeret, qui fide ac charitate illi conjungerentur: cùmque jam homines majoribus obnoxii tentationibus ingentes difficultates in exercitatione virtutum experiantur, primævæ legis, juxta quam peccatum erat humanis vitiis irreparabile et ejus stipendium mors, rigorem temperavit; et pro nobis etiam peccatoribus ea stipulatus est gratiæ dona, quibus pœnitere, Deoque conjuncti Christo satisfacere possemus. Denique in honorum operum mercedem maxima præmia obtinuit. Ex alterâ parte quoniam mediator Dei est apud homines, patrisque sui dignitati debet consulere, lege evangelicâ hominibus strictissimè injungit unius veri Dei cultum, religionis naturalis strictissimam observantiam, et, ut fide ipsi adhæreant, ipsiusque freti meritis Deum audeant interpellare, variasque insuper addidit conditiones temporum circumstantiis convenientes. En brevis et imperfecta divini œconomiae descriptio, quam nequaquam habemus totam cogitatione comprehensam: illius jam successivæ dispensationis historiam instituamus.

II. — *Religionis revelatæ successiva evolutio.*

Primis nostris parentibus, statim post expertam tristem illam ex inobedientiâ calamitatem, benignissima sua in eos, eorumque genus omne, consilia Deus patefecit: venturum à quando liberatorem monuit ex semine mulieris, qui serpentis antiqui caput contereret, veniam peccatis hominum mereretur, et cohæredes regni sui eos efficeret, qui fide ipsi conjuncti piè et rectè viverent; pollicitusque est propter hujus seminis benedicti merita se humano generi non defuturum. Utque hujus liberatoris memoria diutius vigeret, mactationibus bestiarum coli voluit, quibus clarè significabatur homines morti destinatos, agni

immaculati cruento sacrificio aliquando fore liberandos. His duobus, fide redemptoris et sacrificiis fidem exprimentibus, continebatur omnis primorum hominum legi naturali superaddita religio, et ex his fontibus, sed variâ ratione corruptis, fluxère vetustissimæ gentium religiones (1).

Beati et felices homines, si tantæ benignitatis memores retulissent gratiam, divinisque benè usi auxiliis fuissent! Sed citò omnis caro corruptit viam suam, eoque prosecta est hominum impietas, ut generali diluvio ulcisci eam divina justitia decreverit.

A communi generis humani naufragio eruptum Noe cum sua familiâ, benignissimè suis promissis Deus consolatus est, eique et filius legis naturalis præcepta positivè suâ voce tradidit, et auctoritate sancivit, quorum præceptorum memoria semper apud Hebræos fuit. Cepit denuò homines oblivio tum divinorum judiciorum, tum præceptorum: passim erat spatium quadringentorum annorum memoria ferè deleta; Deum non mente, sed oculis quærere homines cœpère, solem et stellas colere alii, demortuos alii parentes et reges adorare, alii muta et frigida simulacra venerari.

Evanescenti jam verè religioni rursùm succurrit Dei benignitas, decernitque unam à nationibus cæteris gentem segregare, cujus ipse esset quasi gentilitius et tutelaris Deus, quamque singulari curâ tegeter, augeter, institueret. In hanc adoptionis gratiam assumpsit Abraham, dum diis serviret alienis, jussumque à familiâ suâ et terrâ egredi, ita tuitus est, ut inter extraneos et invidos opibus, gloriâ et auctoritate valuerit. Pactum cum eo inivit, quod solemnî ritu et jurejurando sanctum voluit, quod his verbis in Religionis annalibus describitur Gen. cap. 17: « Postquàm nonaginta et novem annorum esse cœperat (Abraham), apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens; ambula coram me, et esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis... erisque pater multarum gentium. . . faciamque crescere te vehementissimè, et ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur, et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, et ut sim Deus tuus et seminis tui post te; et daboque tibi et semini tuo terram peregrini

(1) De religione primitivâ, vid. ad calcem hujus voluminis, § 5.

« nationis tuæ, omnem terram Chanaan, in
 « possessionem æternam, eroque Deus eorum. »
 Dixitque iterum ad Abraham: « Et tu custo-
 « dies pactum meum quod observabis inter
 « me et vos, et semen tuum post te. Circum-
 « cidetur ex vobis omne masculinum, et cir-
 « cumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in
 « signum fœderis inter me et vos. Infans octo
 « dierum circumcidetur in vobis, omne mas-
 « culinum in generationibus vestris, tam ver-
 « naculus quam emptitius circumcidetur, et
 « quicumque non fuerit de stirpe vestrà: erit-
 « que pactum meum in carne vestrà in fœdus
 « æternum. Masculus cuius præputii caro cir-
 « cumcisa non fuerit, debetür anima illa de
 « populo suo, quia pactum meum irritum fe-
 « cit. » Iterum propter fidem et obedientiam
 Abraham eadem pollicitus est Deus cum juramento
 his verbis c. 22, v. 16: « Per memet-
 « ipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc
 « rem, et non pepercesti filio tuo unigenito
 « propter me, benedicam tibi et multiplicabo
 « semen tuum sicut stellas cœli et velut arenam
 « quæ est in littore maris; possidebit semen
 « tuum portas inimicorum suorum, et bene-
 « dicentur in semine tuo omnes gentes terræ. »
 Pactum hoc confirmatum fuit Isaac et Jacob,
 neque Deus omnipotens dedignatus est appel-
 lari *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob*. Du-
 plex igitur fuit huius pacti pars: alia temporalis
 pertinebat ad progeniem carnalem et terram
 Chanaan; alia spiritualis spectabat semen bene-
 dictum et universam gentem humanam (1).

(1) Has varias factas Patriarchalis promissio-
 nes intelligunt quamplures recentiores Jæzer,
 et cum his quidam judaizantes Christiani, de
 multiplicatione solummodo sobolis et de prosperitate
 gentis Israeliticæ temporali; quæ
 tanta pronittitur futura, ut reliquæ gentes
 sibi mutuo benedicant, sumptâ ab Israelitis si-
 militudine et quasi per proverbium dicant:
 « Deus vestram gentem multiplicet, ut semen
 Abraham, Isaac et Jacobi multiplicavit; vel ben-
 edicant sibi ipsis dicentes: Benedicat nobis
 Deus, sicut benedixit Abraham. » Hanc expositionem
 avidè amplectuntur omnes nostræ Reli-
 gionis adversarii. Alii Judæi etiam hæc intel-
 ligunt de felicitate temporali afferendâ omni-
 bus populis per Messiam regem suum, qui
 omnes gentes suo imperio subiecturus est.

At omnes ferè interpretes christiani con-
 cordes sunt in exponendis prædictis locis de
 promissâ spirituali benedictione in omnes gentes
 diffundendâ per Messiam, seu Christum, ex
 semine Patriarcharum ortundum; atque in hæc
 suâ interpretatione habent auctores SS. Petrum
 et Paulum. Prior etenim Act. 3, v. 25, hæc
 verba fecit ad populum judaicum: « Vos estis
 « filii Prophetarum et testamenti, quod dispo-
 « suit Deus ad patres nostros, dicens ad Abra-

Cùm statim post Jacobi mortem gens electa
 divinis auspiciis multùm crescere deberet, nec
 sine constitutione aliquâ civili populus ille
 posset contineri, sapientissimo consilio Jacobum
 cum familiâ suâ in magnum regnum trans-
 tulit Deus, ubi augeri per ducenta circiter
 annos sine invidiâ proximarum gentium potuit,
 et sine civili constitutione propriâ consistere.
 Ne tamen gens Abrahamica Ægyptiorum usi-
 bus et institutis se accommodaret, neve amil-
 teret memoriam divinarum promissionum, illa
 filiis suis diligenter exposuit Patriarcha Jacob
 morti proximus et oratione rhythmicâ suæ fami-
 liæ ventura fata cecinit: neque solum suam
 stirpem fore aliquando ingentem populum ad-
 monuit filios, sed certiores eos fecit, non au-

ham: *In semine tuo benedicentur omnes familie
 « terræ. Vobis primum Deus suscitans Filium
 « suum, misit eum benedicentem vobis, ut
 « convertat se unusquisque à nequitia suâ. »*
 S. autem Paulus in Ep. ad Galatas c. 3, v. 16,
 scripsit: « Abraham dicitur sunt promissiones et
 « semini ejus; non dicit: Et *seminibus*, quasi
 « in multis, sed quasi in uno: et *semini tuo*,
 « qui est Christus. » Deinde pergit Apostolus
 his verbis: « Hoc autem dico testamentum
 « confirmatum à Deo: quæ post quadringentos
 « et triginta annos facta est lex non irritum
 « facit ad evacuandam promissionem. Nam si
 « ex lege hæreditas, jam non ex promissione:
 « Abraham autem per repromissionem donavit
 « Deus. Quid igitur lex? propter transgressio-
 « nes posita est, donec veniret semen, cui
 « promiserat. ordinata per angelos in manu
 « mediatoris.... Lex ergo adversus promissa
 « Dei? absit... prius autem quàm veniret fides
 « sub lege custodiēbamur conclusi in eam fi-
 « dem, quæ revelanda erat. » Idem Apostolus
 ad Gal. c. 4, v. 22, habet: « Scriptum est enim,
 « quoniam Abraham duos filios habuit, unum
 « de ancillâ et unum de liberâ. Sed qui de
 « ancillâ secundum carnem natus est, qui au-
 « tem de liberâ per repromissionem: quæ sunt
 « per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo
 « Testamenta: unum quidem in monte Sinâ
 « servitutem generans, quæ est Agar.... nos
 « autem, fratres, secundum Isaac promissionis
 « filii sumus. Sed quomodò tunc is, qui secun-
 « dum carnem natus fuerat, persequēbatur
 « eum, qui secundum spiritum: ita et nunc. »
 Ex quibus locis ac multis aliis, quæ afferre
 liceret, manifestum est Apostolum, in promissio-
 nibus factis Abrahamo, Isaac et Jacobo
 duplicem partem distinguere: unam minus
 principalem, quæ pertinebat ad progeniem
 carnalem, ad possessionem terræ Chanaan et
 prosperitatem judicæ gentis temporalem; quæ
 habuit complementum per pactum initum in
 monte Sinâ per mediatorem Moysen, et Dei
 supernaturalem in gentem judaicam usque ad
 Christum providentiam; aliam spirituales, spec-
 tantem ad semen benedictum et universam
 gentem humanam, quæ in eo benedicendâ
 prædicatur: hæc completionem habuit in Chri-
 sto Domino, quod his rationibus conficitur.

ferendum sceptrum de Juda et ducem de femore ejus, donec veniret Messias, gentium omnium expectatio. Utque aliis insideret animis hæc ex Ægypto transmigratio, ultimum testamentum

1^o Hæc promissio : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terre, propria fuit Abrahamo, Isaac, Jacobo, et ab eis exclusi sunt Ismael et alii Abrahamæ filii, sicut et Esau, filius Isaac et frater Jacobi.* Atqui tamen hi participes fuerunt promissionis, quæ continebatur prosperitatis temporalis. Ergo singularis illa et evinia spectans ad omnes gentes, de prosperitate temporali nequit intelligi. Major certa est : nam hæc promissio facta Abrahamo, Isaac et Jacobo dicitur per antonomasiam *foedus Dei, pactum meum tecum, pactum meum inter me et te,* et ab eo ceteri omnes discretè et expressis verbis excluduntur, ut patet ex hoc loco Gen. 17 : « Dixitque Abraham ad Deum : Utinam Ismael vivat coram te. Et dixit Dominus : Verè Sarai uxor tua pariet tibi filium.... vocabisque nomen ejus Isaac, et constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, et seminii ejus post eum. » Pactum ergo Dei speciale includens benedictionem omnium gentium, cum Ismaele non fuit constitutum, sed cum Isaac. — Minor quoque certa est. Nam prosperitas temporalis ad Ismaelem pertinet juxta sermonem angeli ad Agar, Gen. 16, 10 : « Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non numerabitur præ multitudine. » Et Gen. 17, post verba supra relata addit Deus : « Super Ismael quoque exaudivi te. Ecce benedicam ei et augeto eum et multiplicabo eum valde : duodecim duces generabit et faciam illum in gentem magnam; pactum verò meum statuum cum Isaac. » Itaque illa promissio, quæ *foedus seu pactum Dei* dicitur cum Isaac tantum à Deo confirmatum est, quamvis felicitas temporalis etiam Ismaelicomunis fuerit. Ergo in promissione facta Abrahamo duo distinguenda sunt, scilicet sobolis multiplicatio cum temporali prosperitate, et præterea pactum Dei sempiternum, quo p omisit in semine Abrahami et Isaac benedictum tri universas nationes terre, sicut ille malitius *benedicentur mihi,* etc., non significatur felicitas temporalis Israelitarum, sed felicitas spiritualis per Messiam afferenda.

Sic quoque promissio facta Isaac quoad felicitatem temporalem communis erat Jacobo et Esau, et ad utrumque effectus pertinuit. Sed super caput Jacobi mansit specialis illa benedictio spiritualis, quam hæreditaverat Isaac præ Ismaele, ut constat ex cap. 27 Genesios. Nam legitur Isaac cum his verbis benedixisse Jacobo : « Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini, et serviant tibi populi, et adorent te. » tribus : esto dominus fratrum tuorum, et incurrent ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, maledictus sit; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repletur. » Et cum accessisset Esau postea benedictionem paternam petens, respondit Isaac respiciens ad principalem prærogativam : « Benedivi ei (Jacob) et erit benedictus. .. Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituri illius subjugavi : frumento et vino stabili-

præcepit filiis, ut corpus suum deferrent ad sepulcra patrum suorum; et eodem consilio Joseph ossa sua servari jussit, aliquando ex Ægypto à nepotibus deportanda, perpetuum

« livi eum, et tibi post hæc, filii mi, quid faciam? » Sed cum instaret Esau et diceret : « Num unam tantum benedictionem habes, et præter? Mihi quoque obsecro ut benedicas. » Scilicet quamvis præcipuam benedictionem sibi eriperat Jacob, illam quam præ Ismaele hæreditaverat Isaac, relictam tamen esse novit aliam benedictionem, quæ Ismael non eruit; et reverà votis annuit Jacob et dixit : « In pinguedine terræ et in rore cæli desuper erit benedictio tua. Vives in gladio et fratri tuo servies : tempusque veniet cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis. » Quibus verbis continetur prosperitas temporalis.

Et certè si attenderimus ad Jacobi fortunam, dum viveret, et ejus posterorum, nullo modo specialis prærogativa, quæ ei concessa est, de felicitate temporali intelligi potest. Statim post acceptam patris benedictionem fugit à domo paternâ timens Esau, et in exilio plures annos vixit non sine magnâ trepidatione et metu. Redux in patriam terram omni arte conciliare sibi Esau animum studuit, munera ad ipsum misit, se vocat servum ejus, et congressus septies vocavit in terram ipsam adoravit, dominum vocavit, et obsequium et reverentiam professus est et vovit. Sic enim dicebat : « Vidi faciem tuam, quasi viderem vultum Dei : esto mihi propitius.... Præcedat dominus meus ante servum suum; ego sequar donec veniam ad dominum meum in Seir. » Jam verò quod spectat utriusque patriarchæ posteros, intelligimus ex libro Genesios c. 36. Dum hæc Esauo prognatos ditionem et imperium habuisse diu ante Israelitas. V. 31, habemus : « Et isti reges qui regnaverunt in terrâ Edom antequam regnaret rex super filios Israel. » Cum postea in terram Chanaan inducti sunt Israelitæ, nullum in posteros Esau jus obtinuerunt : nam Deut. 2, 4 : « Dixit Dominus ad Moysen : Et populo præcipe, dicens : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terrâ eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedit montem Seir. Cuius bos emetis ab eis pecuniam et comedetis, et aquam emptam hauretis et bibetis. » Verum est quòd sub Davide debellati fuerint Idumæi (2 Reg. 8, 20); at sub Joram (4 Reg. 8, 20) libertatem recuperarunt, et regem sibi constituerunt, et tempore Achaz regis Judæ percurserunt multos de Juda et ceperunt prædam magnam (Paral. 2, c. 23, v. 17). Ergo prærogativa singularis et evinia, quæ appellatur *foedus Dei,* quæ ab Abrahamo defluerat in Isaacum, non in Ismaelem, postea defluxit in Jacobum, non in Esauum, non erat sobolis multiplicatio et felicitas temporalis, et consequenter erat benedictio spiritualis per Christum, quem omnes tribus adorant et in quo omnes gentes juxta fidem nostram benediciuntur.

2^o Sic argumentum licet : Vel ista verba :

scilicet istius expectationis monumentum.

Elapsis ducentis circiter et quindecim annis, cum jam immensa Israelitarum multitudo exsisteret Ægyptiorum invidiam, parque esset occupandæ terræ Chanaan, populum suum Deus, duce Moysè, in brachio extento liberavit, totamque naturam voci hominis obedientem fecit: non solum tunc eorum gentilitias et tutelaris Deus esse voluit, sed etiam insuper reipublicæ regimen in se suscipere dignatus est. Solemni ritu et communi suffragio populi in regem electus fœdere sibi Hebræos obstrinxit, cujus condiciones his verbis expressit Moyses: « Jehovam elegisti hodie, ut sit tibi « Elohim (id est, dominus, imperator), et « ambules in vis ejus et custodias cæremonias « illius, et mandata atque judicia, et obediās « ejus imperio: et Dominus elegit te hodie, « ut sis ei populus peculiaris sicut locutus est « tibi, et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen et « gloriam suam. » Statim hæc instructus auctoritate politicâ, jure regio leges civiles sancivit Deus, nunquam ab ullo homine abrogandas, iudices et magistratus vicarios suos ordinatos constituit, reservatis sibi causis difficilioribus. Ferè voluit in republicâ judaicâ omnes regni potestatis notas: tabernaculum splendidissi-

*Benedicentur in te omnes cognationes terræ, verenda sunt cum Hebræis quibusdam: In te benedicent se omnes gentes, dicendo scilicet: « Utinam sim tam felix et benedictus quam fuit Abraham! » ad quem sensum hunc locum vertit Sanctes Pagninus. Vel per ea intelligendum est cum Judæis plerisque ex prosperitate temporali posterorum Abrahæ nascituram tempore Messicæ prosperitatem et felicitatem temporalem omnium nationum terræ, vel sensu Christianorum ea intelligenda sunt de benedictione spiritali, quod per Christum omnes gentes adduci ad cognitionem veri Dei et justificari debeant. Atqui primosensu verba accipi nequeunt: quia verbum hebræum *Nibrechu* purè passivum est, scilicet conjugationis passivæ dictæ *Niphel* apud Hebræos, propriè significat *benedicentur*. Nullo modo significat actionem reflexam agentis in seipsum, scilicet *benedicent se*: hoc enim significatur conjugatione ultimâ dictâ *Nithpael*, hicque dicendum fuisset, *Nithparchu*. Aliunde septuaginta interpretēs, Chaldaeus paraphrastes, versiones Samaritana, Syriaca, Arabica, S. Paulus, quem à communi Judæorum sensu recessisse nulla ratio probat, omnes vertunt, *benedicentur*, non verò, *benedicent se*. Præterea falsum est usurpatum fuisse unquam istud proverbium apud gentes: « Sim tam felix quam fuit Abraham; » vel: « Deus mihi benedicat, sicut benedixit semini Abrahami, Isaaci et Jacobi! » Neque minùs usurpari potuit de Ismaelitis aut Idumæis, quorum non minor fortassè fuit multiplicatio sobolis aut felicitas*

erigitur, ad cujus portas, tanquam ad fores palatii magni regis excubiæ peragebantur; certus ministrorum numerus regis servitio dicitur, qui publicis aluntur impensis; vesticigal in auctoritatis testimonium exigitur. Denique omnibus apud populum hunc regni dignitatis officiis perfunctus est Deus; ducebat exercitus, dividebat jura, præmia et supplicia tribuebat et peculiari postea providentiâ sic semper, ut salus publica et reipublicæ incolumitas cum pietate et obedientiâ divinis legibus fuerit conjuncta, desolatio et afflictio adversus Deum rebellionem semper sit insecta; hæcque ratione apud populum durissimæ cervicis servata semper est vera religio. Sed in hæc re id præcipuum et maximè animadvertendum est, quod in ipsâ fundatione reipublicæ, in legum constitutione, ita omnia instituerit et disposuerit, ut ea quæ acciderent typi et figuræ essent rerum futurarum, sitque historia judaica tota prophetica et quædam actio prævia historiæ evangelicæ. Tandem ut nihil omittiretur, quo expectatio futuri redemptoris semper vigeret in Judæorum animis, significavit Deus in ipsâ lege venturum aliquando prophetam similem Moysi, id est, legislatorem et mediatorem Testamenti, cui parere deberent; atque per continuam prophetarum successionem, quò propiora erant Messicæ tempora, eò

temporalis quàm Israelitarum. Imò majora imperia ex posteris Ismael orta sunt quàm ex Israelitis. Non possunt eadem verba intelligi de prosperitate temporali omnium nationum, oriundâ ex domino universali Israelitarum in omnes gentes. An ergo tanta felicitas est, excidere libertate suâ et in servitutem unius gentis redigi! Solum Judæi hujus status felicitatem percipere valent; cæteræ gentes illam summis votis deprecarentur. Aliunde agitur de felicitate communicandâ cum gentibus, ita ut sit earum propria sicut et Israelitarum, quæ nullam relinquit umbram dominationis unius gentis in aliam, nec possibilis est nisi sensu spiritali. Ergo de benedictione spiritali intelligi ista verba necesse est.

3^o Denique hæc nostra explicatio habet connexionem cum prophetâ jam expositâ, contentâ in sententiâ adversus serpentem, cujus quædam evolutio est. Nam illud semen in quo benedicendæ sunt omnes cognationes terræ, aliud esse non potest ab eo, quod contereere debebat caput serpentis et homines ad pristinam justitiam et felicitatem revocare. Quamvis enim mors et peccatum et diabolus regnarent in gentes, gentes nullo modo benedici poterunt. Benedictionis auctor ille est, qui solvit maledictionem et conterit caput inimici, qui auctor maledictionis extitit. Habet etiam eadem propheta necessariam connexionem cum omnibus consequentibus prophetiis, à quibus summam lucem acceptura est.

clarior illius personam, munera, vitamque omnem expressit (1).

Advenit tandem tempus cum Deus, qui multifariam multisque modis nobis locutus fuerat in Prophetis, loqui nobis voluit in filio: nascitur virgine matre, stirpe davidicâ, in urbe Bethleem, templi dominator et angelus testamenti; ab angelis annuntiator pastoribus; sidere Magis innotescit; voce clamantis in deserto hominibus demonstratur, et etiam clarâ voce de cœlo delapsâ. Post hanc demissam de cœlo vocem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, legationis suæ munere fungi incipit: quod juxta Prophetas triplici constabat officio, prophetico, sacerdotali et regio. Propheticum obii munus quamdiu inter homines versatus est; hocque nomine nobis divinam patefecit voluntatem, doctrinam suam à Deo profectam miraculis comprobavit, virtutum exemplis illustravit, sanguine suo obsignavit, abrogatâque veteri lege, cujus ipse complementum fuit, novæ legis mediator extitit. Sacerdotale munus duabus partibus constabat, oblatione donorum et sacrificiorum pro peccatis, et intercessione apud Deum: Christus, sacerdos factus secundum ordinem Melchisedech, obtulit holocaustum

(1) Prophetias de Messîâ in lege contentas claudit illa celebris Balaam, Num. 25 et 24, cujus cum nulla mentio in sequentibus sit, ejus brevem hic expositionem offeremus. Accersit Balaam divinus seu ariolos à Balac, rege Moabiturum, ad maledicendum illis Israel, Dei spiritu à tus prorupit invitus in varias benedictiones temporales et spirituales, quæ pulcherrimo carmine continentur; et tandem in hæc verba: « Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi et visiones omnipotentis videt, qui cadens apertus habet oculos: Videbo eum (*), sed non modò: Intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab, vastabuntque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus; hæreditas Seir cedet inimicus suis; Israel verò fortiteraget; de Jacob erit qui dominetur et perdat reliquias civitatis. » (Fortè pro *לְיִשְׂרָאֵל* legendum *לְיִשְׂרָאֵל*, et perdet reliquias Seir.) Denique post quorundam eventuum particula-

(*) Hebraicè habetur *וְיִשְׂרָאֵל לְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל לְיִשְׂרָאֵל*, *videbo eum, non matre*. *אֵלֶּיךָ, בְּרַחֲמֶיךָ, אֵלֶּיךָ, בְּרַחֲמֶיךָ*, *eum, pertinet ad Deum, et ad Matrem, altissimum, quæ nomina mox antecesserunt. Ex quo sequitur, aut Balaam nihil sententiæ, quamquam Deo afflante, extulisse, aut vaticinationum fuisse venturum esse in terras Deum altissimum; et velamen habuisse super cor Judæos, qui non viderent in sacris Scripturis eum quem expectabant, regem Messiam, fore non modò hominem, sed Deum... וְיִשְׂרָאֵל לְיִשְׂרָאֵל וְיִשְׂרָאֵל לְיִשְׂרָאֵל, *progredditur stella ex Jacob. Est parallelum verbum stella verbo שֶׁבַע**

perfectissimum Domino, victimam impollutam corpus suum, in quo peccata nostra pertulit: et in arâ crucis positus, fundens preces, *exauditus est pro sua reverentiâ*, sedensque nunc in dextris Dei, non cessat interpellare pro nobis; sicque transtulit sacerdotium Aaroniticum. Denique propter passionem mortis gloriâ et honore coronatus, et summâ rerum potitus, sancivit auctoritate regî novam legem, constituit Ecclesiam, instituit ministros, Spiritum sanctum illiusque dona distribuit, et

rium prædictionem, nempe interitûs Amalecitarum, et captivitatis Cincæorum ab Assyriis, sic fatidicum sermonem concludit: « Assumptâ parabola iterum locutus est: Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus? Venient in irremibus de Italiâ *כִּי יָבִיאוּ מִן הַיָּם*, de latere Cithim) superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. » Habemus in illâ antiquissimâ prophetiâ, editâ mille quingentis ferme annis ante Christum, non tantum Hebræorum et vicinorum populorum fata, sed et Assyriorum et Romanorum, quorum imperia nondum nata erunt: adeo ut omnes quæ postea editæ sunt ab Isaiâ, Daniele et cæteris prophetis prædictiones fuerint immodò hujus evolutiones. Verbis illis: *Orietur stella ex Jacob*, etc., prænuntiatum fuisse Messiam communis fuit olim Judæorum sententia, ut ostendit insignis illius impostoris tempore Adriani vesania, qui Messiam præ se ferens, appellari voluit *Barcocheba*, filius stellæ; et consentiens interpretatio Onkelosi, Jonathanis, interpretis Hierosolymitani, R. Mosis Hadarsan et Maimonides. R. quidem Maimonides prædicitam prophetiam bifariam divisit, ita ut pars prior ad Messiam, secunda ad Davidem referretur; cujus auctoritatem secutus est Huetius. At revera de uno eodemque principe sermo est, cujus imperium universale et in omnes gentes late diffusum esse oportebat: qui character nec Davidi, nec ulli quàm Messiæ convenit. Id clarè perspexit Grotius, et ideò ut hanc prophetiam Davidi applicaret sensu historico, et Messiæ solummodò *sensu typico*, fingere necesse judicavit, aliquem ex ducebus Moab nomine *Seth* donatum fuisse tempore Davidis, et ejus subditos dictos fuisse *filios Seth*.

virga, quo utroque verbo ille demonstratur, qui *vulneraturus sit duces Moab*. Itaque idem ille hic significatur adventurus, quem jam advenire stella Magis monstravit, non autem ipsa illa stella, quam in oriente Magi viderant, quamque nemo dixerit ortam fuisse *ex Jacob*. Significat Balaam regni Moab fore debellatorem eum ipsam regem, qui sit in terras adventurus, eandem notans utrobique Christi Domini personam, non verò idem tempus et adventus ejus, et regni Moab debellati. Nam per ejus Dei potentiam fuerunt devicti reges regio Israel inimici, qui Deus postea in terris apparuit et cum hominibus conversatus est. Et ejus *virgâ* utebantur Israelitarum reges ii, qui et Amalec et Moab suo imperio subjecerunt. Vide *scriptum Script. sacra*, t. 7, d. assert. in proph. Bal.

aliquando venturus est cum gloriâ iudicare vivos et mortuos. Habetis brevem œconomix divinæ descriptionem, ejusque historiam. Jam verò quàm fieri possit brevissimè, ostendamus primò exteriorem christianæ religionis formam pulchram esse, invitareque homines ad diligentiorè tantæ rei investigationem : deinde ponderemus rationes generaliores, quibus alienari se à doctrinâ revelatâ deistæ dicere consueverunt.

III. — *Prajudicationes pro religione revelatâ.*

Multis certè sibi conciliare debet hominum animos Religio christiana, antiquitate, uniformitate seu constantiâ illorum qui in omni ævo eam propagarunt, singulari in Deum pietate, rerum denique magnitudine et doctrinæ puritate. Namque primò, christiana Religio non solùm antiquissimis oritur est temporibus, sed ipsius mundi æqualis, habet suos annales à primâ rerum constitutione ad hæc usque tempora perpetuâ serie sine interruptione ullâ decurrentes. Illius monumenta antecedunt inferiorum, quorum forma ad nos pervenit, originem, urbium antiquissimarum fundamentum, artium inventionem : quæ omnia in æra christianæ Religionis collocari possunt et solent. Quid hæc antiquitate venerabilius? quid ad commovendam hominum reverentiam potentius? Antiquior sine dubio omnibus est veritas, ac quò minus homines aberant à primò ortu, eò melius vera cernebant.

Est aliud non leve divinæ illius originis indicium, doctrinæ christianæ in omni ætate uniformitas et constantia. Continetur illa libris, qui licet à variis scripti auctoribus, magnis temporum intervallis divisæ, omnes inter se consentiant. Scriptor quisque posterior in superioribus divinam vocem agnoscit, et quasi in eadem scholâ institutus eadem tradit præcepta. Hanc ab antiquissimis temporibus Religionis christianæ perpetuam successionem non sine Dei procuracione evenire potuisse facillè intelliget, quicumque humanarum rerum instabilitatem consideraverit, et ut ex levissimis causis maximæ contingant mutationes. Nihil autem aliud nobis exhibet historia, nisi theatrum ingens conversionum invicem semper succedentium, sive in imperiis, sive in hominum moribus, institutis, opinionibus, rerumque seriem tam mirabiliter variam, ut fingere ausi sint poëtæ deam quamdam oculis captam et insanam, cui rerum humanarum committerent habenas. Tam raram igitur Religionis nostræ constan-

tiam divinæ curæ adscribit æquus rerum æstimator, cùmque humana omnia temporis motui obsequantur, divinum esse oportere iudicabit illud institutum, quod illius nequaquam videt mobilitati obnoxium.

Quantam etiam religioni afferre debet auctoritatem singularis Prophetarum, qui in omni ætate Religionis christianæ doctores et assertores fuere, virtus et integritas! Non contulère animum ad scribendum inanis gloriæ cupiditate et conciliandæ existimationis hominum gratiâ, non ad divulgandam apud exteros gentes suæ famam, quam sæpissime onerant opprobriis, nullo alio motivo excitatos, nisi pietate in Deum et charitate in concives, clarè perspicimus. Non more philosophorum disputant, herent, conficiunt; sed divino correpti spiritu fundunt oracula, veritatis securi, vitamque plerique ad doctrinæ suæ defensionem posuere. Cui dabimus fidem, si non pietati in Deum, charitati in patriam, integritati vitæ, rerum humanarum contemptui?

Quartò, religionem revelatam homini sapienti commendabit doctrinæ puritas, et, ut ita loquar, excelsitas. Dùm enim totum humanum genus in supinâ rerum divinarum ignorance versaretur, et ipsi etiam philosophi, qui se ad studium sapientiæ totos conferebant, aberrarent à vero, varisque se opinionum erroribus implicarent, in nostris tantummodò annalibus invenimus doctrinam sanam puramque, dignam Deo aëtatis scriptoribus. In primâ collectionis paginâ ea depingitur, quâ homini licet, gravitate creatoris virtus : illius omnipotentia, cui omnia parent, sapientia summa, et effusa bonitas, ita vividè exprimuntur, ut nescias en plus reverearis potentiam, quàm sapientiam adnueris et bonitate commovearis : dignum tanti operis exordium! Ac in illâ ætate cùm omnes homines ad muta idola procumberent, haberentque locales deos, quos secum porarent, negant hi divinæ naturæ nomen esse ullum, aut aliam esse informandam animo notionem numinis, nisi entis sibi sufficientis, quod per se existens omnia sustinet, quod cœlum terramque immensitate complet, quod futuras omnes temporum periodos scientiâ complectitur, quod cum summâ æquitate res temperat humanas. Quis unquam philosophus Deum expressit tam magnificè? vitæ moralis fontes, quos philosophi frustra plerique quasiere, recludunt; hominem ad imaginem Dei factum docent, ad immortale ævum destinatum, in pietate et virtutis exercitacione positam esse

hominis excellentiam. Denique qui etiam doctrinæ christianæ eam partem, quæ solâ ratione haud intelligitur, cogitatione complexus expendere voluerit, sentiet illam, non ab hominum ingenis excogitatam, sed à sanctissimo numine ortam esse. At de illius in omnibus suis partibus consonantiâ, et ad hominis perfectam institutionem aptitudinem infra disseremus. Si non exuissent minuti nostri philosophi candorem, ipsos iudices appellare hic possemus, remque eorum arbitrio relinquere: utrùm religio mundi aequalis, constanti et perpetuâ traditione ad nos pura et incorrupta decurrens, singulari doctrinæ puritate suscipienda, præceptis morum optimis abundans, commendata nobis in omni ætate à viris insigni præditis pietate, nostram excitare non debeat attentionem et etiam reverentiam. Videamus ergo an has generationes considerationes suspendere valeant rationes illæ, etiam generales, quibus avocari solent Deistæ à Religionis nostræ etiam expendendis fundamentis.

IV. — *Prætensæ adversus religionem revelatam presumptiones.*

Ex illis quidam legis naturalis defensionem magno studio aggressi sunt, docueruntque illam ita esse omnibus numeris perfectam, ut nihil ad Religionem et mores pertinere possit, quod quisque etiam idiota non pervideat: et ab hoc profecti principio omnem revelationem inutilem, et propterea Deo indignam concluserunt. Multi sunt etiam parùm solliciti de Religionis revelatæ veritate aut falsitate, quòd habeant fixum in animo, virtute solâ delectari supremum numen, et quatenusque institutionem et unum cœlestem huic fini subservientem esse oportere; existimentque sequi posse se virtutem sine fide christianâ. Quid interest, aiunt, si quis pius in Deum, benignus in proximum, sobriusque sit, motivis excitatus naturalibus, an fide christianâ?

Verùm desideramus magnoperè in istis hominibus candidum atque æquum animum. Quis enim bonâ fide tueri potest hominem unumquemque in quocumque positum vitæ conditione, omnia habere ad Religionem et vitam rectè instituendam adjumenta? Quis unquam philosophus officiorum vitæ et Religionis summam sine maximorum errorum admixtione confecit? Quotusquisque eorum fuit animo ita comparatus, ut ratio præcipit, et disciplinam suam non ostentationem potius

scientiæ quàm legem vitæ putavit? Si ratione duce, vitam perfectè instituire quisque valeat, qui factum est, ut ne una quidem gens in veri Dei cultum inciderit? Qui contigit ut sola gens judæica veri Dei notitiam habuerit? Religio revelata profuit hominibus etiam quatenus continet legem naturalem: 1^o quia est quedam externa promulgatio legis istius sine erroris et superstitionis admixtione, et continet summam præceptorum quam philosophi nunquàm potuerunt disputando conficere; 2^o quia est promulgatio nova auctoritatem afferens legibus naturalibus: novis quippe argumentis, usque ad vulgi captum valdè accommodatis, confirmantur præcepta naturalia in Religione christianâ, miracula, etc.; 3^o quia est constans et perpetua vitæ regula, flecti nescia, nec ingenis hominum accommodanda. Sed de hæc re fusius in aliâ parte hujus operis disputavimus; ubi etiam ostendimus quantum à ratione et pietate abhorreat aliorum securitas, qui suis meritis confisi, religionis revelatæ partem supernaturalem sine examine aspernantur.

Secundò, revelationem incredibilem pronuntiare solent quidam, vel hoc solo, quòd medium sit ad instituendos homines extraordinarium; quòd œconomia revelata ipsis disjuncta videatur à naturali constitutione; quòdque necessariò fundari debeat in prodigiis, quibus fidem addere credulitas est. Sed presumptionis contra ejus veritatem fundamentum ignorantia nostra esse nequit: quàm multa in rerum naturâ, in ordine providentiæ Dei naturalis, oculorum fugiunt et mentis aciem, quæ ineptè incredibilia pronuntiauerimus, quæ extraordinaria! Non est Religio christiana incredibilis, si rerum ordinem singularem et disjunctum à constitutione naturali exponat? Quia hæc singularitas adversus revelationem presumptionis fundamentum esse non potest, nisi ratio sit aliqua, cur œconomia divina et constitutio naturalis consentire debeant: nam earum rerum contentio, quæ non ostenduntur debere consentire, alteram non demonstrat incredibilem: præterea modò ostendemus divinam œconomiam cum rerum ordine naturali majorem habere connexionem, quàm solent Deistæ suspicari. Non tandem Religio christiana incredibilis est, quâ in prodigiis fundata est: nam si miracula sint possibilea, eaque patranda causa sit legitima, quæ, quæso, est ista adversus eam presumptio? Levissima profectò, quam elevat levissimum argumentum.

Siamenses qui nunquam aquam frigore contractam viderunt, rem incredibilem pronuntiant potiori jure quam Deistæ miracula esse decernunt incredibilia; quia illud Siamensium judicium nulla ratio ipsis cognita elevat, legibus naturæ ipsis cognitis phænomenon istud non videtur consentire; contra autem revelationem probabilem, et consequenter miracula, sine quibus revelatio non habet auctoritatem, credibilia facit, divinæ opis hinc necessitas, illinc divina bonitas, quibus permoti inter ethnicos sapientissimi hanc à Deo gratiam et petierunt, et expectaverunt.

Tertiò, quibusdam magnum adversus revelationem œconomiam argumentum visum est, quòd cum unico momento ab initio mundi evolvi et ad exitum perducì potuerit, tamen non nisi gradatim et per varias successivè dispensationes fuerit explicata.

At qui hæc objiciunt, non intelligunt quanta sit in hæc parte inter providentiam naturalem et supernaturalem analogia. Verum quidem est œconomiam divinam non esse rerum ordinem fixum et consistentem, sed progressivum; cum certum sit magnum opus redemptionis naturæ humanæ inchoatum à constitutione mundi non esse omninò perficiendum, nisi in fine seculi, quando revocabuntur homines ad vitam immortalem, et destruetur præsens mortis imperium. Sed eandem esse rationem ordinis naturalis necesse est confiteri; nam videmus in omni re providentiam naturalem non nisi per multa media et longas ambages fines suos consequi: omnis natura est series actionis ordinata ad fines aliquos, qui non subito attinguntur, sed post temporis intervalia et longas quandoque moras: quidquid oritur in mundo non subito maturum est, sed gradatim à parvo initio incrementa capit, adolescit, et maturam tandem, aliud citius, aliud serius assequitur ætatem. Vita ipsa humana ab infantiâ ad juventutem, à juventute ad virilem ætatem, à virili ætate ad senectutem progreditur; illaque interior et naturalis revelatio veritatis, quæ ratio dicitur, non statim perfecta est: primas dat nobis natura intelligentias, quæ doctrinâ et meditatione evolvuntur; nec nisi post longum tempus et multam experientiam, satis didicit homo ad moderandam rectè vitam. In vitâ etiam quasi generis humani easdem mutationes et progressus deprehendimus, seu in historiâ mundi gens humana nobis exhibetur in successivis statibus infantiæ, adolescentiæ, etc.; siquidem fuit aliquando hominum genus

sine illis artibus et instrumentis, ex quibus vitæ nunc comparantur maximæ commoditates: novimus quæ urbes primùm conditæ, quæ civitates constitutæ fuerunt, et qui primi extiterunt legislatores; scimus quibus præclarissima inventa in mathesi et in philosophiâ debeantur: uno verbo omnes scientiæ et artes ab initio mundi ceperunt successivè incrementa et sine dubio capient apud posteros. Cum ergo in constitutione rerum naturali naturæ parens methodum hanc secutus sit, quis audeat dicere sequi eandem ipsum non debuisse in ordine gratiæ?

Quartò, crimini vertunt deistæ Religioni christianæ, quòd illius dispensatio ad omnes homines non pertinet, et in hoc argumento cum magnâ solent fiduciâ et jucunditate versari. Revelatio, inquit, judaica in Arabiæ desertis data dicitur et ad unius populi beneficiorum divinarum iadignissimi usum concessa fuit: christiana etiam doctrina in Judæâ solummodo à Christo fuit prædicata; unde etsi in variis mundi partibus fuerit sensim propagata, tamen innumeri sunt, et fuerunt populi in omni ætate, qui nullam habuerunt Evangelii notitiam. Jam verò quid tam alienum ab ideâ entis optimi, patris suorum amatissimi, quàm hæc inæqualis donorum distributio? Quis in animum sibi poterit unquam inducere, Deum totius gentis humanæ regem et moderatorem, cujus imperium omnes mundi fines complectitur, unius populi Deum gentilitium et tutelarem esse voluisse, neglectis reliquis ditionis suæ partibus? Quid tam abhorret ab effusâ Dei in omnes charitate, quàm hæc personarum acceptio?

Utumque videri poterit quibusdam argumentum istud luculentum, idem vanissimum dicere haudquam dubitamus: nititur quippe principio, quod falsissimum probat, tum ratio, tum divine providentiæ naturalis ordo; supponit enim teneri Deum omnibus ea impertiri dona, quæ aliquibus concedit: num Deum arguent ergo injustitiæ minuti philosophi, quòd hominibus negaverit eas dotes, quas concessit angelis? num reum agent Deum, quòd alteri concesserit ingenium excelsius, alteri indolem meliorem? quòd quosdam in iis nasci voluerit regionibus, in quibus multa invenirent ad instituendam piè et rectè vitam adjumenta, quibus alios carere permisit? quòd eundem hominem in variis vitæ statibus exerit sui ipsius dissimilem, neque æqualiter aptum ad moderandam vitam suam? sed si

Deus suas creaturas, imò et homines similitudine naturæ conjunctos variis distinguere dotibus potuit, iisque varia dare adjumenta virtutis et sapientiæ adminicula, quæ ad informandos animos religione multùm conferunt; quidni hæc eadem facere poterit supernaturali suâ providentiâ? quando Deistæ istius varietatis in rebus humanis causas exposuerint, cur alii hebetes vel dementes, alii ingeniosi, alii imbuti nativâ quâdam prudentiâ, alii leves et inconsiderati; alii humani et benigni, alii crudeles et ad malum propensi nascantur? cur alios bonis fortunæ, optimâ institutione, omnibus bonæ beatæque vitæ adminiculis adjuverit, alios in adversâ fortunâ sine iisdem reliquerit, vel etiam permisit ut ab infantiâ traderentur dominis flagitiosis, qui ad omne scelus eos erudirent (1)? Tunc et nos ex iisdem principiis explicabimus, cur in œconomiâ revelatâ eadem facta sit hominum distinctio et discretio. Nihil est in hæc agendi ratione alienum à justitiâ: nam ille injustè facit qui alterius violat jus; cùm igitur revelatio sit gratuitum Dei beneficium, sicut quæcumque aliâ dos naturalis, quâ præstamus cæteris creaturis, sine ullius injuriâ aliquibus illam negare potuit; sicut eas, quas antecellimus, creaturas sine ullius injuriâ nostris dotibus carere voluit. Idcirco non est personarum acceptor Deus; nam accipere personam est uni detrudere, ut alterius melior sit conditio: nihil detrahit Deus hominibus in statu naturali relictis; dedit unicuique suum talentum, et pro ratione quâ illo usus fuerit à Deo æquissimè excipietur: nihil aliud efflagitare possumus.

Præterea hic non prætereundum est, divinam œconomiam Adamo fuisse revelatam, et ejus institutione filiis ac nepotibus innotuisse, illisque memoriam fuisse hominum culpâ deletam. Iterùm facta est œconomiâ divinæ revelatio Noe, ejusque filiis, cujus multa reperimus in traditione omnium gentium vestigia, quæ infra indicabimus. Obliterata iterùm hominum culpâ et deleta ferè Religio fuit. Tandem non statuimus solos Judeos et Christia-

(1) « Multis talis educatio et constitutio contigit, ut ne imaginari quidem sinantur boni quidpiam; sed statim à primâ ætate hominibus luxu, libidineque perditis, aut heris suis sunt in deliciis, aut alio quopiam infortunio gravante nequeunt animi oculos attollere. Harum rerum causas omninò verisimile est esse in providentiæ rationibus, tametsi non facile cadant in cognitionem hominum. » Origenes lib. 3 contra Celsum.

nos divinæ gratiæ participes factos esse; sententia vera est, profluxisse in omne genus hominum media ad comparandam mercedem Christianis piis destinata sufficientia: multa circa efficaciam mortis Christi Domini et interiorem Spiritûs sancti administrationem nos latere nullus dubitat Christianus (1). Præterea numquid non manifestum est, in primis omnem illam, quæ jam viget apud Christianos cujuscumque nominis, apud Judæos, apud Mahumetanos, Dei et ejus attributorum claram certamque notiâ; sicut et immortalitatis animæ persuasionem apud eos firmam; naturalis etiam legis perfectionem evolutionem, esse ex revelatâ, quam defendimus, religione derivatam? Deinde possuntne probare Deistæ eas religiosas veritates, quas olim ipsi gentiles tenuerunt, pleraque etiam cultus externi apud eos instituta, v. g., sacrificia, non fuisse ex traditione à primis parentibus, in omni ætate hominibus commendata, et consequenter revelationi esse accepta referenda?

(1) Multùm elaborare solent Deistæ ut doctrinæ christianæ atrocitatis notam inurant, atque in hunc finem supponunt ut etiam affirmant, inquit sacra facultas Parisiensis in censura latâ contra librum qui inscribitur *Emile* p. 61, crimen esse juxta Religionem christianam æternis dignum supplicis, quòd quis fide careat, qui de revelatione divinâ nihil omninò audivit; secundùm hanc Religionem plures homines propterea huic supplicis reverè addici, ita ut Deus eos puniat, quia in tali regione nati sunt, atque in hujus doctrinæ ab omni humanitate abhorrentis defensionem ab aliis fingi Deum injustum esse, qui innocentes propter parentis crimen æternis supplicis afficiat; ab aliis autem ridiculè fingi mittendum à Deo angelum ad eos docendos, qui legis naturalis observantes sunt. Quibus criminationibus hæc respondet S. F.: « Hæc propositiones nihil nisi falsam et adulteratam obtrudunt fidei christianæ et doctrinæ theologicæ expositionem; sunt in Religionem christianam et theologos catholicos summè injuriose et calumniosæ; produnt auctorem malâ fide scribentem aut blasphemantem quod ignorat. Atque hoc primò falsum est, nempe crimen aliquod secundùm fidem christianam dignum penis æternis in eo esse situm, quòd quis careat fide, qui tamen nihil didicit, nihil omninò unquam audivit de revelatione divinâ. Ita non docet fides. Quisquis in invincibili veritatum fidei ignorantia versatur, nonquàm idcirco est nocens, aut punietur à Deo quòd eas veritates non crediderit. Hæc est doctrina christiana et catholica. Nemo quidem sine fide salvabitur; sed aliud est eundem puniri, quia lumine naturali et auxiliis ad legem naturalem sequendam quibuslibet sibi concessis malè usus est: aliud est eundem puniri, quia non credidit quod invincibiliter ignoravit, adeoque non potuit

Ergo ab effectibus et experientiâ satis probatur revelationis nostræ magna et diffusa apud varias gentes utilitas.

Quintò, non leve quibusdam Deistis visum

credere. Deus impossibilia non jubet, sed summè justus et æquissimus usuram solummodò talenti commissi exacturus est. Secundò, tenet quidem Ecclesia catholica tanquam dogma fidei, omnes homines, exceptâ B. Mariâ Virgine, nasci peccato originali cõtinuatos, et filios iræ. At liberam facit Ecclesia catholica potestatem sentiendâ cum S. Thomâ neminem propter solum originale peccatum plecti penâ sensû positivâ, sed tantum privari intuitivâ Dei visione, quæ beneficium est gratuitum, supernaturale et creaturæ rationali prorsus indebitum: in quo ne umbram quidem injuriæ et tyrannidis unquam excogitabit vel depravata Deistarum ratio. Neque ipsa porro eorum sententiâ, qui infantes sine Baptismo decedentes penâ sensû esse afficiendos opinantur, eâ horret barbarie et immanitate, quam auctor christianæ fidei exprobrat. Hanc opinionem qui contra Pelagianos disputans protulit S. Augustinus non modò censet ejusmodi infantes in damnatione omnium levissimâ futuros, » verum addit istud Evangelii: *Melius erat homini illi non nasci*, non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis à Domino esse dictum, atque nescire se utrùm infantibus illis « potius expediret ut nulli essent, quam ut ibi essent. » Verba S. doctoris integrâ referamus. « Ego, inquit, non dico « parvulos sine Christi Baptismate morientes « tantâ penâ esse plectendos ut eis non nasci « potius expediret, cum hoc Dominus, non « de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit. Si enim « quod de Sodomis ait, et utique non de solis « intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die « judicii punietur, quis dubitaverit parvulos « non baptizatos, qui solum habent originale « peccatum, nec ullis propriis meritis aggravantur, in damnatione omnium levissimâ « futuros? Quæ, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo « dicere, quòd eis, ut nulli essent, quam ut « ibi essent, potius expediret, » L. 5, c. Jul. c. 41. Tertio qui cum S. Thomâ aiunt, Deum potius miraculum patraturum esse, v. g., mittendo angelum, quam ut permitteret eum in peccato originali sine fide in Christum et charitate à vivis excedere, qui, opitulante Dei gratiâ, legis naturalis præcepta servasset, hoc unum volunt, « Deum esse in omnes homines summè providum et bonum, eorum salutem sincerè intendere, nec deesse ipsi media quibus hanc salutem cuique etiam infideli possibilem faciat. Media hæc se plerumque ignorare proflentur; quis enim omnes novit rationes quibus Deus potest agere erga unumquemque hominum? Pensitemus quid eorum verba sonent: Deus ab iis dicitur angelum potius miserurus, miraculum potius patraturus, ut significet Deum tam certò, tam benignè esse auxiliaturum homini qui ita vixisset, ut, si fieri posset ipsum mediis ordinariis carere, alia ad id adhiberet insolita et miraculosa, quorum usus ei perinde est facilis. » Ibid. p. 62, 63,

est aliud argumentum natum ex defectu, ut aiunt, evidentia et certitudinis revelatæ Religionis. Quippe, inquit, si Deus voluisset hominibus mentem suam significare, eosque ad veram religionem et ad bonam vitam institue-

64. Præterea quamvis major theologorum pars hoc discrimen ponere soleat inter tempora, quæ Christi incarnationem præcesserunt, atque ea, quæ eandem subsecuta sunt, quòd in illis implicita in Redemptorem fides sufficeret, in his requiratur explicita ad salutem; tamen quamplurimi duarum ætatum in hæc parte eandem esse rationem statuerunt, quorum testimonia aliqua collecta videre licet apud Thomassinum theolog. dogmat. t. 3, p. 614. Ad eò ut priorum sententiâ ad fidem non pertineat, testibus habet theol. mor. t. 2, p. 52; Sylvio l. 5, 2, 5, art. 8, conc. 4, et conc. 6. Gamaclæo in 1^{am} 2^a q. 2, l. 2, p. 503, et aliis. Uti etiam declaravit S. F. Par. in censurâ latâ anno 1767 in librum inscriptum *Bélisaire*, his verbis p. 22: « Enimverò quamvis distincta et explicita in Christum et ejus mysteria fides, quæ semper aliqui donati sunt, dici queat unicuique non fuisse priscis temporibus necessaria, fide tamen catholicâ id tenendum est, nullum sine ejusmodi mysteriorum fide, saltem implicitâ, olim etiam esse justificatum et salvatum, et à quo tempore lex evangelicâ promulgata fuit, neminem justificari et salvari, qui « ex suâ culpâ et negligentia addidissent, » fide explicitâ in Christum filium Dei, Deum et hominem, ac hominum morte suâ redemptorem caruerit, quâcumque aliqui polleat fide explicitâ in Deum unum et remuneratorem, ac implicitâ in Christum. « Non incerti sumus quid « præterea de eadem explicitâ in Christum, et necnon in Trinitatem, ex quo Evangelium « sufficienter promulgatum est, fide necessaria, ut aiunt, necessitate mediâ, id est, ita « necessaria, ut qui eam reipsâ non habuerit « ad salutem non perveniat, complures optimæ « notæ theologi statuunt, et quantum in Scripturis hæc eorum sententiâ fundamentum « habeat, ut et in SS. PP. Scriptis præsertim « S. Augustini; sed in presentiarum iis nos « immorari præstat, quæ fide catholicâ continentur. » Quid autem per *fidem implicitam Redemptoris* intelligant theologi explicabit sequens textus S. Thomæ, 2-2, q. 2, art. 7, ad 3^{am}: « Si qui salvati fuerunt quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerint fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam in divinâ providentiâ, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modum sibi placitos et secundum quòd aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset (*). »

(*) De necessitate fidei explicitâ pro temporibus à Christo incarnato elapsis sic ait Berquier: « En général il faut se défier de toute doctrine qui donnerait lieu aux incrédules de conclure que depuis la venue de J.-C., le salut est plus difficile aux païens qu'il ne l'était auparavant, et que son arrivée a été pour eux un malheur. » Diction., verbo Foi.

re, iis usus fuisset mediis quibus nulla potuisset subesse vanitas. At tamen talia sunt argumenta, quibus Religionis christianæ et judaicæ veritas effici solet, quæ nonnullam relinquunt dubitationem : videmus certè multos doctos et sapientes viros, qui post multam positam operam in explorandis fidei christianæ fundamentis assensum denegant : imò Evangelium totius gentis judaicæ testimonio refellitur. Quis credere possit Deum parcè et avarè contulisse beneficia, aut ad homines legatos voluisse unquam mittere sine clarissimis legationis suæ signis et indicis ?

Respondemus nullum dubium esse quin directi à Deo ad homines legati ferre debeant manifestissima suæ missionis signa, et contendimus Moysen et prophetas, Christum et apostolos, clarissima habuisse missionis suæ argumenta; eos solos de veritate œconomiae divinæ dubitare posse, qui argumentis attentam mentem denegant, aut qui majorem adhibent diligentiam ad inveniendas difficultates, quam in ponderandis rationibus. Res non idè certæ sunt minùs, quæ à talibus non admittuntur. Præterea sapientissimè actum est, ut Religionis splendor omnium oculis laud statim ferret, ut libera essent judicia, et « ut sermo Evangelii (verba sunt Grotii) tanquam lapis esset Lydius, ad quem ingenia sanabilia explorarentur. » Neque profectò, in ordine naturali, Dei natura atque providentiæ, vel humanæ vitæ principia suâ evidentia ita preæcellunt hominum mentes, ut ad assensum necessariò cogantur : numquid enim non videmus ea omnia quæ in philosophiâ sunt certissima, cum magnâ dissensione in scholis veterum fuisse ventilata, et totum genus humanum abductum in gravissimos errores circa divinam naturam et religionis naturalis principia? siquidem in sevit natura humanis mentibus solummodò scientiæ et virtutum semina, scientiam ipsam et virtutem non dedit: hæc industria et meditationis fructus sunt aut liberalis institutionis, quibus mediis carentes homines illos naturæ igniculos sic quandoque extinguunt, ut nusquam naturæ lumen appareat. Ex quo tamen non sequitur vanam esse scientiam et virtutem. Et verò ea ex quibus in vitâ civili ad agendum inclinamur, multò minùs sunt evidentia, vixque quandoque probabilia : tamen stultum judicaremus eum, qui nihil ageret in vitâ, eò quòd certissimè non haberet compertos exitus suarum actionum. Voluit verisimiliter Deus, dum judicia libera fecit, et

scientiam atque fidem laboris et sapientis curæ fructum, ut locus esset merito, in recto usu omnium facultatum, non minùs earum quæ sunt intellectûs propriæ, quam in exercitio earum quæ sunt voluntatis. Nulla causa fuit cur Deus illarum facultatum usum et exercitacionem tolleret, harum relinqueret : nulla causa fuit cur homines in multa mala propter negligentiam in discendo, et culpabilem legis ignorantiam non inciderent, quam propter peccata contra cognitam legem admissa : ac reverè experimur pares fermè esse in hæc vitâ exitus actionum humanarum, fuerintne admissæ, necne, cum conscientia delicti : tam diræ quandoque sunt consequentiæ incogitantie et imprudentiæ, quam malitiæ : quamvis apud æquos judices et ad tribunal Dei in alterâ vitâ magnum inter errores et crimina ponatur discrimen.

Sextò, conqueruntur quoque adversarii nostri quòd homines malè utantur revelatâ Religionè, quòd occasio exiterit multarum calamitatum, quòdque, ut ipsis videtur, levis sit ejus efficacia ad temperandas hominum passiones. — At pervertunt homines et malè utuntur, non solum divinæ œconomiae, sed Dei providentiæ naturalis numeribus; nec abusus Religionis christianæ, ac levis, quam habere supponitur, efficacia ad temperandas hominum passiones adduci potest in objectionem adversus ejusdem veritatem, nisi in principiis atheorum. Nam illa revelatio veritatis, quæ per rationem, seu per lumen naturale, omnibus hominibus fit, et quæ data est à Numine ad moderandam hominum vitam, multò leviolem efficaciam habere deprehenditur, quam habet christiana fides : proindeque absurdum est afferre adversus veritatem Religionis christianæ argumentum, quod majorem vim habet adversus legem naturalem. Profiteisci debent Deistæ, sicut et nos, ab isto principio, non esse judicandum de divinis institutis ex moribus hominum, sed ex legum scopo. Ratio et fides admovent quid faciendum, et fides melius monet. Utraque multa habet ad virtutem incitamenta, at fides habet potentiora. Sed neutra cogit ad amplectendam virtutem, neutra tollit arbitrii libertatem.

Septimò, præcedentibus objectionibus atia affinis et cognata ducitur à Deistis ex obscuritate revelationis. Primùm, inquirunt, Deus illam obscurissimè hominibus exposuisse initio perhibetur, nec alio nomine illis Christus mediator et sacerdos cognitus fuit, nisi illo futuri liberatoris : deinde variis incrementis aucta

traditur ista dispensatio : tandemque ita res tota per mediatorem ipsum exposita est, ut magnum tamen adhuc remanserit arcanum, nullaque sit œconomiae divinæ pars, quæ innumeris non sit obnoxia difficultatibus : quasi verò Deus invideret hominibus claram earum rerum notitiam, quas rescire ipsorum maximè interest? Haudquaquam diffitemur divinam œconomiam fuisse usque ad Christi Domini ætatem *mysterium absconditum à seculis in Deo*, nobis ipsis imperfectè cognitum, ac variis obnoxium esse difficultatibus. Verùm negamus hanc obscuritatem vel levissimè imminuere debere Religionis christianæ certitudinem. Nam quod, quæso, in totâ philosophiâ dogma non patet objectionibus? tantas visa est quibusdam pati difficultates naturalis providentiæ, ut Deum ex naturâ tollere voluerint. Quid mirum itaque si supernaturalis ordinis quasi systema comprehensum non habeamus, cum nequaquam nobis perspecta sit ordinis naturalis ratio? Certè non minis nostrâ refert hunc pervidere, quàm alterum. Afferant igitur Deistæ rationem aliquam, cur Deus voluerit ordinem naturæ nobis esse laud comprehensum; eadem rem nostram conficiet : ad nostram forsân probationem et exercitationem, ita res constituit naturales, ut eas exploratas habere non possemus; quidni etiam eandem methodum in ordine supernaturali sequi potuit?

Igitur cum difficultates, quas afferre solent Deistæ contra revelatam Religionem, oriuntur ex eodem fonte, unde nascuntur illæ quibus impugnatur Religio naturalis, ex nostrâ scilicet ignorantia, eodem modo solvi possunt (1). Respondere solemus atheis, ordinem naturæ nobis perfectè notum non esse, et partem solummodò nostro conspectui offerri; nos nequaquam posse media à finibus dividere, et ea quæ mala essent si finium haberent rationem, bona esse, si tanquam media considerentur fini alicui convenientia; quòd denique ordo naturalis legibus gubernetur generalibus. Itaque si divinæ œconomiae ratio similis et analoga sit naturali providentiæ, si sit etiam rerum ordo imperfectè cognitus, si in illo mediis utatur Deus ad fines aliquos inservientibus, si legibus etiam generalibus procedat, certè in simili materiâ eas-

(1) Gravis est et plena sapientiâ hæc Origenis observatio : « Oportet eos, qui Scripturas ab auctore naturæ profectas putant, esse persuasos et certiores, illas esse obnoxias eisdem difficultatibus, quibus ipsam naturalem constitutionem obnoxiam experimur. » Philocal. p. 23, ed. Cantab.

dem afferre responsiones licebit. Sed primò manifestum est, et puto, in confesso apud omnes, divinæ œconomiae mysterium, *in quod desiderant angeli prospicere*, nequaquam nobis esse perfectè cognitum; nec Christi munera officiaque explorata habemus, neque invisibilem cooperante Spiritu sancto gubernationem intelligimus : omnia fermè velo obducuntur. In supernaturali quoque ordine rerum, plura sunt instituta tanquam media ad fines aliquos : hoc omnes Christiani fatentur. Denique quòd Dei supernaturalis providentiæ legibus generalibus, quas Deus initio sapientissimè instituit, perpetuò decurrat, non quidem clarum est; verùm id iisdem ferè rationibus conficitur, quibus probatur rerum ordinem naturalem ita procedere. Novimus leges naturæ quasdam, juxta quas corpora moventur, motumque permutant; sed omninò ignoramus illas, ex quibus pendunt innumera phænomena, tempestates, procellæ, motus terræ, fames, pestilentiae, quibus ad ulciscenda hominum crimina divina uti solet providentiæ : nescimus ex quibus legibus oriuntur diversa hominum ingenia, indoles, vires, aut excitentur in mente cogitationes, quæ magnorum sunt quandoque eventuum causæ. Hæc leges ita sunt incognitæ, ut eventus ex illis pendentes fortunæ soleamus adscribere; sed cum sors et casus sint vocabula vana, eas res laud dubitamus ex legibus generalibus oriri, quia in partibus naturæ cognitis, res ita regi videmus. Sic etiam ex analogiâ, si non possumus certò concludere, saltem ostendimus non repugnare, quominus ordo etiam supernaturalis legibus procedat generalibus; illaque Religionis revelatæ ab origine mundi derivatio, variae diversis temporibus dispensationes, miracula, gratiarum distributiones, et omnia quæ spectant ad hunc ordinem suo tempore evenerint, uti ordo initio constitutus postulabat.

Octavò, si in hisce, quas confutavimus cavillationibus Deistarum unus aut alter immoratus est, omnes conjunctis viribus elaboraverunt, ut œconomiae divinæ rationem omnem alienam à sapientiâ ostenderent : supponit, aiunt, christiana Religio hominem à statu quodam perfectionis et felicitatis lapsum, in præsentis ævi labores et ærumnas, non suo, sed parentum peccato devenisse. Quæ doctrina tam divinæ sapientiæ, justitiæ et bonitati videtur repugnare, ut neque prophetiis, neque miraculis, neque ullo prorsus vindicari queat argumento. Deinde methodus reparandi humani generis per mediationem Filii Dei incarnati tam singularis

est et absona, ut refugiat mens sana, nec fidem addere possit. Quod si verum sit, ineptè postulant Christiani attentam mentem suis argumentis; nam ut doctrina probari possit, certè debet esse probabilis: hæc omnem respuit probationem.

Non vos tædeat si in re tam seriâ expendendâ paululùm vos detineam. Pudet hæc opprobria nobis, et dici potuisse et non potuisse refelli. Doctrina christiana, hoc reponite mentibus, plena dignitatis, plena sapientiæ est; quod aliquando, Deo juvante, pro nostris viribus ostendimus: hæc solummodò efficiamus nequaquàm esse illam alienam à naturali Dei providentiâ; quam cum admittant Deistæ, vanitatis convincuntur, dum has calumnias imponiunt supernaturali rerum ordini.

Primò quòd Deus hominem primitùs creaverit multis, quibus nunc caret, instructum dubius; quòdque ejus conditio felicior fuerit, id olim ex traditione communi et constanti acceptum omnes gentes crediderunt, quam populorum opinionem poetæ in suis de aureo seculo carminibus nobis reliquerunt; et ipsi etiam philosophi sapientiores, Pythagoras, Plato et alii, sortem hanc non priùævam hominis, sed calamitatis propter peccata expertæ putaverunt: habet ergo doctrina christiana in hæc parte consentientem, tum veterum traditionem, tum philosophorum maximorum sententiam.

Secundò, quòd hæc funesta mutatio in humanâ conditione contigerit ex culpâ primorum parentum negari etiam non potest: nam certè non solùm credimus, sed experti tenemus homines à primis parentibus traxisse originem et semper in hæc conditione à primâ suâ ex illis nativitate fuisse. Sententia philosophorum veterum, Pythagoræ, Platonis et aliorum, qui ad tollendam omnem difficultatem (nisi fortassè allegoricè nostram doctrinam exposuerint), finxerunt animas omnium hominum, ante nativitatem in terris, vitam vixisse beatam, et ad luendas propter peccata in priori illâ vitâ admissa poenas, in corpora tanquàm in carceres detrusas fuisse, caret omni fundamento. In hæc etiam parte nihil reverà ponit Religio christiana, sed factum, quod omnes experimur, declarat: non enim Religio christiana facit nos miseros aut malos, non in causâ est cur trahamus originem à primis parentibus in Deum rebellibus, sed rem quæ satis perspicua est, et quæ agnita olim fuit ab omnibus fermè populis, confirmat. Præterea ista divinæ providen-

tiae ratio, juxta quam derivatur in posteros parentum pœna adhuc aliquatenùs obtinet: numquid non liberi quotidie multorum malorum originem trahunt à parentibus, infirmam valetudinem, morbos et pravos habitus? numquid non deprehendimus diversas esse valdè generationes hominum; quasdam olim longius vitam produxisse, quam nunc solet produci; quasdam experiri morbos, quos præteritæ ignoravère; quasdam ignorantiam torpere, cum in iisdem locis artes omnes et scientiæ olim floruerint? Quàm diversa est eorum hominum sors, qui in quibusdam orbis regionibus sine civili cultu vivunt, à conditione eorum qui in hæc Europæ luce degunt? sunt tamen ejusdem naturæ, et ista omnis varietas orta non est ex præsentis ætatis culpâ, sed præcedentium generationum bonis vel malis moribus et infortuniis. Profectò luctuosa magis profluit ex primorum parentum peccato calamitas posterorum, quam nunc potest derivari; sed plura habebant primi parentes quæ amitterent; et eò lapsus gravior esse solet, quò altior fuerit statio: universum etiam genus humanum representabant et continebant, ideòque ad omnes homines pertinebant eorum actus. Non necesse est ut probemus pares nunc esse respectu posterorum effectus vitiorum in parentibus, sed solummodò in divinâ administratione naturali, cujus nunc testes sumus, hujus legis deprehendi vestigia quædam.

Tertiò, quòd per pœnitentiam nequaquam possint homines afferre malis suis remedia, manifestum est; id non efficit Religio christiana, sed planam rem, et quam experientiâ nimis habemus competentam, docet; exempli gratiâ, pœnitentia non reddit firmiorem valetudinem jam infirmam; non medetur morbis seu corporis seu animi; quotidie enim videmus quosdam quibus natura dederat ingenium liberale, optimum corporis habitum, bona etiam fortunæ et omnia beatæ vitæ adjumenta, tamen hæc omnia suâ culpâ disperdere, et agere tristem ac ærummosam vitam cum insanabilibus morbis et doloribus intolerabilibus: neque ullâ pœnitentiâ posse liberari ab his malis, quæ sibi peperère. Deinde verò ad naturalem providentiam pertinet constitutio civilis, et in societate civili pœnitentia nunquam visa est sufficiens criminis expiatio; sed ad vindicandam auctoritatem legum pœnæ repetuntur in vindictam scelcerum, nullâ habitâ ratione pœnitentiæ ejus, qui crimea admisit; et hæc pœnæ quandoque universam familiam omnesque posteros malefactoris attingunt. Cum igitur

tur quotidie videamus quod juxta providentiam Dei naturalem in hac vitâ, in irreparabilia mala incurrant homines, quorum non tantum tristes effectus avertere non possunt, sed ex quibusdam quandoque ipsæ facultates tum animi, tum corporis multum depauperantur : quo fundamento negabimus hanc administrationis rationem locum habuisse in initio mundi aut habituram etiam in vitâ futurâ? A quo profecti principio asseremus æterna non esse futura illa, in quæ spontè et culpâ nostrâ incidimus infortunia? Imò verò quo nixi fundamento asserere possumus non ita esse mutandas hominum facultates, ut emendationi suæ naturæ studere non possint, cum id quandoque contingere in hac vitâ deprehendamus?

Quartò, methodus reparandi generis humani per mediationem Filii Dei incarnati, si generatim consideretur, nequaquam est dissidentanea naturali rerum ordini, sed illi valdè analogâ : nam in ordine naturali nostra perfectio et felicitas, magnâ ex parte, ab aliorum hominum mediatione pendet. Parentum mediatione nascimur et educamur; magistrorum mediatione explicantur facultates; omnes vitæ voluptates, omnes jucunditates per aliorum hominum mediationem accipimus : ex sapientiâ imperatoris vel administri pendet reipublicæ salus et incolumitas : si igitur methodum hanc sequi in ordine naturali Deus poterit, quidni etiam in supernaturali constitutione, et consulere hominum saluti mediatione auctoris nostri Filii sui? Imò etiam hanc methodum exactam ad rationis trutinam, esse sapientissimam facilè ostenderemus, nullamque aliam excogitari posse, in quâ tam elucere divinæ perfectiones, et quæ majoribus non esset obnoxia difficultatibus; sed hæc disquisitio ad alium locum pertinet : hic solum observabimus nequaquam posse Deistas sine maximi temeritate sententiam in mediationem Christi ejusque varia in divinâ œconomia munerâ ferre. Nam ut diducarent utrum sit methodus parùm idonea, multa scire deberent, quæ nos prorsus latent, v. g., quæ sint vitii naturales consequentiæ; quibus mediis hæ consequentiæ averti possint; quæ sint vires hominis naturales post peccatum; quibus rationibus inclinetur Deus ad puniendâ peccata; quæ bona ex mediatione Filii Dei oriri possint : qui hæc nesciens illam damnare audet, certè impiè et ineptè facit (1).

(1) Qui variis hisce considerationibus attentam mentem præbuerit, facilè, puto, inve-niet responsionem communibus et generatiori-

Confutatis vanis deistarum adversus christianam Religionem præsumptionibus, ex analogiâ cum rerum administratione naturali, ad diligentiorum rerum considerationem, et ad expendendas nostras rationes eos jure vocare possumus, nullam reliquius certaminis delectandi causam. Non ii sumus, ut falsò calumniantur deistæ, qui homines ab inquisitione veritatis ad cæcam abducamus credulitatem : didicimus antiquitùs à magistris, paratum esse oportere unumquemque nostrum semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de eâ, quæ in nobis est, spe. « Oportet in eâ re maxime, ait, Lactantius l. 2 div. Instit., in quâ vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam et perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi tantum ipsam rationis expertem : dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut et inaudita investigare possent et audita perpendere. » Certi et securi sumus cœlestem doctrinam suæ originis notas clarissimas ferre : et sine dubio causâ cecidimus, si in divinâ œconomia quidquam invenerint minuti philosophi aut alienum à ratione, aut inutile et Dei constantiâ atque majestate indignum; aut si in iis non fundetur ratioibus, quæ ad faciendam certissimam fidem sufficiant. Sed in re tam seriâ jocos, quibus libenter utuntur, prorsus aspernamur, illisque dicemus quod eorum majoribus dicebat pulchrè Tullius : (Itasalemistum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolite consumere : nicherculè, si me audiat, ne experiamini quidem : non decet, non datum est, non potestis. » Nos ergo eam in revelationis causâ defendendâ adhibebimus diligentiam, quam poscit rei dignitas, nec verebimur ne longior et prolixior quandoque videatur oratio, in eâ disputatione, quam qui leviter attingunt, causam produnt magis quàm defendunt. Non obliviscemur tamen operam nostram tironibus esse commodatam, ac propterea à quæstionibus chronologicis et criticis, atque omni eruditionis ostentatione multum cavebimus. Paxit

bus illis objectionibus, invectionibusque adversus revelationem, in quibus exultare solent deistæ; et quas sibi contra propria præcepta permisit auctor libri dieti *Emile* seu de Educatione, in hoc certè parùm sibi constans. Hujus auctoris, ubi occasio erit, majorem in sequentibus rationem habebimus, quàm alterius cujuscumque, quod ingeni et eloqui singularis vis majorem ei apud ignaros et incautos conciliâsse videatur auctoritatem.

Deus ut in tam gravi tractandâ materiâ semper menti obversetur hæc Salviani sententiâ, non minus vera quàm piâ : « tantam esse majestatis sacræ et tam tremendam reverentiam, ut

non solum ea quæ ab impiis hominibus contra Religionem dicuntur, horrore, sed etiam quæ pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu et disciplinâ dicere debeamus. »

RELIGIONIS REVELATÆ PRINCIPIA.

Quoniam jam in proœmio breviter exposuimus revelatæ Religionis summam, ejus ab origine mundi traditionem, ac generaliores quibus conspicua est divinæ originis notas; confutavimus quoque generaliores adversariorum nostrorum objectiones, quibus Religionis christianæ incredibilitatem suadere, quasi à priori, posse se confidunt; jure eos vocare jam

possimus ad nostrarum rationum considerationem. Jam verò Religionis revelatæ veritas ex cœlesti Moysis atque Christi Domini legatione pendet; in duas ergo partes tribuemus librum hunc : in primâ de Moyse et lege Judaicâ disputabimus; in secundâ de Christo Domino et lege evangelicâ disseremus.

Pars prima.

DE LEGIS JUDAICÆ

DIVINA ORIGINE ET NATURA.

Hanc de lege Judaicâ disputationem quinque articulis concludemus. In primo quinque librorum Moysis seu Pentateuchi, quo continetur religio et omne jus Judaicum, antiquitatem atque integritatem vindicabimus. In secundo divinam Moysis legationem ex notis externis, præsertim miraculis et vaticiniis, demonstrabimus; et quâ singulari curâ rempublicam Judaicam usque ad Christum Deus semper tuitus sit dicemus. In tertio reipublicæ Judaicæ formam, legisque sanctionem aperiemus, et ejusdem legis cœlestem originem ex notis internis, nempe ex constitutionis Judaicæ singulari formâ, conficiemus. In quarto legum Judaicarum fines explicabimus, et cum quantâ fuerint sapientiâ omnes, sive morales, sive politicæ, sive ceremoniales institutæ, ostendemus. In quinto de reipublicæ Judaicæ occasu, legumque Mosaicarum abrogatione perpetuâ disseremus.

hujus disputationis fundamentum, quod si posuerimus, causâ cadere deistas omninò necesse est, idque ob duplicem causam : tum quia hæc volumina ita referta sunt prodigiis præter naturæ vires et leges omnes, quæ describuntur non solum ut facta publica cum omnibus suis circumstantiis, sed ut facta præsentia, quæ Judæorum unusquisque expertus esset; ut si vanitatis tempore Moysis argui potuissent, dixissent contra seipsa sententiam, neque unquam fidem in gente Judaicâ et auctoritatem obtinuissent; tum quia constitutâ librorum illorum ætate, divini afflatûs nota, quæ ex tot rerum futurarum vaticiniis elucet, nequaquam poterit ullâ arte aut industriâ obscurari.

Omnes qui de Hebræorum rebus scripserunt, sive Judæi, sive Christiani, sive ethnici usque ad Spinosam, de Pentateuchi antiquitate nullum dubium significaverunt, si excipiamus illius in plerisque magistrum (Lev. p. 3) Iobbiûm, Pereirium (Syst. theol. ex Præadam. hyp.), fortassè etiam Aben-Ezra, virum non integræ apud Judæos famæ, in cuius obscuris sententiis patrocinium quærit ille atheus, atque quosdam vanissimos olim

ARTICULUS PRIMUS.

DE ANTIQUITATE ET INTEGRITATE QUINQUE LIBRORUM MOYSIS SEU PENTATEUCHI.

De antiquitate Pentateuchi quæstio primùm diligenter enucleanda venit : est enim totius

hæreticos (1). Sed fuit hujus hominis fortuna, ut semper in omni re quod maximè abhorret à veritate, id defenderet, et idcirco in illà colluvione absotarum opinionum, quæ inscribitur *tractatus theologico-politicus*, ubi in unum coniecit animi non sani deliria, ubi Deum ex naturâ et hominem ex homine sustulit, anti-quitatem librorum sacrorum quoque impugnatam deprehendimus. Pentateuchum non à Moysè, sed ab alio, qui nullis postea annis vixit, quique veris falsa plura admisit, scriptum asserit, quibus nixus rationibus modò videbimus : sed audiamus hominis confessionem : « Hæc emendare, inquit c. 8, fundamenta cognitionis Scripturarum ad meum institutum pertinet; at vereor ne nimis serò hoc tentare aggrediar; res enim eò jam firmè pervenit, ut homines circa hoc non patiantur se corrigi. Ut ea autem ordine ostendam, à præjudiciis circa veros scriptores librorum incipiam, et primò de scriptore Pentateuchi, quem ferè omnes Moysen esse crediderunt; imò adeò pertinaciter defenderunt Pharisei, ut eum hæreticum habuerint, qui aliud visus est sentire, et hæc de causâ Aben-Ezra, liberioris ingenii vir et non mediocris eruditionis, qui primus omnium quos legi hoc præjudicium animadvertit, non ausus est mentem suam apertè explicare. »

Sententiâ huic cognatam amplexus est vir quidem eruditus, sed novarum opinionum nimium studiosus, Richardus Simon in criticâ suâ veteris Testamenti historiâ; quæ etsi non prorsus tollit Pentateuchi auctoritatem, illam tamen haud parùm minuit. Existimat scriptor ille Moysen commentaria de rebus suo tempore gestis scripsisse, vel describi curavisse et instituisse in republicâ ordinem virorum, qui scribarum munere fungerentur, quique res gestas in publica commentaria referrent : hanc verò Scripturarum, quæ nunc extat, collectionem non continere ipsa genuina scripta tempore Moysis edita, verùm breviarium quoddam et epitomen esse actorum publicorum, adornatam post captivitatem et publicâ confirmatam auctoritate. Pentateuchi denique auctorem Samuelem existimat Newtonus in suo in Daniele commentario.

(1) Apud S. Epiphanium, Plotinæus hæreticus Pentateuchi quædam tribuit Deo, alia Moysi, alia senioribus populi. Apud eundem Nazaræi asserunt, Moysen aliam accepisse ac scripsisse legem diversam ab eâ quæ nunc extat. Multas etiam Pentateuchi partes à Moysè scriptas negabant Manichæi quidam : in eodem errore fuit auctor Clementinarum homillarum.

Contra hos omnes hæc instituitur disputatio, quam unicâ propositione concludemus, in quâ Pentateuchum, qualis nunc extat, coævum esse reipublicæ Hebræorum et ipsum Moysen genuinum opus conficiemus. Haud immorabimur, ut quidam faciunt, in probandâ Moysen olim existentia, quia nemo unquam extitit qui eam seriò negavit; et profectò si quis inter adversarios studio contradicendi abreptus, suspectam sibi esse etiam Moysen personam significavit, vel potiùs simulavit, talis opinio è numero earum est, quæ cum risu et contemptu excipiendæ sunt; quarum scilicet periculum faciunt Religionis revelatæ contemptores, ut major difficultas numerus appareat : suspicari poterunt æquo jure vel nullos esse in mundo Judæos, vel eos nunquam reipublicam habuisse, vel illam reipublicam caruisse legibus, vel illas leges à nullo latas fuisse; nam per Moysen intelligimus auctorem earum legum quibus initio constituta fuit reipublica Judæorum, quorum posterì etiamnum inter nos versantur.

PROPOSITIO.

Codex legum Judaicarum, qui Pentateuchus dicitur, coævus est reipublicæ Hebræorum, et ipsum est Moysis genuinum opus.

PROBATIO. — ARGUMENTUM PRIMUM. *Ex fide publicâ.* Fides publica alia, ut ita loquar, vocalis est posita in omnium perpetuâ et consentiente voce atque opinione : alia realis est, posita in publicis temporum monumentis et ipsis rebus. Atqui antiquitas Pentateuchi constat tum ex perpetuâ et consentiente hominum voce, tum ex monumentis temporum et rebus ipsis.

1^o Constans semper fuit et consentiens de hæc re hominum vox ab hæc nostrâ ætate ad remotissima Moysis tempora. Ita etenim credidit ætas Christiana, id est, à dissolutione reipublicæ Judaicæ omnes non solum Judæi et Christiani, quorum magis intererat, sed etiam ethnici, ut Apion, Celsus, Porphyrius, Julianus, qui omnes contra Judaicam et Christianam religionem scripsere. Ita credidit etiam ætas Hebræorum pontificia, id est à reedificatione urbis usque ad interitum reipublicæ omnes Judæi et alienigenæ. Inter Judæos testantur hoc Philo, Josephus, paraphrastæ Chaldaici; antiquissimi scriptores Judæi, ex quorum operibus componitur Mischna Judæorum; auctor secundi libri Machabæorum, qui c. 7 laudat locum Deuteronomii; 70 Interpre-

tes qui in Græcâ sermonem, regnante Ptolemæo Philadelpho, libros Moysis verterunt; quibus etiam addendi sunt Christus Dominus ejusque Apostoli. Horum omnium fidem expressit Josephus his verbis: « In finiti libri non sunt apud nos discordantes et sibimet repugantes, sed solummodò 22 habentes temporis totius descriptionem, quorum justè fides admittitur. Horum quinque sunt Moscos, qui nativitates continent et humanæ generationis traditionem usque ad ejus mortem. A morte Moscos usque ad Artavermem Persarum regem, qui fuit post Xerxem, Prophetæ suorum temporum res gestas conscripserunt in 13 libris; reliqui verò 4 hymnos in Deum et vitæ humanæ præcepta noscuntur continere. Ab Artaxerxe ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen cum prioribus simili fide habita, eò quòd non fuerit certa successio Prophetarum; palam nempe est, istis operibus quemadmodùm propriis litteris credimus: tanto namque seculo Prophetarum jam præterito, neque adicere quidquam aliquis, nec auferre, nec transformare præsumpsit: (contra Appion). Inter alienigenas plures laudare possumus scriptores ethnicos, quorum fragmenta nobis servarunt Justinus martyr, Clemens Alexandrinus, Eusebius et alii (vide Huetium prop. 4, c. 2): sed solos vocabimus ad fidem faciendam Samaritanos, testes perfectò maximæ auctoritatis. Ii quippe, etsi gererent cum Judæis gravissimas inimicitias, si'li relictas ab Israëlitis prioribus regionis suæ incolis; etsi ad summum exarsisset invidia, postquàm Esdras eosdem communionem et societatem Judæorum appetentes repulisset, et deinde urbis instaurationem impediens devovisset, atque infames esse jussisset, hi tamen Pentateuchi semper agnoverunt antiquitatem, et repudiatis cæteris recentioribus Judæorum libris, huncce semper suspexerunt et venerati sunt, nobisque illum tradiderunt antiquis Phœnicum litteris exaratum. Quod perfectò non fecissent, si ab eorum hoste intensissimo Esdrâ fuisset conscriptus aut digestus, aut ipsis non fuisset relictus ab Israëlitis ut genuinum opus legislatoris Moysis. Cùmque etiam à tempore Jeroboam, quo auctore secessio Israëlitarum facta est, nullus amor populis fuerit, valdè evidens est illum librum antiquitate superare Jeroboami vel etiam Salomonis et Davidis tempora, erga quos reges nullam gerebant Israëlita reverentiam, et quorum omnia spreverunt instituta

Constat igitur ab Esdræ temporibus, neque diffidentur plerique adversarii, existere Pentateuchum, qualis nunc est, et communi omnium voce Moysi tributum fuisse, appellatumque legem Moysis. Si igitur constet à Moysè usque ad Esdram ex eadem fide publicâ, servatum fuisse opus genuinum Moysis et commune semper atque in omnium manibus fuisse, Pentateuchum esse istud opus necesse erit. Atqui hoc quoque certum est.

Certum est ex ipso Pentateucho Moysen librum aliquem scripsisse qualis est Pentateuchus. Nihil enim aliud continent libri quos Moysi tribuimus, saltem quatuor posteriores, quorum exordium et præmium quoddam est Genesis, nisi sermones Dei ad Moysen, descriptionem mansionum in deserto, bella cum vicinis populis, denique breviarium legis in Deuteronomio. Sed hæc omnia manu Moysis descripta fuisse intelligimus ex ipso Pentateucho. Primum quotquot leguntur in ec. 20, 21, 22 et 23 Exodi sermones Domini ad Moysen, scripti ab ipso dicuntur; c. 24, v. 4: *Scripti autem Moyses universos sermones Domini*, et ibidem v. 7, hæc habentur: *Assumensque volumen fœderis legit, audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus faciemus*. Et c. 34, v. 27, sic Moysen alloquitur Deus: *Scribe tibi verba quibus tecum et cum Israel pepigi fœdus*. Deinde mansiones etiam populi Israëliti in deserto ab ipso Moysè descriptæ dicuntur Num. 33: « Hæ sunt mansiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per terras suas in manu Moysi et Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant. » Tertio, bella quoque descripta fuisse legimus à Moysè Ex. 17, ubi hæc habemus occasione belli contra Amalec: *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc in libro, et trade auribus Josue*. Denique totius legis breviarium, quale est Deuteronomium, conscripsisse Moysen legimus Deut. c. 31, et simul jussisse ut editum à se volumen in arcâ reponeretur à Levitis, et septimo quoque anno eoràm omnibus legeretur: verba sunt v. 9: « Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israel, præcepitque eis dicens: Senio septem annos, convenientibus cunctis ex Israel, leges verba legis hujus; et v. 24: « Postquàm scripsit Moyses verba legis hujus in volumine atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini,

« dicens : Tollite librum istum et ponite in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri. » Alio in loco jubet Moyses regem olim Judæis præficiendum Deuteronomium à sacerdotibus acceptum describere ; vetuit etiam ne quidquam legi suæ unquam aut adjiceretur, aut detraheretur. Hæc sanè valdè clara sunt, neque cujusquam habere debet admirationem, quòd dux et imperator bella et itinera populi sibi commissi scriperit, quòd primus gentis Judaicæ legislator leges suas scriptis mandaverit, quòd propheta Dei suis reliquerit Dei sermones : hæc omnia si tollas, sustulisti totum Pentateuchum.

Extabant illi libri Moysis tempore Josue, uti colligitur ex his verbis Dei ad Josue c. 1 : « Confortare igitur, et esto robustus valdè, ut custodias et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus. Ne declines ab eâ ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis. Non recedat vultus tuus à dextera Domini Dei tui, sed meditare in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quæ scripta sunt in eo. » Colligitur etiam ex his verbis c. 8 : « Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Dei filiis Israel, et scriptum est in volumine legis Moysis. Altare verò de lapidibus impoliis quos ferrum non tetigit ; et obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas, et scripsit super lapides *Deuteronomium legis Moysis*, quod ille digesserat coram filiis Israel. » In illo textu distinguitur lex Moysis tradita à Deo in monte Horeb, quæ simpliciter appellatur lex Moysis et ex quâ citatur caput Exodi 20, ubi aram de sectis lapidibus ædificari vetitum est, à secundariâ lege, seu *Deuteronomio legis*, quod in altari descriptum fuit. Idem Josue morti proximus sic affatus est Israelitis : *Estote solliciti ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysis*. Extabant iidem libri Moysis in omnibus succedentibus ætatibus usque ad captivitatem Babylonicam, et post illam captivitatem. Nam laudantur ab omnibus sacris scriptoribus, sive prophetis, sive psalmographis, sive historicis, ut in responsionibus ad objectiones fusiùs modò conficiemus.

Esdras ipse quem suspicatur Spinosus auctorem Pentateuchi, se nuncupat scribam velocem in lege Moysis, narratque c. 6, quòd « antequàm ipse profectus esset Jerosolymam, constituti fuerant sacerdotes in ordinibus

« suis et Levitæ in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, sicut scriptum est in lege Moysis. »

In libro Nehemiæ, qui non solum post captivitatem Babylonicam, sed etiam post dedicationem templi scriptus est, sæpiùs libri Moysis mentio est ; et c. 15, hæc legimus : « In die autem illo (dedicationis templi) lectum est in volumine Moysis, audiente populo ; et inventum est scriptum in eo, quòd non debeant introire Ammonites et Moabites in ecclesiam usque in æternum, eò quòd non occurrerint filiis Israel cum pane et aquâ ; et conduxerint adversùm eos Balam ad maledicendum eis : et convertit Deus maledictionem in benedictionem. » Atqui hæc conceptis verbis c. 25 Deut. leguntur ; sic ibid. c. 9 : « Et legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, » et c. 10 : « Ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei. » Denique Malachias prophetarum ultimus, qui tantùm 400 circiter ante Christum annis vaticinatus est, sic prophetiam concludit : « Mementote legis Moysi, servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta et judicia. » Constanti ergo et consentienti omnium scriptorum voce certum est Moysis genuinam legem ab origine reipublicæ usque ad Esdras, Nehemiam et Malachiam semper communem fuisse et in manibus omnium : constat etiam ab Esdræ temporibus Pentateuchum quem hodiè legimus extitisse semper et Moysis opus genuinum à Judæis et Samaritanis, à Christianis et ethnicis habitum esse. Ergo perpetuâ traditione constat semper extitisse Moysis genuinum opus et Pentateuchum esse istud opus.

2º Antiquitas Pentateuchi constat ex rerum ipsarum fide. Nam monumenta publica ab origine reipublicæ à Moysæ constituta ita cum historiâ descriptâ in Pentateucho concordant, ut efficiant perfectam istius narrationis quodammodò imaginem, nullaque sit res gesta alicujus momenti scripta in libris Moysis, quæ non sit etiam symbolis et institutis expressa ; v. g., festum azymorum, agni paschalis ritus, primogenitorum omnium redemptio, consecratio Levitarum servitio divino, loco primogenitorum, ab initio reipublicæ clarè significabant interfectos fuisse Ægyptiorum primogenitos, populum Israel ab hæc plagâ immunem reliquisse Ægyptum cum precipitatione. Tabulæ legis jussu Dei in arcâ servatæ, quæque ibi permansere usque ad captivitatem Babylo-

nicam, res ad montem Sinai gestas confirmabant. Mensura mannae ad latus arcae etiam reposita populum cibo de caelo delapso per quadraginta annos alitum fuisse ostendebat. Virga Aaronis induta foliis et ibidem reposita confirmatum à Deo Aaroni ejusque posteris sacerdotium demonstrabat. Lamina aureae altari affixa Levitarum cum Core, Dathan et Abiron rebellantium interitum, in cuius rei memoriam collocata fuerant, in perpetuum designabant. Serpens aeneus, qui ad Ezechiel usque tempora servatus est, aliam partem Pentateuchi confirmabat. Uno verbo tabernaculum, arca foederis, sacerdotum consecratio, vestes et varia munera, sacrificiorum caeremoniae, purificationes, familiarum genealogiae, tribum Ruben et Gad cum dimidia tribus Manasse habitatio trans Jordanem, divisio terrae Chanaan, dici initium à vespere sumptum, asyla et aliae constitutiones, quae omnes coeuvae reipublicae certissimè fuerunt, ita totum Pentateuchum, saltem 4 libros ultimos, exponunt et complectuntur, ut nulla sit istius Historiae pars, quae ex hisce monumentis maximam non accipiat auctoritatem; imò ut necesse sit legem scriptam et consuetudines illas aequalis esse antiquitatis Ergo ex ipsarum rerum fide edificatur Pentateuchi antiquitas.

Jam verò hæc publica fides summæ est auctoritatis, et ex illâ elucet maxima moralis evidentia, idque ob multiplicem causam. 1º Quia traditio perpetua semper et unanims fuit, nullusque auctor gravis per plura annorum millia vel levissimam fraudis suspicionem significavit. 2º Quia gentis magnæ tabularia fidem faciunt, in quibus constat Pentateuchum tanquam autographum Moysis servatum fuisse. 3º Quia monumenta ab origine reipublicae exactantia accuratam totius illius libri picturam efficiebant. 4º Quia liber ille tanquam divinus in omni ætate semper habitus est, et ideò cum summâ curâ ac diligentia servatus. 5º Quia Pentateuchus non paucorum aliquorum, sed omnium Judæorum manibus terebatur; ad illius præscripta omnes mores vitamque civilem et domesticam componere oportebat, adeoque omnes reipublicae cives testes proferimus. 6º Denique, quia fuerunt in omni ætate multi quorum maxime intererat fraudem, si qua esset, detegere: quales erant in ætate Christianâ Celsus, Ap-pion, Porphyrius, Julianus et alii Religionis nostrae hostes; ante æram Christianam Samaritani, et tempore Antiochi Judæorum persecutores; ante captivitatem Babylonicam Jero-

boam, regesque impii, qui adeò erant à legibus Mosaicis aversi, quique religionem patriam mutare conati sunt. Qui hæc diligentius expendit, inveniet vix ullum esse librum, cujus antiquitatem cum majori adstruat auctoritate fides publica. Æneidem, v. g., Virgilio tribuit fides publica, cujus auctoritati non subscribere insania habetur. Verùm antiquitatem Æneidis non adstruunt gentis Romanæ tabularia. Non est in monumentis illius fabula expressa, poema illud non continet jus romanum, et sine eo poterat respública consistere. Non excitabat propter opinionem cælestis originis omnium Romanorum attentionem; non commovebat omnium civium, sed litteratorum solummodò studia. Nullius denique intererat libri illius antiquitatem negare.

Objicies cum Spinosâ: Ex publicâ fide non efficitur Pentateuchum esse genuinum Moysis opus, nisi ostendatur scriptores ante captivitatem Babylonicam et Esdras per librum *legis Moysis* intellexisse Pentateuchum. Atqui id non potest effici, imò contrarium patet.

1º Id nullo modo efficitur. Nam cum de libro Moysis loquantur, non designant librum quem hodie vocamus Pentateuchum: nec illius partem aliquam, ut Genesis, vel Exodum, vel Leviticum. Atqui tamen sine tali designatione temerè concluditur librum dictum *legem Moysis* esse ipsum *Pentateuchum*. 2º Contrarium planè efficitur; nam libri, quos certò constat à Moyse scriptos fuisse, hi sunt: videlicet liber Bellorum Domini, laudatus Num. c. 31, qui sine dubio ille liber est in quo Moyses descripsit bellum contra Amalec, quod describere in libro jussus fuit Ex. c. 17, et præterea castrametationes omnes quas etiam auctor Pentateuchi Num. c. 35 testatur à Moyse descriptas fuisse. Secundus liber à Moyse editus laudatur Ex. c. 34, et vocatur *liber pacti* seu *volumen fœderis*, quem librum coram Israelitis legit Moyses, quando primum cum Deo pactum mierunt. 3º Constat ex Pentateucho, anno 40 post exitum ex Ægypto, Moysen leges omnes, quas tulerat explicasse, populumque denuò his obligasse, et tandem hunc librum qui has leges explicatas, novumque hoc pactum continebat, scripsisse: qui vocatus est *liber legis Dei*, quem solum cum cantico jussit servari. Atqui hi tres libri prorsus diversi sunt à Pentateucho ejusque partibus. Nam 1º Liber Bellorum Domini nullam habet similitudinem cum Genesi, aut Exodo, aut Levitico; non est etiam liber Numerorum, cum in illo citetur. Nullam habet etiam similitudinem secundus ille liber, qui

volumen fœderis dicebatur. Nam liber ille pauca admodum continebat, videlicet leges sive jussa Dei, quæ narrantur à versu 22, c. 20 Exodi usque ad c. 24 ejusdem libri. « Quod nemo inficias ibit, inquit Spinosa, qui sano aliquo judicio et sine partium studio prædictum caput legerit: narratur enim ibi quòd simul ac Moyses sententiam populi intellexisset de incedendo cum Deo pacto, statim Dei jussa scripsit, et matutinâ luce quibusdam cæremoniis peractis coram universâ concione, pacti ineundi condiciones prælegit, quibus prælectis et sine dubio ab universâ plebe perceptis, populus se pleno consensu adstrinxit. Quare tam ex temporis brevitate, quo descriptus fuit, quàm ex ratione pacti ineundi, sequitur hunc librum nihil præter pauca ea, quæ modò dixi, continuisse. » Denique non est Pentateuchus tertius ille liber, qui dicebatur liber legis Dei. Nam librum legis Dei postea Josue auxit narratione pacti, quo suo tempore populus se de integro obligavit, quodque cum Deo tertio inivit (vide Jos. c. 24). Sed nullum habemus librum, qui hoc pactum Moysis et pactum Josue contineat. Ergo necessariò concedendum est hunc etiam librum legis Dei interisse. Præterea ille liber traditus fuit à Moyse sacerdotibus, eosque jussit ut ipsum certis temporibus omni populo prælegerent, quod ostendit hunc librum longè minoris molis fuisse quàm est Pentateuchus, siquidem illud unâ concione ita perlegi poterat, ut ab omnibus intelligeretur. Adde etiam quòd præceperit Moyses, ut lex sua inscriberetur altari erigendo in monte Hebal, quod perfectum à Josue legimus; jam verò juxta traditionem Rabbinoꝝ constabat idem altare duodecim tantum lapidibus, quibus profectò totus Pentateuchus inscribi non potuit. Ita disputat Spinosa in tractatu theologicò politico, c. 8.

Respondeo: Nego minorem. Et ad primam istius minoris partem dico nullam esse rationem dubitandi quin scriptores ante captivitatem Babyloniam per librum legis Moysis intellexerint Pentateuchum. Primum, quia certum est hæc voce designatum fuisse Pentateuchum post captivitatem Babyloꝝicam. Nam juxta Spinosa[m] extabat Pentateuchus, quando scripti sunt Paralipomenon, Esdras, Nehemias et illi alii, qui vocantur Deuterocanonici. Atqui in his omnibus Pentateuchus appellatur liber legis Moysis, et simpliciter solet à Judæis vocari etiam nunc תורה *Thora*, id est, *lex*; ergo cum eadem semper fuerit appellatio, rectè concludimus rem semper eandem fuisse. Secundo, quia certum

est per librum legis intellexisse scriptores ante captivitatem librum, qui non solum contineret leges et statuta, ut vult Spinosa, sed qui complecteretur etiam gentis historiam, bella Domini, eaque omnia quæ nunc in Pentateucho reperiuntur. Nam in libris historicis, in prophetiis, in canticis, omnia in Pentateucho relata facta sæpius laudantur, tanquam in lege contenta, et etiam nihil in iisdem libris ex lege Moysis citatur, quod in Pentateucho non inveniamus: ex quo manifestum est eos præ manibus habuisse Pentateuchum et ipsismet librum esse, quem *legem Moysis* solebant appellare.

Ad secundam minoris partem ejusque confirmationem respondeo, nequaquam efficere Spinosa[m] libros à Moyse editos diversos fuisse à Pentateucho ejusque partibus. 1^o Quod spectat librum Bellorum Domini, fateor equidem illum interiisse, si aliquis sub hoc titulo fuerit à Moyse in lucem editus; sed reverà ex v. 24, c. 21 Num. nullo modo effici potest Moysen librum aliquem scripsisse cujus titulus fuit liber Bellorum Domini: quod ex variis illius loci versionibus clarissimè patebit. Illum nempe locum quem vulgata editio sic vertit: « Unde dicitur in libro Bellorum Domini, « sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon, » verterunt septuaginta interpretes hoc modo: « Propterea dicitur in libro, bellum Domini ipsam Zoob inflammavit et torrentes Arnon. » Multi reddunt, nec malè, « dicitur, non dictum est, » quia verbum est futuri temporis; et hic sensus igitur erit: « Dicitur in commemoratione bellorum, « sive cum bella Dei commemorabuntur, recentibus à posteris, quæ bella pro Israel ad mare Rubrum gesserit Deus, et quæ ad torrentes Arnon. » Alii non librum intelligunt, sed carmen, quo victoria celebratur, statim post pugnam conditum, quod in rei testimonium laudat Moyses. Gratis omninò sumpsit Spinosa in libro Bellorum Domini descriptum fuisse bellum contra Amalec et varia Hebræorum castra: id sanè nullibi invenit. Legimus solummodò Moysen illa descripsisse in libro, ex quo testimonio magna accedit auctoritas Pentateucho, quia ex eo constat Moysen præter leges et constitutiones reipublice scripsisse etiam jussu divino rerum gestarum historiam et quasi diarium, quod cum in Pentateucho Moysis nomine semper nuncupato continetur, nullum dubium est quin sit ille liber à Moyse, jubente Deo, exaratus. Præterea, etsi scripsit-

set Moyses librum Bellorum Domini, in quo fusiùs res narravisset, non sequitur Pentateuchum non esse etiam Moysis opus. Quæ est ista argumentandi ratio? Moyses scripsit librum Bellorum Domini; ergo non scripsit librum Exodi aut Levitici. 2° *Liber fœderis*, ut docet ipse Spinoza, charta solummodò erat, et continetur in Ex. à v. 22 c. 20, usque ad c. 24. Est ergo pars Pentateuchi. 3° *Liber legis Dei*, in quo continetur tertium pactum, reverà extat. Nam nullus alius est nisi Pentateuchus vel Deuteronomium cum illis incrementis, quæ Josue addidit, seu Pentateuchus auctus libro Josue, in cujus ultimo capite illud tertium pactum invenitur. *Liber verò legis* qui prælegebatur in solemnitate tabernaculorum erat Deuteronomium, quod unâ concione facillè legi potuit. Præterea, unde hausit Spinoza quòd illud volumen legeretur in unicâ concione? Certè solemnitas tabernaculorum non uno die finiebatur. In arâ quoque Hebraicâ inscriptum est solummodò *Deuteronomium legis* (Jos. 8, 52), quod facillè inscribi potuit duodecim prægrandibus lapidibus, etiãmsi spatium sex linearum cuique litteræ concedatur, ut inveniet quicumque calculum inire velit. Sed sine ullo fundamento asserit illam aram ex duodecim tantum lapidibus compositam fuisse. Somnium est Rabbiorum. Ingentes erant hujusmodi aræ in monumenta erectæ, et ad eas gradibus pluribus ascendebatur (1).

ARGUMENTUM II.

Ex manifestâ contrariæ sententiæ vanitate.

Pentateuchus certissimè in nullâ aliâ ætate nisi in origine reipublicæ in lucem prodire potuit, neque ab ullo alio quàm à Moysè vulgari. Nam in hypothesi adversariorum duo evenissent, quæ neque contingere, neque contingere potuerunt : scilicet 1° perisset genuinum opus

(1) Plurimis argumentis probat clarissimus Kennicott in arâ illâ aliud nihil quàm Decalogum, seu decem mandata, inscriptum fuisse : et reverà textus Samaritanus, summæ profectò auctoritatis, id expressè dicit Exod. 20, 19. Samaritano textu consentit omnium quas habemus versionum, judicibus Walton, Montfaucou et aliis eruditus, antiquissima versio Samaritana : idem fert versio textus Samaritani Arabica valdè antiqua. Vide prælaudatî scriptoris dissertationem secundam de textu hebræo. Nec est quòd reponas legi apud Josue c. 8, v. 52 : *Et scripsit ibi* (Josue) *super lapides Deuteronomium legis Moysis*. In textu quidem hebræo habetur : *Et scripsit ibi super lapides exemplar legis Moysis* כִּתְּבָה לְפָנֶיךָ מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה. Lex verò Moysis eò quidem loci, ut alibi sæpè, non alia est, ut fusè idem probat, qui in Decalogus.

Moysis in quo leges civiles et religionis cæremonix ab ipso institutæ continebantur ; nam profectò eo extante alius liber illi sufficere non potuit. 2° Pentateuchus Moysis legi deperditæ suffectus populo inscio fuisse; nam Judæi semper in eâ fuerunt opinione extare apud se libros à Moysè traditos, ut liquet ex modò prolatis testimoniis. Atqui neutrum contigisse, neque potuisse contingere apertissimum est.

Primò quidem liber Moysis seu legis authenticum exemplar nunquàm interit, neque potuit interire. Nunquàm quidem interit. Nam in nullam ætatem rejici potest cum aliquo fundamento hæc legis jactura quàm in ætatem Nabuchodonosor, scilicet in excidio urbis et templi. Atqui quòd volumen legis illo tempore perierit nullam aliam afferunt rationem adversarij, nisi quòd magna tunc contigerit rerum mutatio et confusio; at major et Inctuosior contigit sub Vespasiano et Tito; libri tamen non sunt deperdit. Præterea, constat regem illum Babylonis rempublicam dissolvissè, religionem verò nullatenus immutasse. Constat populum adductum in captivitatem suos principes servavisse, qui jus dividebant secundum legem Moysis. Constat Danielem legem Moysis et Jeremiæ prophetiam legere in Babylone consuevisse, ut patet ex c. 9 : « Omnis Israel, inquit, prævaricati sunt legem tuam et declinaverunt ne audiverint vocem tuam, et stillavit super nos maledictio et detestatio quæ scripta est in libro Moysis servi Dei, quia peccavimus ei, » etc. Baruch quoque, qui tempore captivitatis vaticinatus est, meminit legis Moysis c. 4 et 2. Constat Jeremiam cum incolis terræ in Judæâ permansisse, quem caruisse libro legis inspicari non datum est. Eandem illam legem tunc temporis venerabantur ex Israelitis in captivitatem abductis quàm plurimi viri pii, ut exemplo Tobix patet. Tobix consanguineo Saram despondisse se ait Raguel, *ut conjungeretur conjugationi suæ, secundum legem Moysis*.

Denique Samaritani hujus calamitatis Judæorum spectatores fuere otiosi, et apud illos tunc valebat legis Moysis auctoritas. Nam, cum redissent Judæi, accesserunt, ut scriptum est in c. 4, l. Esdræ, Samaritani ad Zorobabel et ad principes patrum et dixerunt eis : « Edificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum. Ecce nos immolavimus vicimas à diebus Assuradani regis Assur, qui adduxit nos hæc. » Quod confirmatur ex c. 17, l. 4 Reg., ubi legimus missum fuisse à Salpmanazar, rege Assyriorum, unum de sacerdo-

tribus Israelitarum qui doceret novos incolas, quomodo colerent Deum et legitima Dei terræ. Præterea parùm verisimile est universos colonos terræ Israel, nullis exceptis, abductos fuisse in captivitatem: aliàs, cur Cuthæi sese accommodaverunt veteribus Israelitarum litteris, si nulli fuissent Israëlità qui uterentur illis litteris? Quomodo etiam gloriari poterunt se ortos esse ex Israëlitis, et habere parentes Abraham et Jacob? His rationibus freti jure vanitatis damnamus eorum sententiam, qui scripsère allatum fuisse Samaritanis Pentateuchum temporibus Alexandri Magni, videlicet cùm Manasses Jaddi pontificis frater, sacerdotio exactoratus (quòd contra legem matrimonio sibi conjunxisset filiam Sannaballat Samariæ præfecti), ad socerum confugit, et templo in monte Garizim extracto pontificem se gessit. Cujus sententiæ hoc præcipuum fundamentum est, quòd Samaritani usque ad hæc tempora idololatriæ addicti fuerint; quasi verò admirationem cujusquam habere possit, quòd gens pagani orta majoribus ritus idololatricos cum Moysis institutionibus conjunxerit (1): cùm noscamus hoc ab ipsis Judæis ante captivitatem Babylonicam sæpiùs factum esse. Profectò nisi jam assueti fuissent Samaritani institutionibus Mosaicis, non tam faciliè apud eos religio immutata fuisset, nec tam subito Judæorum diligentiam superassent. Imò nullam causam dubitandi video, quin eo tempore in Pentateucho Samaritano Deut. c. 27, legeretur præceptum de ædificando altari in monte Garizim, non in monte Hebal, ut fert hebræus textus; et ejusdem loci sanctitate fuerint adducti principes Samaritanorum ad ædificandum in illo monte templum. Si à Judæis exemplar suum sumpsissent, illud ædificassent in monte Hebal, qui non longè distat, neque librorum sacrorum corruptionem sine causâ et tam aperte tentassent: hoc confirmatur ex eo quòd post 150 annos, coram Ptolomæo Philometore Ægypti rege, constanter defenderint contra Judæos se legem Moysis secutos esse, et templum suum ædificasse in loco à Moyse designato (Joseph. Antiq. l. 15, c. 6); id profectò non ausi fuissent, si constaret apud omnes se seculo præcedenti accepisse à Judæis codices suos, eosque de industriâ corrupisse. Ergò lex Moy-

(1) « Unaquæque gens fabricata est Deum e sum; nihilominus colabant Dominum... et cùm Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samaritan, » lib. 4 Reg. c. 17.

sis non interit in excidio Jerosolymitano.

Addo librum Moysis nunquàm interire potuisse ob multiplicem causam, quia 1º constat illum librum à perpetuâ prophetarum serie commendatum fuisse populis, uti Evangelium à nostris concionatoribus; eosdemque omni studio elaborasse, ut ad illius legis observantiam populos excitarent. 2º Quia lex Moysis reverà omnium manibus terebatur; tradebatur enim illius authenticum exemplar principibus et pontificibus, statim post eorum inaugurationem. Illo carere iudices et sacerdotes inferiores non poterant, cùm contineret regulas juris et cæremonias religionis: singulis septennis in solemnitate tabernaculorum coram universo populo legebatur: perpetuè illæ exhortationes quas in prophetis ad populum invenimus, quibus plebem excitant prophete ad observationem præceptorum moralium, monentque omnem pietatem non esse ponendam in ritibus et cæremonis legis (1), clarissimè profectò efficiunt librum legis communem semper, et etiam rituales ejus partem à Judæis plerisque diligentissimè servatam fuisse. 5º Quia omnium intererat librum hunc servare. Intererat enim iudicum et principum; nam legum unicus codex semper fuit in republicâ, juxta quem iudicium exercere oportebat et consueverant. Intererat sacerdotum et levitarum; continebat enim eorum privilegia, et religionis, cujus erant ministri, ritus et cæremonias. Intererat omnium Judæorum, qui hunc librum tanquàm divinum, et Dei erga se benevolentiam pignus suscipiebant. Uno verbo ad hujus libri conservationem excitabantur omnes ordines, omnes familiæ, cives omnes, motivis efficacissimis, ex pietate in Deum et ex propria utilitatis studio. Ergo interire non potuit.

2º Pentateuchus à nullo nisi à Moyse, neque alio tempore nisi post exitum ex Ægypto vulgatus fuit, aut vulgari potuit. Primò neminem invenire potuit Spinosa, quem hujus libri auctorem faceret, nisi Esdras; atqui evidentsimè efficitur Esdras illius auctorem nequaquàm fuisse, tum ex historiæ fide, tum ex tem-

(1) « Quòd mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum: holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui... Ne auferatis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi: neomeniam et sabbatum et festivitates alias non feram... Lavamini, et mundi estote, auferite matum cogitationum vestrarum ab oculis vestris, » etc. Isaïa c. 2.

porum circumstantiis. Inprimis quidem historia: fides negat Esdræ esse hujus libri inventorem; nam legimus in libro primo Esdræ statim post reditum à captivitate, ubi templum absolutum fuit, sacerdotes et levitas singulos in officiis suis institutos fuisse *secundùm legem Moysis*, antequàm ipse fuisset profectus Jerosolymam. Præterea ex edicto Artaxerxis clarè intelligitur legem Moysis illo tempore extitisse, et omnibus Judæis fuisse cognitam. Illius enim hic tenor est: « Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem. A me decretum est, ut cumcumque placuerit in regno meo de populo Israel et de sacerdotibus ejus et de levitis ire in Jerusalem, tecum vadat. A facie enim regis et consiliorum ejus missus es, ut visites Judæam et Jerusalem *in lege Dei tui quæ est in manu tuâ*.... Tu autem, Esdra, secundùm sapientiam Dei tui quæ est in manu tuâ constitue judices et præsides, ut judicent omni populo qui est trans flumen, his qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docere liberè. » Ex quibus manifestum est cognitam tunc fuisse legem Moysis, nullamque aliam accepisse potestatem scribam illum, nisi res constituendi juxta veterem illam legem Moysis omnibus cognitam, quæ erat in manu ejus. Deinde verò circumstantiæ temporum ab omni fraudis vel novitatis suspicione Esdræ plus quàm alium quemlibet absolvunt, non solum quia Samaritani, quos rebus Judæorum sese miscere volentes summâ affecit injuriâ, et qui propterea capitale gerebant adversùs eum odium, ejus fraudem, si quâ usus fuisset, detexissent, notamque fecissent omnibus: sed quia habebat multos etiam inter Judæos inimicos et invidos, quos invitos legibus Mosaicis parere coegit.

Secundò non solum neminem invenire possunt adversarii, quem cum levissimo fundamento auctorem Pentateuchi pronuntiare queant, verùm etiam ex naturâ rei clarissimè demonstratur nullo modo potuisse Esdræ aut alium quemquam Pentateuchum supponere post captivitatem Babyloniam, idque ob multiplicem causam. 1^o Quia in istâ hypothesi defendere necesse est omnes propheticos libros, omnes historicos, omnes psalmos fuisse etiam ab eodem impostore confectos: nam in omnibus istis libris nulla est pagina, quæ possit separata à Pentateucho consistere: ubique Moyses interpellatur; lex à Moysè data ubique indigitatur; prodigia in Pentateucho relata

ubique laudantur; omnia denique sunt in hoc fundamento posita. Credant igitur Deistæ ab uno homine tot scripta ingenii et styli varietate distincta subitò fuisse conficta: sani hominis tanta credulitas non est. 2^o Debuisset persuadere idem ille Esdras, aut quisquis alius omni populo Pentateuchum à se modò confictum, et alios Scripturæ libros ea esse ipsa volumina quæ semper veneratione summâ prosecuti fuerant, et singulis septenniis publicè legi solita, id est, persuadere debuit principibus et iudicibus, leges, sui ingenii factus, eas esse constitutiones secundùm quas semper judicaverant; sacerdotibus et Levitis, ritus et cæremonias modò à se excogitatas, eas ipsas esse quas semper observaverant; omni verò plebi, novas prophetias, novosque psalmos, quos ipse modò confecerat, esse vetera vaticinia et antiqua cantica quæ omnes semper habuerant in ore: et inter hos oportuisset fingere ipsam Jeremix prophetiam, suadere populo se vidisse hunc prophetam, et in expectatione liberationis ab ipso prædictæ totam vitam vixisse, eum reverà nullum unquàm fuisset antea Jeremix propheta, et à se modò excogitatum nomen, et inventa prophetia fuisset. 3^o Denique, si Pentateuchus sit impostoris opus et fabula à recentiore aliquo post Moysen inventa, oportuisset etiam subitò omnia monumenta publica constituere, quibus historiam Pentateuchi confirmatam supra diximus, suadereque populo illa monumenta à Moysè olim constituta fuisse: id est, oportuisset summum sacerdotem creare, illique et omnibus persuadere ab Aaron continuâ successione in ipsum fuisse illud officium derivatum; Levitas à cæteris Israelitis separare, persuadereque omni plebi à Moysis temporibus sacris addictos fuisse, habuisseque in suâ custodia tabernaculum, arcam fœderis, etc., cum reverà Levitarum nulla fuissent ante illum impostorem munera, nec ista extitissent monumenta. Pudet profectò in istis confutandis opinionibus immorari, quæ tam sunt ab omni verisimilitudine disjunctæ, ut Spinosus ipse tam vanus non fuerit ut putaret hos libros ex integro ab Esdrâ aut alio quopiam confectos: sed veteres ab eodem digestos, et in variis partibus immutatos arbitratur. At cur hos libros immutaret Esdras? An quia libri, quibus hætenus usi fuerant Judæi, erant nimis breves? An quia nimis longi? Si erant breves, eò magis erant ad vulgarem usum accommodati; illos ergo relinquere et commentariis suis illustrare potuisset, ut apud nos quamplurimè

fecerunt. Si erant nimis longi, quomodo ergo sine ullo incommodo per mille annos publicis inservierant usibus? Cur etiam factâ epitome necesse fuit veteres libros omninô delere? Cur tam vanus ille Esdras, aut quisquis alius fuit, ut scriberet in mandatis reliquisse Moysen, ut ne quid legi suæ adiceretur aut detraheretur; eo ipso tempore quo illud mandatum ipse tam impudenter violabat? Sed si benè intelligere quis volet hujus suppositionis absurditatem, fingat aliquem hoc apud nos Christianos, aut hodiernos Judæos tentare, et apud se reputet quàm felicitate tale inceptum succederet. An suspicari datum est nullam in animis Judæorum erga Moysen fuisse reverentiam, nullam antiquitatis studium, nullum sensum pietatis, ut novi hominis scriptis permutare vellent sacra Moysis et Dei ipsius eloquia, quibus innuè Landâ steterant respecta et religio, divini favoris pignora, omnis gloriæ, dignitatisque suæ monumenta.

Obijcies: Nedum efficiatur libros Moysis interire non potuisse, illisque alios suffici, ô contrario ipsa historia Judæorum fidem facit non semel memoriâ eorum deletam fuisse, et sub Moysis nomine libros prorsus ignotos prodixisse. 1^o Legimus in libro 4 Reg. c. 22, et in 2 Paralip. c. 34, Helciam pontificem, cùm sarta tecta templi restitueret, librum legis in domo Domini reperisse: quem ad se missum cùm Josias rex legisset, « scidit vestimenta sua, et præcepit Helciæ sacerdoti dicens: « Itē et consulite Dominum super me, et super « populum, et super Israel de verbis voluminis « istius quod inventum est: magna enim ira « Domini succensa est contra nos, quia non « audierunt patres nostri verba libri hujus, ut « facerent omne quod scriptum est nobis... et « misit rex, et congregati sunt ad eum omnes « senes Juda et Jerusalem, ascenditque rex « templum Domini, legitque, cunctis audientibus, omnia verba libri fœderis qui inventus « est in domo Domini, stetitque rex super « gradum, et fœdus percussit coram Domino, « ut ambularet cum Domino, et custodiret « præcepta ejus et testimonia et caeremonias « in omni corde et in totâ animâ, et suscitaret « verba legis quæ scripta sunt in libro illo: « acquievitque populus pacto. » Ex quo loco sic licet argumentari: Liber inventus ab Helciâ pontifice in templo erat lex Moysis. Atqui libri illius memoria omninô deleta erat, et, cùm editus fuit à rege Josiâ, erat omnibus ignotus. Nam ad illius lectionem summus pontifex et

princeps, qui legem, si qua fuisset, nescire non poterant, obstupuerunt: illius verba nunquàm audierant patres eorum; ejus verba de integro suscitavit Josias, adstringendo populum novo sacramento ad illius observationem. 2^o In libro 4 Esdræ c. 14 legimus Esdræ divino spiritu afflatum sacra volumina penitus consumpta reparasse: cujus scriptoris auctoritas tanta visa est sanctis Patribus, ut in illam opinionem non pauci concesserint; Irenæus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Theodoretus, et alii plures. 3^o Quòd volumina legis ab impio Antiocho conscissa et combusta fuerint, memoriæ legitimum est in libro 1 Machab. c. 4, ubi hæc legimus: « Et libros legis Dei « combusserunt igne, scindentes eos; et apud « quemcumque inveniebantur libri testamenti « Domini, trucidabant eos. »

Respondeo ex his locis nequaquam effici librum legis interiisse unquam, imò non confici semper non fuisse communem: et, ut ab ultimo argumento incipiam, locus ex libro 1 Machab. laudatus, efficit quidem conquesta fuisse ab impio Antiocho sacra volumina, usuramque eorum prohibitam et morte punitam; verùm absurdè concluderetur illa abolita fuisse; quasi verò quia omnes legis codices conquiebat Antiochus, omnes invenerit, nec in totâ passim Judæa latebræ ullæ fuerint, in quibus tuto occultari poterant volumina sacra, quasi non in exoticis bibliothecis, et Alexandrinâ præsertim quæ erat extra ditionem Antiochi, extiterint codicum sacrorum exemplaria, et septuaginta Interpretum versio! quasi verò Judæis, qui tunc temporis apud alienigenas morabantur, et Israelitis quos sedibus suis moverat Salmanazar, penitus exciderit Scripturæ sacræ studium, omnesque hi codices suos abjecerint! Furorem præterea Antiochi aliqua librorum exemplaria evasisse indicat idem ille scriptor libri 1 Machab. ubi ait: *Jejunius maceratos Judæos, indutos ciliciis, cinere conspersos, vestibus laceros, expandisse libros legis*, in epistolâ etiam ad Spartiatas solatio sibi fuisse libros sanctos scribit Jonathas et populus universus Judæorum. 2^o Fusè satis in conclusione jam ostendimus in excidio urbis et templi combustos non fuisse omnes sacros codices; quæ argumenta nullo modo elevat opinio scriptoris libri 4 Esdræ, hominis malè et ineptè fraudulentum, cujus nulla prorsus est auctoritas. Patres quidem haud paucos in suam adduxit sententiam: sed eum hi inconsideratè illi fidem dederint, eorumque suffragia omninô nitantur

istius inepti impostoris mendaciis, nullum opinioni pondus adjecerunt 3^o Locus laudatus ex libro 4 Reg. necdum nobis contrarius sit, rem nostram laud parum adjuvat. Nam ex illo intelligimus, legis authenticum exemplar ipsâ Moysis manu exaratum, semper permansisse in capsâ ad latus arcæ à Moysis temporibus, à quo ibi collocatum fuit, usque ad Josiæ atque Helciæ tempora, qui arcam leguntur dimovisse ex loco suo, dum sarta tecta templi instruerentur: quo eventu profectò illis temporibus antiquitas et integritas libri legis fuere extra omnem controversiam positâ (Prideaux, Newton, etc.).

Sed quoniam multos etiam viros doctos in errorum induxit ille locus, qui temerè pronuntiârunt nullum aliud fuisse tunc temporis exemplar legis, præter illud repperit ab Helciâ, aut saltem quod notum esset regi et pontifici, in elucidando illo textu paululum immorabimur, hæcque duo conficiemus: 1^o certissimum esse librum legis Moysis fuisse semper, stante republicâ, valdè communem; 2^o contrariam opinionem ex illo Scripturæ loco nullo modo confici.

Primò certissimum est librum legis Moysis in omni ætate usque ad Josiam semper communem fuisse propter hanc evidentissimam rationem, quòd semper fuerit unicus legum codex, juxta quem jus dividebatur populis, unica cultûs divini regula, juxta quam ritus religionis perficiebantur, quique proinde interire non potuit sine interitu politiæ et religionis. Certum tamen est, nihilque certius in totâ historia Judaicâ, politiâ et religionem institutas à Moysè nunquam fuisse abrogatas; judices et reges post illum legislatorem, nullas novas leges propriè dictas rogavisse, sed legem Mosaicam semper obtinuisse etiam sub imperio illorum principum, qui in vitæ ratione, longiùs à vero recesserunt, quod ex brevi et compendiosâ historiâ populi Judaici clarissimè patet.

Ab ætate Moysis usque ad Davidem regem nullâ aliâ lege utebantur duodecim tribus nisi Mosaicâ, neque profectò judices potestatem legislativam unquam sibi arrogârunt: Judic. c. 3: « Dimisitque eos ut in eis experiretur Israël, utrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysis, an non. » Sub Saule eodem modo quo sub judicibus cuncta administrabantur; Davidis verò temporibus stabilem magis formam accepit respublica, et religionis cæremonie

70 II.

cum majori apparatu perficiebantur, sed omnia fuere secundum *legem Moysis* constituta, pro quâ lege vehementissimum studium suum in psalmis ubique expressit regius propheta, et illius moribundâ hæc novissima verba fuere ad filium suum Salomonem: « Ego ingredior viam universæ terræ, confortare et esto vir, et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, et custodias cæremonias ejus et præcepta et testimonia, sicut scriptum est in *lege Moysis*. » Tempore Salomonis hæc solummodo facta mutatio fuit, quòd cum majori sumptu ritus religionis perficerentur juxta *legem Moysis*. Eadem omnia sub Roboamo servata fuisse constat, ex eo quòd Jeroboam, qui à rege defecerat, necesse ad observandam auctoritatem suam duxerit avocare decem tribus, quæ ipsi adhæserant, à templo Jerosolymitano: « Si ascenderit, dicebat, populus iste, ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem, convertetur cor populi ad domum suam Roboam interficientque me, et revertentur ad eum. » Roboamo successit Abias, post cuius administrationem, quæ trium tantum annorum fuit, Asa accepit regnum, illudque rexit 41 annis, de quo legitur libro 3 Reg. c. 15: « Verumtamen cor Asa erat perfectum cum Domino cunctis diebus suis, fecit quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultûs, et præcepit Judæ, ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, et facerent legem et universa mandata. » Asæ successit Josaphat, et regnavit 25 annis, cuius pro lege studium summum fuit: « Ambulavit in viâ patris sui Asa, inquit auctor sacer, nec declinavit ab eâ, faciens quæ placita erant coram Domino. Tertio autem anno regni sui, misit de principibus suis ut docerent in civitatibus, et cum eis Levitas et sacerdotes, docebantque populum in omni Judâ habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Judæ, et erudiebant populum. » Ex quo loco clarè intelligimus in libro legis Moysis, qui tunc temporis exstabat, omnia ad instituendos homines ad religionem et vitam civilem necessaria, contenta fuisse. Idem princeps, ut legitur 1. 2 Par. c. 19, « egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim (id est, omnia regni sui loca ivisit), et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum, constituitque judices terræ in eunctis civitatibus Judæ munitis per singula loca, et præcipiens judicibus: Videte, ait, quid

20

« faciatis ; non enim hominis exercetis judi-
 « cium , sed Domini. In Jerusalem quoque
 « constituit Josaphat Levitas et sacerdotes et
 « principes familiarum ex Israel , ut iudicium
 « et causam Domini judicarent habitatoribus
 « ejus , præcepitque eis dicens : Sic agelis in
 « timore Domini fideliter et corde perfecto ;
 « omnem causam quæ venerit ad vos fratrum
 « vestrorum qui habitant in urbibus , inter
 « cognationem et cognationem , ubicumque
 « quæstio est de lege , de mandato , de cæremoni-
 « nis , de justificationibus : ostendite eis ne
 « peccent in Dominum... Amariis enim sacer-
 « dos et pontifex vester in his , quæ ad Domi-
 « num pertinent , præsidebit : Zaladias filius
 « Ismael , qui est dux in domo Judæ , super ea
 « opera erit quæ ad regis officium pertinent ;
 « habetisque magistros Levitas coram vobis :
 « confortamini et agite diligenter , et erit Do-
 « minus vobiscum in bonis. » In hæc igitur re-
 rum instauratione factâ à Josaphat , certum est
 nullam tribunalium inferiorum , quæ erant
 in urbibus , neque supremi senatûs Jeroso-
 lymis constituti , aliam regulam fuisse juris di-
 cendi præter legem Moysis , cujus variæ partes
 designantur iisdem nominibus *legum , mandato-
 rum , judiciorum , cæremoiarum , justificationum*.
 Regem optimum excepit pessimus filius Joram ,
 qui post octo annos reliquit imperium Ochosiæ :
 quo primo anno regni sui interfecto , solium
 occupavit Athalia mater , tenuitque annis sex ;
 sed per hos quindecim annos , neque publicus
 ordo , neque cultus divinus interruptus fuit ,
 Joiadâ viro piissimo pontificatum tenente ,
 idque patet ex iis quæ gesta sunt , ubi Joas in
 solium patris restitutus fuit. Præterea impius
 Joram ab Eliâ propheta per litteras graviter
 oburgatus fuit , et post mortem , quamvis
 successisset filius ejus Ochosias , sepulturâ
 regiâ caruit , sine dubio ex senatûs supremi
 et pontificis auctoritate. « Initio regni Joas
 « pepigit Joiada factus inter se universumque
 « populum et regem , inquit auctor sacer , ut
 « esset populus Domini , et ingressus omnis
 « populus domum Baal , destruxerunt eam et
 « simulacra illius confregerunt : Mathan quo-
 « que sacerdotem Baal interfecerunt ante
 « aras. » Illius regis tempore instauratum est
 templum Domini ex oblationibus , omniaque
 restituta ad pristinum splendorem juxta dispo-
 sitionem David , et diligenter servata fuerunt ,
 procurante Joiadâ , usque ad ultimum circiter
 annum regni Joas , qui post mortem summi
 illius viri obsequiis aulicorum delinitus recessit

à Domino , et occidit Zachariam filium Joiadæ
 sacerdotem : sed in illius sanguinis ultionem
 citò occisus est rex à servis suis. Joasum exce-
 pit Amazias , rex legis Moysis servantissimus ,
 de quo leguntur hæc libro 4 Reg. c. 14 :
 « Cum obtinisset regnum , percussit servos
 « suos , qui interfecerant regem patrem suum ;
 « filios autem eorum , qui occiderant , non
 « occidit , juxta quod scriptum est in libro *le-
 « gis Moysis* , sicut præcepit Dominus , dicens :
 « Non moriantur patres pro filiis , neque filii mo-
 « rientur pro patribus , sed unusquisque in peccato
 « suo morietur. » Reverà ista lex legitur Deut.
 c. 24 , v. 16. Amazias verò post regnum 19
 annorum reliquit imperium Azariæ seu Ozia ,
 cui nullum peccatum exprobrat Scriptura , nisi
 quòd adolere incensum in templo Domini vo-
 luerit , quod munus erat sacerdotale. Huic
 post regnum 50 annorum successit Joathan , qui
 patris et avi per sexdecim annos vestigia secu-
 tus est. Achaz ejus filius à patrum suorum
 pietate multum abfuit , sed postquam annis
 sexdecim regnâset , reliquit Ezechiæ regnum ,
 qui eo studio res divinas promovit juxta dispo-
 sitionem et *legem Moysis hominis Dei* , ut teste-
 retur auctor sacer , à temporibus Salomonis non
 fuisse cum tanto apparatu celebratas solemnita-
 tates. Novimus etiam ex c. 26 Proverb. regem
 habuisse scribas , qui in describendis libris
 sacris erant occupati. Ergo à Moysè usque ad
 Manassem , Ezechiæ filium , in libro Moysis semper
 posita fuit reipublicæ constitutio et reli-
 gionis forma omnis , et proinde semper com-
 munitis fuit isto Moysis liber.

Videamus igitur an cum levissimâ probabili-
 tatis specie dici possit deperditâ fuisse , re-
 gnante Manasse , omnia legis volumina , in quâ
 lege constat usque in hunc diem omnia posita
 fuisse politiæ et religionis fundamenta. Legi-
 mus quidem impium illum principem reges im-
 piissimos dementiâ et superstitione esse præ-
 tergressum , ad eò ut in ipso templo Domini
 collocaverit sculptilicidolum , et seduxerit popu-
 lum ut faceret malum super gentes , quas con-
 trivit Dominus à facie filiorum Israel. Verùm
 nullo modo existimare licet omnia legis exem-
 plaria , cui paucis antea annis ad eò addicti erant
 Judæi , fuisse deperditâ , idque ob multiplicem
 causam : 1º quia intelligimus ex sacris Scripturis
 impia regis consilia multorum honorum
 commovisse studia , et complures pro religionis
 defensione animas profudisse. Nam legimus
*sanguinem innocuum fudisse Manassen multum
 viris . donec impleret Jerusalem usque ad os* ,

Jam verò is solet esse persecutionis exitus, ut ridentiori studio homines divinæ legi adhærent; nec suspicari datum est, nullum fuisse veri Dei servum superstitem, qui legis codicem servaverit. 2° Quia accepimus ex iisdem libris sacris, complures fuisse illis temporibus prophetas, qui cum magnâ constantiâ impium illum principem reprehendebant: « Locutus est que est Dominus, inquit auctor sacer, in manu servorum suorum prophetarum dicens: Quia facit Manasses rex Juda abominabiles nationes istas pessimas super omnia quæ fecerant Amorrhæi ante eum, et peccare et etiam fecit Judam in immunditiis suis, propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Jerusalem et Judam, et ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus, et extendam super Jerusalem funiculum Samarizæ et pondus domûs Achab, et delebo Jerusalem sicut deleri solent tabulæ, et dolens vertam, et ducam crebrius stylum super faciem ejus. » Certè qui hæc regi et populo annuntiabant, legis erant studiosi; nec potest fingi illos omnes Moysis libros igni tradidisse. 3° Quia non legimus tempore illius principis deletam fuisse politiam Judæorum; judicia eodem quo antea modo in urbibus exercebantur: sed usque ad hunc regem, politiam omnem semper positam fuisse in libro Moysis ostendimus. 4° Quia impia Manassis consilia fuere juvenilis ætatis errores, quos citò poenitentia eluit. Nam adductus fuit in captivitatem, juxta sententiam doctorum Hebræorum, quam probat Usserius, vigesimo secundo regni sui anno, ætatis verò suæ trigesimo quarto: proindeque, non nisi per annos circiter quatuordecim, impium se gessit. Nam verisimile est sanctissima Ezechizæ patris sui instituta non fuisse à filio statim immutata, quamdiù vivebat memoria illius principis Deo dilecti et hominibus, et nondum assecutus fuisset Manasses vigesimum ætatis annum. A captivitate verò suâ usque ad mortem, per annos triginta tres Manasses, ut verbis auctoris sacri utar, « egit poenitentiam valdè coram Deo patrum suorum, et abstulit decos alienos et simulacrum de domo Domini, aras quoque quas fecerat in monte domûs Domini et in Jerusalem, et projecit extra urbem. Instauravit altare Domini et immolavit super illum victimas et pacifica et laudem, præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israel. »

Manassi successit Amon filius, qui post duos annos regnum reliquit Josizæ octo annos nato,

et quamvis Amon pater ejus presserit Manassis vestigia, tamen Josizæ institutio commissæ fuit viris sanctis et legis Dei observantissimis. Nam octavo anno regni sui, inquit auctor sacer, « cum adhuc esset puer, cepit querere Deum patris sui David, et duodecimo anno postquam regnare cœperat (ætatis vigesimo) mundavit Judam et Jerusalem ab excelsis et lucis, simulacrisque et sculptilibus, et non nisi anno hujus principis decimo octavo inventum est volumen legis ab Helciz in templo. Ergo luce ipsâ clarius est à Moysæ ad Josiam regem nunquam deletam fuisse in Judæ legi Mosaicæ memoriam. Imò verò in regno Israel, ubi perpetua ferè fuit series regum ab institutis Mosaicis aversorum, semper fuisse constat prophetas, qui reges atque populos objurgarent et ad observantiam legis revocarent. » Et testificatus est (inquit auctor sacer lib. 4 Reg. c. 17), Dominus in Israel et in Judæ per manum omnium prophetarum et videndum, dicens: Revertimini à viis vestris pessimis et custodite præcepta mea et cæcermonias juxta omnem legem quam præcepi patribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servorum meorum prophetarum. » Neque solùm fuisse prophetarum continuam successionem, qui populos instituerent secundum legem Moysis, constat; verùm etiam certum est politiam semper fuisse etiam in regno Israel positam in legibus Mosaicis. Nam etsi Joroboam quædam instituerit legibus istis contraria, tamen legem ipsam tollere nunquam ausus est, et Achaz, rex impiissimus, qui venudatus erat ut faceret malum coram Domino, ut loquitur Elias, tamen contra legis præscriptum cogere Naboth ad venditionem vineæ suæ non potuit, sed ficto blasphemiz crimine, capite damnavit secundum ipsam legem Moysis. Ex quibus omnibus certius est legem Moysis nunquam interisse, quam certum est duodecim tabulas à decem viris sanctitas, semper viguisse in republicâ Romanâ, quod facilè deprehendet qui utriusque facti rationes conferre velit.

Secundò, ex loco libri 4 Reg. in objectione laudato, nullo modo colligi potest non aliud superstes fuisse legis exemplar, præter istud in templo inventum: nihil aliud profectò in illo loco legitur, nisi quòd Moysis autographum repertum fuerit in templo ad latus arcæ, ubi positum fuerat à Moysæ. Nam constat ex cap. 55 Paralipomenon, Helciam pontificem dimovisse arcam ex loco suo; quòd summus ponti-

fex venerandum illud volumen ad regem statim miserit; quòd rex pietate motus voluerit legem ex illo sacratissimo volumine audire; quòd idem princeps Moysis vaticiniis et comminationibus attentorem mentem præbens (videbatur enim sibi audire ipsum Moysen loquentem), perterritus fuerit, quasieritque in pietate et studio legis remedium malis presentibus; quòd denique ad excitandam populi pietatem sanctum inierit consilium recitandi ex illo volumine coram totâ multitudine verba legis. Falsò igitur supponitur in objectione, lege inventâ, stupore percussos fuisse summum pontificem et regem; imò ex narratione potius sequitur non obtigisse rem inexpectatam. « Dixit autem Helcias ad Saphan scribam: « Librum legis reperi in domo Domini, deditque Helcias volumen Saphan, qui et legit « illud. Venit quoque Saphan scriba ad regem, « et narravit regi dicens: Librum dedit Helcias sacerdos mihi; quem cum legisset Saphan coram rege, et audiisset rex verba legis « Domini, scidit vestimenta sua. » Non ergo libri inventio, sed verba legis commoverunt regem, neque lætitiâ, sed terrore affectus fuit. Deinde non dixit Josias, ut in objectione supponitur: « Stillavit super nos magnus furor Domini, eò quòd non *noverint* patres nostri verba Domini, sed quòd non *custodierint* patres nostri verba Domini, ut facerent omnia quæ scripta sunt in isto volumine. » Ex quibus verbis sequitur potius cognita fuisse patribus suis verba voluminis istius; aliâ profectò inobedientiæ rei non fuissent. Denique ex eo quòd rex novum fœdus hæc occasione percusserit, et adjuraverit populum ut suscitaret verba legis, non sequitur legis memoriam nullam fuisse; nam idem præstitère Josaphat, Joas et Ezechias, quorum temporibus ineptè diceretur legem oblivione deletam fuisse. Regis igitur terror ortus est ex diligentiori consideratione vaticiniorum Moysis, qui cunctas abominaciones Manassis avi sui et Amon patris prædixerat. Nam hi principes ea omnia fecerunt, quæ erant lege prohibita; ædificaverunt excelsa, erexerunt aram Baal, fecerunt lucos, adoraverunt omnem militiam cœli, transire fecerunt filios suos per ignem; observabant somnia, sectabantur auguria, maleficiis inserviebant, etc. Timuit ergo Josias, non sine causâ, ne suo tempore ingruerent ea omnia mala, quæ in pœnam istorum scelerum pronuntiata à Moysæ audiebat; et verissimiliter hoc præcipuè versiculo Deuteronomii commotus fuit, ubi fata

successorum Josiæ clarè prædixit Moyses: « Ducet te Dominus et regem tuum, quem « constitueris super te, in gentem quam ignoras tu et patres tui, et servies ibi diis alienis, « ligno et lapidi, et eris perditus in proverbium « ac fabulam omnibus populis ad quos intro- « duxerit te Dominus. » Summo studio igitur omen avertere conatus est pius princeps, omnia instituendo accuratissimè juxta exemplar legis ipsâ Moysis manu exaratum. Duxi operæ pretium diligentius hanc objectionem expendere et confutare, quòd exquisitissimi judicii vir Prideauxius in historiâ suâ Judaicâ contrariam amplexus sit sententiam, aliosque in errorem traxerit, quem equidem œcnico gravissimum, quia si ullam haberet verisimilitudinem, non parùm elevaret pondus et vim nostrarum rationum.

ARGUMENTUM III. — *Ex antiquissimæ ætatis notis internis.*

Liber ille notas omnes habet scripti authentici et Moysiæ ætatis, in quo antiquissimæ illius ætatis mores, factaque historica continentur, et in cujus contextu nihil planè invenitur quod recentiorum sapiat ætatem; qui nullas apud Judæos leges aut consuetudines exhibet, quæ Moysiæ ævo non obtinuerint; in quo legum omnium atque consuetudinum rationes sunt admodum convenientes, et ut vulgò dicimus, naturales, quales institutorem Moysen afferre decebat; cujus ipse stylus indicia multa habet ætatis antiquissimæ, et universus contextus longissimè distat ab omni vanitatis specie. Impossibile planè est ut in his omnibus recentior aliquis impostor non prodât fraudem et falsitatem suam. Atqui primò in illo libro perfectè referuntur mores illius ætatis antiquissimæ, et omnia facta historica accipiunt ex profanis scriptoribus confirmationem. Plurima ibi leguntur de variorum populorum originibus, de eorundem migrationibus, de imperiorum et urbium exordiis; multa quoque geographica, itinera et mansiones patriarcharum; quæ omnia censoriæ animadversioni vastissimum campum aperiunt, in quibus tamen omnibus nihil castigatione dignum reperias, uti cum summâ doctrinæ et eruditionis laude confecit Bochartus in Geographiâ sacrâ. Quæ ibidem referuntur de vetustissimorum hominum simplici vitæ ratione, de eorum hospitalitate, de conviviis atque dapibus, de mulierum in vitâ domesticâ officiis, de vestibus, de funeribus et sepulturæ ritibus, de anni atque mensium

divisione, de monumentis et columnis, de armis et belli universo apparatu, de fœderum cœremoniis, de altaribus, de sacrificiis, aliisque ritibus sacris; quæ speciatim narrantur de Ægypto et illius gentis opibus, potentiâ ac consuetudinibus; omnia hæc ex Homero, Hesiodo, aliorumque vetustissimorum auctorum fragmentis; ex Herodoto, Diodoro Siculo et cæteris historicis confirmantur, uti quamplurimi demonstrarunt. Illane singula cum tantâ diligentâ, tamque accuratè describere potuisset auctor recentior? (Vide Jacquelot, *de l'Existence de Dieu.*) Secundò nihil planè in ejusdem libri contextu est, ex quo conjectura ulla capi possit illum librum à recentiore aliquo, non dicam conscriptum, sed ne interpolatum quidem: verbi gratiâ, nihil de Jerosolymis, nec de monte Sion, nec de templo; nihil de duobus regnis Judæ et Israel, nec de illis imperiis, cum quibus postea bella et fœdera habuère Hebræi; sed de tabernaculo, de arcâ fœderis, de instrumentis omnibus sacris, fusè scriptum est, ut decebat in commentariis illius cujus jussu erant fabricata. Sic etiâ ordo, quem in metandis castis et perfectionibus duodecim tribus servare oportebat, diligenter definitur, uti necesse fuit, in constitutionibus illius, qui istas tribus ex Ægypto duxerat. Ibidem diarium quoddam habemus rerum gestarum in solitudine, ut conveniebat maxime in commentariis ejus, qui per annos quadraginta Israelitis in deserto præfuit. Hisce omnibus tamdiu non immoratus fuisset recentior aliquis impostor, et alias historie Judaicæ artes, v. g., historiam judicium, tam mutilam, sine dubio amplificasset. Tertio consuetudines omnes, legesque variæ, quæ in Pentateucho leguntur, reverè servatæ fuerunt ab ætate Moysis ad ultima reipublicæ tempora; neque una lex est, cujus recentiorum originem evincere possunt adversarii; imò ne hoc quidem tentarunt, sed universi militant sub Marshami et Spenceri signis, contenduntque illos omnes legis Mosaicæ ritus ab Ægyptiis aliisque populis usurpatos Moysis temporibus fuisse, ut nempe concludant Moysen illas gentes esse imitatum. Sed profectò ex hæc ipsâ eorum sententiâ argumentum nos arripimus pro earundem legum et consuetudinum antiquitate. Quarto origines omnes, atque rationes legum ita sunt convenientes, et ut ita dicam, naturales, ut à recentiore aliquo, quantumvis ingenioso et diligenti, excogitari nequaquam potuerint: vel ita cum institutis ipsis congruit institutorum historia, ut nequa-

quam dividi possint. Quid, quæso, significare poterunt lex de primitiis, ritus agni paschalis, tabernaculum, arcæ fœderis, etc., præter id quod in Pentateucho scriptum est? Cur Ruben, Simeon et Levi jure primogenituræ privantur, nisi propter causas ibidem relatas? Et tamen hæc eorum omnium significatio talis est, ut a recentiore aliquo vix ex conjecturâ tam accuratè inveniri potuisset. Quintò ipse stylus multas habet notas antiquissimæ ætatis: nam multæ formæ loquendi novæ, quas usurparunt scriptores sub Davide et Salomone, quæque occurrunt in posterioribus Scripturæ libris, nusquam in Pentateucho reperitur: et etiâ plures voces sunt in Pentateucho usurpatæ, quæ posterioribus ætibus exoleverunt. Plura exempla nōrunt hebraicæ lingue periti, qui varios Scripturæ libros secum invicem contulerunt. Præterea in Pentateucho, cur tam sæpè leges et præcepta singula inculcantur? Cur præter legem habemus breviarum legis? Cur præter historicam legis datæ narrationem, habemus quoque luculentum Moysis ad populum sermonem, nisi quia opus est illius, qui per annos quadraginta omni ope elaboravit, ut hæc leges Judæorum animis altius indigeret, eorumque usui familiari accommodaret? Sextò denique tota orationis series Pentateuchum authenticum pronuntiat, et ab omni absolvit suppositionis suspicione: in illâ quippe elucet candida simplicitas, pietas in Deum sincera, summum virtutis studium: admiramur in illo libro singularem in confitendis principum et plebis peccatis ingenuitatem, et in reprehendis sanctam severitatem; nullum est dissimulationis vestigium, nulla adulationis aut assentatio ad captandam hominum benevolentiam, nulla ad excitandos vulgi plausus orationis vanitas; quæ partes esse solent impostoris.

Objicies 1^o. Pentateuchus nequaquam habet notas libri authentici, et multa probant scriptum non fuisse à Moysè. 1^o Auctor Pentateuchi de Moysè ita loquitur, quasi alia persona sit. Utitur nempe tertiâ personâ, ut facere solet is qui alterius vitam scribit. 2^o In Pentateucho Moyses variis ornatur egiis: legitimus enim quoddam fuerit vir mitissimus, homo Dei, propheta, cum Deo quàm familiaris: quæ Moyssem de seipso scribere modestia vetuisset. 3^o Multa in Pentateucho occurrunt, vel obscura, vel inordinata, vel mutila, multa brevius narrata quæ cœvus scriptor sine dubio clariùs et fusius retulisset. 4^o In textu mutais sunt multa: nam variæ sunt et diversæ lectio-

nes; exemplum Judaicum differt in aliquibus ab exemplo Samaritano: præterea antiquissimæ illius libri versiones haud parùm discrepant. Ergo non constat, nec illius libri authenticitas nec integritas.

Respondeo nihil tantam afferre causæ nostræ auctoritatem, quantam afferunt vanissimæ illæ objectiones adversariorum, quas cum eadem quæ exposuimus, brevitate refellemus. 1° Si suppositionis indicium sit quando auctor de se ipso tanquàm de alienâ personâ loquitur; supposititios igitur dicemus et Cæsaris commentarios, et Cyri expeditionem adornatam à Xenophonte, et Josephi libros de bello Judaico, et Procopii historiam, nec non omnes fermè novi Testamenti codices, in quibus omnibus Cæsaris, et Xenophontis, et Procopii, et Matthæi, et Lucæ, et Joannis, etc., mentio fit in tertîâ personâ, tanquàm diversarum ab ipsis scriptoribus personarum. Negabunt sine dubio adversarii; sed quam, quæso, singularem vim adversùs Mosaicum Pentatheucum habet istud argumentum? 2° Moyses quidem dixit se hominem mitissimum, dixit se prophetam, sicut aliis in locis, pro suo candore, errata sua agnoscit: sed nullo modo à modestiâ abest, ad se defendendum aliquando verba facere in commendationem sui, præcipuè cùm necesse est multitudinis habere existimationem. Hoc egit Paulus Apostolus, qui ab existimatione hominum per vanitatem orationis captandâ maximè abhorruit, et cujus hæc est adversùs vanam gloriam sapientissima sententiâ: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Sic Josephus historicus Judæorum omnium prudentissimum esse se quandoque significat, neque idcirco ab eo libros ipsius abjudices. 3° Multa sine dubio in istis libris obscura sunt, quæ in illis non invenirentur, si recentioris essent ætatis, si à perito aliquo impostore fuissent confecti, si aliquid ad tollendas difficultates adjicere religio, quæ colebantur isti libri, non vetuisset. Sunt itaque difficultates, sed quas parit longa ætas, cùm locorum nomina mutata sunt, quando nulla fermè remanet temporum memoria, neque corrigi possunt errores quos in exemplis conciliendis amanuensium haud rarò parit negligentia. Sed obscuritas illa tangitne ipsam historiæ et religionis quasi substantiam? nequaquam: omnia optimè cohærent. Quod igitur obscurum est in libris sacris eorundem antiquitatem præstat magis venerabilem. Quæ etiam brevità sunt narrata, ea in Genesi præsertim reperiuntur,

et Moyses, non ut cœvæ scriptor, sed ex traditione illâ memoriæ prodidit. Atqui hæc ipsæ breviores annotationes novum argumentum suppeditant pro ejusdem libri antiquitate, quia de illis nunquàm cogitasset recentior aliquis scriptor. Verbi gratiâ, Gen. c. 11, v. 29, notatur quòd *Aran fuerit pater Jeschæ*: neque ullam causam videmus cur inter omnes alias mulieres hujus mentio facta sit. Ibid. c. 36, v. 24, de Ana hæc legitur observatio: *Iste est Ana qui invenit aquas calidas (Jamin juxta 70 interpretes, gigantes juxta Chaldaicam paraphrasim), in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris sui.* Ibid. v. 37, in catalogo regum Idunæorum uxor solius Adar nominatur; et appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred, filia Mezaab. Anne hæc annotationes, pluresque ejusdem generis apposuisset Esdras post captivitatem? Annon manifestum est factas esse à Moysæ, quòd hæc nomina suo tempore magis essent apud Judæos celebrata? 4° In textu hebraico variæ sunt lectiones, versiones non consonant, exemplum Judaicum et Samaritanum discrepant. Ergo, aiunt adversarii libri supposititii sunt, vel quod eòdem redit, corrupti. Inepta profectò conclusio! Illæ varie lectiones non rem afficiunt principalem? Numquid non eadem historia in omnibus exemplaribus, eadem leges, eadem vaticinia, eadem doctrina? « Hoc ipsum affirmare possum (inquit ipse Spinosa c. 9) me nullam animadvertisse mendam, nec lectionum varietatem circa moralia documenta, quæ ipsa dubia reddere possunt (1) » Quid ampliùs ad hominum informationem necessarium fuit? Quòd ampliùs à divinâ providentiâ efflagitare possumus? Parùm profectò nostrâ refert, his in tuto positis, illa lectionum varietas. Deinde istæ variæ lectiones, unde natae sunt nisi ex antiquitate libri, quem multoties in tot seculis describere necesse fuit? Imò ostendunt illæ potiùs Judæorum erga hunc librum religiosos animum, quia probant illos nunquàm ausos esse aliquid ex conjecturâ corrigere, sed secutos esse scrupulosè fidem exemplorum: proindeque efficiunt contra Deistas, à Judæis nihil unquàm fuisse in istis libris immutatum. Quod ad versiones

(1) Non minùs ex iis, quæ supra disputata sunt, planum est id quod statim libri primò initio monuimus, et sæpiùs toto opere inculcavimus, varias lectiones levissimè esse ac penè nullius momenti, ut parùm admodum intersit, aut verò perinde omnino sit, utram sequaris, sive hanc, sive illam. Lud. Capellus, Crit. sacr. l. 6, c. 2.

atinet, quæ, quæso, nota suppositionis et novitatis est, quòd lingua Hebraica tam antiqua sit, ut vocum potestas et proprietates, aut sententiarum elegantia verti accuratè nequeat? Denique differentia inter exemplum Judaicum et Samaritanum, quid aliud apud æquum rerum estimatorem efficiet, nisi unum ab altero potestem temporibus non fuisse desumptum?

Objicies 2^o: Illorum librorum auctor esse Moyses nullo modo potest, in quibus plurima occurrunt locorum nomina, post Moysis tempora, iisdem locis imposita; plura etiam historica facta Moysis aëvo recentiora, et quorum præterea auctor satis clarè significat se vixisse in terrâ Chanaan, quam nunquam ingressus est Moyses. Atqui, etc. 1^o Quidem plurima sunt in Pentateucho locorum nomina, quæ iudè illis locis imposita post mortem Moysis. Genesios c. 10, mentio fit *Ninive*: *De terrâ illâ*, inquit scriptor, *egressus est Assur, et edificavit civitatem Ninive*; atqui illam urbem non nisi post Moysis obitum à Nino, Assyriorum rege, nomen istud accepisse scribit Strabo in Geographicis. Ejusdem libri c. 14, nomen occurrit Chaldæorum. Atqui istud nomen erat ignotum ante Moysen. Tunc enim regio Chaldæorum dicebatur *Padan Aram*, ut patet ex Genesios c. 25 et 28. Aliunde, juxta Dicæarchum, sic vocati sunt Chaldæi à Chaldæo, decimo quarto post Ninum rege. Ibidem c. 14, legimus Abrahamum persecutum esse reges, qui captivum Loth abduxerant, usque Dan. Atqui istud nomen urbi priùs *Lais* dictæ datum est post mortem Josue, quando scilicet capta fuit à sexcentis viris de tribu Dan. *Hanc rursum extrahentes*, inquit auctor libri *Judicum* c. 18, *habitaverunt in eâ, vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel; quæ priùs Lais dicebatur*. Ibidem c. 22, mons *Moria*, in quo Deus jubet Abrahamum immolare filium suum, vocatur mons *Dominus videbit*; atqui mons ille tunc demùm sic dictus fuit, quando templum ibi conditum est. Ibidem c. 33, commemoratur civitas *Hebron*, quæ nomen istud accepit ab Hebrone, filio *Caleb*, post mortem Moysis, cùm antea *Cariath Arbe* vocaretur, uti colligitur ex libri *Josue* c. 14: *Benedixit ei Josue et tradidit ei Hebron in possessionem: atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone usque in presentem diem, quia secutus est Dominum Deum Israel: nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe*. Ibidem cap. 40, *Joseph* alloquens eunuchum *Pharaonis* vocat regionem *Chanaan* terram *Hebræorum*. Atqui hæc formâ loquendi, neque *Joseph*, neque

Moyes uti potuit, cùm nondùm essent *Hebræi* potiti illâ terrâ et unicâ tantùm domo tempore *Joseph* continerentur. *Deuteronomii* c. 41, legitur nomen *Galgala*, quo donatus est locus ubi circumcisi sunt *Israelitæ*, qui in terram *Chanaan* ingressi fuerant post mortem *Moyse*: *Postquam omnes circumcisi sunt*, inquit auctor libri *Josue* c. 5, *manserunt in eodem loco donec sanarentur; dixitque Dominus ad Josue: Hodie abstulit opprobrium Ægypti à vobis. Vocatum est nomen loci illius Galgala usque in presentem diem*.

2^o *Pentateuchi* auctor quamplurimos eventus qui post mortem *Moyse* contigere, narrat. *Genesios* c. 12 et 13, observat auctor illorum librorum tempore *Abrahæ Chanaanæus* in terrâ *Chanaan* fuisse: *Chanaanæus autem tunc erat in terrâ*, ait c. 12. *Eo autem tempore Chanaanæus et Pheresæus habitabant in terrâ illâ*, ait c. 13. Ergo quo tempore scribebat, pulsî jam ex terrâ suâ fuerant *Chanaanæi*; aliàs inutilis prorsus et supervacanea fuisset præfata observatio, sed nonnisi post mortem *Moyse* delicti sunt *Chanaanæi*, aut pulsî terrâ suâ. Ejusdem libri c. 36, recensentur octo reges *Idumæorum*, qui regnaverunt in terrâ *Edom*, antequàm haberent regem filii *Israel*; deinde undecim numerantur duces, qui ejusdem terræ incolis præfuerunt ad illud usque tempus procul dubio, quo *Idumæam* universam ditioni suæ subjecit *David*. Nam *Idumæi* non habère duces, nisi post mortem *Moyse*; et etiãsi habuissent, tot habere non potuissent à tempore *Esau* usque ad *Moyse* statem; et præterea illa verba, *antequàm haberent regem filii Israel*, clarissimè conticiunt illa scripta fuisse, cùm jam haberent regem filii *Israel*. *Exodi* c. 16, indicatur tempus, ad quod usque *manna* comederunt *Israelitæ*: *Filii Israel*, inquit auctor, *comeerunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti sunt usquequò tangerent fines terræ Chanaan*. Atqui etiã post obitum *Moyse* *manna* comederunt filii *Israel*, et nonnisi post circumcisionem peractam tempore *Josue* in *Galgali* terræ *frugibus* uti ceperunt. *Deuteronomii* c. 2, hæc leguntur: *In Seir priùs habitaverunt Horritæ, quibus expulsis atque deletis habitaverunt filii Esau; sicut fecit Israel in terrâ possessionis suæ, quam dedit illi Dominus*. Jam verò terra possessionis *Israelitarum* est terra *Chanaan*, in quâ, vivente *Moyse*, nunquam habitaverunt. Ejusdem libri c. 3, *Og* regis *Basan* ingens statura ex ejus lecti ferrei magnitudine à *Pentateuchi* auctore probatur: *Solus quippe,*

inquit, *Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum; monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Quo tempore gigantis illius lectus sic monstrabatur, jam dudum ipse procul dubio fato functus fuerat: sed Moysis cœvus fuit rex ille Basan, et omnes Israelitæ illum post victoriam prostratum viderant. Unde etiam factum est, ut lectus ille, non in Basanide terrâ viseretur, sed in urbe Ammonitarum Rabbatha, nisi ex temporis longitudine quæ omnia mutare consuevit? Ibidem v. 14, legimus: *Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob, usque ad terminos Gessuri et Machati, vocavitque ex nomine suo Basan Havoth-Jair, (id est, villus Jair) usque in præ-entem diem.* Quæ ultima verba significant hæc scripta fuisse longo post Moysen tempore. Ejusdem libri capite ultimo referuntur Moysis obitus, sepultura, Hebræorum luctus, susceptaque à Jesue Hebræicæ reipublicæ administratio; quæ omnia à Moysæ scribi profectò non poterunt.

3^o Denique auctor Pentateuchi, satis clarè significat Deut. c. 1, se in terrâ Chanaan versari, Moysen verò in campestribus Moab trans Jordanem populum allocutum esse: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem, in solitudine campestri.*

Respondeo 1^o: Distinguo majorem: florum librorum auctor non est Moyses, in quibus primitiis conscribendis quædam loca iis donata nominibus fuerunt, quæ non nisi post ejus mortem habuerunt, et commemorata nonnulla facta historica ejusdem Moysis ævo recentiora, concedo. In quorum jam dudum editorum exscribendis exemplaribus nova in lectorum commodum addita sunt, aut in veterum locum substituta locorum quorundam nomina, et inserta quædam ad narrationis perfectionem atque expositionem historica facta Moysis ævo recentiora, subdistinguo: Tot nova addita sunt, ut ex iis additionibus maximè ex parte constare videantur dicti libri, et ideò simpliciter et absolutè dici possunt diversi à libris legis in origine reipublicæ editis, concedo: paucissima tantùm addita sunt, nego. Demus igitur pauca quædam à posterioribus Prophetis addita esse libris Moysis, sed quæ, quæso, sunt istæ additiones? Num aliqua lex aut constitutio nova, an ritus aliquis? An dogma, an miraculum, an prophetia aliqua? Nequaquam: tatis mutationis nullum vestigium. Quid igitur additum est? Adjecta est libris Moysis illius

mortis descriptio, et brevis eximii viri laudatio, ut in infinitis aliis factum videmus: urbium nominibus jam exoleis, recentiora nomina quandoque substituta sunt, qualia sunt juxta aliquos ista *Dan et Galgala*: quædam alia per parenthesis, quæque nullam habent cum historiâ necessariam conjunctionem, inserta quibusdam videntur à recentiori manu, ut illa: *Chanaanus tunc erat in terrâ... filii Israel comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan... Monstratur lectus ejus ferreus, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Quasi verò una aut altera istiusmodi annotatio vel parenthesis in margine librorum verisimiliter scripta primùm, et deinde in textum ab amanuensibus inserta ullam habeat vim ad convellendam libri antiquitatem, tantis confirmatam rationibus. Multorum certè judicio novum suppeditant argumentum non fuisse ab impostore sub Moysis nomine confictum Pentateuchum. Quis enim tam parùm sibi constans supponi potest, ut inutiles quasdam inserat notaciones, quæ fraudem suam omnibus patefaciant? Præterea animadvertendum est additiones istas antiquissimas esse, nec fuisse factas ab Esdrâ: nam reperiuntur in Pentateucho Samaritano, quo utebantur Israelitæ post secessionem à familiâ David, proindeque ante Roboami tempore jam factæ fuerant.

Respondeo 2^o: Nego minorem, et dico cum multis eruditus viris ea omnia loca, quæ afferuntur tanquam recentioris ætatis iudicia, potuisse ab ipso Moysæ describi.

Et 4^o quidem illa omnia vocabula in objectione laudata, etiam tempore Mosis usitata fuere. Quæ de Ninive ab auctoribus profanis narratur ea sunt valdè incerta, nec in rebus historicis ulla est scriptorum ethnicorum, ubi cum Moysæ dissentiant, auctoritas, ut sequenti articulo conficiemus. Deinde nulla est in hæc parte Moysis et profanorum scriptorum dissensio. Nam juxta celeberrimos chronologos Eusebium et Petavium, Ninus vixit temporibus Abrahamæ.

Falsum quoque est Chaldæorum nomen ante Moysen notum non fuisse; Chaldecam que eo tempore vocatam esse Padan Aram. Nam certum est per Padan Aram designari solummodò apud Moysen Mesopotamiam Syriæ, non Chaldecam: et Genesis c. 22, v. 2, legimus quòd Nachor et Melcha filium habue-

rint cognomine Chased, quod nomen idem est in Hebræo ac nomen Chaldæorum : nam Hebræi Chaldæos vocant *Chasdim*, quæ vox est numerus pluralis vocis *Chased*, à quo propagati fuere Chaldæi. Ad id quod additur ex Dicearcho, dico illum dubitanter loqui; utitur enim voce, *ferunt*, et verba facere præterea de Chaldæâ meridionali, Moysen verò de septentrionali, ut ex utriusque verbis patet. Nomen autem *Dan* vetustius Mose est; nam Moysis temporibus nomen Jordan erat impositum fluvio ad cujus ripas cum Israelitis consedit, sed ex Josepho et sancto Hieronymo discimus istud vocabulum *Jordan* compositum esse ex duobus vocabulis *Jor* et *Dan*, quibus duo fontes fluvii nuncupabuntur. Id si sit, certè antequàm urbi Lais nomen Dan indidissent Danitæ, alter fontium Jordanis Dan nomen habuit. Hunc ergo Dan fontem significare potuit Moyses, cum diceret Abrahamum usque ad Dan hostes esse persecutum.

Falsum est civitatem illam, quæ Cariath Arbe vocata olim fuerat, Hebronis nomine donatam fuisse à filio Caleb, quippe quæ sic appellata dicitur Josue c. 11 et 12, priusquàm ab illo Moysis successore eidem Caleb traderetur. Imò longè verisimilius videtur traditæ sibi urbis nomen uni è filiis suis imposuisse Caleb, quemadmodum et alios ejus nepotes, cæterarum ab Israelitis tunc temporis expugatarum civitatum nominibus, Ephrata, Bethleem, Cariathiarim, Bethgader appellatos legimus libro 1 Paralipomenon c. 2 : *Hi erant filii Hur, primogenitus Ephrata, Sabal pater Cariathiarim, Salmâ pater Bethleem, Hariph pater Bethgader*, et sanè c. 15, Hebron dicitur condita septem annis ante Tanim, urbem Ægypti antiquissimam. Potuit igitur per plurima secula Cariath-Arbe vocari, et ante Moysis ætatem aut ejus ævo nomen Hebron sortiri. Quod verò spectat ad montem Moria, cui nomen *Dominus videbit* à templo inibi condito adeoque post Moysis tempora impositum dicitur, negamus montem illum sic appellatum unquàm fuisse. Certè tale ei nomen inditum fuisse neque alibi neque etiam hic affirmat Scriptura. Textus enim Gen. c. 22, v. 14, qui in vulgatâ versione aliquatenus obscurior est, verti, ut probat Cl. Houbigantius, ex Hebræo hunc in modum potuisset : *Appellavitque Abraham nomen loci illius, Dominus videbitur* יהוה ירא, *dixit enim : Hodè in monte Dominus videbitur*. Adcò ut, uti idem diligens scriptor acutè observat. fuerit mons ille ab Abrahamo idecirò appellatus, *Do-*

minus videbitur, quòd eodem ipso in monte omnibus se videndum præbiturus esset Dominus, pro genere humano victima olim futura, cujus insignem typum in immolatione Isaac mox viderat. Hanc interpretationem eò libentius amplectimur, quòd non modò omnem tollat difficultatem, sed quòd ea, quæ de antiquitate Religionis christianæ inferiùs dicturi sumus, mirum in modum confirmet : de istâ explanatione plura infra dicemus. Joseph etiam terram Chanaan nomine terræ Hebræorum jure potuit appellare. Nam Abrahami filii et nepotes qui Hebræi erant et dicebantur, et in terrâ illâ sedes fixerant, jam in magnum excreverant numerum, et vicinis gentibus eo nomine cogniti erant; et cum terram Hebræorum diceret Joseph, ignorare non potuit princeps Ægyptius quam terram significaret; perindeque ipsi fuit ac si dixisset Joseph : Furto sublatus sum de terrâ in quâ postremis hæc annis sedes posuere viri Transeuphratenses seu Hebræi. Denique, quod attinet nomen Galgala, nullo argumento efficitur locum hoc nomine donatum à Moysen in Deuteronomio eundem esse cum illo, qui sic postea dictus est à Josue : ex eo quòd Josue hoc nomen loco dederit, non sequitur non fuisse alium locum eodem nomine olim dictum.

2º Pentateuchi auctor nullas res post Moysis obitum gestas narrat. Id non efficitur ex istâ annotatione c. 12 Genesis : *Chanaanæus tunc erat in terrâ*. Nam istius sententiæ hic sensus est, Chanaanæos jam tunc fuisse in illâ terrâ. Fatetur ipse Aben Ezra, quem in causâ suâ patronocinium solum laudat Spinosa, hunc sensum verbis tribui posse. Neque enim sine causâ notavit Moyses Chanaanitidem terram jam tunc invasisse Chanaanæos ante Abrahamæ adventum. Quippe id ignorare poterat chronologica rei imperitus lector, cum paucissimi Chanaanæorum inter et Abrahami adventum intercesserint anni : qui nisi motius fuisset cum quâ deinceps gente victurus esset Abraham, obscuram tantùm et implicitam rem habuisset notitiam. Id non efficitur ex Gen. c. 36, ubi recensentur reges et duces Idumæorum. Illi enim omnes qui ibi numerantur reges atque duces, vel Moysis æquales fuere, vel ante ipsum vixerant : nam intervallo 200 annorum, qui ab Esau Idumæorum patre usque ad Moysis ætatem elapsi sunt, octo certè reges imperare potuerunt, et juxta ordinariam naturæ cursum regnare debuerunt, præsertim cum non hereditario jure principatum obtinuerint, sed ex di-

versis regionibus vel familiis oriundi ad regnum assumpti sint vel illud invaserint. Legimus enim quòd Bela mortuo, non filius, sed Jobab successerit : mortuo Jobab suffectus fuerit Husam de terrâ Themavorum, et sic de cæteris. Undecim verò duces qui ibidem numerantur, non alius post alium universis terræ Edom incolis, sed simul omnes variis provinciis præfuisse significantur his verbis : *Hæc nomina ducum Esau in cognationibus et locis et vocabulis suis*; versu ultimo : *Ii duces habitantes in terrâ imperii Edom*. Fuerunt ergo fortassè Idumæorum illi duces regum successores, et omnes Moysis æquales : vel fortassè, ut aliis placet, suas familias vel provincias sub imperio regum administrabant. Falsò asseritur in objectione Idumæos non habuisse duces nisi post mortem Moysis. Nam eorum mentio est in cantico Moysis post transitum maris Rubri composito : *Tunc conturbati sunt principes Edom*. Denique ubi dicitur *reges plures regnasse in terrâ Edom antequàm Israelitæ regem haberent*; sensus non est illos reges regnavisse ante Davidem, sed antequàm solutâ captivitate Ægyptiacâ in unius reipublicæ corpus Judæi adunarentur, et à Moysè, ejus regimen monarchicum fuit (quippe rex dicitur Deut. c. 33 v. 5) regerentur.

Id non efficitur ex c. 16 Exodi, ubi filii Israel dicuntur comedisse manna *quadraginta annis, usque dum venirent in terram habitabilem, et tangerent fines terræ Chanaan*. Hæc enim à Moysè scribi potuerunt etiam sine prophetica facultate. Nam reverà per quadraginta annos, vivente Moysè, in deserto manna comederant Israelitæ, neque dicit Moyses in illo loco manna isto tempore, quo scribebat, jam defecisse. Præterea rem post obitum suum statim eventuram et optimè sibi compertam scribere potuit Moyses. Sciebat enim statim post obitum suum introducendos esse Israelitas à Josue successore suo in terram Chanaan, et illum cibum cœlitus delapsum, datum solummodò fuisse ob deserti sterilitatem. Id non efficitur ex istis verbis c. 2 Deut. : *In Seir autem primò habitaverunt Horrai, quibus expulsi atque deleti habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terrâ possessionis suæ, quam dedit illi Dominus*. Nam vivente Moysè, tribus Ruben et Gad ac dimidia tribus Manasse regiones illas jam occupabant, quas, devictis Amorrhæis et Basanitis, ditioni suæ subjecerant Israelitæ (1), juxta illud Deut. cap. 3, v. 12 : *Terram possedimus tempore illo*

(1) Unde sic potest reddi textus hebræus : *Sicut sicut Israel in terrâ possessionis suæ, quam*

ab Arœer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad, et civitates illius dedit Ruben et Gad, reliquam autem partem Galaad et omnem Basan regni Og tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob.

Nullius habere debet admirationem quòd Moyses regis Og ingentem staturam ex lecti ejus magnitudine probet. Nam etsi Israelitarum magna pars regem Og vel vivum vel cæsum spectasset, tamen plures ex ingenti eorum numero, pueros, senes, feminas, ægrotos, absentes spectaculo huic non interfuisse, verisimile est. Præterea non suæ solùm ætatis Hebræis historiam scribebat Moyses, sed eorum posteris; hos ergo, ut de portentosa gigantibus illius mole faceret certiores, quæ creditu difficilis erat, lectum ejus prostrare scripsit in Rabbath. Neque etiam admirari quis debet, quòd illius gigantibus lectus jam tempore Moysis illuc delatus fuisset ex Basaniticâ regione : nam Og prælaturus adversus Israelitas, et eventum reformidans, domesticum instrumentum et pretiosam suppellectilem in tuto collocare potuit apud Ammonitas, quos sciebat Israelitarum armis fore intactos : vel post victoriam, ex venditione, ad Ammonitas fortassè translatus est eum aliis rebus lectus ferreus (1). Istius phrasis, *usque in hodiernum diem*, qua in eodem cap. Deut. reperitur, non ea vis est apud Hebræos ut significet diuturnum jam elapsam temporis intervallum, ut patet ex his aliis ejusdem libri locis : *Cognoscite hodiè que ignorant filii vestri signa et prodigia que fecit in medio Ægypti Pharaoni regi et universæ terræ ejus, omnique exercitui Ægyptiorum, equis ac curribus; quomodò operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in presentem diem*. Sic quoque sanctus Matthæus eadem phrasi utitur cum rem suo tempore gestam narrat : etenim postquam retulit principes sacerdotum triginta argenteos insumpsisse in eisdem agro in sepulturam peregrinorum, hæc addit : *Propter hoc vocatus est ager Iaceldana, hoc est, ager sanguinis usque in presentem diem*. Ex quibus locis patet illam phrasim idem significare ac ista, *ab illo tempore*.

nunc dat illi Dominus : quo posito difficultas nulla erit.

(1) Cùm referatur capite præcedenti Deut. 2, 21, quosdam gigantes fuisse ab Ammonitarum viciniam fuisse ab ipsis prælio aliquo superatum, lectumque ejus ferreum fuisse inter prædas Ammonitarum. Vid. clariss. Houh.

Quod ad interitûs Moysis, ejusdem sepulturæ, et Hebræorum luctûs narrationem atinet, nemo efficiet illa ab ipso Josue non fuisse conscripta; vel initium non esse ipsius libri Josue: certè benè terminatur Deuteronomium per benedictiones et preces à summo illo legislatore pro duodecim tribubus fusas, quas legitur capite penultimo ejusdem libri, atque caput Deut. ultimum aptum exordium est libri Josue, quem nisi ab isto capite ordiamur, habebit satis abruptum exordium à particulâ copulativâ, et: abstractum fuit hoc exordium libri Josue, et adjectum fuit Deuteronomio, libro manuali, quem nocturnâ diurnâque manu versare tenebantur Israëlites, ut complementum aliquod libro Moysis adderetur, et haberet quisque universam Moysis historiam.

3^o Male colligeretur ex istis verbis Deut. cap. 1: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Jordanem*, scriptorem versatum esse in terrâ Chanaan, nam vox Hebræa בעבר *Beheber*, quæ vertitur in Vulgatâ editione, *trans Jordanem*, significat in *transitu*; quandoque ceteriora, quandoque ulteriora designat, ut nôrunt omnes qui addiscendis litteris Hebræis operam dederunt. Hincque in ipso Deuteronomio sæpè ad tollendam ambiguitatem adjiciuntur hæc alia verba, *ad orientalem vel occidentalem partem*. Deut. cap. 5, Moyses res gestas Israelitarum narrans ait: *Tulimus in illo tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum qui erant Beheber Jordanem*, id est, *cis Jordanem*: nam Og, rex Basan, et Sehon, rex Hesebon, Amorrhæi erant ex eadem Jordanis parte cum Moysè (1). Retorqueri etiâ potest argumentum, ut notavit Huetius: etenim postremo Genesis capite hæc habemus: *Venerunt ad aream Atad, quæ sita est trans Jordanem*; et deinde: *Et idcirco vocatum est nomen loci illius planctus Ægypti, qui est trans Jordanem*. Si Pentateuchum scripsit Esdras in Chanaanâ ad occasum Jordanis, ut vult Spinosa, loca hæc ad orientem Jordanis quaerenda erunt, quæ tamen ad occasum Jordanis sita esse constat. Contra verò si Moysen libri auctorem dicamus,

(1) Præsentem expedit difficultatem alio modo Cl. Houbig. Bib. heb. t. 1, pag. 539, ריפאן בעבר *Beheber Haiarden*, id est, *ad ripam Jordanis*. Nam ea est hoc quidem loco, vis præpositionis בעבר *Beheber*, quæ non habet ripam, nec ceteriorem, nec ulteriorem, sed tantùm ripam, quia tangitur Jordanis, non ut trajectus, aut ut trajiciendus, sed ut proximus. Res est tam plana, ut non mirari non possis tergiversatos esse hic interpretes, et nodum in scirpo quesivisse.

cùm hæc scripserit nondùm transmissio ab Hebræis Jordane, loca hæc ad occasum Jordanis assignavit, uti debuit. Ergo cùm ambiguitatè planè significationis sit vocabulum *Beheber*, idè solùmmodò veretur septuaginta interpretes et auctor vulgatæ editioni, *trans*; quia habitâ ratione terræ sanctæ, juxta quam Judæi solent consignare plagas et situs locorum, campestria Moab trans Jordanem erant.

ARTICULUS II.

DE NOTIS EXTERNIS DIVINÆ ORIGINIS LEGIS JUDAICÆ.

§ 1. De divinâ Moysis legatione.

Ex demonstratâ Pentateuchi antiquitate, hæc jam certa sunt: primò Moysen omnem suam auctoritatem et leges suas omnes in iis prodigiis olim posuisse, quæ sine vi divinâ patrari non potuisse facillè concedet æquus disputator: secundò Judæos Moysis imperio atque institutis subjecisse sese propter innumera miracula, quæ omnibus sensibus eorum uniusquisque expertus fuerat: tertio vaticinatum esse Moysen quamplurima, quæ præter omnem spem et expectationem contigerunt. Ex quibus videretur colligi posse Moysen Dei legatum apud Judæos fuisse. Hanc tamen necessariam consequentiam agnoscere nolunt revelatæ religionis contemptores, ob duplicem causam, primò quia illa prodigia et vaticinia, etsi humanas vires et scientiam superent, demonum virtuti ascribi possunt. Secundò quia nequaquam certum est illa prodigia reverè evenisse, etsi sint à Moysè litteris mandata, credita ab Israelitis, illaque facta fuerint constitutionis, legumque Judaicarum principia et fundamenta.

Prima hypothesis tam aliena est à communi hominum intelligentiâ, ut nequaquam possim inducere in animum illam seriò ab aliquo propugnatam fuisse. Qui, quæso, poterant Hebræi Moysen aspernari auctoritatem, quem vitæ et necis arbitrum experiebantur, cujus imperio subdita cernebant elementa et naturæ vires omnes? neque sanè puto minutos nostros philosophos, qui tantam gloriantur constantiam animi, pectorisque robur, sine perturbatione ad montis candentis infima stare, divinanque vocem audire potuisse, aut tristem et luctuosam sortem Dathan et Abiron, dehiscente terrâ absorptorum, experiri voluisse. Quis tam alienus est à ratione, ut arbitrari possit Deum sapientem, sanctum, bonum, genio alicui mali-

gno eam unquam concessisse potestatem, quâ naturæ fundamenta concutere, quâ homines demereri summis beneficiis, suppliciiis terere gravissimis, et ad sui obsequium atque cultum omninò cogere queat; atque relictis habentis regni sui, illas tradidisse impuro spiritui ad veritatis et virtutis ruinam. Præterea causam supremi Dei rerum omnium creatoris atque moderatoris egit Moyses; illa omnia prodigia peracta sunt benignissimo sanctissimoque consilio ad populum gravissimâ et iniquâ servitute oppressum libertati restituendum, eundemque ab idololatriâ avocatum ad unius Dei cultum mancipandum, ut scirent quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. Hoccine imprii spiritûs, Dei et hominis inimici, consilium esse potest (1)? Secundam igitur hypothesim convellere animus est quam solam seriò increduli defendunt. Haud pauci inter illos victi iis, quæ modò protulimus argumentis, Pentateuchi antiquitatem agnoscere videntur, sed in isto libro nihil vident nisi consilia hominis ambitiosi, atque ad quilibet audendum projecti, nihil nisi artes et fraudes hominis callidissimi: quorum sententiam accuratius exponere non pigebit. Existimant igitur hi Pentateuchum poema quoddam esse, in quo facta historica poeticè memorantur, iisque ornantur fictionibus, quæ ad excitandam rudis atque rerum incredibilium avidæ plebeulæ admirationem aptissimæ videbantur: proindeque detrahenda esse pigmenta illa, si veritatem puram et illibatam detegere velimus.

Abraham (sic enim narrationem solent instituere, vide librum qui inscribitur, *Philosophus moralis*), gentis Hebræorum parens, domo et familiâ patris sui, à cuius Religione abhorrebat, expulsus, in terram Chanaan et Ægyptum profectus est, nullo modo divinitus admonitus nisi in somnio vel aliquo evento, quem vir pius et simplex divinæ voluntatis significationem putabat. In terrâ Chanaanæ-

(1) « Qu'un homme vienne nous tenir ce langage: Mortels je vous annonce la volonté du Très-Haut; reconnaissez à ma voix celui qui m'envoie: j'ordonne au soleil de changer sa course, aux étoiles de former un autre arrangement, aux montagnes de s'aplanir, aux flots de s'élever, à la terre de prendre un autre aspect: à ces merveilles, qui ne reconnaîtront pas à l'instant le maître de la nature? Elle n'obéit pas aux imposteurs; leurs miracles se font dans des carrefours, dans des deserts, dans des chambres, et c'est là qu'ils ont bon marché d'un petit nombre de spectateurs déjà disposés à tout croire. » Emile t. 3, p. 131.

rum potissimum commoratus est, non ob aliam causam, nisi quia in Ægypto sedem ligere, uti meditaverat non potuit. Illa obsequiosa nimium vel potius supersticiosa animi propensio maximi sceleris fermè causa extitit, atque ad filium immolandum imprudenti consilio impulsit. Isaac et Jacob paternæ pietatis et simplicitatis hæredes divinæ voluntatis signa etiam arbitrabantur somnia et quoscumque extraordinarios fortunæ casus, posterisque illos tradiderunt tanquam certissima Dei monita. Verum etiam est, quòd Joseph filius Jacob summâ rerum sit politus in Ægypto, sed quæ circumstant hanc historiam partes, vel falsi rumores sunt quos collegit Moyses, vel ejusdem scriptoris commenta. Joseph auctoritate in uberrimâ Ægypti parte constituti Hebræi, publica etiam munera obtinuerunt; eoque citò evasit eorum potentia, ut in se Ægyptiorum invidiam atque odia concitaverint. Ii igitur arreptis armis post longa bella, quorum meminere historici profani, muneribus tandem extraneos spoliârunt, ex oppidis munitis cjecerunt, et in eam regionem, quæ ipsis olim fuerat concessa, compulerunt. Dedit etiam rex plura adversus eos crudelissima edicta, quæ tamen executioni demandata non fuerunt.

In hac gentis suæ calamitate nascitur Moyses, filie Pharaonis commiseratione servatus, in palatio educatur, scientiis liberalibus imbuitur, post quadraginta actos in aulâ inter sacerdotes et magnates annos, propter facinus commissum fugere cogitur; in Madianitidem regionem se recipit, ubi filiam Jethro illius gentis principis atque sacerdotis sibi matrimonio conjungit. In hoc exilio populi judaicæ liberationem et reipublicæ constitutionem, collatis cum socero consiliis, meditatur. Opus meditatam jam post quadraginta annos deletâ facinoris sui memoriâ, adjuncto sibi fratre, demùm aggreditur; utque apud supersticiosum populum feliciùs succederet, fingit se Dei legatum esse, vi instructum divinâ, factamque olim Abrahamo donationem terræ Chanaan, quæ essent ejus posteri post 400 annos potituri, comminiscitur. Conciliatâ sibi his artibus multitudinis gratiâ, sistunt se Aaroi et Moyses coram Pharaone, veniuntque sub prætextu religionis abundi petunt, mox post peracta sacrificia redituri. Suspiciatus dolum Pharaeo copiam negat abundi: instant hi et magicâ virgâ multa et varia operantur, quorum quædam imitati sunt magi. Nulla Pharaonem et Ægyptios commoverunt: proindeque in plagarum Ægy-

ptiacarum descriptione licentiâ usus plusquam poetica Moyses censendus est. Actus in furorem Pharaeo Moysis pertinaciâ et populi seditionibus gentem exercitii interneque delere statuit; de quo certior factus Moyses præcipiti fugâ cum suis noctu evasit, Ægyptiis ipsis ex commiseratione impellentibus et viatica suppeditantibus: sicque anteverit Pharaonis exercitum et ad rupes subductique maris sinus citius pervenit. Exereitus Pharaonis persequi destitit, sive quòd dissolutus aliquo modo fuerit, sive quòd inter saxa et arenas cum curribus et equitatu sequi non potuerit: Moysesque populo in solitudinem ducto, metuque omni liberatus, rem totam pectore, more solito, ornavit, divinæque virtuti tam felicem eventum adscripsit. In solitudine verò omnem scientiam, omnemque industriam contulit ad fallendum incautum atque rudem populum: illis persuasit fontes, qui manabant ex rupibus, quoniam in Ægypto nihil tale viderant, magicæ suæ virgæ percussione scaturisse; coturnices, quæ erant in illis plagis frequentes, suâ voce appellatas circa castra decidisse, et alia id genus. Voluit statim post datam legem populum adversus Chananæos ducere, sed commisso cum Amalecitis prælio, tam parùm felix exitus fuit, ut divinis promissionibus, quas venditabat imperator, nequam voluerint amplius Hebræi confidere; coactusque fuerit Moyses populum ad belli artem atque disciplinam per quadraginta annos erudire atque ad legum suarum observantiam supplicis adigere. Hæc deistæ. Dixisse hanc historiam temerè et ineptè excogitatam esse, refutasse est: verùm quoniam gravissima est hæc controversia, et in hac ætate adversus omnem hostium impetum paratum esse oportet unumquemque, fusè hanc fabulam refellemus quatuor propositionibus, in quibus Moysis divinam legationem confirmavimus; 1° ex miraculis; 2° ex vaticiniis eventus, cujus minister extitit, prænantis; 3° ex ipsis Moysis prophetiis; 4° ex præclaris istius legislatoris virtutibus, quæ eundem absolvunt ab omni doli et vanitatis suspicione.

PROPOSITIO PRIMA.

Moysen Dei legatum fuisse miracula evidentissimè efficiunt.

PROBATIO. — Nam quæ in Pentateucho memorantur gesta in Ægypto, ad mare Rubrum, et in solitudine, superant vim artemque humanam, nec sine Deo patrari potuerunt. Atqui illa omnia miracula, prout ibi leguntur, reverà

ad Moysis imperium facta sunt. Hujus assumptionis veritas clarissimè patebit, si hæc duo confecerimus: 1° quòd illa prodigia tanquam facta historica Moyses retulerit, iisdemque Israelitæ fidem adhibuerint. 2° Quòd Moysis in illis referendis gravitas, populique fides certissimè efficiant illa prodigia reverà fuisse parata.

1° Moyses prodigia in Pentateucho descripta non poeticè, sed historicè retulit, fidemque Israelitarum habuit. Memorantur profectò historicè, idque cum summa sermonis gravitate: simplici usus est legislator oratione, non inflatâ; tempus, locum, personas, omnesque, quæ circumstant partes, accuratissimè descripsit; in illis fundavit constitutionem reipublicæ; in illis leges omnes seu morales, seu civiles, seu rituales posuit; eorundem prodigiorum commemoratione ad pietatem perpetuò excitat populum. Sed audiamus ipsum Moysen, cujus in dicendo gravitas in ejus oratione melius quam ex nostris observationibus elucebit. Sic Deut. cap. 41 populum alloquitur: « Ama itaque Dominum Deum tuum, et observa præcepta ejus et cæremonias, judicia atque mandata omni tempore. Cognoscite hodiè quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus, et robustam manum, extantumque brachium, signa et opera quæ fecit in medio Ægypti, Pharaoni regi et universæ terræ ejus, omnique exercitui Ægyptiorum et equis ac curribus: quomodò operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, et deleverit eos Dominus usque in presentem diem: vobisque quæ fecerit in solitudine, donec veniretis ad hunc locum, et Dathan et Abiron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben; quos aperto ore suo terra absorbit cum domibus et tabernaculis et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel. *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit.* » Profectò desperata causa est, ad quam defendendam tueri necesse sit, hæc poeticè relata esse: parem ubique magnitudinem rerum deprehendimus sermonis gravitatem: ne verbum quidem ullum vanè ad oblectationem, sed cuncta seriò ad persuasionem sunt composita.

Deindè non minus est certum Judæos fidem illis prodigiis adhibuisse. Id constat primum ex Moysis relatione, et in referendo fidentia et securitate: sic enim concludit narrationem rei gestæ ad mare Rubrum: « Et viderunt Israelitæ Ægyptios mortuos super litus maris, et manum magnam quam exercebat Dominus

contra eos, timultque populus Dominum et crediderunt Domino et Moysi servo ejus. » Deut. c. 5, his verbis secundò legem moralem promulgavit : « Audi, Israel, cæremonias et judicia quæ ego loquor in auribus vestris hodiè : discite ea et opere complete. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb, non cum patribus nostris fecit pactum, sed nobiscum qui impræsentiarum sumus, et vivimus; facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. » Ibid. cap. 4 : « Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram à summo cœli usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujusmodi res, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vixisti : si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustam manum, extentumque brachium et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, *videntibus oculis vestris*, ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum. » Sic populum alloqui, quid aliud est quàm eives singulos in testimonium proferre? Ibid. cap. 6, eorum fidei securus, sic præcipit : « Narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine et in ostiis domûs tuæ... Cùmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc, et cæremoniæ, atque judicia quæ præcepit Dominus Deus noster nobis, dices ei : Servi eramus Pharaonis in Ægypto, et eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti : fecitque signa atque prodigia magna et pessima in Ægypto contra Pharaonem et omnem domum illius *in conspectu nostro*, et eduxit nos inde, » etc. Siccine populum incredulum alloqui potuisset Moyses? — Constat deinde Israelitarum fides ex ipsis rebus et eventibus : Hebræi se Moysis regimini fermè inviti commiserant : eodem duce Ægyptum, cujus tenebantur amore, reliquerunt ; religionem, cui erant addictissimi, deposuerunt ; legem sibi imponi passi sunt, ritum multitudinem præceptorumque difficultate molestissimam : quo, quæso, ducti motivo nisi opinione cœlestis ducis sui et legislatoris legitimus? — Constat denique ex posterorum suorum constantiâ in servandâ lege, cui nunquam

apud ipsos vel derogatum vel obrogatum est : summam erga legem suam in omni ætate observantiam testati sunt, dum cæteras constitutiones perpetuis vicissitudinibus obnoxias fuisse videamus. Illustre est Hecatei de Judæis, qui ante Alexandri tempora fuere, testimonium, quod nobis Libro contra Appionem Josephus servavit : « Quare, inquit, quanquàm et maledictis impeti solent à vicinis advenisque, et injuriosè sæpè tractati sunt à persicis regibus ac satrapis, non possunt à sententiâ deduci, sed pro eâ palam omnes cruciatus sævissimasque mortes subeunt, nec adduci possunt ut patria instituta abdicent. » Quod profectò evidentissimè etiam adstruitur ex totâ Judaicæ historiæ serie. Cùm igitur hæc omnia, posterorum studium et perpetua in servandâ lege constantia, Judæorum cœtaneorum obsequium, Moysis in testandâ Judæorum fide fidentia et securitas, rem in controversiâ positam cum summâ adstruant vi et pondere, quæ vis nullâ ratione contrariâ suspenditur, tam certum est Judæos Moysi credidisse, quam potest quidquam esse certum. Ergo 1^o Moyses prodigia historicè ad fidem faciendam, non poeticè ad oblectationem descripsit; fidemque iisdem adhibuerunt Israelitæ.

2^o Ex Moysis in describendis illis prodigiis gravitate, populique fide, illa patrata fuisse divinâ virtute clarissimè efficitur. Primò id efficitur ex Moysis in describendis prodigiis gravitate, fidentia et securitate : nam Moysi, utpote quem res gestæ et pulcherrima scripta magnum virum ostendunt, illud consilium tribui nequit, quod inauditam argueret perturbationem mentis, stultitiam incredibilem : atqui si Moyses suam auctoritatem in illis prodigiis à se confictis ponere tentavisset, incredibilem argueret argumentum edidisset : reliquisset quippe artes illas omnes, quibus solent uti, qui populos fallere student, eamque methodum secutus fuisset, quâ necessariò contemptum atque ignominiam sibi peperisset, omniumque commovisset indignationem. Siquidem impostoris callidi partes sunt, miracula venditare clam et paucis testibus patrata, fidem apud eos, quos decipere studet, alieno impetrare testimonio; sua instituta non in illis omninò ponere, sed solimodò confirmatam ex illis velled auctoritatem suam; non in illis perpetuò commemorandis versari, sed vereri maximè ne fraudis oriatur suspicio : cautos quippe solet efficere fraudis conscientia. Jam verò Moysen contrariam et oppositam methodum secutum videmus : non

recitat prodigiâ privatim facta, sed in apertâ luce edita; non præterita, sed præsentia; non momentanea, sed permanentia; non quæ alieno indigeant testimonio, sed quæ singuli Judæi sensibus omnibus experti essent, fidem quippe appellat oculorum atque aurium; non unius aut alterius, sed omnium civium; omnem suam auctoritatem ex illis prodigiis derivatam vult; omnia instituta etiâ maximè invidiosa ex divinâ illâ vi quâ valebat, confirmat; illa perpetuè inculcat; utitur nunc tanquàm beneficiis ad stimulandos ad virtutem ex grato sensu animos; utitur aliâ ad avocandos à flagitiis populos propter expertam in illis Dei iracundiam; ipsi haud rarè exprobrandi opportunitatem et eos afficiendâ contumeliâ præbent. Quædam ex illis miraculis æternam opprobrii notam quarumdam familiarum principibus inarcebant; ipsique Aaronis familiæ damnosa et probrosa erant, ut interitus Nadab et Abin, qui igne alieno usi fuerant, lepra quâ Aaron et Maria soror divinitus affecti sunt. Illis denique eâ ratione utitur, quæ ad excitandam in se uniuscujusque indignationem aptissima erat, atque ad alienandos à se suorum animos. Cui tale arridere possit consilium, non dicam hominem ineptissimum, sed prorsus extrahumanam sortem dementiâ suâ positum.

Deinde utiâsi Moyses tam demens fuisset, ut ei tale consilium potuisset arridere, nunquàm certè res ex sententiâ successisset, nam Judæi homines erant; homines autem ii dicuntur, qui habent vim cogitandi, videndi, audiendi: atqui tamen si illa prodigia non contigerint, ut illa Moyses persuasisset Judæis, oportuisset illos carere sensibus, vel suorum sensationum conscientiâ; imò debuissent contra communem oculorum, aurium, ceterorumque sensuum fidem affici. Nam persuasisset Hebræis, audivisse sese Ægyptios de plagis multis, quibus eos Moyses affecerat, conquerentes; imò eosdem vidisse summis afflictos calamitatibus, cum reverâ illos lætos et in rerum omnium copiâ reliquissent; se inter suspensos hinc et inde fluctus, nube lucidâ iter collustrante, incessisse, vidisseque proximo mane in litore corpora Ægyptiorum, cum per subducti maris sinum incessissent; se cibo de cælo delapso non uno die, sed per annos quadraginta alitos fuisse, cum baccis sylvestribus et radicibus vitam sustentassent; se ad candentis et fumantis montis infima fulguribus et voce divinâ perterritos stetisse, cum nihil experti fuissent singulare

et inusitatum: se iisdem vestibus et calceamentis per quadraginta annos usos fuisse, cum illas mutare sæpius coacti fuissent: se ad serpentis ænei aspectum valetudinem recuperasse, cum illius nulla reverâ fuerit efficacia; se in unum congregatos, nunc aquam abundanter ex rupe scaturientem virgæ percussione vidisse; aliâ ad tempus præscriptum terram dehiscentem atque ignem subito erumpentem ad perduellium punitionem conspexisse. Hæc enim nullis sunt machinis imitanda; vi opus est non inclusâ in homine, vel in instrumento aliquo, sed cælum, terram, mare atque omnia pervadente: at si nec facta nec ficta fuere, sine naturæ humanæ perturbatione, homines ad credendum adduci nequiverunt. Ergo etiâsi Moysi tam insanum arrisisset consilium, fidem illis prodigiis facere nunquàm potuissent.

Expendamus jam breviter facta hæc ad diligentioris criticæ regulas; majorem adhibeamus severitatem, quia facta sunt extraordinaria. Notæ et characteres, quibus facta certa fides fieri potest, hi sunt: 1° si factum sit grave et momentosum, aptum ad excitandam hominum attentionem; 2° si sit publicum et sensibile, de quo propterea nullus error esse potest; 3° si sit aptum et cohærens cum reliquâ historiâ; 4° si tale factum momentosum, publicum et cohærens cum cæteris historiæ partibus, referatur ab auctore non inepto neque fraudulento, sed ab eo qui compertam habuit rei veritatem; 5° si sit confirmatum numero testimonium idoneorum, quorum neque suspecta sit fides, nec scientia, ac si nullo contrario testimonio refellatur; 6° si hoc factum fuerit memoriæ proditum in monumentis authenticis, tum in libris, tum in institutis. Aut nulla facta certa sunt, aut illud erit quod his omnibus rationibus innietur. Atqui prodigia in Pentateucho relata, 1° facta sunt in se summi momenti, ex quibus scilicet pendebat religio, politia, fortuna universæ gentis hebrææ, in quibus quarumdam tribuum et familiarum, aliis invidiosæ, prærogativæ positæ erant. 2° Erant eadem facta publica et sensibilia, circa quæ falli ne idiota quidem vel infans potuit. Quisque profectò sciebat quo cibo per annos quadraginta alchatur, et ubi illum inveniret. 3° Ita apta sunt cum reliquis historiæ partibus, ut illa tollere nequeas quin universam tollas historiâ; neque ea quæ gesta sunt in solitudine, consistere possunt sine his quæ gesta sunt in Ægypto: neque ea

quæ sub Josue acciderunt sine iis quæ in solitudine; neque ea quæ sub Judicibus sine iis quæ sub Josue. Uno verbo constitutio reipublicæ, cæremoniæ religionis, monumenta omnia sic in prodigiis posita sunt, ut hæc tollere nequeas, quin tota moles corruat: universi eventus posteriores sine prioribus non extitissent. *Cum interrogaverit te filius tuus cras, quid sibi volunt testimonia hæc, etc., dices ei: Servi eramus Pharaonis in Ægypto, etc.* Hæc apta, hæc unica responsio est, nec alia fingi potest. 4^o Nemo, puto, negaverit quin Moyses compertam habuerit illorum factorum veritatem, quorum minister exitiit: nec ineptus est historicus, nec apparet ex ullâ re fuisse fraudulentum. 5^o Profert Moyses testes innumeros, omnes Hebræorum principes et universum populum, qui tam certò compertam habebant illorum factorum veritatem, quam ipse Moyses, quia oculis et auribus opus fuit, et nullâ aliâ ingenii facultate: neque hi omnes tantùm voce hæc facta comprobârunt, sed obsequio suo et universâ postea agendi ratione; etiam ipsi familiarum principes quorum, quia in munerum distributione præterlabili sunt, intererat ut quædam miracula non crederentur. Tandem fuerunt hæc facta sine ullâ immutatione posteritati tradita, ut jam confectum est, cum fuerint libris consignata, quorum integritas est certissima, et insuper expressa in monumentis, quæ omnibus confitentibus, temporibus Moysis cœvæ sunt. Quid ad hæc omnia minuti nostri philosophi? Facta hæc sunt extraordinaria, quasi verò facta extraordinaria non possint esse momentosa, vel sensibilia, vel certò aliquibus comperta, aut non possint in libris et monumentis authenticis posteritati commendari. Imò verò hæc omnia adjuncta multò magis habere possunt, quàm ordinaria facta, propter majorem quam gignunt attentionem, et in conservandâ eorum memoriâ religionem. Sed facta extraordinaria sunt per se incredibilia. Cur, quæso, incredibilia? Suntne omnipotenti Deo impossibilia? Nullane causa justa esse potest, cur admittantur? Quàm parùm formidandi, quàm contemptendi hostes sunt, qui talibus lacesunt armis.

Objicies 1^o adversùs miracula patra in Ægypto: Illa phænomena quæ ante exitum Hebræorum in Ægypto contigerunt, quæque vocari solent *plagæ Ægyptiacæ*, nullatenus divinam arguunt virtutem.

1^o Plagæ Ægyptiacæ causis naturalibus ad-

scribi possunt: nam si excipiamus primum prodigium quod imitati sunt magi, conversionem videlicet virgarum in serpentes, cætera phænomena fuisse videntur varii ejusdem pestilentie effectus. Quæ primum orta in flumine pisces omnes cum crocodilis, hippopotamis, cæterisque majoribus animalibus fluxu sanguinis corripuit, quo decolorata fuit aqua fluminis. Aquarum infectio ranas, amphibium genus, in terras expulit. Ciniphum exorta deinde multitudo inusitato acris calori et ovorum in pulvere delitescens copia debebatur, sicut et muscarum, quæ quia majores erant non tam citò maturam ad volandum asecute sunt ætatem. Pestis gravis, quam postea insecutam legimus, ejusdem pestilentie jam firmiora animantium corpora tentantis progressio fuit. Insecta deinde est pulveris pluvia quædam haud inusitata in illis regionibus torrenti soli subjacentibus, quæ valdè naturali ulcera et pustulas in jumentis hominibusque procreavit, et sævientem jam pestem auvit. Hanc grando excepit ingens, quod profectò nihil prodigiosum sonat. Locustas, quæ postea depopulate sunt omnem regionem levavit ventus urens, qui totâ die atque nocte duravit, et ventus contrarius sustulit: sed legimus apud Plinium l. 11, 26: « Locustas quandoque gregatim sublatas vento in maria aut stagna decidere. » Ille quæ subsecutæ sunt tenebræ nihil aliud fuere, quantum ex descriptione Moysis coniectere licet, nisi spissa et tenebrosa nebula: nam fuere tam densæ, ut palpari possent, quod optimè convenit nebule et caligini, tenebris nequaquam. Denique eadem lues, quæ primum pisces in flumine affecerat, deinde attingerat jumenta, tandem homines afflixit, præsertim juniores, quos primogenitos appellat Moyses, multosque sustulit. En vera plagarum Ægyptiacarum historia, quam Moyses poeticè exornavit (1). Hanc exitialem Ægyptiis calamitatem suæ virtuti falsò adscripsit, quod

(1) Si igitur quædam in sacris litteris reperiantur quorum causas reddere nescimus, et quæ præter, imò contra ordinem naturæ videntur contigisse, ea moram nobis injicere non debent; sed omninò credendum, id quod reverà contigit, naturaliter contigisse; quod etiam confirmatur, quòd in miraculis plures circumstantiæ reperiebantur, quarum tamen non semper narrentur, præcipuè cum stylo poetico canantur; circumstantiæ, inquam, miraculorum clarè ostendunt, ipsas causas naturales requirere: nempe ut Ægyptii scabie infestarentur, opus fuit, ut Moses favillum in

certè faciliè potuit sine invidiâ, cùm apud suos solummodò hæc venditaret; et etiã cum fiduciâ, quoniam illis loquebatur, qui harum rerum testes non fuerant, utpote qui in terrâ Gessen nihil tale fuerant experti; et qui ignorantibus rerum ordinem naturalibus causis, iisque ratis procedere, omnia phænomena et casus non usitatos supernaturali vi adscribere consueverant.

2^o Triã prima miracula, scilicet conversio virgarum in serpentes, ranarum procreatio, aquarum mutatio in sanguinem, facta etiã à magis fuère, confitente Moysè, quos narrat *similiter fecisse*. Jam verò magi hæc perfecere efficaciaci quãdam naturali per *incantationes Ægyptiacas et arcana quãdam*, iisdem utentes quibus Moyses instrumentis, virgã videlicet magicã, neque certè vi supernaturali fecisse se illa miracula unquam professi sunt: atqui ejusdem effectûs eadem causa assignari potest; et cui causæ adscribi possunt magorum prodigia, eidem non temerè Moysis miracula adscribemus. Ejusdem prosurs generis sunt cum tribus prioribus sequentia Moysis prodigia, in quibus vicisse se magos in scriptis reliquit: neque ullo modo intelligitur, cur per incantationes Ægyptiacas imitari etiã ea magi non potuerint: nam eadem vis quæ virgam in serpentem mutare, aquam potuit in sanguinem, et procreare ranas, potuit etiã certè muscas et grandinem producere. Ergo ex imitatione magorum, qui sine Deo sua miracula perfecere, clarè efficitur necesse non esse divinæ virtuti Moysis prodigia adscribere.

3^o Hæc omnia phænomena causis naturalibus adscripta reverã fuerunt ab iis omnibus apud quos contigere: nam fieri nullo modo potuit ut rex Pharaò tot expertus calamitates, quas certò sciret sibi divinitus inflictas, tamen divinis non obtemperaret mandatis: certè non solum contra rationem sed etiã contra omnem hominis sensum est, Deo resistere tam mirabiliter operanti. Et etiã eò dementiæ vulgus in illo præsentis periculo veniam abeundi, quam negabat Pharaò, ipsi concessissent, nec in apertam perniciem propter ejus stolidam et insanam pertinaciam ruere voluissent. — Deinde historici omnes profani aerem sursùm spargeret, locustæ etiã ex mandato Dei naturali, nempe ex vento orientali integro die et nocte flante Ægyptiorum regionem petierunt, et vento occidentali fortissimo eandem reliquerunt, etc. Spîn. tract. theol. pol. cap. 9.

diversam valdè instituerunt relationem; nullus horum signorum meminuit tanquàm divinitus inflictorum; verùm unanimi voce memoriæ prodiderunt Hebræos ex Ægypto expulsos fuisse propter morbos apud ipsos frequentes. Denique ex ipsâ Moysis narratione planè colligitur Pharaonem nunquàm fuisse convictum celestis Moysis legationis, aut quòd illa quæ operabatur prodigia evenissent ex divinâ virtute. Nam legimus Pharaonem misisse in terram Gessen ad videndum utrùm easdem calamitates non fuissent experti filii Israël, et ingravatum fuisse cor ejus. Certè si prodigia illa per se vim divinam arguissent, non fuerat necesse mittere in terram Gessen ut exploraret quid ibi contigisset; putabat igitur fuisse naturales calamitates, quibus æqualiter omnes suæ ditionis partes afflictabantur. Ergo ab ipsis prodigiorum testibus illa adscripta fuère causis naturalibus. Ergo non demonstratur illa prodigia, quæ vocantur *plagæ Ægyptiacæ*, divinâ vi contigisse.

Respondo. Nego antecedens, et ad primam confirmationem dico 1^o nullatenus adscribi posse plagas Ægyptiacas causis naturalibus, quamvis absolutè et seorsim ab omnibus circumstantiis considerentur. Nam nulla causa naturalis est, quæ valeat universas regiones alicujus etiã profluentes aquas in sanguinem convertere; aut eam procreare ranarum, ciniphum, muscarum multitudinem quã afflicta fuit Ægyptus. Nam in rebus physicis argumentum certissimum præbet constans experientia, sine ullâ unquam oblatâ ab origine mundi exceptione. Cùm ergo hæ tantæ calamitates, tamque universales, nunquàm nisi eo tempore contigerint, quo Moyses liberavit populum Israël à durissimâ Ægyptiorum servitute, sequitur easdem extraordinariã et supernaturali virtute inflictas esse. Dico 2^o quòd etsi daremus plagas aliquas Ægyptiacas, si in se absolutè considerentur, et independentè à circumstantiis, non fuisse præter naturæ vires; ranarum, muscarum, locustarum, et grandinis procreationem non superare naturæ efficaciam: eadem illa phænomena arguerent tamen vim divinam in Moysè propter modum et limites ex consilio arbitrario positos. Fuerunt quippe illæ plagæ à certis personis aut excitatæ aut prædictæ, ad certum temporis spatium determinatæ, et ad certa loca definitæ, idque certè præter naturæ leges omnes. Primum causæ naturales, si illis tribuere libeat ista phænomena, non nisi significante Moysè,

vina suam exerebant, vel futurum ex causis naturalibus eventum solus Moyses prænuntiabat : jam verò præter leges naturæ est, ut unius hominis voci obtemperent elementa, vel ut nascituros ex his certò præsciat effectus. 2° Erant plagæ Ægyptiæ ad certum temporis spatium præter naturæ leges determinatæ : si illa omnia phænomena unius anni spatio contigissent, fuisset profectò annus ille propter innumeras istas calamitates inter omnes memorabilis ; sed quòd ea omnia contigerint sex hebdomadarum vel unius mensis spatio (vide Usseii annales pag. 14, Hist. univ. tom. 2), planè singulare fuit et prodigiosum : præterea erat illarum calamitatum duratio accuratissimè à Moysè ad diem atque horam determinata, quod certè hominis non est. 3° Fuerunt plagæ ad certa loca præter omnes naturæ leges definitæ ; dum enim tota Ægyptus grandine, locustis, peste, etc., afflicteretur, tertia Gessen in medio posita immunis erat ab istis calamitatibus, neque erat infirmus in tribubus Israel. Certè non nisi divinitus contigit, ut tempestas grandinis prætervolaverit habitationes Hebræorum, aut ventus locustis gravidatus eorum regionem non perflaverit. Coniunctum igitur fuit cum naturalibus causis entis supra creaturæ sortem potentis et sapientis consilium, qui illis modum finesque præscribebat, hocque demonstrasse satis est. Ut efficiatur illas plagas non fuisse miracula, non solum ostendendum est ex causis naturalibus illa phænomena absolutè oriri posse independentè à circumstantiis, sed nullum etiam fuisse præter mechanicam rerum dispositionem entis sapientis in illis causis certà ratione moderandis consilium, atque potuisse Moysen naturali sagacitate præscire illa phænomena.

Ad id verò quod in objectione additur, Moysen potuisse cum fiducia illa prodigia multum augere apud suos, utpote qui illa experti non essent, respondeo illud ineptè dici : quasi verò nulla essent istis temporibus Israelitas inter et Ægyptios commercia ; quasi verò suspicari datum sit Israelitas fuisse incuriosos earum rerum quæ pro suâ liberatione à Moysè peragebantur, et quas apud suos ante prædicaverat. Præterea Moyses non descripsit plagas Ægyptiæ tanquam facta, quorum ipse faceret certiores Israelitas, sed quasi res publicè gestas et quas unusquisque perspectas et exploratas haberet ; verba ad populum faciens affirmat ea omnia in eorum conspectu peracta esse.

Ad secundam confirmationis partem respondeo magos Pharaonis nequaquam patuisse eadem quæ Moyses miracula, neque profectò id confitetur Moyses. Nam ille verè mutavit virgam suam in colubrum, qui prolatis à magis serpentes voravit : regem in suo palatio et magos decipere non potuit. Reverà etiam mutavit divinà vi aquam in sanguinem : omnes simul Ægypti aquas attingere et turbare alicujus rei admixtione certè non potuit. Ranas quoque divinà ope produxit : nam nullà arte aut industrià humanà universam Ægyptum illis complere quivit. Sed è contrario omnia probant magos eadem prodigia reverà non fecisse (1). Primum quia negat Moyses eos supernaturali vi egisse, sed usos esse scribit *arcanis quibusdam et incantationibus Ægyptiacis* ; quibus verbis satis significavit magos usos esse artificio, et miracula reverà ab illis non fuisse patrata : nam illa prodigia imitari vel simulare per arcana quædam et artes Ægyptiæ, non erat certè illa miracula, quæ superant omnem artem humanam, patrare. 2° Confessi sunt magi post tentatum frustra quartum miraculum divinà virtute egisse Moysen ; diverunt : *Digitus Dei hic est*, quibus verbis fatebantur ea quæ ipsi fecissent naturali efficientià effecta fuisse, non deorum suorum ope (2), et proinde non nisi dexteritate quædam adstantes decepisse. 3° Tria priora miracula imitati sunt magi solummodò in palatio Pharaonis vel saltem eorum illo principe, ubi ad decipiendum multa habere potuerunt adjumenta : arcanis quippe suis usi sunt dum adhuc duraret inficta à Moysè calamitas, totamque affligeret Ægyptum. 4° Imitati sunt magi solummodò facillora, quæ quivis circulator facillè poterit imitari : quid enim tam facile quam aquam in scypho vel vase aliquo contentam pulveris admixtione colorare ; quam serpentem vel ranam simulato virgæ jactu in mediam arcem projicere, præcipuè multis adjutantibus ministris (3) ? 5°

(1) Vide Jos. Ant. l. 2, c. 13. Just. Mart. Qu. orthod. 16. Tertull. de Animâ. Greg. Niss. Amb. Hieron. contra Jovin. l. 2, p. 211, t. 4.

(2) Imò in totâ controversiâ nulla mentio deorum est : nec ipsorum opem efflagitasse, nec pro eis pugnasse referuntur magi ; istos hæc unâ de causâ convenisse videtur Pharaon, ut certior fieret an ea prodigia, quibus Moyses Deum Hebræorum esse Dominum universe terræ probare contendebat, humanam industriam superarent necne : Moysis idcirco miracula non destruere, sed imitari tantummodò conati sunt.

(3) Huetius certè refert quæst. Aln. l. 2, p. 155, apud Sinas rem valde communem esse,

Corporis organisati ex ligno procreatio solâ Dei virtute fieri potest; nulla fortassè mens creata exquisitum artificium organici corporis comprehendere, multò minùs exequi valet. Hinc plerique qui dæmonem intervenisse existimant, ne hic creator serpentium esset, statuerunt, illum circulatorum egisse, et illam artem exercuisse quâ usos esse magos existimamus, nempe surripuisse celeriter magorum virgas et serpentes in medium attulisse. Ubi igitur Moyses scribit magos *similiter fecisse*, significat eos simulasse Aaronis externam speciem, id est, virgis quoque usos esse et imitatos etiam in movendis virgis, quod clarissimè patet ex versiculo 18, c. 8 Exodi, ubi eodem verbo utitur Moyses, etsi magos fefellerit eventus: *Et fecerunt similiter*, inquit, *magi incantationibus ut educerent ciniphes, et non potuerunt* (1). Erat ergo in actione externâ similitudo quædam, nulla in opere: ab Aarone projecta virga in serpentem reverâ mutata est, à magis simulatâ virgæ projectione serpens reverâ, in medium, projectus fuit, idque ex Moysis narratione colligi posse videtur: primum sine vi divinâ fieri non posse manifestissimum est, secundum facilitimè dexteritate et arcanis Ægyptiacis (2).

ut circutores virgam in serpentem convertere in se suscipiant.

(1) Ob hanc igitur rationem verba illa, *et fecerunt similiter*, intelligenda necessariò sunt de conatu quodam ad Moysis miracula faciendâ... et reverâ, ut observant Clericus in Ex. c. 8, v. 18, Calmetus in Jonam c. 1, v. 16, et sæpissimè claris. Houbigantius, Hebræi ad conatum notandum verbis his utuntur, quæ rem effectam significant: id cum aliàs, tum verò evidenter patet ex Gen. cap. 37, 21: *Audivit autem Ruben, et eripuit eum* (Josephum) *de manibus eorum* ויעררו ויגדו, cum tamen, ut ex versu subsequenti patet, eum eripere conatus solummodò sit. Præterea vulgari sermone receptum nihil magis est, quàm ea circulatoribus tribuere, quæ efficere videntur, re verò ipsâ non efficiunt. Sic Apuleius metamp. l. 1: « Circulatorem, inquit, aspevi equestrem spatium peracutam microne infesto devorasse: « ac mox eundem venatoriam lanceam in ima viscera condidisse. »

(2) Certè parùm sibi ipse constaret Moyses in hypothesi eorum qui dæmonem hic intervenisse existimant: quippe qui Ex. 4, 2, et 7, 47, representat conversionem aquæ in sanguinem ut certis innum signum missionis divinæ: *In hoc scies quod sim Dominus* (Jehova hebraicè); *ecce percussit virgâ, quæ in manu meâ est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem*. Præterea quo pacto nobis demonstrabunt adversarii difficilium esse unum serpentem è virgâ creare, modicum aquam in sanguinem convertere, quàm mille serpentes, quam totum oceanum. Deinde nunquàm appellat Moy-

Deinde verò quamvis intervenerit in patrandis magorum prodigiis dæmonis virtus, Deo sic in illo speciali casu permitte, non minor erit ad probandum miraculorum Moysis auctoritas cum splendore et numero miraculorum suorum tantò superaverit dæmones Hebræorum dux, et adegerit ad hanc confessionem: *Digitus Dei hic est*: hæc qualiscumque dæmonum cum Moysæ contentio illustriorem solummodò efficit hujus vim et potestatem. Neque suspicari licet Moysæ etiam dæmonibus potentioribus usum esse, tum propter illam tantam, quam exercuit sive ad demerendos sibi Israelitas, sive ad alligendos Ægyptios, potestatem, quam maligno genio concedere alienum esset ab omnibus Dei virtutibus: sic enim abdicasset sese humanarum rerum administratione, dæmonique quodammodò in solio suo collocato habenas regni sui commisisset; tum etiam quia hæc omnia peracta sunt ad vindicandum ab injustâ servitute et ab idololatriâ populum Hebræorum, eundemque consecrandum cultui unius supremi Dei rerum omnium creatoris; *ut scirent quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter eum*; atque ut imis sensibus hoc præceptum combiberent: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex totâ animâ tuâ*.

Ad tertiam confirmationis partem respondeo, prodigia à Moysæ patrata in Ægypto fuisse fortassè à Pharaone et quibusdam alicuius temerè et contra omnem rationem tributa causis naturalibus, nullo modo ab omnibus testibus aut à Pharaone cum levissimâ rationis specie. Rationes in objectione allatæ efficiunt quidem Pharaonem et alicos de verâ causâ istorum prodigiorum quandocumque stolidè dubitasse, injusto retinendi Hebræos studio obcæcatos, neque unquam fortè divinæ Moysis legationis penitus et constanter convictos fuisse: sed ex eo quòd stultè tribuerit Pharaon illa Moysis opera causis aliquibus naturalibus, ex. gr., astrorum influxibus, et existimaverit Moysæ propter summam in astrologiâ vel magiâ peritiam illos effectus prædicere potuisse, non sequitur nos eodem modo debere argumentari,

ses ad miraculorum suorum numerum vel splendorem: singula profert ut totius contrarietatis decisiva, virgæ, v. g., suæ in serpentem mutationem (Ex. 7, 9), non verò subsequentem virgarum vorationem. Demùm nec Ægyptios, nec populares suos de dæmonis interventu monet. Vide quæ de hoc argumento jam pridem diximus.

qui vana astrologorum signa aliasque superstitiosas opiniones, quibus dediti erant illis temporibus homines, videmus. Præterea experientia quotidiana constat rem esse operosam et difficilem persuadere hominibus, et præsertim principibus, ea quæ eorum gloriam videntur minuere. Suspendere solent levissimæ rationes, rem gratam confirmantes, gravissima motiva contra voluntatem nitentia. Sed si Phæro ejusque adulescentes, vanas quærentes causas, cor suum induraverunt et inconsideratè Moysi spreverè auctoritatem, fecerè fidem eadem prodigia apud Israelitas, apud plerosque Ægyptiorum, apud gentes etiam longè distitas. Et primùm certè illis sibi conciliavit Moyses Hebræorum animos, siquidem illis permoti sese suaque omnia ejus regimini commiserunt; et ad eò profectò securus fuit Moyses eorum fidei, ut non dubitaverit totam illam historiam, tanquam omnibus cognitam, accuratissimè describere, in illis ponere legum suarum auctoritatem et plura etiam instituta sancire illorum in perpetuum commemorativa; inter alia pascha suo nomine semper significavit illud prodigium ad ejus memoriam conservandam institutum fuit: et illæ quæ comitabantur cæremoniæ et circumstantiæ; initium anni ductam ab illo mense, qui antea septimus erat; agnus occisus 14 lune; sanguis in domos aspersus, panes azymi, corporis in comedendo situs erectus, baculi, cingula, etc., omnem rem gestam accuratissimè describerent, et fuere in omni ætate monumentum historiæ veritatis et ejusdem notioritatis. Adhibuisse etiam fidem Ægyptiorum plerosque probat illorum erga Israelitas mox discessuros liberalitas, quæ modum nesciebat; ex eâ liquet eos Moysi prodigiis valdè terribis fuisse, et magnam concepisse animo de isto populo ex eò conspicuâ Dei protectione existimationem. Veinde etsi historici profani nequaquam cum Moysæ consentiant, confirmant tamen magis quam elevant eorum historiæ Moysi narrationem. Magnam calamitatem illis temporibus expertos esse Ægyptios scribit historici, illam contagionem in eos ex Israelitarum sedibus derivatam; hosque propterea terminis Ægypti pulsos fuisse: quis non videt nullam esse inter Moysæ et historicos profanos de re ipsâ contentionem? hocce verò eas detraxisse solummodò circumstantias, ex quibus non parùm videbatur minui suæ gentis gloria, et pro supernaturali virtute, naturalem morbi communicationem invenisse? Sed de auctoritate

profanorum historicorum modò dicemus. Denique non solum Ægypti et Israelitæ fidem illis prodigiis dedit, sed omnes vicinos populos commoverunt: Gabonitæ illorum famâ perterrefacti spontè se Hebræis subjecerè: et apud sacerdotes Philistæos 1 Reg. c. 6, eorum memoria quadringentis postea annis vigeat.

Objicies 2^o contra miraculum patratum ad mare Rubrum. Multa totam illam historiam à Moysæ adornatam vanitatis condemnare videntur, nihilque præter communes naturæ leges contigisse. 1^o Quia altum est de illâ calamitate apud historicos silentium, nec profectò tam memorabilis eventus, si reverà contigisset, unquam ex memoriâ Ægyptiorum excidisset: è contrario memoriæ proditum erat, ut ex Justino accipimus, duccm Hebræorum Moysæ sacra Ægyptiorum furto abstulisse, eaque repetentes armis Ægyptios domum redire fuisse tempestatibus coactos.

2^o Quia incredibile est multitudinem immensam cum rege Pharaone eò devenisse insaniam, ut eum suspensos cernerent ex utroque latere fluctus, sese tamen mari committerent; quasi verò ipsi soli periculum non viderent, soli non obstupescerent rem tam admirabilem.

3^o Quia memoriæ proditum est, non divinum mare, sed per sinum subducti maris à Moysæ ductos fuisse Israelitas: Artapanus ethnicus scriptor hoc modo rem gestam exponit: « Judæos multis ab Ægypto eum poculis, tum vestibus corrogatis, aliisque multiplice gazâ, trajectis Arabiæ fluminibus, magnoque conlecto itinere, ad mare Rubrum tertio demùm die pervenisse, atque à Memphis quidem ita rem narrari, Moysæ totius regionis scientissimum, reciprocantis æstûs tempore, sicco mari universam multitudinem transmississe. » Et profectò duo annotanda sunt, quæ hanc historiam Memphitarum verisimillimam efficiunt. Primum est, quòd eo mense, quo reliquerunt Ægyptum Hebræi, æstus maris maximi essent, illosque præterea augeter ventus vehemens. Secundum est, quòd noctu iter peregerint, et propterea faciliè ex unâ parte potuit Moysæ rudibus Hebræis persuadere divisas esse aquas, cum reverà per arenas ex maris refluxu nudatas incessissent: et ex alterâ parte potuit Ægyptiaci exercitûs pars, studio persequendi accensa et luce destituta se inconsideratè arenis implicare, ex quibus expedire sese ante affluentis maris æstum non valuit: et horum corpora proximo mane visa

in littore Moysi præbuere opportunitatem gloriandi, quasi deletus universus fuisset Pharaonis exercitus. 4° Denique quia Josephus institutam à Moysse narrationem suo calculo comprobare ausus non est, etsi fuerit patriæ religioni addictissimus; his quippe verbis suam narrationem concludit: « Nemo autem mirari debet tanquam incredibile si priscais hominibus et ad malitiam rudibus de salute periclitantibus via per mare patuit sive Deivoluntate, sive sponte naturæ, quandoquidem heri et nudius tertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphiliū mare cessit, et aliam viam non habentibus illac iter aperuit, cūm Deus ejus operā ad destruendū Persarum imperium uti decrevisset, id quod omnes testantur qui res gestas illius regis scripto prodiderunt. Sed de his, ut cuique libet ita sentiat. »

Respondeo nullomodò ex illis rationibus elevari auctoritatem institutæ à Moysse narrationis rerum gestarum ad mare Rubrum. 1° Ratio illa ducta ex silentio historicorum vana est et ridicula: esset alicujus ponderis, si haberemus aliquos istorum temporum historicos coætaneos, si memoria antiquissimæ illius ætatis non esset apud Ægyptios sicut apud alias gentes prorsus deleta. Quòd Manetho, qui mille et centum annis post Moyssem scripsit ad divulgandam suæ gentis famam, alique recentiores illum eventum non retulerint, nulla certè causa est admirandi, cūm videamus eos nihil certum referre potuisse de maximis et potentissimis Ægyptiorum regibus præter eorum nomina. Præterea vanitatem profanarum historiarum modò ostendimus. 2° Dico nequaquam esse incredibile Pharaonem ejusque exercitum, persequendi studio accensum et luce destitutum, sese arenis inconsideratè implicuisse: non suspicatus est Pharaonem eam viam per quam incedere Israelitas exploratores retulerant sibi esse negatam; et sine dubio ex refluxu maris putavit illam viam patuisse: sicque in perniciem, ut sæpè fit, præcipitem illum egit cum exercitu nimis in Hebræos furor. 3° Traditionem traditioni opponimus: nam si sit memoriæ proditum à Memphitis Moyssem regionis scientissimum Israelitas duxisse per sinum subducti maris, mansit in memoriâ Heliopolitanorum juxta eundem Artapanum reverà divisum fuisse mare: post verba in objectione laudata hæc legimus: « Ab Heliopolitanis verò secūs; quippe regem abeuntes Judæos, quæque ab Ægyptiis abutuo acceperant secum auferentes, ingenti exercitu

persecutum esse: at Moyssem, uti virgā mare percuteret, divinitus admonitum aquam virgā tetigisse, ac discedentibus illicò fluctibus copias sicco tramite deduxisse: eandem porrò viam tentantibus ac fugientium terga prementibus Ægyptiis tum adversum repentè ignem coruscasse, tum ipsam quoque patentem semitam refluentibus undis obruisse, itaque partim igni, partim æstu maritimo Ægyptios, ad unum omnes periisse. » Hæc prædictus historicus. Ichthyophagi occidentalis littoris incolæ etiam referent Diodoro Siculo l. 3, narrabant mare Rubrum oīim vehementi vento divisum fuisse.

Deinde negamus traditionem Memphitarum verisimilitudine vincere hanc Heliopolitanorum et Ichthyophagorum adeò consentientem cum historiâ Moysis, aut ullo modo posse cum rei gestæ circumstantiis consistere. Et primū quis sibi potest inducere in animum Pharaonem ejusque populum omninò inscientem fuisse æstum maritimum, solum Moyssem eorum scientem fuisse? quasi verò ignorare possent Ægyptii quid contingeret quotidie in suis littoribus, quid in illo mari quod sine dubio piscatorum et mercatorum navibus tegebatur: nam illis antiquissimis temporibus numerosissimam fuisse et potentissimam Ægyptiorum gentem et apud eos scientias atque artes floruisse multis efficere liceret. 2° Si Moyses arripuisset opportunitatem refluxus maris, certè illa pars maris, quæ versùs Suez jacebat, arida fuisset, et Pharaon ubi sensit affluens mare, æstum antevertere cum equitatu potuisset et Suez incolis pertinere: præsertim cūm juxta peregrinatorum relationes, mare recedens nonnisi trecentos passus versùs Suez per brevissimum temporis intervallum siccos relinquat, quos sanè cum equitatu conficere unico momento potuisset Pharaon. 3° Observandum etiam est quòd per tam angustum tramitem, qui supponi potest ad summum ducentis passibus per sex horas latus, nullo modo potuerit Moyses vigesies centena hominum millia cum juvenentis et apparatu omni unā nocte transmittere. 4° Illa verba Moysis, quibus significat Deum usum esse vento vehementi ex orientis plagis ad maris divisionem miraculum potius confirmant, nedūm contraria opinio ex illis vim accipiat. Nam mare Rubrum non est protensum ab oriente in occidentem, sed à septentrione in meridiem; proindeque illo vento orientali refluxus maris augeri non potuit: sed transversum mare perlavit, illudque reverà

divisit in partes duas, quarum una versùs meridiem et oceanum refluxit, altera versùs septentrionem ad Suez prolapsa est. Quod ignorans Pharaò, et existimans maris solummodò usitatum refluxum contigisse, Israelitas persecui non dubitavit. 5º Si æstus maris affluentis Ægyptios occupavisset, tulisset eorum cadavera atque arma versùs Suez et septentrionales plagas maris Rubri, versùs quas mare istud prolabitur affluendo : fieri certè nullo modo potuisset ut illa versùs littus Arabiæ ex adverso Beelzephon projicerentur; nam id factum fuisset contra totius maris affluentis impetum. Denique quis putet summum illum ducem Moysen tam insanum fuisse, ut ad vitandas asperas in montibus Arabiæ vias, in quibus contra equitatum et currus Pharaonis defendere sese potuisset, voluerit omnem spem suam in opportuno maris refluxu ponere: nesciebat profectò an non attingeret Hebræos Pharaò mari affluente aequè ac refluyente, et ex historià reverà colligimus ita accidisse: saltem certum est totum istum sinum aquis plenum fuisse, nam, *cùm appropinquavisset Pharaò, levantes filii Israël oculos viderunt Ægyptios post se, et timuerat valdè et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulera in Ægypto, idèò tulisti nos ut moremur in solitudine?* Ex quibus clamoribus manifestum est eos de salute desperasse quòd inter mare et Ægyptios conclusi essent; etiam ex responso divino, quod sibi factum scribit Moyses, patet sinum maris aquis plenum fuisse, ubi illos attingit exercitus Ægyptiorum. Nullo igitur modo nacti sunt Hebræi opportunitatem refluxus maris; nec, si nacti fuissent, evasissent: nam post proximum æstum eos sequi potuisset Pharaò et citò cum equitatu antevertere: ut evadere potuerint necesse omninò fuit, ut communi ruinà exercitus Pharaonis deleteretur, quod certè ex refluxu maris contigisse, putare dementis est.

4º Denique ad ea quæ ex Josepho laudantur respondeo, nequaquam effici ex ejus oratione celebrem illum historicum fidem patris antiquitatibus non dedisse: è contrario multa probant, quæ hic ferre nimis longum foret, illum non solum fuisse gentis suæ institutis addictissimum, sed etiam cælestis eorum originis omninò convictum. Verùm iis temporibus vivebat, in quibus celandum illud pro patriâ studium existimabat. Respublica Judaica tunc prorsùs eversa erat, summas calamitates experta fuerat tota gens et in præsentia versa-

batur extirpationis periculo; summum erat adversùs eos gentium omnium odium, non tam propter repetitas adversùs imperium Romanum rebelliones, quàm propter religionis suæ ab omni aliâ dissociationem. Omnes apud paganos superstitiones amice fœdere conjungebantur, et omnes gentiles dii consanguinitate et cognatione quâdam tenebantur: Judæorum verò Deus omnes alios aspernabatur, abhorrebantque illius cultores à paganâ quâvis superstitione. Hinc de Judæis scripsit Tacitus: « Apud ipsos fides obstinata, misericordia « in promptu, sed adversùs omnes alios hostile odium: » hincque exarsit gentium omnium in eos invidia. In hisce positus Josephus circumstantis non ausus est inculcare prodigia, quæ in gentem suam providentiam peculiarem ostendebant, aut saltem concludere religionem suam omnibus tenendam esse: è contrario videmus illum historicum ubique occupatum in celandâ illâ populi Judaici erga alienigenas inimicitia, et nullam præterire opportunitatem minuendi illam paganorum invidiam. Inter leges Moysis hanc etiam recenset: « Nemo blasphemet deos, quos aliæ civitates « deos æstimant; nec spolianda fana peregrina, nec donarium deo cuiquam dicatum « auferendum. » Certè hæc lex inter Mosaicæ non legitur, imò toto cælo abhorret à Moysis præceptis. Sic eodem studio valdè temperat Josephus responsum datum Samaritanis postulantis, ut societate cum Judæis ex Babylone reversis conjungerentur. Juxta sacros cõdices hæc fuit Judæorum responsio: *Dixit eis Zorobabel et Josue et reliqui principes: Non est vobis et nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro.* Et ad eodem respondit Nehemias: *Deus cali ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus: vobis autem non est pars et justitia et memoria in Jerusalem.* Josephus verò ne opinionem gentilium confirmaret, sic reddidit illum locum: « Dixerunt, « inquit, quòd non esset in suâ potestate illis « uti sociis ob decreta Cyri et Darii, quibus « templi ædificatio sibi solam permessa fuit. « Verumtamen ipsi licere preces in templo « fundere, neque cuiquam ad colendum Deum « accedenti se negaturos esse templi aditum. » Si hæc rationes valeant ad vindicandum contra Deistas Josephi auctoritatem, quam nobis eripere certant, non absolvunt certè eundem historicum ab ignavâ et multum damnandâ erga ethnicos obsequentia et quâdam religionis suæ proditione.

Objicies 3^o contra prodigia patrata in deserto : Non efficitur illa prodigia fuisse præter naturæ vires, idque multiplicem ob causam, 1^o quia eorum nulli alii testes fuisse quàm Judæi, quorum certè parùm secura fides; nullus alius illa retulit nisi Moyses, cujus in pingendis rebus et falsis ornandis coloribus ingenium habile fuit. 2^o Non videtur populum unquam fidem Moysi plenam et integram dedisse, et sine suspitione fraudis Dei legatum putavisse : si enim ita existimavissent, non toties eos expertus fuisset parùm dociles et rebelles : quæ enim gens est quantumvis barbara et immanueta, quæ stupendis et inauditis prodigiis, qualia referuntur in Pentateucho, non tangeretur, summamque gereret erga eum venerationem, quem Dei ministrum certè cognoscerent ? 3^o Prodigia in deserto patrata sunt facta valdè naturalia quæ Moyses poeticè descripsit et per orationis vanitatem divinæ virtuti adscripsit ; v. g., quòd aquæ fontanæ quorundam lignorum admixtione et arte aliquâ amarum deposuerint saponem, nihil sonat prodigiosum nisi apud imperitos. Deinde Hebræi omnium hominum maxime rudes, qui nunquam in Ægypto viderant fontium scaturigines, facilè divinâ virtute effectum crediderunt, quod nunquam fuerant experti : petra certè parùm apta videbatur imperito illi populo, ex quâ aqua dimanaret. Observandum etiam est mansisse memoriæ proditum, ut ex Tacito discimus, asini agrestis vestigiis insistentem Moysen fontem illum reperisse, quem virgæ suæ percussione scaturisse scribit : « Nihil æquè
« Hebræos, inquit ille scriptor, quàm inopia
« aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio
« totis campis procubuerant, cùm grex asinorum
« agrestium ex pastu in rupem nemore
« opacam concessit, secutus Moyses conjecturâ
« herbi soli largas aquarum venas aperit. » Eodem modo dùm viveret in aliis rebus per quadraginta annos rudem et stolidum illum populum artibus suis decepisse videtur.

Respondet, vanissimas et planè ridiculas esse prædictas rationes. 1^o Verum quidem est, quòd eorum miraculorum testes alios non habeamus præter eorum effectorem Moysen et plusquam sexcenta hominum adulterorum milliâ qui arbitrabantur vidisse se, et omnibus sensibus explorata habuisse eadem miracula, quique illis adducti fuerunt, ut se submitterent Moysis administrationi et institutis, licet difficilissimis atque molestissimis. Sed horum fidem securam valdè contendimus, quia dementis et

delirantis profectò est existimare Judæos cum Moysæ inire potuisse consilium posteros fallendi et sibi talibus fabulis gloriam apud externos conciliandi : rara esse solet decem vel viginti hominum in fraude consensio; totius populi, infinitæ multitudinis ad fallendum concordia, nec unquam fuit, nec esse potest. Inter Hebræos nullus fuit, qui exploratam non haberet narrationis Mosaicæ falsitatem, si vana narret, quique impudentem Moysæ fallaciam posteris detegere non potuerit : qui factum est ut nullus vel ingenii levitate vel animi candore in tantâ multitudine non contradixit ? Deinde certè si in fraudem consensissent sexcenta hominum milliâ, id fecissent propter utilitates aliquas et ex spe emolumentum ex istâ fraude reportandi : verum è contrario in hypothesis adversariorum id fecissent ad confirmandam legem duram, quam in levissimis violare sine vitæ dispendio non licebat. Sed fortassis in fraudem omnes consenserunt ex gloriæ cupiditate, et ad conciliandam exterorum existimationem : at quâ, quæso, arte atque industriâ melius sibi parere potuissent omnium hominum contemptum, atque indignationem excitare ? quo animo legisset Ægyptii institutam à Moysæ plagarum Ægyptiacarum historiam ? Inventæ sapiens fuere apud varios populos fabula ad commendandam gentis antiquitatem nobilitatemque generis ; sed scena in remotissimis ætatibus collocata semper fuit et involuta temporum obscuritate commenta illa. Verum cas fabulas pro factis historicis tradere, quæ propter compertam omnibus vanitatem fidem nequeunt obtinere, nemo unquam seriò cogitavit. Et, ut utar exemplo usurpato à viro ingenioso, si, exempli gratiâ, Mauri Hispaniâ pulsî commenti fuissent se divinâ virtute ab Hispanorum servitute liberatos, et reduces in Africam gloriosi fuissent multas et gravissimas calamitates expertos esse Hispanos ; mare Mediterraneum in duas partes divisum ad iter faciendum arenas nudavisse, et Hispanorum exercitum in aquis interiisse, projectaque fuisse in Africæ litus eorum corpora, certè non admirationem sed risum aut indignationem moveret mendacii impudentia, et stoliditas eorum vanitas. Equè vanum et ridiculum fuisset Moysæ et Judæorum consilium, si ad aucupandam exterorum existimationem, istam narrationem licet falsam instituissem. Neque certè putandum est illudere hominibus illis antiquioribus temporibus, rem facilem fuisse. Nam etiam Moysæ temporibus, homines oculis

ut-bantur atque auribus, eadem studia habebant, commercia etiam inter se agitabant. Præterea si ad aucupandam famam in hanc fraudem omnes consenserint, qui factum est, ut voluerint etiam referre quam plurima facta, quæ æternam generationi illi opprobrium incurrunt? quam gloriam tribus Ruben ex supplicio Dathan et Abiron, aut filii Core ex parentis sui morte infami acquirere potuere? Cloriosum profectò fuere illis familiis monumentum laminæ aureæ altari affixæ ad memoriam supplicii illis divinitus inflicti! Lepidè etiam ad conciliandam exterorum existimationem excogitata historia vituli aurei, repetitarum murmurationum et variarum calamitatum, quibus in solitudine castigati à Deo fuerunt, et præcipuè illa in omnem istam generationem lata à Deo sententia, quæ exclusi terræ promissionis ad vitam in solitudine asperam per quadraginta annos damnati sunt propter stolidam diffidentiam et perversitatem!

2º Propter rationes jam allatas absurdum est asserere Judæos non dedisse fidem Moysis prodigiis. Nam dementis est non dare fidem facto, quod eà demonstratur evidentia quæ major esse nequit. Expertus est Moyses Judæos sapiens rebelles: sed quis tam parùm novit multitudinis indolem, qui admiretur illam fame et inedia tangi magis quàm alià quavis re? Principes etiam populi adversus Moysen conjuravere occasione electionis Aaronis in sacerdotem; sed quotidie videmus ambitionem præcipites agere in perniciem magnates. Existimare potuerunt Moysen quidem Dei legatum fuisse ad liberandum populum, sed proprio Marte arrogavisse familiæ suæ summum sacerdotium. Fateor etiam singularem perversitatem demonstravisse populum in conflando post datam in monte Sinài eum tantâ majestate legem vitulo aureo; sed multitudinem vento levio rem, commutabilem et ad opposita extrema unâ horâ ferre sese quotidie experimur. Quidam putarunt non certum omnino esse populum in hac occasione descivisse à Deo Moysis ad deos Ægyptiorum: nam idolum sculptile dicatum fuit Jehovæ, et festum quod celebratum est in dedicatione idoli dicitur solemnitas Jehovæ et illius Dei qui eduxerat eos de terrâ Ægypti: attamen nobis dubitandi nullus locus videtur, quin vitulus ille fuerit imago Apis Ægyptiorum dei, cui nomen incommunicabile Jehovæ dederunt, et quin malâ consuetudine depravati *aversi sint cordibus suis in Ægyptum*. Act. c. 7, v. 39.

3º Denique negabimus Moysen in istis prodigiis, quæ patrata sunt in solitudine, deludere potuisse Israelitas, donec ostenderit deistaram aliquis in quâ arte mechanicâ effecerit, ut manna per quadraginta annos in cælo concreceret et in terram ante solis ortum caderet, putresceret proximo quoque die, excepto die sabbati; quo instrumento usus terram aperuerit ad absorbenda tabernacula et universam substantiam Dathan et Abiron; vel quâ usus solertiâ vestimenta et calceamenta Israelitarum per quadraginta annos deteri non sit passus; vel denique si hæc non effecerit, qui naturam omnem humanam perturbaverit, atque effecerit ut ea sensibus experirentur Judæi, quæ reverà sensus non afficiebant? Vanas in objectione propositas explanationes et fabulam ex Tacito descriptam confutare operæ prelium non est, cum nihil levius proferri queat; manebit solummodo ea quæ de Judæis scripsit Tacitus omnium judicio multùm minuire illius auctoritatem: haud pauca de illorum origine et institutis habet, sed in omnibus ferme supinam prodidit ignorantiam, illique, nescio quo fato, contigit nihil vix referre, quod non distet à veritate.

PROPOSITIO II.

Deus multis ante Moysen annis eventum omnem, cujus minister existit, prænantiauit.

PROBATIO. — Nam hoc ita est, si relata Genesis cap. 15 historia vera sit, nec fuerit à Moysè conficta: Factus est sermo Domini, inquit Moyses, ad Abram per visionem dicens: Noli timere, Abram, ego protector tuus et merces tua magna nimis. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis... mihi autem non dedisti semen: ecce vernaculus meus hæres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras et ait illi: Suscipe cælum et numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Creditit Abram Deo, et reputatum est illi in justitiam, dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam et possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quòd eam possessurus sim? Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem et columbam. Qui tollens universa hæc divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus

posuit : aves autem non divisit. Descenderuntque volucres super cadavera et abigebat eas Abram. Cùmque sol occumberet, sopor irruit super Abram, et horror magnus et tenebrosus invasit eum, dictumque est ad eum : Scito prænosces quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, et subjicient eos servituti et affligent quadringentis annis : verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo ; et post hæc egredientur cum magnâ substantiâ. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bonâ ; generatione autem quartâ revertentur huc, necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Cùm ergo occubisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit elibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens : Semini tuo dabo terram hanc à fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem, Cinæos et Cenesæos, Cedmonæos et Hethæos, et Pheresæos, Raphaim quoque et Amorrhæos, Chanaanæos et Cergesæos et Jebusæos. » Si, inquam, historia illa fabula non sit, à Moyse inventa post rerum eventum, omninò rem nostram conficit, quia singula de venturis fati Hebræorum in eâ contenta vaticinia, de nativitate inexpectatâ Isaac, de stupendâ multiplicatione gentis, de Hebræorum peregrinatione et servitute, de eorum liberatione post quadringentos annos, de judiciis in Ægyptiis exercendis, de divitiis Israelitarum, de occupatione terræ Chanaan, plenissimam sortita sunt completionem. Atqui historia illa vera est, non à Moyse conficta, ut in responsionibus ad objectiones demonstraturi sumus.

Objicies : Illa vaticinia non efficiunt cœlestem Moysis legationem, quæ 1º non probantur à Moyse non fuisse conficta ; 2º quæ eventu caruere. Atqui 1º Non efficitur illa vaticinia non fuisse à Moyse conficta ad accendendos suorum animos, sibi que conciliandam auctoritatem. Certè illa fingere ipsius intererat maximè : et præterea multa suadent illa vaticinia ante Moysen nullatenus cognita fuisse. Nam legimus Abrahamum descendisse in Ægyptum statim post relictam domum patris sui, nec ex illo regno rediisse in terram Chanaan, nisi quia in Ægypto sedem ponere non potuit à rege expulsus ; legimus Isaac tentasse etiam sedem figere in Ægypto, sed frustra ; et denique ubi Jacob ejusque filii sedem ibi auctoritate et gratiâ Josephi invenissent, videntur eos nullo

modo desiderasse illam relinquere, donec se verius fuissent ab Ægyptiis tractati : imò ita eos ceperat terræ promissæ obliquo, ut ex Ægypto inviti prorsus, etsi gravi premerentur servitute, adducti fuerint.

2º Eadem illa vaticinia non fuere eventu completa. Nam juxta illa vaticinia debebant Hebræi 1º terram Chanaan occupare post quadringentos annos et statim post liberationem à servitute Ægyptiacâ. 2º Debebant universam regionem subigere à fluvio Ægypti usque ad magnum flumen Euphratem. Atqui primò post annos quadringentos illam terram, Moyse duce, non subegerunt, sed in deserto per quadraginta annos commorari coacti sunt. Deinde terram universam Abraham promissam nunquam subegerunt, siquidem Chananæi multi, cæterique incolæ devoti capitali supplicio in terrâ ipsâ Chanaan mansere, et in florentissimo regni Judaici statu imperium finiebatur longè citra Euphratem, neque ultra Dan ad septentrionem protendebatur. Audiatur S. Hieronymus in Epistolâ ad Dardanum : « Respondeant mihi qui hanc terram, quæ nunc nobis Christi passione et resurrectione terra repromissionis effecta est, possessam putant à populo Judæorum, postquam reversus est ex Ægypto, quantum possederit? Utique à Dan usque Bersabee : quæ vix centum sexaginta millium in longum spatio tenditur. Neque enim David et Salomon potentissimos reges, exceptis iis quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse Scriptura testatur ; et hoc dico ut taceam Palestinæ civitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron, et Azotum : Judæos quoque à meridiana plagâ vix septuaginta quinque millibus à Jerosolymâ separatos ; Arabas et Agereños, quos nunc Saracenos vocant, in viciniâ Jerusalem. Pudet dicere latitudinem terræ repromissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur : à Jope usque ad viculum nostrum Bethleem quadraginta sex millia sunt, cui succedit vastissima solitudo, plena ferocium barbarorum, de quibus dicitur : *Contra faciem omnium fratrum tuorum habitabis...* Hoc est, Judææ, tuarum longitudine et latitudine terrarum, in his gloriaris, super his te per diversas provincias ignorantibus jactitas. Ad populum Phaleras : Ego te intus et in cute novi. Quòd si objeceris terram repromissionis dici, quæ in Numerorum volumine continetur.... et ego fatebor hæc tibi repromissa, non tradita. »

Respondeo : Nego minorem quoad utramque

partem. Et 1^o quidem certissima est illa historia relata Gen. c. 43, et generatim tota illa instituta à Moysè de Patriarchis narratio. Primo etenim illa historia refertur ab auctore ferè coætaneo qui perspectam habuit historiæ illius veritatem : nam Moyses cum Amram patre suo longo tempore vixit, qui Josephi ejusque æqualium familiaritate uti potuit : Josephum verò et fratres ignaros fuisse eorum rerum, quæ patri et avo contigerant, suspicari non possumus. Præterea non certò constat Moysen illa omnia ex solâ traditione accepisse. Usus fortassè est scriptis aliquibus, quæ in familiâ Hebræorum servabantur et in quibus cum genealogiis res maximè memorabiles, et præsertim quæ ad religionem spectabant, memoriæ probebantur.

Secundò illa historia refertur stylo simplici et ingenno sine ullâ levisimâ specie vanitatis : omnes, quæ circumstant illum eventum memorabilem, partes accurate describuntur, idque cum maximâ fidentia et securitate, ut narrari solent historiæ quarum certa fides est : nullatenus illa videtur assuta, sed necessariam potius cum antecedentibus et consequentibus connexionem habere.

Tertiò illam historiam invenire Moyses non potuit, fidemque apud Hebræos facere, qui exploratam habere debebant illius historiæ veritatem vel falsitatem. Siquidem Hebræorum Moysis æqualium parentes cum Josepho, Judâ, Simeone et aliis fratribus familiariter viverant et optimè certè sciebant utrùm ulla fuerit unquam in gente suâ istarum rerum memorabilium fama, uti cum maximâ securitate tradit Moyses. Præterea intererat quamplurimorum ex Judæis illam historiam vanitatis convincere et impedire ne fidem obtineret : nam Moyses in Genesi non solùm ea narrat, quæ ex divinâ providentiâ patribus Hebræorum feliciter obtigerant et ex quibus augeri posset gentis gloria ; sed etiam illa recitat, quæ pluribus tribus contumeliosa erant : v. g., ut cætera taceam, narrat tres primogenitos Jacobi filios Ruben, Simeon et Levi jure primogenituræ à patre privatos fuisse : « Ruben, primogenitus meus... effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratam ejus. Simeon et Levi vasa iniquitatis et bellantia : in concilium eorum non veniat anima mea... et in cœtu illorum non sit gloria mea.... maledictus furor eorum... didam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel. » Jus primogenituræ his ablatum Judæ

concessum fuisse tradit Moyses : *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui.* Et juxta hanc dispositionem patriarchæ Jacob, inter tribus Israel prima semper incedebat et agmen ducebat illa Judæ, tempore Moysis et Josue, qui principatus nullos excitavit in castris tumultus. Jam verò quis in animum sibi inducet Moysen inire potuisse consilium contumeliâ afficiendi et æterno opprobrio onerandi tres istas tribus, suam etiam familiam, eo præcipuè tempore cùm illorum sibi animos conciliare omni arte oportuisset ? Quis credat istas tribus tam insignem calumniam ignavè tolerare voluisse aut tam iniquæ constitutioni morem gerere, si omnibus esset exploratum fabulam illam invidiosè inventam fuisse à Moysè ?

Quartò signis et monumentis publicis illa historia Patriarcharum tempore Moysis confirmata erat. Ritus ille circumcisionis, qui observabatur apud omnes Abrahamæ posteros, Ismaelitas, Idumæos, et Hebræos, signum erat profectò perpetuum fœderis illius, quod cum Abraham pepigit Deus, neque aliam tam singularis observantiæ originem excogitare possumus. Veritatem ejusdem historiæ Mosaicæ confirmabant sepulcra Patriarcharum et uxorum suarum, putei ab ipsis excavati, altaria ad peragenda sacrificia ædificata, loca ubi fixerunt tentoria, etc. Cùm hæc avorum suorum vestigia in terrâ Chanaan ubique inveniret Hebræi, quomodò suspectam habere poterunt historiæ Moysis fidem ? et cùm certum sit suspectam illis non fuisse hanc historiam propter hæc argumenta, illam nunc suspectam habere insanum foret. Non solùm inanima illa monumenta ab avis suis erecta, sed ipsæ gentes quæ illas terras incolebant, Ismaelitæ, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, aliæque familiæ magnam auctoritatem scriptis Moysis afferebant, in quibus eorum omnium narratur origines, texuntur genealogiæ et describuntur hæreditates.

Quintò denique illa vaticinia, quæ describuntur cap. 43 Geneseos, habent cum factis certissimis necessariam connexionem. Certissimum est, v. g., Josephi ossa servata fuisse in urnâ, quamdiù commorati sunt Hebræi in Ægypto, eaque translata fuisse ejus jussu à Moysè in terram Chanaan et ibi sepulta. Certissimum est etiam corpus Jacobi ad sepulcra Abrahamæ et Isaac à filiis suis post ejus mortem delatum fuisse, et ejus exequias ibi cum tantâ pompâ et apparatu celebratas ab Ægyptiis qui Josephum comitalantur, ut locus postea nuncupatus fuerit Luctus Ægypti. Certissimum est

illum sermonem propheticum quem legimus Genesis c. 49 à patriarchâ Jacob morti proximo editum fuisse : illum certè à Moÿse inventum credere dementis est propter rationes modò allatas. Denique certum est Patriarchas Abraham et Isaac et Jacob peregrinos esse in terrâ Chanaan, neque sedes fixas habuisse. Atqui hæc omnia facta necessariam habent connexionem cum promissionibus factis Abraham Genesis c. 15. Primum quidem ossa Josephi servata in loculo ab Hebræis, monumentum suæ perpetuum, quòd expectare eventum divinarum promissionum et quòd benè nossent in Ægypto non semper sibi permanendum esse: quam aliam causam fingere possumus cur illius servata ossa fuerint et in terram Chanaan delata, nisi quia moriens, ut tradit Moÿses Gen. 50, *præceperat et adjuraverat filios Israel dicens : Post meam mortem visitabit vos Dominus et ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob : asportate ossa mea vobiscum de loco isto?* Secundò cur Jacob moriens sepeliri voluit in terrâ Chanaan, nisi quia reversuros in illam regionem filios suos ex oraculis divinis noverat? Si putavisset filios suos semper in Ægypto permansuros, elegisset potius condi inter posteros, quam in terrâ alienâ quâ potiebantur inimici ejus. Sed unde hoc scire potuit nisi ex illis promissionibus factis avo, patri et sibi? videbat etenim moriens filios suos in florentissimo statu ex gratiâ et auctoritate Josephi constitutos et valdè acceptos Ægyptiis; quâ prævidere sagacitate potuit fortunam eorum aliquando immutandam esse? Tertio in sermone illo Jacobi ad filios suos, benedictiones, quas in liberos fundit adeò clarè futura gentis Hebrææ fata annuntiant, ut qui factas à Moÿse promissiones dixerit, factas etiam benedictiones illas dicere eum necesse sit : sed cum hoc sine dementiâ dici non possit, non datum est illas promissiones in dubium revocare. Denique patet ex eo quòd Abraham Isaac et Jacob nullam sedem fixam habuerint in terrâ Chanaan, nullas urbes œdificaverint, nec ulla terras, nisi prout præsens postulabat necessitas, colerint; liquet, inquam, eos memores fuisse illorum vaticiniorum : nam quis putet familiam illam opibus et potentiâ florentem nullam ditionem propriam habere voluisse per annos plusquam ducentos, nisi hæsisset fixam in animis Patriarcharum illam terram sibi non illo tempore permissam? *Fide igitur, ut ait Apostolus Heb. c. 2, demorati sunt in terrâ repromissionis tanquam in alienâ in casulis habi-*

tando : juxta fidem defuncti sunt, non acceptis promissionibus, sed à longè eas aspicientes et salutantes et contentes, quia peregrini et hospites erant super terram.

Et certè nihil tantam affert nostræ sententiæ vim quàm vanissimæ illæ considerationes in objectione expositæ. Ex eo quòd multum cavet vaticinia Moÿsis auferent auctoritatem, non intelligo quâ industriâ erui possit, illa non fuisse ante Moÿsem edita; eadem argumentandi ratione concludere etiam liceret finxisse Moÿsem miracula in Pentateucho relata, quòd illa non parùm firmarent ejus auctoritatem. Verùm sicut ad elevandam horum vim, ostendendum deistis incumbit non esse expertos Judæos illa prodigia, sic ad elevandam vim argumenti ex istis vaticiniis demonstrandum est illa Israelitis ignota ante Moÿsem fuisse. At, inquis, Abraham, Isaac et Jacob descenderunt in Ægyptum, et ibi commorati sunt eorum posterì per ducentos et amplius annos : ergo nullas acceperant promissiones de possidendâ terrâ Chanaan post quadringentos annos. Quàm benè, quam ingeniosè conclusum! Concluderem profectò melius : Ergo prohibuerat Deus ne sedem in terrâ Chanaan tunc figerent; ergo benè sciebant se non esse illam terram nisi post quadringentos annos possessuros, et confitebantur se esse peregrinos et hospites super terram illam.

2º Illa omnia vaticinia quæ c. 15 Geneleos referuntur, reverè adimpleta fuerunt, idque non sine speciali Dei procuracione : de singulis pauca dicemus. Primum continetur hisce verbis : *Non erit Damascus Eliezer hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo ipsum habebis hæredem.* Quæ promissio multoties facta Abraham adimpleta fuit tandem in nativitate Isaac, quem peperit Sara sterilis et vetula, sexdecim annis post factam primam promissionem. Secundum vaticinium comprehenditur his verbis : *Suspice cælum et numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* Quæ promissio primò facta Abraham fuit, ubi divino mandato reliquit domum suam, et postea sæpius confirmata est, ut legimus c. 15, 17, 18 et 22. Atque propter hanc causam mutavit Deus nomen istius patriarchæ qui prius Abram vocabatur, cum nondùm ullum filium genuisset, dicens : *Ego sum, et pactam meam tecum, erisque pater multarum gentium, nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constituisti te. Faciam te crescere vehementissimè, et ponam te in gentibus, et reges ex te egredientur.* Contententur huic promissioni videntur filios

omnes Abrahamæ, tum eum quem ex Agar ancillâ habuit, tum eos quos peperit Cettura, numerosæ progeniei parentes fuisse, et uniuscujusque stirpem in gentem magnam evasisse : sed præcipuè in domo Isaac plenissimam sortita est completionem illa propheta. Nam mortuo Jacob stupenda cepit incrementa familia istius patriarchæ, qualia nunquam experta est quævis alia gens : etenim philosophiæ naturalis studiosi observant non nisi centum viginti annorumspatio, juxta cursum naturæ ordinariæ, gentem aliquam duplicari, et tamen constat Hebræorum familiam quamdiu in Ægypto fuit, singulis quindecim annorum periodis fuisse duplicatam : quod certè fuit prorsus singulare, nec sine Deo potuit contingere ; adeoque rectè scripsit Moyses eos quasi *germinantes multiplicatos esse*. Post exitum ex Ægypto multùm quidem abfuisse Hebræi ab hac inusitatâ multiplicatione propter varia in Deum suum crimina et frequentes in ultionem seculum illis inflictas calamitates ; sed tamen numero superavere quamvis aliam familiam, et etiam hisce temporibus inter tot nationes diversis prognatas parentibus, hanc solam à cæteris omnibus distinctam durare et complere omnia loca cernimus, etsi nulla unquam fuerit tam invida cunctis populis, tot afflicta cladibus et tam diuturnis vexata infortuniis.

Tertia propheta hisce verbis continetur : *Dictumque est ad Abraham : Scito prænoscent quòd peregrinum futurum sit semen tuam in terrâ non sua, et subjicient eos servituti et affligent quadringentis annis*. Duas habet partes ista propheta : prima, spectat conditionem posterorum Abrahamæ ; secunda, tempus quo in istâ conditione permansuri erant ; utraque eventu comprobata fuit. Nam primò post diuturnam in terrâ Chanaan peregrinationem, in Ægypto tandem servitute gravi oppressi fuerunt. Secundam etiam partem completam fuisse novimus ex v. 40, c. 12 Exodi, ubi juxta exemplar Samaritanum et versionem septuaginta Interpretum legimus : *Habitatio filiorum Israel, quæ manserunt in Ægypto et in terrâ Chanaan, ipsi et patres eorum, fuit quadringentorum et triginta annorum*, à quibus si demas triginta circiter annos, qui effluerant à vocatione Abrahamæ usque ad nativitatem Isaac, habebis numerum quadringentorum annorum : propheta etenim spectat peregrinationem seminis Abrahamæ, nec includit triginta illos annos, quibus jam peregrinatus fuerat Abraham antequàm haberet semen. Quarta propheta sequentibus verbis

continetur : *Veruntamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo*. Quæ completa fuit cùm Pharaonis contumacia tot plagarum et calamitatum causa Ægyptiis extitit. Quintum sequitur vaticinium his verbis expressum : *Post hæc autem egredientur cum magnâ substantiâ, quòd etiam completum est in spoliatione Ægyptiorum : magnum certè pondus auri et argenti, ingentemque pretiosorum rerum suppellectilem secum ex Ægypto Hebræos abstulisse constat ex magnificâ et sumptuosâ tabernaculi ejusque partium singularum constructione. Sextum habemus vaticinium in his verbis : Generationis autem quartâ revertentur hæc : nondùm enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*. Quòd etiam adimpletum discimus ex libro Exodi : *Nam quatuor numeratur generationes eorum qui in Ægyptum descenderunt*. Levi, ex. g., jam mediæ assecutus ætatem descendit in Ægyptum ; filius ejus Caath secundam generationem constituit, Amram filius Caath tertiam, et Moyses, Aaron ac Maria soror quartam. Sic etiam Phares filius Judæ mediæ ætatis erat, utpote qui jam filios genuerat, Hesron et Ilamul ; à Phares secundus numeratur Hesron, tertius Segub, quartus Jair. Sic denique si à Ruben numeremus, secundus Paltu fuit, tertius Eliah, quartæ generationis pars erunt Dathan et Abiron, qui adversus Moysen rebellârunt.

Septima et ultima propheta spectat terminos futuræ Hebræorum ditionis, et his verbis continetur : *In illo die pegigit Dominus sædus cum Abram dicens : Semini tuo dabo terram hæc à fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem, Cinesæ et Cenezæos, Cédmonæos et Hethæos et Pheresæos ; Raphaim quoque et Amorrhæos, Chanaanæos et Gergesæos et Jebusæos*. Hæc propheta partim completa fuit tempore Moysis, qui Amalecitas prælio expugnavit et ante mortem suam totam orientalem Jordanis partem, subegit ; deinde sub Josue, cùm ejus armis devicti fuerint Chanaanæorum reges triginta et unus, quorum ditiones inter tribus Israel sorte divisæ sunt. Sed plenissimam habuit completionem tempore David et Salomonis, qui imperii Judaici fines usque ad Euphratem reverâ protulère : de primo enim legimus libro 2 Reg. c. 3 : *Percussit David Philistiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philistiim, et percussit Moab... factusque est Moab David serviens sub tributo*. Et percussit David Adrezer filium Itolob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumina

« Euphraten.... Venit quoque Syria Damasci
 « ut præsidium ferret Adarezer regi Soba; et
 « percussit David de Syriâ viginti duo millia
 « virorum: et posuit David præsidium in Sy-
 « riâ Damasci, factaque est Syria serviens sub
 « tributo. » De Salomone verò scribitur 1. 5
 Reg. c. 4: « Salomon autem erat in ditione
 « suâ habens omnia regna à flumine terræ
 « Philisthiim usque ad terminum Ægypti,
 « offerentium sibi munera, et servientium ei
 « cunctis diebus vitæ suæ.... Ipse enim obti-
 « nebat omnem regionem, quæ erat trans flu-
 « men à Tapsa usque ad Gazam, et cunctos
 « reges illarum regionum, et habebat pacem ex
 « omni parte in circuitu. »

Excusamus nunc breviter quæ adversùs
 hanc prophetiarum nubem asserere solent dei-
 stæ: « Israelitæ, inquit, non penetrârunt in
 « terram Chanaan nisi quadringentis quadra-
 « ginta annis post natum Isaac: ergo vanitatis
 « convincitur illa propheta quæ ad quadrin-
 « gentos annos subactionem terræ Chanaan
 « definit. » Benè profectò, si ulla inter supra
 expositas esset, in quâ id prænuntietur: præ-
 dicitur solummodò semen Abrahæ peregrinum
 futurum in terrâ non suâ, et deinde captivum
 in terrâ Ægypti, et liberandum tandem esse
 post quadringentos annos ab istâ durissimâ
 servitute, quæ omnia contigère. Terram Cha-
 naan statim post elapsum istum annorum nu-
 merum ab ipsis subigendum nullibi prædictum
 est. Dicitur sanè: *Generatione quartâ rever-
 tentur hinc*, id est, ad terram Chanaan, et
 reverâ reversi sunt, eorumque adventum cum
 magno suo damno sensere Amalecitæ; neque
 certè mirari satis possum deistarum vanita-
 tem, qui ex unâ parte supponunt vaticinia illa
 à Moyse conficta fuisse, et ex alterâ parte non
 fuisse impleta; quasi verò adèd hebes et de-
 mens quisquam esse potest ut vana et temerè
 excogitata, vaticinia quæ eventu caruère, non
 modò referat, sed perpetuò inculcet: si even-
 tus non respondisset, silentio potiùs fraudem
 suam posteros celavisset Moyses.

Verùm additur: « Nec Josue duce armis uni-
 « versam regionem promissam subegère. » laud
 diffitemur, sed nec id prædictum fuit. Certè
 Moyses et Josue prophetiæ illius sensum (mul-
 tò magis si, ut placet deistis, ab ipsis conficta
 fuit) novissime censendi sunt: videamus igitur
 quomodò isti illam intellexerunt. Moyses Exodi
 c. 20, v. 29, negat Israelitas esse subacturos
 omnem terram Chanaan statim vel spatio
 unius anni: sic enim Deum loquentem intro-

ducit: « Non ejectionem eos à facie tuâ anno
 « uno, ne terra in solitudinem redigatur et
 « crescant contra te bestię: paulatim expel-
 « lam eos de conspectu tuo, donec augetur
 « et possideas terram. » Item Deut. c. 7, v.
 22, sic Israelitas affatur: « Deus consumet
 « nationes has in conspectu tuo paulatim
 « atque per partes: non poteris eas delere
 « pariter, ne fortè multiplicentur contra te
 « bestię terræ. » Et Josue morti proximis di-
 cere tamen potuit: « En ego ingredior viam
 « universæ terræ et toto animo cognoscitis
 « quòd de omnibus verbis, quæ se Dominus
 « præstiturum pollicitus est, unum non præ-
 « terierit incassum. »

Sed præterea objicitur « non solum illam
 omnem regionem, quæ describitur in prophe-
 tiâ factâ Abrahæ, non fuisse sub Moyse et
 Josue subactam, sed etiam quamdiù stetit
 respublica terminos imperii vādè distāsse
 ab Euphrate. » Hoc etiam fatentur cum sancto
 Hieronymo interpretes multi: negant tamen
 frustratas fuisse divinas promissiones evento
 suo. Deus, inquit, Israelitis fines diversos
 pollicitus videtur; alios, qui non ultra eum
 locum propè Dan, qui introitus ad Emath
 dicebatur, extendebantur ad septentrionem;
 alios verò, qui ulterius ad Euphratem usque
 excurrerant. Illis quidem angustioribus pri-
 mum contentos vivere Israelitas voluisse Deum
 aiunt, donec magis magisque propagati spatio
 ampliòre opus haberent: cum verò freti Deo
 illos universos occupassent, neque impiis Deo-
 que invisis gentibus quidquam illic reliqui
 fecissent, tum demum fore tempus quo pos-
 sent ultra progredi et ad Euphratem usque
 omnia loca ditioni suæ adicere, sibi que ut
 hæreditatem suo jure vindicare, si tamen per-
 petuâ adversùs Deum pietate dignòs se am-
 pliòre ejus liberalitate præstitissent. Ita S.
 Hieronymus, cujus hæc sunt verba statim post
 illa in objectione citata: « Si observasses
 mandata Dei, et si in præceptis ejus ambu-
 lasses; si non pro omnipotenti Deo coluisses
 Beelphegor et Baal, Beelzebub et Chamos:
 quos quia prætulisti Deo, omnia, que tibi
 promissa fuerant, perdidisti; et mihi in Evan-
 gelio promittuntur regna cælorum, quæ in-
 strumentum vetus omnino non nominat; sed
 si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam
 erit culpa in promittente, sed in me qui pro-
 missum accipere non merui: ubi enim optio
 proponitur ad eligendum, qui operari renuis,
 frustra cupias quod præmissum. » Hanc S.

Hieronymi explicationem confirmant innumera illa loca, in quibus Dei nomine significavit Moyses Hebræos non tantum non esse devicturos hostes suos, si alienorum moribus assuescerent, verum ab ipsis fore extirpandos: unde colligere licet illam promissionem, quæ spectat gentis felicitatem et amplitudinem, conditionatam fuisse. Amplectimur tamen sententiam S. Augustini, qui fretus illis quæ supra laudavimus testimoniis ex libro Regum, non dubitat asserere prophetiam illam Moysis plenissimam habuisse completionem tempore Davidis et Salomonis.

Sed, inquit, terra ista promissionis, cujus Moyses miram fertilitatem toties extollit, quamque ubique depingit ut lacte et melle manantem, est omnium, quas in Asiâ noximus, provinciarum, ut liquet ex viatorum relationibus, maxime sterilis: pluviis non irrigatur, fluminibus non alluitur: est ejus solum omnino saxosum et omnis culturæ impatiens: montibus aridis et præruptis rupibus ita abundat, ut merito possit cum Helvetiâ comparari, cujus incolæ, ut olim Judæi, patrium solum, ut habeant unde nutriantur, vertere coguntur. Ita deistæ quidam.—Resp. Nihil magis à veritate distare quam hanc quorundam moderatiorum objectionem: atque ad ejus falsitatem aperiendam, testes appellare sufficiat, tum veteres, tum recentiores historicos et viatores: inter veteres quidem Heecatæum (1), Plinium (2), Tacitum (3), Solinum (4), Ammianum Marcellinum (5), S. Hieronymum (6), qui

(1) Illic apud Josephum contra App. l. 4, c. 22, affirmat « gentem Judaicam populo maxime abundasse, atque optimum et feracissimum habuisse solum. » Vide quæ de Joppe habentur apud Strabonem l. 16, p. 1100, ed. Amst.: « Locus hic (Joppe) adeo hominibus abundavit, ut ex Jammâ proximo vico et circumvicinis habitationibus quadraginta hominum nulla armententur. »

(2) L. 43, c. 4: « Judæa verò inelyta est vel magis palmis, » etc.

(3) Hist. l. 5, n. 4: « Rari imbres, uber solum, exuberant fruges nostrum ad morem, præterque eas balsamum et palma. »

(4) C. 48: « Judæa illustris est aquis.... Jordanis, annis eximie sursum, regiones præterfluit amantissimas.... In hac terrâ tantum balsamum nascitur.... »

(5) L. 14, c. 8: « Palestina per intervalla magna protenta, cultis abundans terris et nitidis, civitates habens quasdam egregias, nullam nulli cedentem, sed sibi vicisim velut ad perpendicularum æmulas. »

(6) Com. in Isai. c. 5: « Nihil terrâ promissionis pinguius, si non montana quæque atque deserta, sed omnem illius latitudinem consideres, à rivo Ægypti usque ad flumen ma-

sine dubio istius regionis indolem optimè compertam habuit. Inter recentiores verò ejusdem veritatis fidem faciunt Villamont, Pietro della Valle, Eugenius Rogerus, Maundrellus, Thevenotus, Morisonius, Shawius et alii, quorum testimonia descripta videre est apud doctos. Bullet, *Réponses critiques*. Aliunde quis ignorat regiones olim uberrimas, quæque multæ habitantium millibus abundanter fruges suppeditabant, steriles evadere, aut videri ex defectu culturæ? in exemplo est ipse ager Romanus.

Sed si pertinacius defendere velint deistæ terram Judææ non esse naturâ suâ uberem, cum ex alterâ parte constet illam olim, dum eam tenerent Israelitæ, fuisse parem alendis hominum myriadibus, certè concludemus pristinam illam tantam uberitatem Dei supernaturali virtuti acceptam esse referendam (1).

PROPOSITIO III.

Plura edita à Moysæ vaticinia prophetam fuisse divino spiritu afflatam ostendunt.

PROBATIO. — Prima et maxime insignis prophetia Moysis illa est, in quâ Judæis legem observantibus semper præsentem adfuturam divinam opem spondidit; contemnentes verò afflictos et oppressos fore prædixit. Inter innumera Pentateuchi loca, in quibus has promissiones et comminationes legimus, unum illum selegimus Lev. c. 26: « Custodite sabata mea, et paveat ad sanctuarium meum. Ego Dominus. Si in præceptis meis ambuleritis et mandata mea custodieritis et feceritis ea: dabo vobis pluviam temporibus et suis, et terra gignet germen suum, et ponis arbores replentur.... Dabo pacem in finibus vestris... persequemini inimicos vestros et corrunt coram vobis. Persequuntur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia.... Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, et si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis. Persequar eos contra orientem, et ad septentrionalem plagam usque ad Taurum montem et Lyphirium Cilicæ, quod mari imminet. » Vide eundem ad cap. 56.

(1) Vid. etiam opus inscriptum: *Recherches sur la Judée, considérée principalement par rapport à la fertilité de son terroir, depuis la captivité de Babylone jusqu'à notre temps; ad calcem vol. 3 operis cui titulus: Lettres de quelques Juifs; ed. Paris 1817.*

« vobis : Visitabo vos velociter in egestate et
 « ardore, qui conficiat oculos vestros et consu-
 « mat animas vestras : frustra seretis semen-
 « tem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam
 « faciem meam contra vos, et corructis coram
 « hostibus vestris, et subiciamini his qui ode-
 « runt vos... disperdamque terram vestram,
 « et stupebunt super eam inimici vestri, cum
 « habitatores illius fuerint. Vos autem disper-
 « gam in gentes, et evaginabo post vos gladium,
 « critque terra vestra deserta et civitates vestrae
 « dirutæ... peribitis inter gentes, et hostilis
 « vos terra consumet; quod si de eis aliqui
 « remanserint, tabescent in iniquitatibus suis
 « in terrâ inimicorum suorum, et propter pec-
 « cata patrum suorum et sua affligentur : do-
 « nec coniteantur iniquitates suas et majorum
 « suorum... donec erubescat incircumcisa
 « mens eorum : tunc orabunt pro impietatibus
 « suis, et recordabor fœderis mei, quod pe-
 « pigi cum Jacob, Isaac et Abraham : terræ
 « quoque memor ero... et tamen etiam cum
 « essent in terrâ hostili, non penitus abjeci
 « eos, neque sic desepi ut consumerentur, et
 « irritum facerem pactum meum cum eis. Ego
 « sum Dominus Deus eorum, et recordabor
 « fœderis mei pristini, quando eduxi eos de
 « terrâ Ægypti in conspectu gentium, ut es-
 « sem Deus eorum : ego Dominus. » Vide
 etiam Ex. c. 49, et Deut. 28. Quis in historiâ
 Judaicâ tam peregrinus est, qui non pervideat
 divino illi legislatori futura gentis suae fata
 remotissima perspecta fuisse? Harum tamen
 prophetiarum adimpletionem paragrapho se-
 quenti in magnâ luce collocabimus, ubi asse-
 remus perpetuum Dei et supernaturale in
 tuendâ republicâ Judaicâ presidium.

Secunda prophetia legitur Num. 14, cum
 Israelitæ, decem exploratorum relatione ter-
 riti, divinis noluerunt parere mandatis, hanc
 tult propheticam sententiam Deus per vatem
 suum Moysen : « Dixitque Dominus : Vivo ego
 et implebitur gloriâ Domini universa terra....
 Usquequò multitudo hæc pessima murmurat
 contra me? Querelas filiorum Israel audivi :
 dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus; sicut
 locuti estis, audiente me, sic faciam vobis : in
 solitudine jacebunt cadavera vestra; omnes
 qui numerati estis à viginti annis et supra, et
 murmurastis contra me, non intrabitis terram,
 super quam levavi manum meam, ut habitare
 vos facerem, præter Caleb filium Jephone, et
 Josue filium Nun. Parvulos autem vestros, de
 quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent,

introducam ut videant terram quæ vobis dis-
 plicuit. Vestra cadavera jacebunt in solitudine:
 filii vestri erunt vagi in deserto annis quadra-
 ginta, et portabunt fornicationem vestram;
 donec consumantur cadavera patrum in de-
 serto juxta numerum quadraginta dierum,
 quibus considerastis terram; annus pro die
 reputabitur : et quadraginta annis recipietis
 iniquitates vestras, et sciatis ultionem meam,
 quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni
 multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit
 adversum me : in solitudine hæc deficiet et
 morietur. »

Cujus prophetiæ adimpletionem legimus c.
 26, ubi post initam populi recensionem, hæc
 scripta sunt : « Hic est numerus filiorum
 « Israel, qui descripti sunt à Moysè et Elea-
 « zaro sacerdote in campestribus Moab supra
 « Jordanem contra Jericho : inter quos nul-
 « lus fuit eorum qui numerati sunt à Moysè
 « et Aaron in deserto Sinai. Prædixerat enim
 « Dominus quòd omnes morerentur in soli-
 « tudine : nullusque remansit ex eis, nisi
 « Caleb filius Jephone et Josue filius Nun. »
 Vide ejusdem libri c. 32; item Deut. c. 2 :
 « Tempus autem, inquit Moyses, quo ambu-
 « lavimus de Cadesbarne usque ad transitum
 « torrentis Zared, triginta et octo annorum
 « fuit : donec consumeretur omnis generatio
 « hominum bellatorum de castris, sicut ju-
 « raverat Dominus; cujus manus fuit adver-
 « sum eos, ut interficerent de castrorum medio. »
 Vide etiam Josue c. 14.

Jam verò eventus ille non solum nullâ saga-
 citate humanâ præsciri potuit, verum etiam
 sine numine non contigit : nam primò quâ
 arte præscire potuit Moyses ex tot hominum
 millibus duos solummodò fore superstites, Jo-
 suam et Calebum? Cur hos potius perman-
 suros quam alios conjectaret, nulla profectò
 ratio fuit. Non erant cæteris juniores, nam
 ætate vincebant plura Judæorum millia. Non
 minora adibant pericula, erant semper isti
 duo in fronte aciei. Habebant forsân corporis
 habitum valentiorum, sed qui id potuit ha-
 bere Moyses exploratum? Si hodiè decem ho-
 minum millia ad bellum proficiscerentur, præ-
 nuntiaretque aliquis duos solummodò quos
 nominatim designaret reversuros esse salvos
 et incolumes; profectò virum illum non sine
 Deo locutum esse putarem, præsertim si
 duo illi iisdem sese objecissent periculis :
 verum non ex decem, sed sexcentis hominum
 millibus Josuam et Calebum appellavit Moy-

ses. Ergo nisi Deo manifestante hunc eventum præscire non potuit. — Deinde verò nonnisi Deo agente contra consuetum naturæ ordinem potuit eventus ille contingere : patet profectò multùm abesse à consueto naturæ cursu, ut ex infinità hominum multitudine omnes sine bello immaturè morte tollantur; et ut nullus eorum, qui viginti annos natus fuerat, sexagesimum attingat : rectèque sanè scripsit Moyses, « inanum Dei fuisse adversùm e eos ut interiret de castrorum medio : » agnovitque Caleb Jos. c. 14 non sine manifestà Dei providentià se servatum fuisse : « Concessit Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, usque ad præsentem diem. Quædraginta et quinque anni sunt ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysem, quando ambulabat Israel per solitudinem : « hodiè octoginta quinque annorum. » Neque distat à verisimilitudine scriptum fuisse à Moysè ad deplorandam hanc calamitatem Psalmum 89, qui ejus nomine semper nuncupatus fuit. « Deficimus, inquit v. 7, in irà tuà et in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui... anni nostri sicut aranea meditabuntur (Heb. absolvimus annos nostros, ut sermonem) : dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum, labor et dolor; quoniam supervenit mansuetudo et corripimur. »

Tertià prophetià legitur Num. 25, v. 10, ubi stirpi Phinees in perpetuum promittitur sacerdotium : « Dixitque Dominus ad Moysem : Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, avertit iram meam à filiis Israel : quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum; ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quàm semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. » Cujus prophetiæ mentio fit Ps. 105, v. 30; Ecl. c. 45, v. 28; et Mach. 1, c. 2, v. 54. Hæc omnes auctores prophetiæ completionem testantur. Sed præterea ex historià compertum habemus à Phinee usque ad Azariam, qui summus pontifex fuit cùm templum ædificavit Salomon, duodecim fuisse pontifices de stirpe Phinees (vide Paral. I. 4, c. 6). Ab Azarià usque ad captivitatem Babylonicam ex eadem gente novem fuisse ibidem legimus. A captivitate usque ad

tempora Antiochi Eupatoris quindecim à Judæis pontifices numerantur, quorum postremus Onias à Lysià fuit interfectus, ex quibus sex nominantur in libro Nehemiæ. Post Oniam verò sacerdotio functi sunt octo de domo Assamonæorum, qui erant de stirpe Phinees; horum ultimus Aristobulus fuit ab Herode interfectus. Exinde Herodes et Romani constituebant ex arbitrio pontifices, sed semper quantum apparet, ex eadem gente.

Fuit quidem hæc successio brevissimo tempore aliquo modo interrupta, cùm Heli ejusque liberi, qui erant de stirpe Ithamar, sacerdotio fungerentur (propter quam causam non est memoriæ proditum) : verùm non constat penitus à pontificatu exclusos fuisse nepotes Phinees, et tam brevi tempore obtinuit ista mutatio, ut ullo modo impediatur perfectam prophetiæ completionem.

Quarta prophetià legitur Deut. 18, v. 15 : « Prophetam de gente tuà et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies : ut pelsi à Domino tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi : Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi : qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. » Hæc enim sive intelligatur de magno illo prophetà, novi Testamenti mediatore Christo, de quâ quæstione infra dicemus; sive de prophetis, qui in omni ætate in republicâ Judaicâ fuere, plenissimam habuit completionem.

Quinta prophetià legitur Num. 20, v. 12. Postquàm bis virgâ percusserat Moyses petram diffidens, hanc tulit in eum sententiam Deus : « Dixitque Dominus ad Moysem et Aaron : Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducis hos populos in terram quam dabo eis. » Et reverà mortui sunt ambo trans Jordanem, etiamsi summo illius trajiciendi desiderio tenerentur, et peccati sint Dominum ut sententiam mutaret. Plura sunt alia in libris Moysi vaticinia, sed quædam indicasse satis est.

PROPOSITIO IV.

Moses in omni vitâ et sermone viri optimi speciem tulit, dignusque est propter præclaras suas virtutes cui fides habeatur.

PROBATIO. — Nam viri probi partes sunt pietas in Deum, studium virtutis, ingenuitas in confitendis suis et suorum erroribus, in iisdem reprehendis et castigandis sancta severitas, in omni re candida nec fucata simplicitas: contra verò viri improbi et impostoris est, malè tegere impietatem suam, virtutem parùm curare, propriis utilitatibus publica commoda postponere, assentatione atque adulatione captare hominum benevolentiam, dissimulare proprios errores, orationis vanitate plausus vulgi querere. Atqui Moyses illarum virtutum exemplum fuit absolutissimum, et ab his vitiis alienissimum se in scriptis ostendit.

I. Singula Pentateuchi paginæ spirant tennerrimam in Deum pietatem. Opus suum exorsus est à divinæ sapientiæ, bonitatis et potentæ laudatione, quas in creationis descriptione tam magnificè expressit, ut omnium semper habuerit admiratio em. Totius constitutionis Judaicæ legem primariam et fundamentalem esse hanc voluit: « Audi, Israel, « Dominus Deus noster Dominus unus est. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde « tuo, ex totâ animâ tuâ et ex totâ fortitudine « tuâ; eruntque verba hæc in corde tuo, et « meditaberis in eis sedens in domo tuâ et « ambulans in itinere, dormiens atque con- « surgens. » Cum summâ ubique dignitate et orationis vi Dei causam apud populum solet perorare. 2^o Magnum, quo incendebatur, virtutis studium probant illæ omnes leges, quas pro extirpandis vitiis sanxit; probant patheticæ illæ ad populum orationes, quibus ad patientiam, ad fiduciam, et ad omnes virtutes excitabat: nihil toto opere invenitur, quo possit effici causam virtutis illi non fuisse charissimam. 3^o Moyses neque affectavit imperium, neque ullas dedit notas ambitionis: nunquàm publicas utilitates privatis postposuit. Populi liberationem contra omnem humanam spem suscepit, cogente Deo; in totâ vitâ nihil nisi molestias pertulit et ærumnas; sacerdotium, summum in republicâ munus, Aaroni fratri ejusque filii in æternam dedit hæreditatem; Josuam, virum ex aliâ tribu, ducem populi constituit, propriis filiis in Levitarum plebem reductis. 4^o Ab assentatione et adula-

tionem maximè abhorruit: nam cum singulari constantiâ ac magnanimitate populo et principibus errores exprobrabat, et in propriam familiam severissimè animadvertibat, nec eas prætermisit historias, quæ haud parùm gentis suæ et atavorum famam lædunt. 5^o Nullâ usus est dissimulatione: admirabili simplicitate propria narrat peccata, nec quidquam de se aliud fermè, nisi peccata: etenim juxta publicam fidem gloriosè per longum tempus versatus fuerat in aulâ Pharaonis, et erat potens, ut loquitur S. Stephanus, in verbis et operibus suis; imò duxerat juxta veterem traditionem Ægyptiorum contra Æthiops exercitus (Arlapanus apud Eus. Præp. evang. l. 9, c. 27); hanc tamen vitæ partem obruit silentio: Ægyptium à se omissum narrat sine ullâ facti defensione; deinde fugam suam in Malianitidem regionem refert, cum Deo expostulationem, concitatam in se propter omissum circumcissionis ritum numinis iram; diffidentiam denique et penam à Deo impositam: uno verbo eam de se instituit narrationem, ut si ab alio facta fuisset, scripta invidiosè videretur, tam parvus ubique est in laudando sese, tam in reprehendendo severus. Denique in totâ suæ historiæ complexione nihil ad famam sibi comparandam dictum, imò hominem sui oblitum invenimus solius Dei rebus intentum: nec fucatâ aut illecebrosâ utitur oratione, qualis mendacio fidem impetrare solet, sed simplici et ingenuâ.

Objicies 1^o ex repugnantia Pentateuchi cum antiquissimis historiis: Ille scriptor vanitatis convincitur, qui cum nullo consentit historico, sed instituit narrationem planè diversam ab annalibus vetustissimorum populorum. Atqui Moyses in Pentateucho instituit narrationem omninò abhorrentem ab annalibus vetustissimorum populorum, et præcipuè Ægyptiorum. Narrat quippe Ægyptios, cum ab Israelitis beneficia multa accepissent, invidia motos sine ullâ legitimâ causâ in illos sævisse, cum constet eos bella longa et crudelissima cum Ægyptiis gessisse. Narrat regem Pharaonem et Ægyptios noluisse Hebræos dimittere, cum reverà invitè expulsi ab incolis fuerint. Narrat Ægyptios tabe et ulceribus divinitus inflictis operatos miserè perisse, cum reverà ipsi Judæi propter illam ipsam vitiliginem, quâ vexatos Ægyptios scribit, fugati fuerint. « Plurimi auctores consentiunt, inquit Tacitus l. 5 Hist. c. 7, ortâ per Ægyptum tabe, quæ corpora fœclaret, regem Oecchorim, adito Hammonis

oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum (Judæos) ut invisum diis, alias in terras avelere jussum. Sic conquistum collectumque vulgus postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus Mosem unum exsulum monuisse, ne quam deorum hominumque opem expectarent, ab utrisque deseri, sed sibi meti ut duci cœlesti crederent. Ita Trogus Pompeius et ex eo Justinus 2, 35, c. 1. Ptolomæus Alexandrinus Hephæstionis filius apud Photium cod. 19. Lysimachus, Chæremion, Manetho, etc.

Distinguo majorem : Ille scriptor vanitatis convincitur, qui instituit narrationem diversam ab annalibus vetustissimarum gentium, si annales isti nullam prorsus mereantur fidem et sit summa scriptoris auctoritas, N. Profanorum igitur historicorum cum Moyse dissensio nullatenus minuit Judaicarum antiquitatum auctoritatem, ob hanc duplicem rationem, quòd historici profani nullam mereantur fidem, Moyse verò illam denegare omnino non licet.

I. Historici profani, ubi cum Moyse non conveniunt, nullam fidem merentur, idque ob triplicem causam : primum, quia eorum relationes non sunt æquales temporum de quibus instituitur narratio, nec inveniuntur monumentis authenticis atque certis. Secundò quia confusæ, ambigæ et incertæ sunt eorum historiarum, nec inter se convenientes. Tertiò quia partium studio et ad divulgandam gentis suæ famam omnes scripserunt, qui nobis adversantur.

4^o Historicorum profanorum, quorum potest nobis objici auctoritas, nullus fuit æqualis temporum, de quibus instituitur Moyses narrationem. Nam omnium antiquissimus est Sanchoniathon, cujus fragmentum apud Eusebium reperitur in Præp. ev. l. 1, c. 9 ; hunc scriptorem nulla ratio efficit Davide vetustiorum fuisse, ut demonstravit Josephus Scaliger, enimque Porphyrius antiquiorem Trojanò bello pronuntiare ausus non est : porro Moses 300 ante bellum Trojanum annis duxit ex Ægypto Hebræos. Præterea hujus vetustissimi auctoris fragmentum magis Moysis confirmat, quam elevat auctoritatem ; et Porphyrius illius veracitatem ex convenientiâ rerum ab ipso relatarum cum historiâ Moysis effecere conatus est. Primus igitur opposuit nobis Manetho Ptolomæi Philadelphitemporibus, id est, annis post Moysen 1100, sacerdos Heliopolitanus,

qui illius principis jussu conscripsit Ægyptiorum historiam, quam in tres tomos divisit, quorum prior 11 dynastias deorum continebat ; secundus 8 dynastias ; tertius 12, quæ omnes juxta hujus auctoris fabulam annos conficiunt 53,555 : harum dynastiarum epitomen habemus in chronico Eusebii. Ad fidem historiarum suarum conciliandam narrat scriptor ille, descriptam illam rerum seriem fuisse ex columnis quibusdam positis in Seriadicâ terrâ, quas insculperat Thoth, qui primus Hermas fuit, sacrâ dialecto et figuris hieroglyphicis ; quæ columnæ post diluvium ex sacrâ dialecto in Græcum sermonem etiam in figuris hieroglyphicis transcriptæ fuerunt, et depositæ ab Agathodæmone (qui secundus Hermas fuit) patre Tat, in bibliis servatis in adytis templorum. Sed profectò ille scriptor paucissimis hisce verbis aut suam fraudem aut nimiam eruditatem ostendit, nisi multiplex in textu menda sit. Nam primum de Seriadicâ terrâ nullus unquam audivit : deinde verò qui fieri potuit, ut Hermas primus, qui initio primæ dynastiæ vixit, subsequentium dynastiarum historiam in columnis inscripserit ? Tertiò quænam est illa veterum hieroglyphicorum translatio in Græcum sermonem per alias figuras hieroglyphicas ? certè si in alias figuras, ergo non in Græcum sermonem ; nam vocum hieroglyphica nulla unquam fuere. Denique ineptè scribit statim post diluvium illa sacra hieroglyphica vertisse secundum Hermam in Græcum sermonem, cum ex Herodoto et Diodoro constet nullum habuisse Græcos cum Ægyptiis commercium ante ætatem Psammetichi, id est, ante vigesimam sextam dynastiam Manethonis et centum circiter annis post institutas olympiadas. Præterea in dynastiis nullus ordo, nulla series, quandoque principum nomina apponuntur, quandoque tacentur, ita ut à viris eruditissimis Marshamo, Pezronio et non ita pridem Fourmondo ad determinatas regum successiones revocari non potuefint nisi arbitrariarum suppositionum, translationum, rescissionumque ope. Eædem dynastice tam variè ab Eusebio, Africano, Synello referantur, ut ab illis quoque eas ad libitum immutatas fuisse probabiliter conjiciatur. Novimus insuper Cambysem Persarum imperatorem, Ægyptum devastantem, vetera commentaria concremari jussisse ; quibus sine dubio postea alia substituta sunt, partim vera, partim falsa et ad ostentationem conficta. In alio veteri chronico seriem dynastiarum habemus, quæ durasse di-

cuntur annis 36,525, qui numerus non tam ut chronologiæ calculus haberi debet, quam ut productum numeri 1461 per numerum 25 multiplicati, celeberrimam in Ægyptiacis, Græcisque tabulis Zodiaci revolutionem designans.

Non majorem fidem merentur Chaldæorum antiquitates descriptæ à Beroso, ubi cum Judaicis dissentiunt: nam et ille scriptor vixit circa tempora Ptolomæi Philadelphii et quibus usus sit monumentis planè ignoramus: præterea nihil in illius fragmentis reperitur quo minuatur Moysis auctoritas; è contrario plura confirmat in Pentateucho à Moysè relata (1).

Quod spectat verò antiquitates Græcorum, sunt istæ omnium vanissimæ. Constat enim primos eorum scriptores poetas fuisse, qui

(1) Assyriorum imperium et antiquissimum fuit et celeberrimum. Eorum historiam Abydenus, Berosus, Agathias, aliique complures scripserunt; sed eam fusiùs adornavit Ctesias. Eam quoque fuisse Herodoti mentem, ut res Assyriorum gestas describeret ex libro ejus primo colligitur. Eo loco occupatum ab Assyriis Asiæ superioris imperium per annos 520, antequam Bledi rebellarent, asserit; ex aliâ parte scribit Ctesias imperium illud per annos 1360 durasse. Cui adhibenda sit fides inter eruditos disputatur. Obscuri fortassis, infirmique diù mansere reges, ideòque ignoti fuerunt Herodoto, quos Ctesias longâ serie enumerat. Quidquid sit, et quantumvis in aliquibus sui partibus intricata sit Assyriorum historia, nihil habet Mosaicæ chronologiæ contrarium. Illius imperii fundamentum Assur, Nubrodi coætaneum, Moyses affirmat. (Neque Bocharto assentiri possumus, qui malè intellecto Genesios textu Assur, non hominis, sed regionis esse nomen arbitratur.) Sed nihil quod Assur sit antiquus scriptores ulli de Assyriis proferunt. Ex Justino l. 1, annis 1500; ex Ctesia annis 1560; ex Velleio l. 1, c. 6, 1700, aut ut Lipsio visum est 1250; ex Africano 1484, et Syncello 1360; ex Eusebio 1240. Assyriorum stetit imperium, ita ut ad summum et juxta laxiorem chronologiam citra annos ante Christum 2500 prima ejus epocha figi debeat.

Eadem, et ex Moysè et ex profanis historicis, Babyloniorum, quæ Assyriorum antiquitas est: imò unum eundemque populum primitus eos fuisse ejusdem regis Nimbrod imperio subditos, nonnulli supponunt. Sanè declarandæ Babyloniorum antiquitati id unum cæteris omissis sufficit, quod ad Aristotelem olim scriptis Callisthenes, extare apud Babylonios seu Chaldæos observationes astronomicas annorum ante captam ab Alexandro Babylonem 1903. Unde veram esse, quam statuit Moyses, ædificatæ à Nimbrod Babylonis epocham, aut certè nihil illi in Chaldaicis antiquitatibus contrarium reperiri concluditur. Vide Sevini ac Freretii disquisitiones t. 3 et 5 Reg. Inscript. Academicæ.

omni arte utebantur ad captandos rudium hominum plausus, apud quos res miræ meliùs vendi solent quam veræ. Constat etiam fatentibus Græcorum sapientissimos primos eorum historiographos, qui solutâ oratione res gestas memoriæ proderunt, fuisse poetarum in comminiscendo æmulos: præterea pauca vel nulla horum vetustissimorum scriptorum fragmenta extant; nec ullum est apud Græcos historiæ monumentum, quod Ciri et Cambyasis ætatem antiquitate superet; ut demonstravit Vossius in opere de historicis Græcis. Denique celeberrimi Græcarum rerum scriptores, ut Thucydides et Plutarchus ingenuè constentur antiquiorum temporum memoriam prorsus esse apud ipsos deletam, et qui remotioris ætatis historiam conficere voluerunt, ut Herodotus, Ctesias, aliique, vanitatis ab omnibus eruditissimis convincuntur (1).

Secundò nullam fidem merentur historici profani etiam propter hanc rationem, quòd eorum relationes magnâ laborent obscuritate, ambiguitate et incertitudine, et parum inter se conveniant, ut satis liquet ex citatorum in objectione veterum scriptorum locis, quæ referre nimis longum foret. « Si quid, ut habet Josephus, veritatis subesset, impossibile erat in tantum eos discrepare: at qui mendacia componunt, non aliorum scriptis consona scribunt, sed quæ ipsis libet confingunt. » Manetho regis cupiditatem videndi deos efficiendis leprosis occasionem dedisse ait, Chæremon autem suum de Iside somnium. Finxit ille Amenophin consilium dedisse regi: hic verò Phritiphrantem. Ille octoginta millia leproso-

(1) Nihil etiam continent Sinarum antiquitates quod ullo modo contrarium sit Mosaicæ chronologiæ, præsertim si calculos 70 Interpretum recipiamus. Nam etsi inter Sinenses quidam suarum rerum imperiti multis antè Fohi seculis imperii Sinici originem fluxerint, Fohi tamen primum imperii fundatorem esse, et eruditi omnes consentiunt, et ipsa magna sinarum historia declarat. Jam verò quot Fohi inter et Yao effluerint anni, dignosci certò non potest, sed ab Yao ad hæc usque tempora ordinata Sinæ regum chronologia fluit, nihilque aut ferè nihil gravioris momenti eorum historia tradit, quod satis probatum non videatur. Itaque ab Yao ad Christum annos circiter bis mille trecentos numerandos esse penè res certa est. Quibus si addas annos quingentos nonaginta quinque, qui effluerunt inter Fohi et Yao, si fidem habeamus Nankien, qui istorum temporum historiam adornavit, habebis summam annorum 2,895. Qui quidem numerus, si cum Hebraicis calculis non consentiat, non excedit limites chronologiæ septuaginta Interpretum.

rum, iste ducenta quinquaginta millia numerat. Minetho primum ad lapidicinas relegatos leprosos, deinde ad Avarim habitandam deductos, ac reliquâ Ægypto bello vexatâ, tum demùm auxiliares copias Hierosolymis accivisse: Chæremon Ægypto decedentes circa Pelusium inveniisse triginta octoginta millia hominum ab Amenophi relicta, ac cum illis rursum Ægyptum invasisse et Amenophin in Æthiopiam fugisse. Denique Josephum quasi eodem tempore expulsam Chæremon adjunxit, annis ferè centum septuaginta ante Moysen vitâ functum. Lysimachus ab utroque in pluribus discrepat. Alium scilicet regem, Boechorim nomine, invenit; pro somnio et vate Ægyptio Ammonis oraculum interrogatum narrat. Trogi verò Pompei et Taciti historiæ sibi prorsus adimunt fidem, ad eò scitent erroribus. Vide Josephum contra Apionem.

5^o Nullam merentur fidem auctores profani propter hanc aliam rationem, quòd manifestum sit eos contulisse sese ad scribendum, ut propagarent gentis suæ famam, et in hunc finem multa esse mutuatos ex aliorum populorum historiis, ut rerum admirabilium copiam magis eluceret historia patria. Nullum dubium est quin Manetho eâ mente suas antiquitates adornaverit, ut Judæorum libris, tempore Ptolomæi Philadelphi in Græcum sermonem conversis, aliquid opponeret: eodem tempore et eodem studio verisimile est Borosum suas edidisse antiquitates Chaldaicas. Ergo nullam prorsus, ubi cum Moysæ dissentiunt, fidem merentur profani scriptores.

II. Propter contrarias rationes omnis Moysi debetur fides: nam 1^o illa historiæ pars, quæ quatuor ultimis Pentateuchi voluminibus continetur, quæque ad rem nostram præcipuè pertinet (1), est ipsius Moysi vita. Ea summummodò in istis scripsit Moyses, quæ perspecta habuit et quorum pars maxima fuit: opus istud diarium est rerum publicè gestarum, ipso vivente editum, et apud eos vulgatum, qui omnes res gestas exploratas habebant. Cæterarum quoque omnium rerum in Genesi relatarum constans esse potuit apud Hebræos traditio, etiamsi nulla habuissent commentaria scripta. Nam Amram pater Moysi cum Levi cæterisque Jacobi filiiis familiariter viveret; hi à Jacobo instituti sunt; Jacobus ab Isaac, qui Semum videre potuit. Semus verò per annos centum

cum Mathusala vivere potuit, qui Adamum audiverat. Ab Adamo ergo ad Moysen sex tantum numerare necesse est, per quos traditio antiquissima est propagata.

Deinde verò in istis omnibus libris, præsertim quatuor posterioribus, clarè et cum maximâ securitate cuncta referuntur: omnes circumstantiæ casuum insignium, ex quibus confirmari potuit legum auctoritas, accuratissimè describuntur. Nulla ambiguitas, nullum incerti animi vestigium, nulla inter Judæos scriptores contentio.

Denique non profectò Moyses contulit animum ad scribendum, ut divulgaret gentis suæ famam aut ut assentatione et blanditiis captaret suorum benevolentiam; è contrario crederes profectò fuisse ejus consilium invidiosum, et voluisse æternam genti suæ opprobrii notam inurere, exponendo eorum varia delicta, infidelitatem et erga Deum optimum ingratum animum et perversum. Imò tam accuratè descripsit patriarcharum et filiorum Jacob non solum leviora peccata, sed graviora delicta sine ullâ excusatione, ut clarissimè pateat aliam non fuisse Moysi mentem in scribendo, quàm ut numinis partes defenderet, ejusque extolleret singularem benignitatem erga obstinatum et ad malum semper propensum populum; nec certè dubitavit sine ullis ambagibus ipsis declarare esse illos populum durissimæ cervicis; neque propter numerum eorum aut virtutes elegisse eos Dominum. Sed quantum abhorreret ab omni dissimulatione, plusquam aliud quidquam profectò elicit, quòd in libro suo non solum fabam illam inustam familie suæ ex cæde Sichemitarum memoriæ prodiderit, sed etiam maledictionem in Levi pronuntiatam à patriarchâ Jacob proximo morti fideliter retulerit.

In hoc quoque distat Moyses ab omni fraudis suspitione, quòd non, ut alii fecère, quæsierit præsidium historiæ suæ in infinitâ generationum multitudine aut temporis longinquitate, sed facta fundamentalia, mundi nempe navitatem, et post diluvium restitutionem, intra brevissimos limites contraxerit. Nova societatis humanæ origo post diluvium non nisi octo seculis Moysi ætatem antecessit, vel ad summum juxta calculos septuaginta Interpretum seculis septemdecim: ad eò ut si Moysi ætate ulla familia vel gens fuisset, quæ alium à Noëno parentem agnosceret; si monumenta ulla antiquiora ullibi terrarum eluissent, funditis Moysi chronologia convellebatur. Has ta-

(1) Vid. ad calcem dissertationem specialem de veracitate libri Genesios.

men epochas aliaque cum illis connexa facta, non dubitans, sed rem simpliciter narrans et dicti sui securus, Moyses determinat. Tandem omnia ferme apud Moysen relata ex profinis scriptoribus habent confirmationem, ut videre licet apud Grotium de veritate religionis Christianæ et in notis Joannis Clerici ibidem.

Oljicies 2^o: Multa dedit Moyses improbitatis specimina, Deumque optimum eorum fecit facinorum auctorem, quæ ab honestate videntur distare longissimè. 1^o Quid tam ab æquitate et à grato animo distat, quam illos injuriâ afflicere, qui bonè de nobis meriti sunt; quàm illis inferre damnum, qui benignum erga nos animum ostenderunt, et ad id ipsâ eorum uti benignitate? Atqui, Moysè suadente, Hebræi Ægyptios, qui in commodandis rebus suis pretiosissimis propensissimam erga ipsos voluntatem significaverant, non sine perfidiæ specie spoliaverunt. 2^o Etsi laudem affectaverit Moyses viri mansuetissimi, crudelem tamen valdè fuisse demonstrare videtur consilium illud delendi interneione Chananæos omnes, ut eorum regione potiretur et illam servaret tutius. — Respondeo facta illa primo intuitu speciem quamdam ferre nequitia et crudelitate: verum, re vel leviter consideratâ, citò absolvitur summus iste vir, et clarè perspicimus nihil factum nisi piè et justè esse.

1^o Negamus Israelitas quidquam alienum egisse ab honestate, dum Ægyptiorum res pretiosas abstulerunt. Nam primò ex Moysis relatione nobis evidens videtur istas res fuisse non mutuo, sed donatione acceptas: *Vocatis*, inquit Moyses Ex. c. 12, v. 51, *Pharao Moysè et Aaron nocte, ait. Surgite et egredimini de populo meo vos et filii Israel..... Urgebantque Ægyptii populum de terrâ eaire veto. iter. Fece- rantque filii Israel sicut præceperat Moyses, et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis*, seu ut *dono darent* eis: vox etenim hebræa נָשָׂא, quæ his in hoc versiculo reperitur, in conjugatione *Kal* significat petere, mendicare, quo sensu sumitur Ps. 2, v. 8: *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: in conjugatione dictâ, apud Hebræos *Hiphil*, significat dono vel mutuo dare. Sensus igitur est, si que hunc Scripturæ locum interpretatur Josephus, populum Ægyptiacum propter antiquam cum Hebræis familiaritatem, et Deo sic volente, misericordiâ motum, vel ut citius discede-

rent, rebus omnis generis eos ouerâsse, quibus in itinere indigere possent. Et certè illa, quam semper servaverunt Hebræi erga Ægyptios, propensio probat illos expertos fuisse plebem Ægypti in discessu benignam et liberalem. Præterea satis patet Ægyptios sine recuperandi spe res suas dedisse, nec Judæos redeunte expectavisse: aliâ certè plurimum vestem, quæ ipsis potiùs oneri fuisset in itinere, non dedissent. nec eos abeuntes persecutus fuisset Pharao. Item confirmatur ex his verbis c. 11, v. 4: *Nuntiatum est regi Ægyptiorum, quòd fugisset populus: immutatamque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo et dixerunt: Quid volumus facere ut dimitteremus Israel ne serviret nobis?* Ergo omninò illos dimiserat Pharao ne servirent Ægyptiis. Secundò, etiamsi concederemus Ægyptiorum bonâ mutuo tantùm accepisse Hebræos, sine dubio, Deo jubente, ea servare potuerunt, cujus est omnium rerum dominium. Adde quòd in Ægypto ædes suas, arva et bona multa reliquerunt Israelitæ, quæ mutuo data ab Ægyptiis comprehensabant: erant etiam eadem illa bona justissima merces laborum ab Israelitis in Ægypto peractorum.

2^o Quod attinet Moysis in subigendâ terrâ Chanaan consilium et interneione delendis habitatoribus, fatemur quidem ausum esse immane facinus si divino mandato non fuerit ad bellum inferendum incitatus, si evidentissima non habuerit divinæ voluntatis signa: verum contendimus in his, in quibus positus erat Moyses circumstantiis, severitatem illam, quâ in Chananæos usus est, nullatenus minuere illius auctoritatem. Provocata fuerat apud istum populum ad summum impietas, quam splendè ulcisci Deus decreverat: eodem tempore à cæteris nationibus segregaverat gentem, quam in rempublicam propriis utentem legibus formare volebat, in quâ unius Dei veri notitia inter homines semper conservaretur. Hunc igitur populum honoris sui vindicem constituit atque simul expressis verbis declaravit iustitiam velle se isti populo tantam calamitatem propter immaniam ab illis commissâ scelera: admonuit etiam Israelitas sortem eandem experturos esse sese, quotiescumque ab ejus legibus descirent. Quâ, quæso, arte et industriâ efficacius à similibus sceleribus suos potuit deterere?

Antequàm igitur ex hæc historiâ divinam Moysis legationem impugnare possint Deistæ, demonstrandum ipsis est ex his tribus unum;

vel non consentire cum ideâ Dei æqui et sapientis, rerum omnium moderatoris, gentem impiam et perversam punire et delere; vel non posse Deum ad ulciscendam illius impietatem alterius populi armis uti; vel non licere alicui populo etiã cum Dei imperio et auctoritate ejusmodi rem in se suscipere. Sed profectò primum nequaquam à Dei sapientiã aut æquitate abhorret, gentem impiam non solum punire, sed etiã omninò delere. Quis enim audeat Deo crimini vertere, quòd fame, pestilentia, bello nationes quandoque in vindictam scelerum depopuletur; quòd olim Sodomam et Gomorrhã igne cremaverit; vel quòd totum genus humanum communi ruinã aquis involverit? Sed si vitæ parentem et supremum arbitrum propter istas calamitates toties illicitas humano generi damnare non liceat, cur, obsecro, præcedam fuit Chananæis hominum impiissimis, qui non solum idololatriæ, sed criminum sædissimorum arguuntur Lev. c. 18 et 20? Temporibus Abrahami justissima sua judicia in eos exercere cœperat Deus, quinque urbibus igne cœlitus delapso prorsus deletis, reliquos per quadringentos annos patientissimò pertulit, dans locum et tempus penitentiae, donectandem, ut loquitur Moyses, terra polluta evomerit habitatores suos. Deinde si non abhorreat ab æquitate divinã gentem aliquam propter scelera et impietatem delere, ad ipsum certè pertinebit mediis illis uti, quibus lubet: non video sanè cur suæ gloriæ defensionem populo alicui committere non possit (1). Quotidiè auctoritate magistratûs homines in socios sæviunt et principis imperio bellum inferunt exteris: num igitur Deus carebit potestate illã, quam in regibus agnoscimus? Num supremus rerum omnium Dominus judicium in homines per homines exercere non poterit? — Denique si Deus jure uti possit hominibus ad aliorum ruinam et perniciem, nescio certè qui defendi possit non licere hominibus Deo obtemperare.

(1) Paulus Æmilius, vir ille tot laudibus clarus, nonne septuaginta hominum millia apud Epirum inopinatò oppressit, trucidavit, postquam se in fidem Romanorum dederant, et ab ipsis recepti fuerant, ut scilicet tutius regionem subactam conservaret? Nonne ex Tacito discimus Germanicum vicis Marsorum ferro flammisque vastasse, additurque: « Non sexus, non ætas miserationem attulit? » Nonne Titus Judæorum etiã pueros et feminas in spectaculo feris laniandos proposuit? Et tamen hi tres ingenio minime sævo fuisse creduntur, et virtutis famam apud homines conservârunt.

Si perduellis est qui patriæ aut principi jubenti non obtemperat, quò nomine nuncupabimus eum, qui divina mandata audebit contemnere? Ergo cum manifestissimum sit homines Deo parere oportere, ejusque in omnibus subditos esse imperio, cum etiã constet Deum quibus volet mediis ad ulciscendam hominum impietatem uti posse, ex Moysis in Chananæos severitate nihil adversus divinam illius legationem concludi potest.

Objicies 3^o: Moyses in constitutione reipublicæ Judaicæ publica commoda privatis postposuit, et valdè ambitiosum prodidit animum. Nam res ita est si legislator ille suis legibus sibi suæque familiæ omnem in republicã auctoritatem arrogaverit, si suos contribules muneribus, honoribus à cæteris omnibus discreverit, si denique tribui Leviticæ immodicas opes contulerit, universamque gentem Levitis servam fecerit: atqui, etc. 1^o Moyses sibi suæque familiæ omnem in republicã potestatem arrogavit: nam sacerdotium præcipuum munus contulit in Aaronem fratrem suum, ejusque posteris hæreditario jure idem munus concessit: simulque sacerdotes regni administratos constituit sanctique, ut ad summum pontificem fieret ultima in omnibus causis appellatio, ut patet ex hæc lege Deut. c. 17: *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et judicium intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quodcumque dixerint qui præsumt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te: quòd nempè sacerdotes ordinarios re, ni iudices constituere, et iis primam regendi potestatem tradere decrevisset. 2^o Variis privilegiis et honoribus erant Levitæ à cæteris Judæis discreti: nam præter alias immunitates, nec domi suscipere officia civilia, nec militiæ arma ferre cogebantur, nec obnoxii erant vectigalibus. 3^o Denique immodicas illis opes contulit: nam ex recensione iactã post exitum ex Ægypto constat tribum Leviticam nonnisi quadagesimam partem fuisse totius gentis; nihilominus videtur Moyses huic tribui liberaliter concessisse tertiam ferè partem totius redditus terræ ab ipsis subigendæ. Dedit siquidem 1^o decimas omnium rerum, tritici, vini, olei, frugumque omnium atque animalium, quas percipiebant Levitæ sine labore ullo, ullisque impensis:*

deinde dedit ipsis frugum primitias, primumque omnium bestiarum foetum: 2º multæ erant mulctæ lege constitutæ et oblationes pro pollutionibus et morbis quibusdam etiam involuntariis, quæ valdè augebant Leviticæ gentis redditus: 3º denique etiamsi nulla pars terræ Chanaan ipsis sorte obliterat, tamen urbes 48 omnium amplissimas ipsis concessas fuisse legimus. Qui harum rerum omnium accuratum inire calculum vellet, inveniret profectò quadragesimam illam populi partem accepisse ex liberalitate Moysis tertiam ferè omnium rerum partem, ex quâ institutione necesse est ut omnes alii Israëlità fuerint quasi coloni et servi Levitarum: ergo, etc.

Respondeo vanissimum esse illud crimen ambitionis Moysi à deis impactum, eumque sese planè ab illo absolvisse; nam quid tam distat ab ambitione, quàm privatam suam domum omninò negligere, nullamque habere propriæ prolis rationem? Moyses cum pro auctoritate suâ præclarissima quæque reipublicæ munera suis filiis concedere aut hæreditario jure relinquere potuisset, in Levitarum tamen plebem illos redegit, et sanctuario sine honore, sine dignitate et sine privilegio mancipavit: et illicirò nullam fieri eorum mentionem deprehenditur, nisi in recensionibus populi; verum quidem est quòd tribum, quâ erat ipse oriandus, sacris addidit, fratremque suum summum sacerdotem constituit, sed profectò si id fecisset ex ambitione et augendæ familiæ suæ studio, non ab omni dignitate proprios liberos, suamque domum in perpetuum exclusisset. Erat præterea ratio optima, cur præ cæteris omnibus tribubus sacris manciparetur Levitica, quòd esset omnium minùs numerosa, nec quadragesima ad summum totius populi pars: decebat certè illam portionem potius avocare ab officiis civilibus et à militiâ, quæ dedicata Deo minùs esset allatura reipublicæ detrimenti, quæque eodem tempore ad varia religionis munera sufficeret. Ad ea verò quæ in confirmationem afferuntur, respondeo:

1º Falsum esse omnem in republicâ auctoritatem fuisse concessam sacerdotibus: contrarium patet ex historiâ Judaicâ, ex ipsius Moysis variis institutis et illo ipso loco in objectione laudato. Ex historiâ quippe Judaicâ intelligimus nunquam pontificem dignitatis suæ jure tenuisse habenas reipublicæ. Nam Moyses etsi constituisset Aaronem summum sacerdotem et religionis antistitem, tamen ipse quantum vixit gubernavit reipublicam; moriens

verò non Eleazarum, sed Josuam ducem populi et successorem suum constituit: deinde per 40 circiter annos rexere reipublicam principes et seniores tribuum, inter quos judices duo solummodò ex Leviticâ gente fuere, Heli videlicet et Samuel: post judices nulla ratio habita fuit generis Levitici, sed Sauli de tribu Benjamin delatum sceptrum est, quod postea Davidi concessum in ejus familiâ mansit usque ad captivitatem Babylonicam. Hi omnes, Moyses, Josue, Judices, Reges cum plenissimâ auctoritate, non ad arbitrium pontificis, rexere reipublicam. Habebant soli confederativam reipublicæ potestatem: nam motu proprio bellum indicebant, et inibant pacem. Habebant etiam executivam omnem potestatem et legum observationi soli invigilabant, et legimus Salomonem ipsum summum pontificem Abiatharem jure regio exautorasse. Habebant etiam omnem, quâ in republicâ uti licebat, auctoritatem legislativam: nam si quid constituere necesse erat ad reipublicæ commoda, vel etiam ad religionis pompam, id sanctum regis mandatis, non pontificis, fuisse legimus.

Deinde idem constat ex ipsius Moysis institutis: nam varia instituit tribunalia, in quibus non solum Levitæ, sed electi ex omnibus tribubus jus dicebant. Prima judicium inferiorum institutio facta fuit ante legem datam ex consilio Jethro socii Moysis, qui cum vidisset generum suum per totam diem in dirimendis litibus occupatum, sic admonuit: *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum: ostendas populo ceremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, et opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas et oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit referant ad te.... Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat, et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, qui judicabant plebem omni tempore.* In quo loco videmus primos à Moyse constitutos judices ex omni plebe et ex cuncto Israel desumptos fuisse. Secunda judicium institutio est Num. c. 11, ubi legimus senatum 70 senioribus constantem à Moyse constitutum fuisse, qui in causis difficilioribus ipsi assiderent. Cum enim Moyses dixisset Deo: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gratis est mihi; sin*

*aliter videtur, obsecro ut interficias me, et in-
fereniam gratiam in oculis tuis, ne tantis officiar
malis. Dixit Dominus ad Moysen: Congrega
mihî 70 viros de senibus Israel, quos tu nôsti,
quod senes populi sint ac magistri... et auferam
de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent te-
cum onus populi.* Supremus igitur ille senatus
erat ex principibus populi universi compositus;
præterea omnes Judæi unanimes voce contend-
unt supremum concilium, quod vocabatur
Sanhedrim, non ex solis Levitis et sacerdoti-
bus confectum, sed ex viris in lege peritissimis,
et civibus nobilissimis fuisse; imò Maimonides
omnium Judæorum sapientissimus negat in illo
tribunali unquam sedisse summum pontificem
jure dignitatis vel muneris sui, et asserit se-
dere non debuisse nisi scientiâ dignum se illo
loco præstitisset: quidquid sit, nulla erant
apud Judæos ecclesiastica tribunalia ad exer-
cenda judicia, nec sortiti sunt religionis mini-
stri ullam jurisdictionem separatam à politico
regimine, ut fusè demonstravit Seldenus lib. 2
de Synedrîis.

Denique ex Deut. c. 17, nullo modo efficitur
summum pontificem primum fuisse in repu-
blica judicem, sed solummodò in quibusdam
causis difficilibus legis interpretem et docto-
rem, et in eo ipso loco mentio est alterius
judicis à summo pontifice diversi, à quo veri-
similiter sententiâ pontificis confirmabatur.
Judicibus enim præcipitur in lege Moysis, ut
sine ullâ personarum acceptione jus populo
dividant; et Exodi c. 21, v. 14 hæc verba le-
gimus: *Si quis per industriam occiderit proxi-
mum suum et per insidias, ab altari meo avelles
eum, ut moriatur.* Quem locum ita explicant
inter Hebræos doctissimi, quasi sensus esset,
oportere sacerdotem jam sacra parantem ab
altari ad supplicium trahere: et Targum Jero-
solymitanum expressè dicit ipsum summum
pontificem ducendum esse ab altari et morte
punientum. Imò nedum à legis jurisdictione
immunes fuerint Levitæ, constat jure Hebræo
summum pontificem non supremi tantum sen-
atus judicio obnoxium fuisse, verum etiam
sententiæ infimi tribunalis, quod *Trium* voca-
batur, in causis illi tribunali jure publico assi-
gnatis: falsum est etiam Levitas fuisse immu-
nes factos à Moysè à vectigalibus: nulla etenim
exegit legislator ille, neque leges de illis ullas
sanxit; at cum regum tempore exacta fuere,
illa Levitas etiam præstitisse deprehendimus,
adeoque ab illis solummodò muneribus erat
soluta Levitica gens, quæ à rebus sacris eos

avocavissent, et à quibus vacabant apud om-
nes alias gentes religionis antistites.

5º Denique quod attinet leviticis redditus,
negamus prorsus eos fuisse immodicos, nec
longum inire calculum ad id conficiendum ne-
cesse est. Nullibi quippe legimus Leviticum
genus opibus fretum aliquid in rempublicam
ausum esse, aut sibi arrogare auctoritatem
conatum esse; nullibi legimus conquestos esse
unquam Judæos de immodicis sacerdotum et
Levitarum divitiis; è contrario Salomon in
Proverbis et auctor libri Ecclesiastici maxime
adhortantur Judæos ad solvendas sacerdo-
tibus decimas et primitias, et Philo testatur
cum summo studio et alacritate munera debita
sacerdotibus solvere consuevisse populum: (x
quo certè clarissime patet nunquam visa esse
hæc munera onerosa. — Præterea si naturam
eorum honorum precariam consideraverimus,
nequaquam eorum utilitatibus Moysen consu-
luisse, sed religionis potius conservatiõni de-
prehendemus. Nullos prorsus agros tenere ipsi
licitum erat, neque etiam urbes suas ultra
angustissimos limites amplificare; sed ex po-
puli pietate et assiduo suo apud sacæuarium
ministerio omninò pendebant eorum com-
moda: quæ institutio, si effecerit Levitas in
populo instituendo fungendisque muneribus
diligentes, multum profectò abfuit ab illorum
potentiâ vel opibus immodicè augendis, cum
eos fecerit omninò ex aliorum voluntate depen-
dentes. — Et profectò absurda prorsus est illa
deistarum quorundam assertio, tribum sci-
licet Leviticam tertiam habuisse partem redi-
tum totius gentis. Si quis enim calculum
inire vellet, hæc eum oportet observare:
1º Levitas urbes 48 solummodò accepisse,
quæ non videntur effecisse duodecimam ur-
bium partem; nam in tribubus Judæ, Simeonis,
et Benjamin 453 urbes numerantur in
libro Josue, quarum tredecim datæ fuere
Levitis, quæ pars est circiter duodecima; sed
notandum etiam est, incertum valde esse an
omnes tribuum illarum urbes recenseantur in
libro Josue, constat sanè aliarum tribuum
urbes cunctas non numerari. In aliis tribubus
eadem servata est proportio quàm in istis dua-
bus: nam præceperat Moyses Num. c. 34, ut
singulæ tribus darent oppida Levitis juxta
mensuram hæreditatis suæ. Notandum es
præterea urbes istis temporibus parùm amplas
fuisse, et prohibuisse Moysen, ne extenderent
Levitæ suburbana, nisi ad mille cubitos à
muris civitatis, neque plusquam bis mille cu-

bitos latos agros circum urbes possiderent, id est, ne ab urbis mœnibus, nisi circiter tertiam partem leuœ tam pro suburbanis, quàm pro agris tenerent. Illa verò tribus in quâ situ erant urbes Leviticæ omnes pagos et circumjacentes villas habebant. 2^o Oportebit observare eum, qui leviticis redivis nōsse velit, illos non habuisse decimas omnium rerum: v. g., non decimabant immunda animalia, camellos, equos, asinos, etc., nec singulis annis mundorum animalium decimam partem accipiebant, sed solummodò incrementi, agnorum videlicet, vitulorum et hædorum: neque unum horum accipiebant, nisi ab illis qui habebant plusquam decem, neque duos, nisi haberent plusquam viginti. 3^o Observandum etiam erit, non nisi primum factum, si esset masculini generis, Levitis lege datum fuisse, et post octavam diem illis tradi potuit: immundorum animalium factus redimere potuerunt agno octo dies nato: ex quibus apparet non magnum fuisse ex hac lege Levitarum proventum. Denique oblationes, quæ fiebant occasione immundorum morborum, vel pollutionum, minimi erant valoris, et maxima illarum oblationum pars igne cremabatur. Qui harum et aliarum exceptionum in calculis ineundis rationem habuerit, inveniet profectò valdè absurdam esse deistarum assertionem, et Levitas nonnisi eos redivis habuisse, ex quibus pars eorum redderetur cum cæteris Israelitis conditio. Denique quantum à veritate abhorreat illa deistarum assertio, quâ contendunt tertiam ferè rerum omnium partem accepisse Levitas, patet cum ex aliis locis tum ex Num. c. 31. Hoc nimirum in capite agitur de dividendâ inter Israelitas immensâ illâ prædâ, quam in Madianitas mox fecerant: tantum verò abest ut tertiam ejus partem Levitæ acceperint, quin pars duntaxat ipsis quinquagesima, quingentesima verò sacerdotibus tribueretur. Vide Leland., c. *malem Philosoph.*

§ 2. *De extraordinariâ et supernaturali Dei in reipublicam Judaicam providentiâ.*

Demonstratâ celesti Moysis legatione et divinâ reipublicæ Judaicæ constitutione, jam à priori confecta est supernaturalis Dei in Judæos providentiâ, cum ista constitutio in hoc fœdere posita fuerit: *Jehova elegisti hodiè ut sis tibi Elohim* (id est, Dominus, dux, imperator), *et ambules in viis ejus, et custodias cærentias illius, mandata atque judicia: et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, et*

faciat te excelsores cunctis gentibus quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam. Adcòque præter illam propriam evidentiam, quam habent posteriorum ætatum miracula, prophetiæ et extraordinarij præter omnem spem et expectationem eventus, magnam quoque accipiunt ex ipsis Moysis miraculis et prophetiis, longinquam ex fundamento, quo innituntur, firmitatem. At est etiam supernaturalis procuratiæ speciatim evolventa, ut, repercessâ quodammodò luce, in majore claritate sit vicissim constituta Moysis divina legatio, et ex superstructæ molis firmitudine intelligatur fundamenti soliditas.

PROPOSITIO.

Deus fœderis Mosaiici conditiones semper servavit, rexitque reipublicam providentiâ extraordinariâ et supernaturali.

PROBATIO. — ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex Judæorum sensu et persuasione.*

Ex duplici solum fonte peti possunt hujus divinæ procuratiōnis argumenta, scilicet ex opinione et sensu Judæorum ab initio ad ultima reipublicæ tempora, et ex illius populû historîâ. Atqui primò semper inedit Judæorum animis constans et vividus divinæ providentiæ rebus suis specialiter invigilantis sensus. Si omnia, quibus hoc effluere liceret, testimonia laudare vellem, non enim exitum venirem hujus probationis; nam describendæ essent singulæ Scripturarum lineæ: libri Moysis, Josue, Judicium, Regum et Prophetarum nihil continent nisi perpetuam nec interruptam divinæ in illâ regendâ reipublicâ specialis providentiæ historiam: nihil aliud in iis invenimus nisi aut beneficia ipsis ob pietatem divinitus facta, aut judicium in eos exercita ad morum perversitatem ulciscendam. Ex loco Ezechielis c. 25, colligitur Judæos gloriam solitos fuisse quòd soli inter omnes homines à Deo tuerentur speciali curâ, et gentes etiam id confessas esse aliquando: *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd dixerunt Moab et Seir: Ecce sicut omnes gentes domus Juda, idcirco ecce ego, etc.* Id etiam coram Holoferne cum magnâ constantiâ affirmasse Achio em Ammonitarum ducem legimus in libro Judith: « Ubicumque, » dicebat, ingressi sum sine arcu et sagittâ, et « absque scuto et gladio, Deus eorum pergnavit pro eis et vicit, et non fuit qui insultaret populo istî, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.... Quotiescumque autem præter Dominum Deum suum alterum

« coluerunt, dati sunt in prædam et in gladium et in opprobrium; quotiescumque peccaverunt se, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi. » Deum igitur presentem semper republicæ rebus non solum Judæi semper tenuerunt, sed etiam alienigenæ confitebantur. Hincque proflixit illa in calamitatibus singularis fiducia, quam nunquam ulla alia gens testata est. Tempore Jeremiæ etiamsi admoniti fuerint ab eo, aliisque prophetis de proximo excidio urbis et templi, tamen illi ipsi qui impietate suâ divinam in reipublicam iram provocaverant, nunquam in mentem sibi inducere poterunt Deum unquam permissurum, ut tantum contingeret infortunium, ut tantum contingeret infortunium, ut tantum contingeret infortunium, omnemque spem suam ponebant in eo, quod haberent apud se templum Domini. Idem contigit in ultimo excidio sub Tito; nunquam credidit Deum passurum ut templum destrueretur, donec reverâ flammis concrematurum viderent, atque inter ipsas flammam cum incredibili constantiæ mœnia templi defenderunt.

Objicies: Ex opinione et scriptis Judæorum nihil confici potest: nam illa forsitan loquendi ratio, quâ utebantur, erat hyperbolica; constat quippe non tantum Judæos, sed et Orientales omnes supernaturalibus causis effectus naturales tribuere solitos esse: quæ loquendi forma orta primum est ex hominum ignorantia, qui nescientes cursum naturæ constitutis initio, ratiisque legibus procedere, omnes extraordinarios fortunæ casus numini alicui adscribebant. Deinde si reverâ Judæi fuerint in istâ opinione à Deo suam reipublicam specialiter regi, nihil aliud profectò censuerunt quàm aliæ omnes nationes. Quæ gens deos gentilios et tutelares non habebat, quorum præsidio cives se tutos putabant? Apud quem populum non fiebant preces ad divinam opem implorandam, aut gratiarum actiones ob res felicitas gestas, aut expiatoria sacrificia ad placandos deos? Si Judæi majorem in extraordinariâ providentiâ fiduciam posuerint, quid aliud concludi potest, nisi quod fuerint magis superstitiosi? — Respondeo, nec hyperbolicam fuisse illam loquendi rationem, nec superstitionis mentis vanum delirium illum sensum extraordinariæ providentiæ. Et 1^o quidem non hyperbolica ratio loquendi: nam nulli unquam scriptores majori sermonis gravitate vel simplicitate usi sunt quàm auctores Judæi in rebus historicis, nec illa objectio ab ullo fieri potest qui vel lippis oculis legerit sacra volumina. Inutile est plurius refellere rationem,

quam ipsa libri inspectio elevat: unum tamen observabo quod non parum confirmat veterum Judæorum bonam fidem. Quærerem à deistis, qui factum est ut scriptorum sacrorum sermo prorsus diversus fuerit post captivitatem Babyloniam? Si olim consuevissent Judæi uti hyperbolica locutione, qui factum est ut illâ usi non sint in ultimâ ætate suæ reipublicæ, quum tenacissimi erant suæ religionis, et in totâ gente maximum erat pro patriâ et patrii institutis studium? Quare continebantur apud eos oracula, eo præcisè tempore quo vigere maxime debebant ex causis naturalibus, atque in eâ ætate, quâ fidem facilius obtinere impostores poterant? Quare pauca recitant miracula? Apud alias gentes hæc semper et uniformiter obtinuerunt, quia fraudis et fanatici furoris soboles erant; hæc mutatio igitur apud Judæos in opinionibus et sermone probat contigisse reverâ mutationem in divinâ erga eos providentiâ, quæ post captivitatem Babyloniam non adeo conspicua fuit, et posterorum modestia avorum probat bonam fidem.

Ad secundam verò rationem respondeo levem illam valde esse: promptè et faciliè dicitur Judæos cæteris hominibus superstitiosos magis fuisse; sed afferant adversarii causam aliquam probabilem tantæ in Deo fiduciæ, quam superstitionem amant nuncupare. Qui factum est, ut abhorrentes ab omni aliâ praxi superstitionis, carentes auguriis, aruspiciis, magicis artibus etc., in hac solummodo specie superstitionis, ut adversariorum verbis utar, nempe singulari fiduciâ in Deo suo, cæteros omnes populos vicerint? Optime intelligimus, qui ex divinæ tutelæ experientiâ hunc sensum hauserint: nam positâ illâ Dei procuracione, naturaliter oriri in eorum animis dehebat; sed si ordinariæ Dei providentiæ permitti fuerint, nec magis habuerit Deus eorum quàm cæterorum hominum rationem, cur tam ambitiosè se extulerint et inaniter, certè nullam causam invenimus. Singularis igitur ista fiducia in Deo nata est ex expressissimis Moysis promissionibus, quarum veritatem infinita exempla confirmaverant. Negamus ullam unquam fuisse gentem, quæ tam singularem posuerit in diis suis fiduciam, qui non in curibus et in equis, sed in nomine Dei sui unice confisa sit. Preces, gratiarum actiones, expiatoria sacrificia, actus religionis sunt apud omnes gentes et apud nos usurpati, non ullo modo arguunt fidem supernaturalis Dei providentiæ. Uno verbo gentes omnes experiebantur inæqualem valdè

esse Dei providentiam, et de hæc inæqualitate instituire semper querimonias: Judæos contra unanimes voce affirmantes deprehendimus fuisse æqualem ab initio apud eos procuracionem numinis, saltem quoad publicas civitatis res.

ARGUMENTUM II. — *Ex miraculis.*

Ex certissimis historiæ monumentis constat nulium sensum non temerè conceptum fuisse, sed reverà speciali et extraordinariâ providentiâ Deum illam rempublicam rexisse. Nam præter multa alia signa, quæ modò enumerabimus, Deus perpetuâ miraculorum serie non tantum in origine reipublicæ ad conciliandam legi suæ auctoritatem, sed in subsequentiæ sætibus oculos Judæorum in se convertibat, eosque ad obtinendum præceptis suis excitabat. Sic temporibus Josue, quoniam sine divinâ ope terram Chanaan occupare non poterunt, et stimulandi erant certâ successûs spe, Jordanis primùm atrem siccavit, effecitque ut donec exercitus universus transisset, aquæ versûs fontes refluxentes cumulatæ consisterent; ad sonitum buccinarum vociferacionemque populi muros Jericho dejecit; quinque regum exercitum fusum à Josue propè Gabaon lapidibus de cælo missis obruit; eodemque die ad imperium Josue solem et lunam stare coegit; tempore Judicum, quotquot rempublicam capessabant, divinitus excitabantur, eorumque victoriæ totidem erant miracula: majestatem arcæ, quam symbolum esse volebat Deus suæ apud Judæos præsentia, vindicavit diris exercitibus in Philistæos, qui illam ceperant, iudiciis; et violatam à Bethsamitibus ingenti eorum clade ultus est. Post consecratum à Salomone templum et introductam arcam in sanctuarium, diffusus per totam domum nebulâ, præsentia suæ argumentum dedit. Jeroboanum altare in Bethel contra legem impio consilio consecratum coram omni populo castigavit, et altare ad vocem prophetae concussum in duas partes dirupit. Achabo et Jezabele in prophetas veri Dei sævientibus, religionem tuitus est ministerio Eliæ, totamque naturam illius prophetae voci parere jussit: cujus virtute postea insignis Eliæus fuit. Ad preces Ezechiæ regis et prophetae Isaiaë universus fermè Assyriorum exercitus urbem obsidens divinitus interemptus est. Denique, ut innumera alia omittam, in Babylone, impietatis et idololatriæ sede, ea in gratiam populi sui paravit prodigia, ut à superbissimis imperatoribus Nabuchodonosore et Dario confessionem suæ potentia extorserit

« At, inquires, non certum est illa miracula reverà patrata fuisse, aut non contigisse ex naturalibus causis. » — Respondeo utrumque certum esse: 1º certum est illa miracula non fuisse temerè conficta; illa quippe facta certa sunt, quorum adstruunt fidem ex unâ parte evidentissimæ rationes, nullæ omninò elevant, tunc enim nulla esse potest contentio. Sed talia sunt miracula prædicta. Facta erant publica in conspectu universi populi admissa, et maximi momenti, ita ut ex rumoribus populi accepta ea fuisse dici nequeat. Descripta sunt ab auctoribus vel temporum æqualibus, vel ex commentariis cœtaneis desumpta sunt. Narrantur stylo simplici nullatenus ad vanitatem composito, cum summâ securitate, tanquàm res ignotæ nemini, cum scrupulosâ circumstantiarum descriptione. Connexa ita sunt cum antecedentibus et consequentibus, ut tolli nequeant, quin omnis tollatur partium historiæ conjunctio. Referuntur ab auctoribus propter pietatem et propensum ad virtutem animum fide dignissimis. Plerorumque memoria monumentis publicis conservabatur. Denique continentur libris quos tota gens Judaica tanquàm divinos susceperat, et diligentissimè servavit. Ut verbo dicam, æquè certa sunt illa miracula ac alia facta historica: æquè certum est exercitum Sennacherib divinitus percussum fermè totum interiisse, ac certum est illum regem Assyriorum obsidione cinxisse Jerusalem: utrumque factum in eodem omninò ponitur fundamento et eadem omninò nititur auctoritate. Idem de cæteris omnibus fermè miraculis in Scripturâ relatis dici potest. Nulla contraria nostræ assertioni hypothesis conficta fuit unquàm, quam quis cum levissimâ attentione non deprehendat esse vanissimam (1). 2º Ex illis miraculis quedam per causas naturales explicare tentavit Spinosa, in hæc re ut in omni aliâ vanissimus: ad miraculum à Josue in statione solis et lunæ patratum hæc annotavit: « Ducturnioris istius lucis causam veram ignoravit Josue, ac putavit illo die solem aliquandiu stetisse, nec attendebat, quòd ex nimia glaciæ, quæ tunc temporis in regione aeris erat, refractione solito major

(1) « Miracula in bibliis relata, non sunt ut apud Titum Livium, facta disjuncta ab historia civili, quæ sine his in eumdem habeat tenorem. Sed miracula historiæ judaicæ sunt interius connexa cum rebus civilibus, suntque ejus necessaria et inseparabilis pars: tota historia in illis ponitur; in illis referendis tota fermè est, et si non contineret eorum narrationem, esset historia nihili. » Polingbrecke Op. posth. v. 5, p. 273.

oriri poterit. » Egregium Scripturæ interpretationem ! Cœlum ergo multâ glaciè obnubilatum et obscuratum denso grandine produxit lucem spatio unius diei ! Sed non tantùm ridicula est Spinose explicatio, quòd nulla radiorum solarium refractione producere queat lucem spatio unius diei ; sed quòd narret Scriptura solem stetisse *cum esset in medio cœli*, quo tempore minima est radiorum refractione. Ad miraculum ab Isaiâ factum tempore Ezechie regis in retrocessione umbræ super horologium Aeliaz hæc observavit idem oculatissimus philosophus : « de parheliis fortè nunquàm nec per somnum cogitavit. » Quæ Spinose observatio hominis est cum scientiæ affectatione stolidissimi. Anne ergo parheliis adorant sine miraculo ad jussum prophetæ et in quâ volebat cœli parte ? anne eorum splendor jubar solis obscurare poterat ? Hæc duo igitur miracula visa sunt Spinosæ inter alia ad explicandum faciliora, et in his quàm felicem habuit exitum !

ARGUMENTUM III. — *Ex oraculis et prophetiis.*

Deus rexit olim Judæos providentiâ extrarodentiâ et supernaturali, dando responsa ex oraculo apud eos constituto, divinitus excitando apud eos viros ad capessendam rempublicam bellaque gerenda idoneos, Prophetas mittendo qui legatorum Dei munere fungebantur. Nam cùm Deus in ecclesiæ Israeliticæ primordiis regis politici partes titulumque sibi sumere dignatus fuerit, ut modò exponemus, necessitas inde facta est, ut medium aliquod esset quo de voluntate et consilio suo regio, in omnibus regni arduis subinde nascentibus certò et perpetuò constaret ; et ut publicum aliquod sacri hujus imperii pignus extaret et testimonium. In hunc igitur finem Urim et Thummim instituit, genus oraculi de cuius naturâ multùm dissentitum cruditi (1) ; illius tamen usum hunc fuisse certò novimus, ut Deus per illud placita sua populo annuntiaret, et judicium ferret in casibus rempublicam spectantibus,

(1) De hoc oraculo sic disputat clariss. Houbig. ad Exod. c. 27. v. 50 : *האורים והתומים* : De his verbis conjecturam nostram breviter exponemus, si prius viderimus aliorum opinionem quàm infirmæ sint. Nam A' ii nihil agunt, qui Urim et Thummim promiscuè habent cum ipso pectorali : nam tum hoc loco, tum Levit. c. 8, v. 8, unum alteri imponitur, neque adò utrumque idem est. Nec audemus Braunios, qui in libro suo de Vestitu sacerdotum accipit Urim et Thummim pro gemmis illis duodecim, quæ pectorali adharebant, ejusque pars erant. Nam neque hic, neque loco parallelò c. 39 videntur duodecim

militaribus, ut videtur, imprimis, seniorum vel judicis judicio non facilè determinandis. Hoc oraculum ab Israelitis consultum sapientis responsa delisse legitur apud Moysen, et in

lapides Urim Thummim. Imò tanguntur separatè Urim, Thummim et duodecim lapides, neque utrumquidquam legitur, ex quo confici possit non fuisse eas res genere toto dissimiles. Denique Lev. c. 8, v. 8, Moyses Aaronem vestiens induit eum primum pectorali, deinde pectorali imponit Urim et Thummim. Ex quo liquet non intelligi in Urim et Thummim, duodecim gemmas, quæ gemmæ in pectorali antea inclusæ fuerant, quàm Aaron vestiretur, quæque à pectorali non dimovebantur : v. 17, et conter v. 23. Etiam maxime adversatur Braunio hic ipse locus, cùm v. 20 sic dicitur : *Portabit Aaron nomina filiorum Israel in pectorali* ; et v. 30 : *Poses super rationale Urim et Thummim*. Nam utrobique aperte distinguuntur Urim et Thummim non modò à pectorali, sed ab ipsis gemmis nomine filiorum Israel inscriptis. Denique Braunio aperte contradicit Samaritanus codex, in quo sic legitur : *Et facies Urim et Thummim, et dabis Urim et Thummim ad pectorale*. Nam in his verbis, *et facies*, docetur aliam rem esse Urim et Thummim, quàm pectorale. Jam Clericus postquam adversus editorem Josephi Oxoniensem, Braunii imitatore, eo ferè modo, ut nos supra, disputavit, novam hanc inducit sententiam, fuisse Urim et Thummim collare, quod ad pectus usque Aaronis penderet, quodque gemmis rutilantibus ut constabat, ita vocabatur *אורים*, in res, et *תומים*, margaritæ, ex *תומ* vel *תומ*, arabico verbo. Quam sententiam duæ res : infirmant una, duas res esse Urim et Thummim, non unam, ut significatur in conjunctione, etc. ; cùm contra collare sit unum, non duæ res diversis notanda nominibus ; altera, collocari in pectore sacerdotis : v. 27) Urim et Thummim, non in collo : in pectore, inquam, eo modo, ut pectorali esset applicatum, non ut ex collo pendulum ; ergo vim verbis afferri, nec ipsum Clericum de virginum monibus, quæ in pectus ipsarum pendeant, dicturum fuisse virgines annexere solere monilia in pectore ; non igitur consentaneum esse, ut scriberit Moyses, quemodò ipse Clericus scribere nollit. Nos quidem de Urim et Thummim conjecturam talem instituimus : 1^o Revocanda esse in contextum hæc verba : *Et facies Urim et Thummim*, quæ Samaritani non omittunt, ob eam causam quòd sint *Urim et Thummim* sacerdotium vestium pars una et separata, ut liquet ex locis mox allegatis : nam de vestibus, aut de vestium partibus separatim, nunquàm omittit, ut dicitur : *Et facies...* sic vel sic. 2^o Esse *אורים* et *תומים* ipsas litteras, quibus hæc verba constarent, in tæniâ binâ contextas, aut in laminâ binâ insculptas et collocatas, vel inter gemmarum ordines, et super oras pectoralis, quemodò lamina in cidaridis fronte *sanctum Domino* insculpta. Erat tale ornamentum ejusdem generis, cuius ipsi pectoralis lapides, lapidumque uti quædam inscriptio, in quâ demonstrabatur, eorū nomina filiorum Israel gemmis inscripta essent, nonebanturque duodecim tribus, ut moribus suis id tulerent, quod et litteris et gemmarum

libris Josue, Judicum et Regum. Post mortem Josue, cum belium cum Chanaanais gerendum esset, nec satis constaret quenam è tribus prima incidere deberet, *interrogaverunt Dominum*, inquit textus sacer Judicum c. 1, v. 1, hoc est, juxta interpretes, consuluerunt Urim et Thumim, ut de voluntate Dei certiores fieri possent. Cum autem prælium cum Benjaminitis inendum esset, et dubium haud multum dissimile subortum fuisset, Deum interrogaverunt dicentes: *Quis in exercitu nostro erit princeps certantibus contra filios Benjamin?* Saul, cum instarent Philistei, videns partes suas in discrimine versari, consultum à Deo per Urim petiisse dicitur lib. 1 Reg. c. 28, v. 6. Davidem etiam militantem, quid sibi in re dubia et trepidâ agendum esset, sapè Deum per Iphod, seu Urim et Thumim, interrogasse legimus 1 Reg. c. 25, v. 2 et 9; 2 Reg. c. 5, 19; 1 Paralip. c. 11, v. 14.

Deinde apud Judæos divinitus excitabantur viri prudentiâ et fortitudine præcellentes ad res republicæ domi militariæque gerendas. De medio rubi ardentis Moysen appellaverat Deus; Josuam deinde constituit ducem exercitûs; postea suscitavit judicum seriem qui eos de manu hostium liberarent, et quasi dictatorio jure regerent: designavit tandem Saulem regem, et postea Davidem per prophetam Samuelem. Cum ex his plerique nec potentiam, nec opibus floruerint, et parum ambitiosum habuerint animum, ut patet ex eo quòd regnum recusaverint hæreditarium, necesse est confiteri eos fuisse reverâ divinitus excitatos et divinæ legationis suæ signa tulisse valde conspicua; et præterea perpetui successus eorumdem judicum, præter omnem humanam expectationem, evincunt eos non sine Deo suscepisse reipublicæ habenas. Denique constans fuit successio Prophetarum, qui apud Hebræos Dei legati fuere, quique futura reipublicæ et aliorum etiam imperiorum fata prædixerunt, quæ nullâ potuerunt prænosci sagacitate humanâ; suas prophetias non æstuantis fanatico spiritu, sed sine ulla perturbatione divinitus admoniti ediderunt; et denique divinis legatis nihil indiluce ac nitore adumbrabatur. Denique, cum Deus uno verbo tangat Urim et Thumim, neque subjungat ejus hæc formæ esse debeant, satis intelligitur, non agi talem vestem, aut talem vestis partem, quæ describi indigeat, sed Deum omnia divisisse, quæ dicenda erant, nominatis is litteris, quibus duo hæc verba constant, quia nimirum litteræ illæ unæ aguntur, peccatorialis, sic tanquam numismatis, explicatrices...

gnum gossere, imò suis virtutibus digni erant, qui apud homines Dei legatione fungerentur.

Verùm, inquires, Prophetarum vaticinia pleraque sunt valde obscura et ambigua, generalia et indeterminata. Quæ clariora et determinata sunt magis, nihil continent, quod humana sagacitas facillè non potuerit prævidere: talia sunt illa de futurâ captivitate decem tribuum, et postea Judæorum. Tandem aliæ prophetiæ licet temerè editæ, quandoque causæ eventuum extiterunt, ut illa prophetia de altari erecto in Bethel à Jeroboamo, quæ à pio principe Josiâ adimpleta fuit, haud illius ignora.

Respondeo pleraque apud Prophetas vaticinia, nec esse obscura et ambigua, nec generalia et indeterminata: clarè et determinatè prænuntiata fuerunt omnia gentis illius fata per varios Prophetas à tempore Abrahami usque ad excidium reipublicæ per Romanos. Clarè et determinatè prædicti fuerunt eventus quidam particulares cum omnibus circumstantiis loci et personarum. Clarè et determinatè etiam externorum imperiorum fata, conversiones seu revolutiones à Prophetis annuntiatæ sunt. Nequaquam ducimus à re nostrâ alienum hæc vaticinia fusiùs exponere, utpote ex quibus elucet maximè divina in Judæos supernaturalis providentia.

VATICINIA DE REIPUBLICÆ FATIS.

Auspiciabimur hoc loco Israeliticæ gentis fata à morte Moysis, nam ea jam supra evolvimus quæ posterorum Abrahamæ fortunas ad istud usque tempus continebant. Primus qui se offert post mortem Moysis in historiâ Judaicâ eventus, est terræ Chanaan occupatio, ejusque divisio inter Israelitarum tribus. Qui eventus, ut supra vidimus, sapè et clarè patriarchis Abrahamæ, Isaac, Jacob et Joseph, revelante Deo, innouit: et à Moysè sexcentis prædictus fuit, cum eâ fiducia et securitate, quasi oculis cerneret sub eorum potestate jam redactam terram illam: descripsit quippe ante mortem suam terræ quam erant occupaturi limites, vivensque eos nominavit, qui subactam illam populo dividerent.

2^o Historia Judaica ob oculos ponit frequentem populi ad institutis Mosaicis ad idololatricos vicinarum gentium cultus defectionem, et statim insecuta infortunia; eorum deinde ad Deum conversionem et subsecutam liberationem. Jam verò hæc omnia clarè et determinatè sine ambiguitate ullâ à Moysè et Josue prædicta fuere, idque certè præter omnem huma-

nam expectationem. Nam si attenderimus ad ea, quæ Deus tempore Moysis in gratiam Judæorum egit, ad illam majestatem, cum quâ leges in monte Sina promulgavit; ad illas promissiones, comminationes et blanditias quibus ad observantiam legum suarum Judæos excitavit, res prorsus singularis nobis videbitur, qui à lege divinâ descire Hebræi potuerint; et certè si quisquam nostrum in Moysis vel Josue circumstantis constitueretur, de futurâ populi obedientiâ nequaquam ambigeret: tamen Moyses Deut. c. 31 et 32 eorum perversitatem et abominaciones describit, quasi observarentur ante oculos. Nec minùs præter spem prædixit subsecuturas mox ex illâ defectioe eorum calamitates: quis enim putavisset tunc præcipuè Israelitas extrema ab aliis populis passuros, cum eorum mores studiosius æmulabantur et amicitias colebant? Tamen Moyses hoc sæpissimè prædixit sine ambiguitate ullâ, et post eum Josue c. 23, v. 12, hisce verbis: « Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, et cum eis connubia atque amicitias copulare, jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas delet ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam et laqueum et offendiculum ex latere vestro, et sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terrâ hæc optimâ quam tradidit vobis. » Non minùs enucleatè Moyses sæpius prædixit Israelitarum respicientiam et subsequentes victorias, sicque cantico suo prophetico finem imposuit: « Laudate, gentes, populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum, et propitiu8 erit terræ populi sui. »

5^o Post judicam tempora mutata est forma publicæ administrationis; regimen quod plures inter se dividebant in unum regem transfertur. Non latuit Moysen crevntus ille, sed quasi jam constitutum regem oculis cerneret, varia dedit c. 17 Deut. præcepta de electione regis, ejusque officiis: « Cùm ingressus fueris terram, inquit, quam Dominus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illâ et dixeris: « Constituum super me regem, » etc.

4^o In historiâ regum Judæ et Israel, eventus maximè memorabilis fuit utriusque regni dissolutio, captivitas populi, et dispersio in omnes gentes: ex quo rerum exitu pronum fuisset concludere eos nequaquam fuisse speciali Dei providentiâ constitutos, nisi declarasset Deus ista obtventura ad eorum ulci-

scendam impietatem: et reverè de nullâ re sæpius vel clariùs locuti sunt Prophetæ omnes. Illud infortunium prædixerat in ipso initio reipublicæ Moyses Deut. c. 28: *Fili8 gentium, inquit, et filius, et non frueris eis, quoniam ducentur in captivitatem... Disperget te Dominus in omnes populos.* Idem prædixerat Josue c. 23, et etiam Salomon præserenserat, ut patet ex ipsius oratione in dedicatione templi. Specialiter verò captivitatem decem tribuum prædixerat Osee, cujus hæc sunt inter alia multa verba non obscura c. 9: « Noli lætari, Israel... non habitabunt in terrâ Domini... abjiciet eos Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus... Non revertetur Ephraim in terram Ægypti, et Assur ipse rex ejus: quoniam noluerunt, etc. » Prædixerat etiam Amos, cujus non minùs perspicua sunt hæc verba c. 5: « Audite verbum istud, quod ego levo super vos plancum: domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat... quia hæc dicit Dominus Deus: Urbs de quâ egrediebantur mille, relinquenter in eâ centum, et de quâ egrediebantur centum, relinquenter in eâ decem in domo Israel... et nolite querere Bethel, et in Gulg'lam nolite intrare, et et Bersabee non transibitis: quia Gulgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis... Migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus. » Ita etiam Michæas c. 1.

Judæ præterea captivitatem clarè prædixere Habacuc toto 1 cap. Sophonias etiam c. 1. Isaias 150 annis ante eventum, eum missis à rege Babylonis nuntiis Ezechias ostendisset thesauros suos, admonuit regem his verbis: « Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient et auferentur omnia quæ in domo tuâ sunt: et quæ thesaurizaverunt patres tui usque in diem hanc in Babylonem, non relinquenter quidquam, dicit Dominus; et de filiis tuis, qui exiunt de te, quos genueris tollent, et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. » Vide Jeremiam c. 13, et Ezechielem c. 12. Prophetiæ istæ omnes completæ fuerunt, eum Theglathphalasar, Assyriorum rex partem nationis Israelitiæ duxit captivam, ut legimus lib. 4 Regum c. 15; et deinde Salmanasar, expugnata post trium annorum obsidionem Samariâ, totam gentem illam transtulit in alias terras trans Damascum. Et tandem Nabuchodonosor, rex Babylonis, bis obsessam Jerusalem expugnavit, populumque fermè omnem Judæorum Babylonem abduxit.

Neque solùm clarè hunc eventum prænu-

tivère Prophetæ, sed etiam omnes eventûs circumstantias : prædixerat, v. g., Moyses Deut. c. 28, v. 27, non fore occidendos eorum reges, sed in captivitate cum populo abducendos, uti contigit Manassi, Joachimo, et Sedeciæ. Prædixerat etiam nationem, cui essent servituri, non futuram ex vicinis ullam, aut Ægyptiacam, sed quam nunquam neque ipsi neque patres eorum cognovissent, quales erant Babylonii. Imò Isaias, Ezechiel, etc., Chaldæos et Babylonios nomine designarunt. Jeremias etiam Nabuchodonosorem victorem ante eventum declaravit. Idem propheta ad 70 annos tempus captivitatis definiit, ut ex Danielis c. 9 discimus, et ex clarissimis ipsis verbis c. 23 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Pro eo quòd « non audistis verba mea, ecce ego mitam et « assumam omnes cognationes aquilonis, et « Nabuchodonosor regem Babylonis servum « meum, et adducam eos super terram is- « tam... et erit universa terra hæc in solitu- « dinem, et in stuporem, et servient omnes « gentes istæ regi Babylonis 70 annis. Cùm- « que impleti fuerint 70 anni, visitabo super « regem Babylonis. » Scripserat Moyses quòd præ fame manducaturi erant parentes proprios liberos in obsidione urbis, ut reverà contigit primò, regnante Achab, in obsidione Samaria; deinde oppugnante urbem Jerosolymitanam Nabuchodonosor; et tertio obsidente Tito. Nec solum hæc in parte, sed in omnibus mirè consentiunt Jeremiæ lamentationes, in quibus populi calamitates luget, cum Moysis declarationibus toto cap. 28 Deut. Prænuntiaverat idem legislator Moyses quòd non in unam eandemque terram erant transferendi, sed dispergendi per omnes gentes; quod completum fuit, cùm Salmanasar Israelitas duxit in Hala et Habor et civitates Medorum, et Judæi ipsi coacti fuerunt inter Tyrios, Moabitas, Ammonitas, Edomitas, et alios populos habitare : vide Amos c. 1, Jeremiam c. 40 et 43. Denique Moyses Deut. c. 28 descripsit Israelitarum in terrâ alienâ conditionem verbis istis : « In gentibus « quoque non quiesces, neque erit requies « vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus « ibi cor pavidum, et animam consumptam « morore, et erit vita tua quasi pendens aute « te; timebis nocte et die, et non credes vitæ « tuæ. » Quæ etiam verba non temerè dicta sunt : nam semper apud exteros incerta fuit et parùm secunda Judæorum conditio. Tempore Amam et aliàs sæpissimè in presenti fuerunt extirpationis periculo, et nunquam

sine maximis terroribus; imò verò sæpiùs gravissima passi sunt, et internecone delati apud exteros, ut tempore Nabuchodonosor in Ægypto contigit, quò fugerant reliquæ Judæ, et prophetam Jeremiam inivitum duxerant, dira et vera tamen minitantem : « Assumam « dicebat Dei nomine, reliquias Judæ qui po- « suerunt facies suas ut ingrederentur terram « Ægypti et habitarent ibi; et consumerunt « omnes in terrâ Ægypti : cadent in gladio et « in fame; consumeruntur à minimo usque ad « maximum; et erunt in jusjurandum, et in « miraculum, et in maledictionem, et in oppro- « brium. » Eandem calamitatem præsenferat Ezechiel, ut constat ex c. 29.

5º Post 70 annos Hebræi apud Babylonios captivi à Cyro rege Persarum patriæ restituuntur; honorificentissimè cum muneribus et templi vasis dimittuntur, suisque etiam permittuntur legibus. Eventus, si in se spectetur, singularis est, et divini favoris luculentissimum argumentum; sed multò magis admirabilis quòd ab omnibus prophetis fuerit prænuntiatus cum omnibus circumstantiis temporis et personarum. Osee post interminatas maximas calamitates, hæc promissione c. 14 suam concludit prophetiam; eadem promissione suas absolvent Amos, Michæas et Sophonias; sæpiùs illam rerum conversionem prædixit Jeremias ut c. 50 et 51, 50 et 51. Item Ezechiel c. 26. Unum laudabilis, scilicet Isaiam, qui 200 annis ante eventum vixit, cujus celeberrima propheta legitur c. 44 : « Hæc dicit Dominus re- « demptor tuus.... convertens sapientes re- « trorsum, et scientiam eorum stultam faciens : « suscitans verbum servi sui, et consilium « nuntiorum suorum complens; qui dico Jeru- « rusalem : « Habitaberis; et civitatibus Juda : « Ædificabimini : et deserta ejus suscitabo... « qui dico Cyro : Pastor meus es et omnem « voluntatem meam complebis; qui dico Jeru- « salem : Ædificaberis; et templo : Fundabe- « ris. » Et c. 45, pergit propheta : « Hæc dicit « Dominus Christo meo Cyro, cunjs apprehen- « di dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus « gentes.... ego ante te ibo.... ut scias quia « ego Dominus qui voco nomen tuum, Deus « Israel : propter servum meum Jacob, et « Israel electum meum, vocavi te nomine tuo; « assimilavi te, et non cognovisti me. » Et paulò post : « Ego suscitavi eum ad justitiam, « et omnes vias ejus dirigam; ipse ædificabit « civitatem meam, et captivitatem meam di- « mittet, non in pretio, neque in muneribus,

« dicit Dominus Deus exercituum. » Ut enim intelligatur quam accuratè completa fuerit propheta, conferre solum necesse erit cum istis prophetae verbis Cyri edictum, cuius hic tenor est : « Hæc dicit Cyrus rex Persarum : « Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, et ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa. « Quis est in vobis de universo populo ejus ? « sit Deus illius cum ipso : ascendat in Jerusalem quæ est in Judæa, et ædificet domum « Domini Dei Israel; ipse est Deus, qui est in « Jerusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis, « ubicumque habitant, adjuvent eum viri de « loco suo, argento et auro et substantiâ et « pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt « templo Dei quod est in Jerusalem. » 1 Esd. c. 1, 2.

6^o Post urbis atque templi restaurationem fortunata valdè per 500 circiter annos fuit reipublicæ Judaicæ sors, et quamvis caruerint multis signis divinæ presentie, tamen religioni et institutis divinis addictissimi fuere, nec per totum illud spatium ulli fuerunt apud eos pseudo-prophetae. Qui eventus sæpè et clarè et determinatè à pluribus prophetis prænuntiatus fuit, quorum verba recitare nimis longum foret, loca solummodò indicabimus : vide Isaïæ c. 41, 45, 49, 52, 54, 55, 60, etc.; Ezechielis c. 36 et 48; Zachariæ c. 15; Jeremiæ solum verba laudabimus c. 46, v. 27 : « Et tu ne timeas, serve meus Jacob, et ne « paveas, Israel : quia ecce ego salvum te faciam de longinquo et semen tuum de terrâ « captivitatis tuæ : et revertetur Jacob et requiescet, et prosperabitur, et non erit qui « exterreat eum. Ego consumam cunctas gentes ad quas eieci te; te verò non consumam, « sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocentium parcam tibi. »

7^o Quæ secuta sunt longam illam pacem calamitates, ex intestinis Judæorum dissidiis et Antiochi furoribus, clarissimè descriptæ sunt apud Zachariam c. 4, et Daniele m. c. 7 et 8 : de quibus prophetiis pauca modò dicemus. Denique non minùs clarè secundum urbis excidium, dissolutio reipublicæ, et quæ subsequuta sunt infortunia prædicta à prophetis fuere, et præcipuè à Daniele, ut alio in loco ostendemus.

VATICINIA QUÆDAM PARTICULARIA.

Ne in immensum crescat hæc vaticiniorum expositio, præteribimus illam quasi segetem, quam continent patriarchæ Jacob benedictiones

Gen. c. 49, et Moysis Deut. c. 35, multaque alia quæ passim libris sacris inveniuntur, et duo vel tria solummodò exempla seligemus. Post destructam urbem Jericho Josuam ita esse imprecatum legimus in libri sui c. 6 : « Male- « dictus vir coram Domino, qui suscitaverit « et ædificaverit civitatem Jericho : in primo- « genito suo fundamenta illius jaciât, et in novissimo liberorum ponat portas ejus. » Quam imprecationem non irritam fuisse discimus ex 1. 3 Reg. c. 16, v. 34 : « In diebus Achab, inquit scriptor sacer, ædificavit Hiel de Bethel « Jericho : in Abiram primitivo suo fundavit « eam, et in Segub novissimo suo posuit portas « ejus, juxta verbum Domini quod locutus « fuerat in manu Josue, filii Nun. » Cùm Jeroboam impio consilio altare consecraret in Bethel contra legis præscriptum 3 Reg. c. 15 : « Ecce vir Dei venit de Judâ in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare « et thus jaciente; et exclamavit contra altare « in sermone Domini, et ait : Altare, altare, « hæc dicit Dominus : Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in « te thura succendunt, et ossa hominum super « te incendit; deditque in illâ die signum dicens : Hoc erit signum quod locutus est Dominus, ecce altare scindetur et effundetur « cinis qui in eo est. » Post elapsos 350 annos accuratissimè completa est ista propheta, ut constat ex 1. 4 Reg. c. 23, v. 15, ubi hæc legimus : « Insuper (Josias rex) et altare quod « erat in Bethel, et excelsum quod fecit Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel, et « altare illud et excelsum destruxit, atque « combussit, et comminuit in pulverem. Et « conversus Josias vidit ibi sepulcra quæ erant « in monte, misitque et tulit ossa de sepulcris « et combussit ea super altare, et polluit illud « juxta verbum Domini, quod locutus est vir « Dei, qui prædixerat verba hæc. Et ait : Quis « est titulus ille, quem video? Responderunt « que ei cives urbis illius : Sepulcrum est hominis Dei qui venit de Judâ et prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel, et « ait : Dimittite eum, nemo commoveat ossa « ejus. »

Cùm consternatus rex Ezechias propter blasphemias Sennacherib regis Assyriorum et Itabsacis ducis ejus, qui vastatâ totâ Judæâ, cum ingenti exercitu ad urbem maturabat, ad Isaïam prophetam misisset divinum petens consilium in tantis angustiis, respondit pro-

hæta his verbis c. 37: « Hæc dicit Dominus
 « Deus Israel: Pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum, hoc est verbum
 « quod locutus est Dominus super eum. Despexit te, et subsannavit te, virgo filia Sion...
 « Cui exprobrasti et quem blasphemasti, et
 « super quem exaltasti vocem, et levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum
 « Israel. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, et dixisti... Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures
 « meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, et reducam te in viam per quam venisti...
 « Propterea hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non intrabit in civitatem hanc, non
 « jaciet ibi sagittam, et non occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu ejus aggerem; in viâ quâ venit, per eam revertetur. » Quod vaticinium contra omnium expectationem et spem impletum accuratissimè fuit: « Nam factum est in nocte illâ, ut verbis
 « utar auctoris sacri, venit angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum 185 millia.
 « Cùmque diluculò surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: et recedens abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et mansit in Ninive, et post paucos dies cùm
 « adoraret in templo Nezoeh Deum suum, Adramalech et Sarazar filii ejus percusserrunt cum gladio. » Vide non minùs singularem Elizei prophetiam l. 4 Reg. c. 7, quam etiam Deus insigni miraculo præter omnium spem complevit.

Dixerat Deus Jeremiæ querenti quòd annuntians verbum Dei passus fuisset opprobrium, et in præsentia esset vitæ periculo: « Da
 « ho te populo huic in marum æneum fortem, et bellabunt adversum te et non prævalent
 « hunc, quia ego tecum sum ut salvem te, et eruam te, dicit Dominus; et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu
 « fortium. » Quòd promissum suum præstitit Deus valdè singulari modo contra omnium vota: populus quippe illum prophetam dignum morte declaravit; principes adversus eum conjuraverunt; rex Joachim illum vivum igni tradere voluit; in foveam demissus, luto immersus diù sine cibo mansit; eversâ tamen civitate, abductis in captivitatem inimicis suis, ipse securus mansit in Judæa. Propheta Ezechiel, ut patet ex c. 12, Sedecia regis miseram sortem præsentis, atque declaravit illum oculis privatum abducendum esse Babylonem; verba prophetæ sunt: « Et dux, qui est in medio eorum,

in humeris portabitur, in caligine egredietur: facies ejus operietur ut non videat oculo terram... Et adducam eum in Babylonem, et ipsam non videbit, ibique morietur. » Quæ verba ubi ab Ezechiele prolata sunt videbantur parùm coherere et hominis insanientis deliria; accuratissimè tamen adimpleta fuere.

VATICINIA DE IMPERIORUM EXTERNORUM FATIS.

Deus volens Judæos convincere suâ ditione non solum Judæam, sed totum orbem contineri, dignatus est eos non solum certiores facere per vates suos de venturis gentis suæ fatibus, sed etiam de suis circa alia imperia consiliis. Nihil enim aptum magis erat ad augendam eorum in se fiduciam, eosque avocandos à sancendis cum exteris foederibus. Propter hanc causam referunt scripta Prophetarum vaticiniis pertinentibus ad vicinas gentes, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, Tyrios, Assyrios, etc., ex quibus ea solum indicabimus, quæ ad majora spectabant imperia, et quorum auctoritas etiam ex profanâ historiâ adstruitur.

INTERITUS NINIVE ET IMPERII ASSYRIORUM.

Anno ante Christum 626, (vel ut mavult Prideauxius 612), Nabo-Pollassarum Babylonius à Saraco sive Chynaladano Assyriorum et Chaldæorum rege exercitui præfectus, et Astyages à patre Cyaxare Mediæ satrapâ constitutus, affinitatem incuntes (Amyiti, Astyagis filia, Nabuchodonosori filio Nabopolassari desponsatâ) junctis viribus Niniven, et in eâ Saracum regem expugnarunt; immensamque illam civitatem, quæ 1500 annos imperii Assyriorum sedes fuerat, quæque juxta Diodorum Siculum et Strabonem viginti leucarum ambitu continebatur, solo æquarunt, regnumque inter se partiti sunt. Hanc calamitatem plusquam 120 annis ante exitum præseraserat Nahum propheta, et clarissimis verbis prædixerat in totâ suâ prophetiâ, quam inscripsit: Onus Ninive. idque eo tempore, quo maximè florebat Assyriorum res. His verbis utitur c. 3: « Vacetas sanguinum... propter multitudinem
 « fornicationum... ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum... et projiciam super te
 « abominationes, et contumelias te afficiam, et ponam te in exemplum; et erit, omnis qui viderit te resiliat à te, et dicet: Vastata est
 « Ninive... Dormitaverunt pastores tui, rex Assur; sepelientur principes tui; latitavit

« populus tuus in montibus, et non est qui
 « congreget: non est obscura contritio tua,
 « pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt
 « auditionem tuam, compresserunt manum
 « super te; quia supra quem non transiit ma-
 « litia tua semper? »

Eundem eventum non minùs clarè prænun-
 tiavit Sophonias paucis annis ante exitum:
 « Horribilis Deus... inquit c. 2, extendet ma-
 « num suam super aquilonem, et perdet Assur;
 « et ponet speciosam in solitudinem et in in-
 « vium, et quasi desertum, et accubabant in
 « medio ejus greges, omnes bestię gentium....
 « hæc est civitas gloriosa habitans in confi-
 « dentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum,
 « et extra me non est alia ampliùs; quomodo
 « facta est in desertum, cubile bestię? Omnīs
 « qui transit per eam sibilabit, et movebit ma-
 « num suam. »

INTERITUS TYRI.

Anno ante Christum 586, Nabuchodonosor
 rex Babylonis, opulentissimum mundi impe-
 rium Tyrum obsedit, et tandem post tredecim
 annorum obsidionem expugnavit. Nondum ex-
 pugnatã urbe cum res suas in discrimine sum-
 mo versari viderent Tyrii, bona sua et maximam
 populi partem transtulerunt in insulam dimi-
 diã parte milliariis à veteri Tyro distantem; ita
 ut Nabuchodonosor spe fraudatus in vacuum
 urbem iram effuderit, illamque funditus di-
 ruerit; reliquię istius urbis Paketyri nomen
 acceperunt. Istam calamitatem ante obsidio-
 nem prædixit Ezechiel, ut patet ex c. 26: « Et
 « factum est, inquit, in undecimo anno (depor-
 « tationis Jechonię) primã die mensis, factus est
 « sermo Domini ad me dicens... Pro eo quod
 « dixit Tyrus de Jerusalem: Euge, confrica-
 « sunt portę populorum, conversa est ad me;
 « implebor, deserta est. Propterea hæc dicit
 « Dominus Deus: Ecce ego super te, Tyre, et
 « ascendere faciam ad te gentes multas, sicut
 « ascendit mare fluctuans, et dissipabunt mu-
 « ros Tyri, et destruent turres ejus, et radam
 « pulverem ejus de eã, et dabo eam in limpi-
 « dissimam petram.... Ecce ego adducam ad
 « Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis....
 « circumdabit te munitionibus... unguis equo.
 « rum suorum conculcabit omnes plateas tuas,
 « populum tuum gladio cædet, et statuę tuę
 « nobiles in terram corruent. Vastabunt opes
 « tuas, et destruent muros tuos et domus tuas
 « præclaras subvertent, et lapides tuos et ligna
 « tua et pulverem tuum in medio aquarum

« ponent.... Et descendent de sedibus suis om-
 « nes principes maris... et induentur stupore:
 « in terrã sedebunt, et attoniti super repentino
 « casu tuo admirabuntur; et assumentes super
 « te lamentum, dicent tibi: Quomodo periisti,
 « quæ habitas in mari, urbs inclęta, quæ fuisti
 « fortis in mari cum habitatoribus tuis quos
 « formidabant universi?... Quia hæc dicit
 « Dominus: In nihilum redigam te et non eris;
 « et requisita non inveniēris ultra in sempiter-
 « num, dicit Dominus. » Deinde idem pro-
 pheta post enumeratas toto c. 27 opulentissimã
 illius urbis merces et defletam ruinam, toto
 c. 28, cum eãdem fidentia et sermonis gravi-
 tate vaticinatur contra regem Tyriorum, cui
 varias exprobrat iniquitates. Vide etiam Joel.
 c. 3, et Amos c. 1.

ÆGYPTIACI IMPERII FORTUNA.

Apud prophetam Ezechielem c. 29, hæc verba
 legimus: « In anno decimo, decimo mense (id
 « est, ante Christum 589), factum est verbun-
 « Domini ad me dicens: Fili hominis, pone
 « faciem tuam contra Pharaonem regem Ægy-
 « pti, et prophetabis de eo, et de Ægypto uni-
 « versã. Loquere et dices: Hæc dicit Domi-
 « nus Deus: Ecce ego ad te, Pharaon, rex
 « Ægypti, draco magne, qui cubas in medio
 « fluminum tuorum, et dices: Meus est flu-
 « vius, et ego feci memetipsum. Ponam fre-
 « num in maxillis tuis... et projiciam te in
 « desertum.... pro eo quod fuisti baculus
 « arundineus domui Israel... et erit terra
 « Ægypti in solitudinem... à turre Syenes
 « usque ad terminos Æthiopię... non habita-
 « bitur 40 annis... post finem 40 annorum
 « congregabo Ægyptum de populis, in quibus
 « dispersi fuerant, et reducam captivitatem
 « Ægypti, et collocabo eos in terrã Phatlures,
 « in terrã nativitatis suę: et erunt ibi regnum
 « humile: inter cætera regna erit humillima,
 « et non elevabitur ultra super nationes et
 « imminuam eos, ne imperent gentibus, ne-
 « que erunt ultra domui Israel in confiden-
 « tiam, docentes iniquitatem, ut fugiant et
 « sequantur eos. » Vide etiam c. 30, 31, 32,
 in quibus contra regem Ægypti eadem vatici-
 natur cum magnã orationis vi ac perspicuitate,
 et regem Nabuchodonosor Ægypti victorem
 futurum annuntiat. Eadem prænuntiavit Jere-
 mias c. 33, anno ante Christum 587, et etiam
 c. 44 et 46. Unum tantum versiculum ex hoc
 prophetã laudabimus, qui particularem circum-
 stantiam continet: « Hæc dicit Dominus, in-

« quit v. 50 : Ecce ego tradam Pharaonem
 « Ephree, regem Ægypti in manu inimicorum
 « ejus, et in manu quærentium animam illius,
 « sicut tradidi Sedeciam regem Juda in manu
 « Nabuchodonosor regis Babylonis, inimici
 « sui et quærentis animam ejus. » Omnia
 illius prophetiæ verba vera et accuratissimè
 impleta fuisse discimus ex historiâ profanâ.

1^o Arguit propheta Pharaonem Ephree superbiæ et arrogantiæ. Hæbet in hæc parte consentientem Herodotum, qui narrat Apriem, (sic enim vocat Pharaonem Ephree) eò arrogantiam et impietatis devenisse, ut negaret in deorum positum potestate ipsum solo disturbare; quæ arrogantia et impotens superbia orta est ex secundâ fortunâ, quâ usus fuerat per viginti primos regni sui annos, in quibus Cyprios, Sidonios et alios armis superaverat. Imò in illius potentiâ tantam fiduciam habuerunt Judæi, ut Jeremiæ minitanti aures præbere recusaverint, illumque prophetam invitum secum in Ægyptum transtulerint. 2^o Consentienter illi vaticinio Nabuchodonosor, seditionis arreptâ opportunitate, vel fortassè ab Amasi invitatus, in Ægyptum cum exercitu perrexit, et projecto Apric in desertum, ut loquitur propheta, id est, sui regni finibus pulso, omnia depopulatus est. 3^o Apries collecto post discessum Nabuchodonosor exercitu, et cum Amasi, relicto pro rege, commisso prælio fusus, captus et in proprio palatio consentienter verbis Jeremiæ interfectus est. 4^o Juxta Herodotum et Diodorum Siculum annis 40 regnum obtinuit Amasis, et 40 anni intercesserunt à subactione Ægypti usque ad Cyrum, qui Ægyptios etiam liberos dimisit sicut et Judæos. Rectè igitur 40 annos captivitatis Ægyptiorum numeravit propheta. 5^o Humile postea fuit Ægyptiorum regnum. Nam constat ex libro octavo Xenophonis de Institutione Cyri, et ex totius operis prologo, Ægyptum sub ditione suâ habuisse Cyrum : à Cambyse ejus filio postea subacta fuit, et exinde semper mansit sub Persarum, vel Græcorum, vel Romanorum, vel Saracenorum, vel Turcarum imperio.

BABYLONICI IMPERII INTERITUS.

Anno ante Christum 539 eversum est à Medis et Persis duce Cyro imperium Babylonicum, 209 annis postquam constitutum fuit à Nabonassar; quem eventum, 200 circiter annis antequam contingeret, prædixerat Isaias sex integris capitibus, videlicet 15, 14, 21, 43, 46,

47. His verbis utitur in hoc ultimo capite :
 « Descende, sede in pulvere, virgo filia Baby-
 « lon, sede in terrâ, non est solum filiæ Chæ-
 « dæorum... Sede tacens, et intra in tenebras,
 « quia non vocaberis ultra domina regnorum. »
 Idem prædixerat Habacuc c. 7; Jeremias c. 51, nec solum absolutè, sed cum omnibus circumstantiis. Isaias c. 44, v. 28, et supra vidimus, Cyrum victorem Babylonis nomine designavit : idem propheta c. 13 et 21, Persis adjungit confœderatos Medos, sicut et Jeremias c. 51, v. 28 : « Sanctificate, inquit, contra Babylonem gentes, reges Mediæ, duces ejus, et universos magistratus ejus, cunctamque terram potestatis ejus. » In eodem capite v. 46, Jeremias prænuntiat Babylonios accepturos esse nuntium adventantium hostium diu ante obsidionem : *Veniet in anno auditio et post hunc annum auditio*, et reverâ ex historiâ profanâ accipimus Cyrum 21 annos in subigendis Asiæ principibus Babylonicorum confœderatis possuisse, et cum Babylonem versum moveret castra, ad flumen Gyngim cum exercitu anno integro manere coactum fuisse, donec variis canalibus imminuât aquæ altitudine exercitum vado transmisisset, et ibi completa partim fuere ista verba Isaiæ : *Dico profudum : Desolare, et flumina tua arefaciam*. Jeremias v. 27, prædicit exercitum Chaldæorum obviam Cyro iturum, et tanquam mulieres recepturum sese intra moenia : « Levate signum de terrâ, clangite buccinâ... adducite equum... cesserunt fortes Babylonis à prælio, habitaverunt in præsiidiis, devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres. » Rem ita evenisse testantur omnes scriptores profani.

Isaias et Jeremias prædixere flumen Euphratem siccandum esse : *Flumina tua arefaciam*, ait Deus apud priorem; apud alterum verò c. 50, v. 38 : *Siccitas super aquas ejus erit*, quod adimpletum fuit, cum Cyrus in latos profundosque canales et receptacula aquas fluminis ex alveo deduxit. Jeremias c. 51, v. 51, scribit : « Currens obviam currenti venit et nuntius obvius nuntiant, ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas à summo usque ad summum; et vada præoccupata sunt, et paludes incensæ sunt igni, et viri bellatores conturbati sunt. » Urbis expugnationem clariùs describere non potuisset si admissus fuisset ad videndum. Cyrus quippe, ruptis nocte fluminis olivibus, aquas subito in præparata receptacula deduxit, simulque per

duas extremas partes introduxit exercitum in urbem, itinere facto per alveum fluminis, dum rex inter proceres cum maximâ securitate epularetur. Ita narrant cum Daniele Herodotus et Xenophon.

Istud etiam convivium, cui indulgebat rex Babylonis, prædixerat Jeremias eodem capite v. 59 : « In calore eorum, inquit, ponam potus eorum, et incubabo eos, ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant, dicit Dominus. » Idem propheta v. 41, his verbis utitur : « Quomodo capta est Sesac et comprehensa est incluta universa terræ? » Quibus etiam anni tempus designasse videtur : nam convivium illud magnum, quod fecit Balthazar rex, erat in honorem Sesac deæ Babylonis, cujus annum festum tunc celebrabatur.

Denique non tantum urbis expugnationem, modum, tempus, etc., accuratissimè prædixerunt Prophetæ, sed etiam subsequutura ejus fata : « Non habitabitur, inquit Isaias, c. 13, v. 20, usque in finem, et non fundabitur usque in generationem et generationem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi; sed requiescent ibi bestiae, replebuntur domus eorum draconibus. » Et Jeremias c. 50, v. 59 : « Habitabunt in cæstrutiones : non inhabitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem et generationem. » Quæ omnia gradatim quidem, sed ad litteram tamen adimpleta fuere. Nam primò ruptas fluminis ripas non reparavit Cyrus, quo effectum est ut flumen longè latèque campos circumjacentes inundaverit, ita ut in alveo fluminis non remanserit aquæ copia par ferendis cymbis levisimis; rectè ergo scripsit propheta futuram in paludes aquarum. Deinde Cyrus, retento nomine regis Persarum, Babylonem viduam effecit et jure Persico uti jussit. Postea Darius Histaspis muros urbis rebellis dejecit; et cum Alexander Magnus sedem imperii ibi ponere constituisset, immensusque suscepisset labores, immaturâ morte ante opus absolutum præreptus est. Postea Seleucus Nicanor locupletissimos cives cum opibus abduxit Selenciam, 50 miliaribus à veteri Babylone distantem, quæ nunc Bagdad nuncupatur. Tandem Parthi reliquias nobilissimæ istius urbis transtulerunt Ctesiphontem, ita ut tempore Adriani imperatoris nihil ibi præter murorum reliquias cereretur, inter quos feræ servabantur ad Judos et venationem. Sed hodiè, ut refert Benjamin Barjona

in Itinerario, etsi quædam supersint vestigia palatii Nabuchodonosoris, tamen nemo audeat accedere serpentium ibi latitantium et draconum metu.

IMPERIORUM SUBSEQUENTIUM, PERSICI, GRECI ET ROMANI, FATA A DANIELE PRÆNUNTIATA.

Memoriæ proditum est à Megasthene, antiquissimo scriptore ethnico, Nabuchodonosorem regem Babylonis ante obitum sui regni interitum prænuntiassè his verbis : « Imminentem ò Babylonii, vobis calamitatem prænuntio; Persicus veniet mulus, qui demonum vestrorum usus auxilio, durum cervicibus vestris jugum imponet; aque hujus cladis auctor etiam Medus erit, quo ante Assyrii magnoperè gloriabantur. » Magnam accepit ista vetus traditio auctoritatem ex scriptis Daniels, quibus constat illum regem reverè divinitus admonitum fuisse in somniis de fortunâ, non tantum sui regni, sed etiam subsequentium imperiorum. Somnium quod ex memoriâ regis exciderat, his verbis indicavit, et exposuit Daniel : « Tu, rex, videbas, et ecce quasi statua una grandis, et intutus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia ex argento : porrò venter et femora ex ære, tibie autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Vides ita, donec abscessus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos : tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, quæ raptâ sunt vento, nullusque locus inventus est eis; lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. Hoc est somnium; interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu, rex regum es : et Deus cæli regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi... Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te, argenteum, et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ : et regnum aliud erit velut ferrum; quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc. Porrò quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli et partem ferream, regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri oriatur. Secundum quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, et digitos pedum ex parte ferreos et ex parte fictiles, ex parte regnum erit solidum, et ex

« parte contritum. Quòd autem vidisti ferrum
 « mixtum testæ ex luto, commiscebuntur qui-
 « dem humano semine, sed non adhærebunt
 « sibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.
 « In diebus autem regnorum illorum, suscita-
 « bit Deus cæli regnum quod in æternum
 « non dissipabitur, et regnum ejus alteri po-
 « pulo non tradetur; comminet autem et
 « consumet universa regna hæc et ipsum sta-
 « bit in æternum. Secundùm quod vidisti,
 « quòd de monte abscissus est lapis sine ma-
 « nibus, et comminuit testam et ferrum et æs
 « et argentum et aurum, Deus magnus osten-
 « dit regi quæ ventura sunt postea; et ve-
 « rum est somnium et fidelis interpretatio
 « ejus. »

Et reverà eventus fidelem esse istam interpretationem demonstravit. Babylonicum imperium, per caput aureum expressum, fuit omnium opulentissimum, et Babylon spoliis Assyriorum, Ægyptiorum, Tyriorum, Judæorum, vicinorumque omnium populorum ditata, omnes urbes opibus superavit. Secundum imperium, quod pectore et duobus brachiis argenteis significatum fuit, Cyri Persæ imperium fuit, extentum magis, sed minus opulentum, compositum scilicet ex Babylonicis, quod pectus exprimebat, et Medorum Persarumque imperiis, quæ duobus brachiis adumbrabantur. Illud regnum excepit Macedonicum, quod significabant venter et femora aerea, priore quidem potentius sed opulentum minus, ideòque per æs significatum. Duo femora ex ventre æreo derivata significabant dividendum esse illud imperium in duas præcipuas partes, septentrionalem unam, meridionalem alteram. Romanorum imperium illud Græcorum excepit, benè per ferrum expressum, quod significabat invictam illius populi virtutem, et divitiarum apud eos contemptum, quas ante domitam Asiam nec habuère, nec cupière. Pedes et digitus ex ferro et testâ compositi significabant, ut ipse docet Daniel, Romanum imperium tandem inter plures dividendum esse, quod reverà contigit: nam post Marcum Aurelium et Ælium Verum administratum est à plûribus consortibus, qui diversas ditiones accipiebant, et post Constantinum in duas partes orientalem et occidentalem divisum fuit. Sed plenissimam habuère completionem ea verba, cum irrupentibus undique barbaris gentibus decem constituta sunt regna, decem digitus adumbrata: quæ sic enumerat Machiavellus, auctor in hæc re non suspectus; pri-

um est Wandalarum qui Africam tenebant; secundum Suevorum et Alanorum, in Vasconia et occidentali Hispaniæ parte; tertium Visigothorum, in Galliâ meridionali et Cataloniâ; quartum Burgundorum in Burgundiâ; quintum Francorum in Galliâ, sextum Anglorum et Saxonum in Britannia; septimum Ostrogothorum, in Pannoniâ, protensum à Rhetiâ ad Mœsiam; octavum Gepidarum, quibus annumerantur Longobardi, protensum ab Austria et Pannoniâ inferiori usque ad Sirmium ad Danubium; nonum Hunnorum in Hungariâ; decimum Herulorum et Turingorum, qui sub Odoacro Italiam invaserunt. Hæc regna paulò aliter numerantur ab aliis, et ita ut residuum regni Romani occidentalis sit unum ex decem regnis prædictis à Daniele.

Sequentia verba hæc: *Quòd autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine*, adimpleta fuère, cum affinitatibus conjuncti fuerunt principes Romanorum Cæsar et Pompeius, Octavius et Antonius, et posteriores imperatores: vel cum ipsi eorum imperatores, post duodecim Cæsares ex omni gente sumebantur; centum quippe annorum spatio, quod antecessit Constantini imperium, præter Italos septem nationes dederant principes Romano imperio; vel cum fœdera cum barbaris gentibus inita sunt. Addit propheta: *Et non adhærebunt sibi*, ut significaret non fore diuturnam illam Romanorum cum alienigenis societatem, et Romanis non esse illos principes cooptatos adhæsurus: ut cætera exempla taceam, Constantinus Magnus sedem imperii transtulit Constantinopolim, quæ exinde urbs regia appellata est. Denique per lapidem abscissum sine manibus intelligitur Christi regnum sine prudentiæ humanæ consiliis, et sine potentia militari stabilitum. Lapis ille reverà confregit pedes statuæ: nam cœpit occidente imperio Romano regnum Christi, et paulò ante interitum istius regni imperatores ipsi Christo nomen dederunt. Tunc etiam apothecosis abolita est, et imperatoria potestas legesque civiles multùm immutata fuère, et in alio positæ fundamentum, scilicet in Christi legibus. Confregit etiam partes aereas, argenteas et aureas, et crevit in montem immensum regnum Christi, cum Religio christiana ubique Romanam, Græcam, Persicam et Babylonicam superstitionem superavit, omnesque illos populos Christo subjecit. Duravit jam illud regnum plusquàm 1700 annis, et æternum esse eventus comprobabit.

Huic illustri vaticinio aliud ex eodem prophetâ adjungere non pigebit propter claram ac simplicem rerum futurarum descriptionem; quo permotus Porphyrius librum Danielis non propheticum, sed historicum, et post rerum eventum scriptum asseruit. Legitur c. 8 :

« Anno tertio regni Balassar regis, visio apparuit mihi... et ecce aries unus stabat ante paludem habens cornua excelsa et unum excelsius altero, atque succrescens. Postea vidi arietem ventilantem contra occidentem et contra aquilonem, et contra meridiem, et omnes bestię non poterant resistere ei, neque liberari de manu ejus, fecitque secundum voluntatem suam, et magnificatus est, et ego intelligebam. Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terrę et non tangebatur terram; porrò hircus habebat cornu insigne inter oculos suos, et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, et cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suę. Cùmque appropinquasset propè arietem, efferratus est in eum, et percussit arietem, et comminuit duo cornua ejus, et non poterat aries resistere ei : cùmque eum misisset in terram, conculcavit, et nemo quibat liberare arietem de manu ejus. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis, cùmque crevisset, fractum est cornu magnum, et orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cęli. De uno autem ex eis ogressum est cornu unum modicum, et factum est grande contra meridiem et contra orientem et contra fortitudinem, et magnificatum est usque ad fortitudinem cęli, et dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis magnificatum est, et ab eo tulit iuge sacrificium et dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata : et prosterneretur veritas in terrā, et faciet et prosperabitur. Et audivi unum de sanctis loquentem; et dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti : Usquequò visio et iuge sacrificium et peccatum desolationis quę facta est, et sanctuarium et fortitudo conculcabitur? Et dixit ei : Usque ad vesperam et mane, dies 400 millia trecenti; et mandabitur sanctuarium. » Cujus visionis hanc accepit explanationem idem propheta Daniel : « Aries quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. Porrò hircus caprarum

« rex Gręcorum est, et cornu grande quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. Quòd autem fracto illo surreverunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente ejus consurgent, sed non in fortitudine ejus. Et post regnum eorum, cüm creverint iniquitates, consurgens rex impudens facie et intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis; et supra quàm credit potest, universa vastabit, et prosperabitur, et faciet; et interficiet robustos et populum sanctorum secundam voluntatem suam, et dirigitur dolus in manu ejus, et contra principem principum consurgens, et sine manu conteretur. Et visio vespere et mane, quę dicta est, vera est; tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. »

Hęc prophetia in omnibus suis partibus, fidente, ut jam diximus, Porphyrio, accuratissimè adimpleta fuit: vidit propheta arietem duo cornua habentem, quibus, ut ipse docet, significabatur Persicum imperium cum duobus regibus Medię et Persidis, Dario scilicet et Cyro; cornu succrescens excelsius altero factum significabat Persicam potestatem, quę in obsidione Babylonis et vivente Dario, Medorum rege, secundas partes egit, superatam sub Cyro Medorum atque Darii potentiam, quod reverà accidit; nam mortuo Dario, utroque regno potitus est Cyrus Persa, et Ægyptum totam multasque alias gentes suę ditioni adjecit. Hircus caprarum, qui, interprete Daniele, rex Gręcorum erat, rectè dicitur ab occidente advenire; nam Gręcia ad occidentem jacet respectu imperii Persici. Dicitur venisse super faciem totius terrę, id est, totum imperium Persicum, ut contigit Alexandro. Dicitur non tetigisse terram, ut significaretur Gręcorum et Alexandri celeritas, quę planè erat singularis; nam uno ferme anno totum subegit Darii imperium; propterea etiam in alio vaticinio c. 7, designatur per leopardum quatuor alis instructum. Dicitur appropinquasse propè arietem, ut significaretur Alexandrum cum Gręcis in interiori imperii Persarum sinum penetraturum. Rectè etiam dicitur neminem potuisse liberare arietem de manu ejus, nam etsi Darius exercitum 400,000 militum opposuisset, fusus tamen fuit.

Hircus cüm magnus factus esset nimis et crevisset, cornu magnum fractum est, et reverà interit Alexander febri correptus statim post constitutum imperium Gręcorum, anno ætatis 33, post susceptum bellum adversus Persas 8,

Orta sunt, fracto cornu magno, quatuor cornua subter illud per quatuor ventos; nam mortuo Alexandro, etsi duces exercitōs in multas ditiones imperium partiti sint, tamen citō in quatuor imperia omnes provinciæ redactæ fuerunt. Ptolomæus Ægyptum, Libyam, Arabiam, Cælo-Syriam, Palestinam occupavit; Græciam et Macedoniam Cassander; Thraciam, Bythiniam, Asiam-Minorem Lysimachus; Syriam et reliquas provincias Seleuchus. Ii quatuor reges Græci fuere secundum quod scriptum est: *Quatuor reges consurgent de gente ejus.*

Post eorum regnum (id est, paulō antequam Romani illa imperia everterent, vel potiùs quo tempore imperium Macedonicum, devicto Perseo rege, Romani everterunt), et postquam creverunt iniquitates Judæorum, consurrexit rex impudens facie Antiochus Epiphanes, et intelligens propositiones, id est, astutus et dolosus. Hujus regni initia infirma fuere, sed postea grandis factus est contra meridiem, et contra orientem, et contra fortitudinem; nam contra Ægyptum et Syriam, Babyloniam, Armeniam et Judæam feliciter arma movit. Dejecit de fortitudine et de stellis, et conculcavit eas; nam plures ex Judæis patria instituta mutare coegit. Roborata fuit fortitudo ejus, sed non in viribus suis; nam Deus ulcisci volens peccata populi sui, Eumenem et Attalum confederatos dedit, et præterea ex duobus summis sacerdotibus, qui de pontificatu litigabant, unus ut alterum deturbaret, portas civitatis perfidē aperuit. Contra principem principum consurrexit, prostrata est veritas in terrâ, sublatum iuge sacrificium, et conculcatum est sanctuarium; nam rex ille impius conquisitos diligenter sacros codices igne cremavit; mores et religionem Judæorum omni arte mutare conatus est, loco altaris aurei aliud constituit, super quod more ethnico sacra fecit. Diebus 2,500 prævaluit; nam ab expeditione in Ægyptum, in quâ consilium iniit Judæam occupandi, usque ad mundationem sanctuarii, sex anni circiter intercēssere. Sine manu denique contritus est; divinitus inflictâ plagâ, post diros cruciatus miserē periit, putrefactus et à vermis vivus exesus. Idem propheta Daniel multa alia reliquit vaticinia non minùs clara, in quibus regum illorum Syriæ et Ægypti, successorum Alexandri, bella, fœdera et affinitates præsignavit: de quibus vide Prideauxii historiam Judæam. Certè hæc omnia non incerta sunt aut ambigua, nec generalia et indeterminata fuere.

I. — *Prophetæ naturali sagacitate futura non præviderunt.*

Ex hæc prolisâ responseione ad primam in objectione propositam rationem, sequitur vaticiniorum esse secundam ibidem allatam; neque fieri ullo modo potuisse, ut illa omnia naturali sagacitate et meditatione prophetæ præsenderent. Qui enim fieri potuit, v. g., ut Isaias naturali sagacitate conjiceret, ducentis postea annis nasciturum regem Persarum, Cyrum nomine, qui liberaturus esset Judæos, qui ejus tempore in florentissimo statu versabatur, à captivitate Babyloniorum, qui eodem tempore cæteris nationibus, nec opibus, nec potentiâ præstabant?

II. — *Vaticinia non casu et fortuitō eventum sortita sunt.*

Sequitur non minùs temerè asseri à Deistis Prophetarum vaticinia, causas eventuum extitisse; hoc etenim forsitan dicere possunt de uno aut altero vaticinio, sed ad istam multitudinem explicandam non sufficit ista ratio. Præterea hic notare licet Prophetas non tantum non studuisse suis vaticiniis tumultus et bella excitare, sed contra multum studuisse ne sua propria vaticinia eventum consequerentur; v. g., Jeremias, etsi contra regem Sedeciam, urbem atque templum, tam dira vaticinatus fuisset, dedit tamen regi hoc consilium c. 38, v. 17: « Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur igni; et salvus eris tu et domus tua: si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, et succendent eam igni, et tu non effugies de manu eorum. » Profectō impostoris non sunt ista verba; tali nihil tam stultum visum fuisset quàm dare consilium, quo sua vaticinia eventu frustrarentur. Imò verò post prophetias absolutè editas, in quibus rem certò eventuram prædixerat Jeremias, videtur etiã non parùm abhorruisse à prudentiã ita regem admonere. Sed vir ille divinorum consiliorum particeps, sciebat Dei decreta in præscientiã rerum posita esse, et æqualiter certum esse ex unâ parte Sedeciam spontaneâ deditione sui ipsius sese et urbem servaturum, et ex alterâ obstinatam illius resistentiam sibi et civitati maxima infortunia reipsâ allaturam.

III. — *Objectiones Spinosa refelluntur.*

Spinosa et post eum alii multa contra Prophetarum vitam, mores, ingenium, scripse-

runt, verum adeo futiles sunt eorum objectiones, ut si illas diligenter et seriò ad examene revocare vellemus, tempus terere meritò videamur: v. g., Spinosa spiritum propheticum ejusque prophetae indoli et ingenio accommodatum fuisse scripsit; eos quorum jecur bile tumebat, semper dira praedixisse; alios hilares magis, fausta omnia et fortunata; eos qui meliorem sortiti sunt institutionem, cum majori majestate locutos, humiliorum esse aliorum stylum, etc. Sed est ista observatio primò falsa: nullus omninò est propheta, qui dira simul et fausta non praenuntiaverit, et illi qui maxima mala praedixerunt, tenebrimam in patriam pietatem testati sunt. Est etiam inepta et ridicula; nam, ut fidem faciat Spinosa, laudat exemplum Jeremiae, quem ideò dira praedixisse dicit, quia ingenio et temperamento tristis erat: quasi verò eo tempore, quo patriae suae imminabant maxime calamitates, fausta praedicere debuisset ille propheta; quà enim in re distabat Jeremias à pseudo-prophetis, nisi quòd ille mala imminetia praesignaverit, hi temerè fausta praedixerint? Deinde diversum esse stylum Prophetarum concedimus, quemque illum imaginibus uti sibi siveque conditioni familiaribus; at ex eo nihil aliud concludi potest, nisi hoc unum, illas prophetias esse genuina opera eorum, quibus constanti Judaeorum traditione tribuuntur, nec esse posse unius et ejusdem impostoris opera. Profectò ex eo quòd Isaias regia stirpe oriundus magnificè magis utatur oratione, Amos pastor boum humiliori, nullomòdo sequitur utrumque non fuisse à Deo afflatum.

IV. — *Prophetae rebus civilibus haud temerè se miscuerunt.*

Prophetas etiam calumniari solent Deistae, quòd rebus civilibus sese immiscuerint: Samuelem damnant, quòd vivente Saule, unxerit in regem Davidem; Ahiam, quòd Jeroboamo decem partes pallii sui dederit, significans illum regem decem tribuum futurum; Eliam, quòd Achab et Jezabeli non fuerit obsecutus, et populum excitaverit ad occidendos trecentos sacerdotes Baal; Elizæum, quòd Jehu per ministrum unxerit in regem, eique praeceperit familiam universam Achab delere, etc. Hæc à privatis sine auctoritate committi sine crimine non potuisse facillè concedimus; sed efficiendum est eos viros privatos sine auctoritate ullà, nec legatos Dei fuisse; nam si reverè excitati divinitus hæc patraverint, non tantum divinis

parentes jussis nihil mali egerunt, sed etiam nihil contra constitutam reipublicae formam, quia agebant nomine et auctoritate principis et supremi magistratus contra perduelles: erat siquidem, ut modò ostendemus, Deus in republica rex, et reges solum vicarii, atque lege regali et fundamentali cautum erat, ut Prophetis obtemperaretur.

V. — *Prophetarum actiones symbolicae, nec ridiculae, nec indecorae.*

Offenduntur etiam Deistae nonnullis Prophetarum actionibus quas ridiculas et ludicas, imò indecoras et turpes existimant. Ezechiel, v. g., c. 12, scribit se jussu divino comparavisse vasa transmigrations; bona sua et universam supellectilem exportasse ad vesperam, perfodisse parietem domus suae et noctu egressum esse per foramen velatà facie, portatum in humeris vizorum. Idem jussu Dei pilos capitis et barbæ abrasos partim cremavit, partim gladio secuit, partim dispersit in ventum. Capite suae prophetiae quarto panem sum per fimo bovis coquere jussum se narrat. Isaias divino mandato per tres annos nudus ambulavit, et Osee sibi meretricem matrimonio conjunxit. Hæc certè, inquit adversarii, fanatici furoris, potius quàm divini afflatùs indicia sunt. Neque solum Deistis visa est gravis hæc accusatio, sed et Judæis et Christianis quibusdam. Inter priores Maimonides, doctor præclarissimus, negat hæc reverè peracta fuisse, sed contigisse solummodò in somniis, seu Prophetis visum esse hæc à se facta; cujus sententiam defendit Joannes Smith in dissertatione de Prophetià et Prophetis. Sed utrique falluntur et hi et illi. Hi quidem: nam nihil evidentius esse potest quàm quòd reverè Prophetae acceperint in mandatis illas actiones coram omni plebe peragere; et cum eadem constat evidentià ex textu sacro illas à Prophetis peractas esse: patet quoque eas non ad privatam prophetæ, sed ad populi totius cruditionem destinatas. Vanæ sunt etiam Deistarum cavillationes, cum certissimum sit illas actiones non proprio consilio, sed à prophetis renuentibus Dei jussu peractas, propter accuratam earum cum eventibus quos significabant convenientiam: v. g., inepte disputatur utrum consentienter suae gravitati Ezechiel ea omnia fecerit quæ cap. 12 narrantur, si istà suà actione reverè praesignaverit ea omnia quæ postea contigere; sed res ita est, nam migratio sua captivitatem Judaeorum, et eorum ex urbe discessum luculentissime ostendit.

debat. Egressus per foramen parietis noctu denotabat fugam regis Sedeciae per murum horti sui. Per velatam faciem, regis cæcitate significavit; nam in fugâ captus rex Sedecias à Babylonis oculis privatus est. Sic etiam ridiculè carpitur ista alia prophetæ actio, cùm pilorum capitis et barbæ partem cremavit, aliam gladio secuit, aliam in ventum dispersit, si hæc symbolicâ actione rem verissimam demonstraverit, scilicet Judæos partim flammis, partim gladio interituros, et tertiam partem eorum in gentes dispergendam esse. Quod spectat ad præceptum quo jubetur propheta panem suum super fimo bovis coquere, et quo multum offendi Deistæ nostri videntur, id nullius habebit admirationem, si attendatur, 1^o in toto Oriente iisque præsertim provinciis, quæ magnâ ligni penuriâ laborant, nihil communius esse quàm ut fimo bovm et vaccarum ad solem indurato panis subcinericius coquatur: quâ etiamnum materiâ in Armoricâ et nonnullis Angliæ provinciis furnus defectu ligni accendi à pauperibus consuevit; 2^o tale Deum mandatum prophetæ dedisse, ut significaret ad quas angustias et miserias Judæi brevi redigendi essent: quas ut vividius exprimeret, primum eum jubet, stercore humano, quo ne pauperrimi quidem in eum finem uti solebant, panem suum coquere; quod cùm ægrè se ferre propheta significasset, præceptum Deus emollit, et jussit eum bovm stercus, quod in magnis angustis adhibebatur, ad panem suum coquendum assumere; 3^o non fuisse prophetam jussum stercore humano panem suum operire, et sic opertum comedere, uti fingunt Deistæ. Nam textus Hebræus sic verti potest: *Cibo uteris ita cocto, ut coquatur hordeaceus, eundemque in conspectu eorum stercore humano coques.* Quod manifestè etiam patet ex sequentibus his verbis: *Ecce dedi tibi fimum bovm pro stercore humanis, et facies (id est, coques) panem in eo.* Ubi Isaias nudus incessisse dicitur, non est intelligendum illum toto corpore discooperto ambulasse, sed depositâ veste exteriori, tunicâ usum esse breviori, qualem gestare solebant servi et mancipia, ut designaret Judæos servos futuros; non esse ad litteram accipiendum verbum istud *nudus*, patet duobus exemplis Saulis et Davidis, quorum alter dicitur nudus prophetasse, et alter quamvis indutus ephod, nudus saltasse coram arcâ Domini. Denique Osee cùm matrimonio sibi conjunxit meretricem, nihil peccavit certè in bonos mores avocando illam à crimine, nec id fecit ad

explendam libidinem, sed ut populum in peccatis dormientem illa suâ actione suæ stupiditatis admoneret, et simul Dei benignitatem et patientiam adumbraret (1).

VI. — *Actiones symbolicæ Prophetarum non abhorrebant à moribus illorum temporum.*

Præterea si rem penitus expendamus, invenimus Prophetas nihil egisse alienum à moribus istorum temporum, nec illis actionibus ullam malam notam inuri posse. Oratio cùm initio humani generis parùm esset copiosa, necessitate coacti fuere homines ut sæpè ad suos conceptus exprimendos actionibus et signis externis. Hæc ratio colloquendi ex necessitate orta primùm, obtinuit diù, postquàm desiderat necessitas, præcipuè apud Orientales, quorum ingenium vividum ad motum et actionem propensum magis erat (2). Præter allata supra exempla plura alia sunt in Scripturis, quorum unum solùm laudabimus ex libro 5 Regum c. 22, ubi legimus pseudo-prophetam et regi Israël charissimum, ut designaret excidium proximum Syriæ, affixis ad frontem ferreis cornibus, arietasse versùs Syriam. Nec solùm Judæi hæc loquendi ratione usi sunt, sed etiam ethnici, et multa exempla suppeditat profana antiquitas. Ex sententiâ quæ He-

(1) Quod verò legitur in Vulg. interprete: *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum, quia fornicata fornicabitur terra à Domino*, quasi juberetur Osee ad mulierem meretricem et suicipere ex eâ filios adulterinos, textus hebraicus cum quo concordant omnes veteres versiones simpliciter habet: *Vade, sume tibi uxorem meretricem, filiosque ejus adulterinos, quandoquidem recessit à Domino terra, ut mœcharetur*: mandatum nimirum accipit Osee accipere pro uxore mulierem, quam noverit fuisse meretricem, et ducere donum suam non modò uxorem, sed etiam ejus filios adulterinos, ut per matrimonium tam singulare demonstret non Dei esse filios regni Israël cives, quomodò non erant Osee filii spuria hæc soboles, quam uxor ejus donum suam introducebat. Itaque זנותה non significat *fornicabitur*, sed *fornicata est*, et particula ז convertit, ut sæpè aliàs, futurum in præteritum. Quomodò enim nata erat spuria proles, cùm Osee duxit uxorem, ita significatur, regni Israël cives esse jam filios adulterinos, non autem fore. Status eorum præteritus ac præsens exhibetur in filis jam natis: futurus status demonstrabitur in filis nascentis. Vid. Houbig.

(2) Apud antiquos nondùm captabatur plausibilis oratio. Illi qui simpliciter et probandæ rei causâ loquebantur, parabolis referri sunt, quas existimo necessarias, non ex eadem causâ quâ potius, sed ut imbecillitatis nostræ admicula sint, et disserentem et audientem, in rem præsentem deducant. Seneca.

raclito tribuitur. discimus prima eorum oracula, non verbis, sed signis edita fuisse: ait quippe regem qui in Delphis est nec loqui, nec tacere, sed signis mentem significare. Et apud Clementem Alexandrinum legimus hæc verba: « Ferunt Idanthuram, Scythiarum regem, Dario Istrum transeunti bellum minitantem, symbolum misisse pro litteris murem, ranam, avem, sagittam et aratrum. » Igitur iste loquendi modus nec erat illis temporibus singularis, nec ridiculus, cum ad excitandum populum, eumque graviter commovendum apertissimus esset. Nam

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Tandem non minus ridiculè versantur deistæ in elevandâ librorum propheticorum authenticitate; iisdem quippe argumentis eorum firmatur auctoritas, quibus illam Pentateuchi supra effecimus: nihil afferunt quod immineat vim argumenti sumpti ex perpetuâ judicæ gentis traditione, aut obscurè innumeras notas antiquitatis quas præ se ferunt isti libri; nec tempus quo inventi sunt figere, nec auctorem cui illos tribuant invenire, imò nec demonstrare possunt possibilitatem fraudis. Præterea in quâcumque nati fuerint ætate, necessariò divini sunt; fac Esdras eos invenisse; erit iste impostor Esdras vir divinus, idque efficient innumera completa post ejus mortem vaticinia (1).

(1) Quoniam verò Daniel deistis quibusdam non videtur futura prædixisse, sed narrasse « præterita, » (S. Hieron. contra. Jan. præmio) atque tempore Machabæorum sub involucro prophetiarum conscripisse historiam persecutionis Antiochi Epiphanis, ipsi antiquitatem suam et genuinam auctoritatem paulò fusiùs assererent. Inprimis igitur constat Danielis librum partem fecisse canonis Scripturarum tum apud Judæos, tum apud Christianos, à Christi tempore usque ad hodiernum diem. Ipso deinde Christi tempore, non minus pro prophætico habebatur. Patet ex Evangelii Judæos multas de Messie dispensatione notiones ex Daniele desumpsisse. Nomina quidem *Messie* et *filii hominis*, quibus liberatorem adventurum appellare solebant, ex Danielis libro hauserant. Ex eodem regnum Dei, futuri liberatoris in nubibus adventum, Messiam omne iudicium sibi assumpturum, et resurrectionem adventu illi conjugendam, expectabant (confer S. Matth. 26, 63, 64; S. Luc. 17, 30; S. Joan. 12, 23, 32, 54). Non erat proinde Judæis novum, audire Christum laudantem Danielis tanquam prophætæ auctoritatem. (S. Matth. 24, 15.) Certè id opprobrio Christo vertisset, si librum spurium tanquam canonicum citasset, aut pro prophætâ laudasset auctorem, cuius nomen non occurrebat in

ARGUMENTUM IV. — *Ex extraordinariis præter spem eventibus.*

Etsi Deus perpetuâ miraculorum serie Judæorum animos stupore percussos ad se non bibliorum exemplaribus, quæ manu assidua versabant. Unde etiam universalis illa tempore Christi adventantis Messie expectatio, nisi ex prophætâ Danielis? Cum autem per totam Judæam vigerent hæc notiones, probant Danielis librum pro canonico habitum fuisse longè ante Christum, quandoquidem non nisi magno temporis intervallo omnium mentes imbucere poterant. Videmus profectò Mattathiam, Machabæorum patrem, exardescente Antiochi Epiphanis persecutione, celebrare liberationem Danielis de ore leonum, et trium sociorum ejus de flamma, quò Judæos ad avitum fidem imitandum accenderet (1 Machab. 2, 55, 60). Et cum hanc liberationem cum aliis ex Scripturâ sacrâ desumptis conjungat, haud dubium est quin hujus quoque memoria, litteris olim prodita, in canone contineretur. Idem legimus in precatone Eleazari 3 Machab. 6, 3, 4, 5, adeò ut certum videatur librum Danielis, qui ab Ezechiele propter pietatem et rerum futurarum prædiciam celebratus fuerat, à semetipso vel ab aliquo æquali conscriptum statim in canonem Scripturarum fuisse receptum. Quà quidem de re nunquam dubitârunt antiqui Judæi, teste Josepho. Fidem suæ gentis pluribus in locis exhibet celebris ille historicus Antiq. l. 10, c. 11, n. 7: « Omnia, inquit, ipsi (Danieli) tanquam uni è vatum maximis præter opinionem prosperè cesserunt... Libri enim, quotquot à se conscriptos reliquit, leguntur hodièque apud nos; atque ii nobis fidem faciunt, Danielem cum Deo colloquia habuisse. Non enim futura solum, quemadmodum et alii vates, prædicere solebat, sed et tempus, quo hæcventura essent, præfinivit: cùmque alii vates mala prænuntiarent, proptereaque regnum et vulgi odia in se concitarent, istis Daniel erat honorum prænuntius, adeò ut ob faustam quidem ominationem sibi omnium benevolentiam conciliârît; ex eventuum verò certitudine non solum in veridicis, sed et in divinis habitus fuerit à populo. Scriptis autem ea consignata reliquit, ex quibus licet perspicere summæ fidei esse ejus vaticinia, rataque et immutabilia. » Vide l. 12, c. 7, n. 6, edit. Oxoniensis. Mos autem erat Prophetarum libros non minus quam legem coram populo, seu cum publicâ auctoritate legere; quoniam igitur etiam Josephi ætate, τὰ καὶ νῦν, palmâ legeretur liber Danielis, habemus hic probationem publicam quantâ cum veneratione susciperetur, et quòd in collectione Prophetarum canonicâ semper habitus fuisset. Neque in hoc Josephi testimonio fraudem suspicari licet. Falli non poterat, quippe sacerdos erat et morum patriorum peritissimus, Antiq. 20, § 9; nec fallere, quippe Prophetarum, non minus quam legis exemplaria tum in omnibus synagogis, tum in societatibus Essenorum servabantur, quorum nonnulla in manus Romanorum et gentium vicinarum inciderunt. De Bello Jud. 7, 24. Ex his fraudis, si quam in-

convertisset, etsi nulla dedisset oracula, nec misisset ad Judæos Prophetas qui eos de suis in rempublicam consiliis admonerent, tamen eventus plurimi planè singulares et præter omnem expectationem clarissimè ostenderent divinam in tuendo illo populo curam. Quid enim ab initio ad finem usque nobis exhibet historia judaica, nisi subitas et inopinatas rerum conversiones, ad quas explicandas ad divinam vim recurrere necesse est? Illas hic evolvere angustè, quos nobis præscripsimus, limites et ratio instituti operis non sinunt: est propriè historicorum ista disquisitio, ad quos pertinet eventuum causas detegere: quædam

vexisset, ab invidiis sibi popularibus facilè convinci poterat.

« At Josephus exhibebat sui temporis traditiones; suam de libri Danielis auctoritate proferebat opinionem. » Quasi verò nesciret temporum præcedentium fidem! Adde Josephum, qui inter libros canonicos Daniëlem recenset, asserere canonem Scripturarum perfectum fuisse tempore Artaxerxis (contra Ap. 1), adeò ut fabellas pro Scripturâ sacrâ divulgandi locus non relinquere. Sed ut effugium omne præcludamus deistis, qui contendunt librum Danielis sub nomine celebris illius apud Babylonios administri conscriptum fuisse sub Machabæis post Antioch. Epiphân., ostendebimus nullum ab Antioch. Epiphân. ad Christum usque tempus esse fraudi invehendæ congruum. Cùm in Judæos ab Epiphân. sæviri cœptum est, libri legis Domini plurimorum manibus terebantur, 1 Machab. 1, 57; et cùm mors decreta fuerat in eos qui libros sacros non predebant, pii inter Judæos secum eos asportarunt in montes, legem et prophetas, quibus se consolarentur. 1 Machab. 12, 9; et 2 Machab. 8, 25; et 15, 9. An viri, qui zelo librorum sacrorum conservandorum omnia perdidérant, librum sacrum fabricari, aut ab aliis fabricatum admittere auderent? Age porrò fabricati fuissent: in canonem tamen inducere non potuissent. Nam tribus tantum annis elapsis Jerusalem recuperata est, ubi ipsi juncti sunt fratres apostatæ. Eorum è numero plures erant sacerdotes, qui fraudem aliquam à Machabæis excogitanti lubentes detexissent, ut ipsis summum sacerdotum eriperent, sibi que, nam id auebant, adipiscerentur. Rebus vix tandem sedatis post persecutionem Antiochi Epiphânis; in varias religionis et reipub. factiones scindebantur Judæi; quibus difficiliter evasit novum Scripturis sacris additamentum, inscis iis qui innovationi haud dubio obstitissent. Homines sanè qui novas traditiones orales ex Scripturâ, cui unicè studebant, oppugnare solebant, non taceissent invecro integro libro scripto. Phariseorum consilia observabant Scribæ. Sadducei decipi non poterant libro qui favebat resurrectioni mortuorum, quod dogma aspernabantur. Scribas ac Sadduceos nimis odio prosequerentur Pharisei, quàm ut siperent novum ab iis fabricatum librum pro

solummodò exempla indicabimus. Prima istius populi ætas ab Abrahami vocatione ad Jacobi descensum in Ægyptum subministrabit illius specialis providentiæ exemplum primum. Discimus ex historiâ sacrâ per annos 230 vagos errâsse patriarchas sine fixâ sede apud alienigenas, et non solùm absque ullius invidiâ, sed cum honore et reverentiâ per totum illud tempus ab incolis exceptos fuisse, etiamsi quædam quandoque egissent quæ in se aliorum concitare odia potuerunt, ut cùm Abraham nocte oppressit quatuor regum exercitum redeuntem cum spoliis Sodomorum et vicinæ gentis; et ubi Simeon et Levi, Jacobi filii, tan crudeliter in Sichimitas sævierunt. Certè in

verbo Dei venditari. Esseni demùm, qui extra urbes majores agebant vitam, et tempus plerumque libris et hymnis sacris pervolvendis impendebant, ut novo prophetæ discriminando, ita falso convincendo pares erant. Omnes porrò scetæ, si Essenos excipias, nonnunquam potestatem, semper voluntatem habebant adversariis nocendi, eorumque (vid. 1 Machab. 7 et 9; 2 Machab. 14) tollendi opiniones. Nonne igitur novi libri sacri fraudem crimini sibi invicem vertissent? Duo Simonis Machab. successores impensè favebant Scribis, et Phariseos persequebantur. Pone Phariseos librum commentos esse, nonne fraus detecta fuisset à Scribis? Mortuo Alexandro Jannæo, suprema potestas in manus Phariseorum translata apud eos mansit usque ad Herodem. Pone Scribas librum conscripsisse, nonne fraudem detexissent Pharisei? Quin imò si liber in Judæâ confictus fuisset, Judæi, qui apud Babylonios manserant, fraudem detexissent.

Post tempus autem Alexandri M., ac præcipuè post Antiochum Epiphânem, tot Judæi per Ægyptum et Asiam-Minorem dispersi erant, ut necessum sit totam gentem in fraudem conspirasse; alioquin inducta ab aliquibus fraus, ab aliis sublata fuisset. Nec præterea Joseph. Antiq. 11, § 8, referre, Alexandro, Jerusalem ubi pervenit, eam hujus libri partem ostensam esse, in quâ prædicebatur fore ut Græcorum rex Persas superaret: quod quidem vaticinium in semetipso adimplendum esse interpretatus est. Sunt sanè qui hanc historiam, tanquam patriæ laudibus avidius studentis commentum derideant: at licet inter eruditos non conveniat quo tempore Jerusalem profectus sit Alexander, haud satis intelligo quare flocci faciamus Josephi auctoritatem.

Evidentiæ huic externæ antiquitatis et genuinæ Danielis auctoritatis addi potest et evidentiâ interna, ex ipso libro elucens. Nempe, uti vidimus, Daniel prædixit fata regnorum seriemque rerum, diù post Epiphânis tempora adimpleta. Quin imò novum rerum ordinem pandit, cœcinitque imperium illud verè sine fine, quod à Deo erectum, propagatum, confirmatum nec metas habet nec tempora, uti infra videbimus. Vide vindication of the defence of Christianity.

hæc patriarcharum in terrâ alienâ per tam longum tempus secundâ fortunâ et Josephi postea exaltatione apud Ægyptios, divini numinis in illam gentem benigna consilia adeo clara sunt, ut facta negare omninô necesse sit, aut confiteri hæc evenisse in adimpletionem istius divinæ promissionis: *Noli timere, Abraham; egoprotector tuus sum.*

Secunda ætas in Ægypto transacta secundum suppeditat exemplum in prodigiosâ populi multiplicatione. Descendit Jacobus cum filiis et nepotibus in regnum florentissimum, et illis temporibus jam potens et affluens rebus omnibus: et tamen post 150 circiter annos adeo aucta fuit ista familia, ut compleverit totam regionem, et regi graves incusserit terrores. Eadem familia 215 circiter annis post ingressum, etsi per 100 ultimos annos graviora passa sit ex invidiâ Ægyptiorum, constat sexcentis millibus hominum bellatorum, id est, militiæ aptorum, præter parvulos, mulieres et senes, quorum numerus plusquam ter superare debebat bellatorum numerum. Profectò, etsi Deus non dixisset Jacobo, ut narrat auctor sacer: *Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te tibi*, divinam tamen providentiam satis ipsa testaretur rei singularitas.

Tertiò in exemplum specialis providentiæ affero terræ Chanaan occupationem. Erat multis præsidis Chananzeorum regio, erant ipsi bellis assueti, abundabant equis et curribus ferreis: jam verò nullus est, qui rei militaris levissimam habet notitiâ, qui non fateatur rem esse prorsus impossibilem exercitui ad militiam rudi et pedestri subigere bellicosam gentem præsidis munitam et abundantem equitatu. Quartum exemplum est reipublicæ ipsius conservatio, à Moysis temporibus ad Vespasianum. Qui factum est nisi divinitus, ut cum per illud temporis spatium, maximas vicissitudines, et interitum experta sint cætera imperia atque civitates, illa sola respublica permanserit, etsi sæpius intestinis graviter commota dissiduis, sæpè ab externis hostibus violenter impugnata, sæpè etiam dissoluta prorsus et vastata fuerit? Quintum exemplum est constans legis et religionis judaicæ fortuna. Data primùm fuit illa populo addictissimò superstitionibus aliarum gentium, et recepta tamen; propensissimus semper mansit populus erga ritus idololatricos; servavit tamen lex suam auctoritatem; fuerunt multi principes à Mosaicis institutis aversi maximè, qui exemplis

suis populum in idololatriam pertraxerunt, nec quidquam tamen in legem unquam sanxerunt. Cujus ergo auctoritate lex sine mutatione servata fuit contra populi propensionem et affectus, contra principum vota, nisi ipsius Dei? Sed nihil sine dubio magis nostram habere debet admirationem quàm gentium ad cogitationem Dei Israel vocatio. Res est extra omnem controversiam Hebræos ab Abrahami temporibus in hujus eventus expectatione vixisse: at quo tempore illius spes minor fuit, quàm in reipublicæ interitu, quando exarsit omnium gentium adversus eos invidia? Erat hæc maxima invidia ex eo concepta, quòd Judæi religione divisi à cæteris populis, abhorrent ab omni gentili superstitione: unde factum est, ut hæc eadem invidia, civili statui tam fatalis, religionis veræ propagationem promoveret, effecitque ut vaticinia complerentur (1)? Verùm de hoc eventu alius erit dicendi locus.

Objicies: Nèdum ex eventibus concludi possit Judæorum gentem sub speciali Dei providentiâ constitutam fuisse, contrarium omninô colligitur: nam quod spectat publicas res, videmus eas semper in misero stato fuisse. Errant vagi inter alienigenas eorum parentes sine fixâ sede. Serviunt deinde Ægyptiis eorum posteri. Egressi ex Ægypto per annos quadraginta durissimam agere vitam coguntur in deserto, ibique omnes intereunt. Post mortem Josue subacti ab aliis successivè gentibus gemunt sub gravissimo hostium jugo. Post constitutos reges, nunc civilibus, nunc ab externis illatis bellis concutiuntur. Tota regio ab Assyriis et Chaldæis vastatur; Judæique omnes in remotissimas terras captivi abducuntur. Patriæ restituti non sui juris fiunt, sed Persis, Græcis et Romanis subditi vivunt. Tandem patriâ pulsi per orbem vagari coguntur. Si enim hæc sunt divinæ specialis providentiæ argumenta, satius fuisset divino carere favore.

Respondeo ex Judæorum infortuniis potiùs confirmari divinam in gentem illam providentiam, nec in ullâ re adeò conspicuam esse hanc numinis procuracionem, quàm in calamitatibus huic populo inflictis. Non enim fe-

(1) Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset Pompei bellis imperioque Titi!

Latiùs excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

(Rutilius Itiner. 396.)

Victi victoribus leges dederunt.

(Seneca apud S. Aug. de Civ. Dei l. 6, c. 11.)

dere inito in monte Sinâ se Deus adstrinxerat ad tuendum semper et beneficiis afficiendum illum populum; sed moderator et iudex gentis constitutus est, cujus est munus punire et castigare, non minùs quàm defendere; atque ita certè fœderis conditiones intellexit illius mediator Moyses, qui clarissimè et cum maximâ gravitate eos de futuris calamitatibus admonuit. Vagî fuerunt per 200 annos eorum parentes apud Chananæos, fateor: sed opibus inter illos valebant, divinâ præsentiâ et sermone sæpiùs recreati sunt, et per totum illud spatium familia illa valdè prospèrè egit. In Ægypto post mortem Josephi gravi servitute oppressi ab Ægyptiis fuère, sed hanc meruerant calamitatem, suâ ad Ægyptiorum superstitiones defectione. Et præterea ob multas alias causas id sapienter permisit Deus, ut illa severitas Ægyptiorum eos separaret et divideret magis ab incolis; ut locus esset illis iudiciis, quæ postea exercuit Deus in Ægyptios eorumque reges; ut non adèò amore illius telluris tenerentur Judei: si enim vix ex Ægypto compelli potuerint, cum ibi gemuissent sub iugo durissimo, quantâ pertinaciâ ei regionî adhæsisset, si ibi egissent beatam vitam? Mortui sunt etiam spatîo quadraginta annorum in deserto omnes egressi ex Ægypto præter Caleb et Josue, sed in punitionem rebellis illius generationis sententiam illam Deus tulerat: et uno verbo quæcumque postea illos mala attigerunt, ea sibi suis criminibus accerserunt. Nedùm profectò ex eo quòd permixti cæteris gentibus vixerint, eorumque bellis fuerint commoti, sequatur eos sub speciali Dei providentiâ non fuisse; è contrario minùs eluxisset Dei cura, si in angulo terræ collocati ignoti vixissent reliquo humano generi: nam in sorte illius gentis hoc singularè est, non quòd duraverit per tot annos, sed quòd in ipsâ omnium gentium commotione et perturbatione perpetuâ incolumis manserit respublica judaica, perpetuis jactata tempestatibus. Quòd, v. g., navis mari transmissio secundis ventis portum attingat, non est mirabile, nec naucleri arguit peritiam: sed si eadem per longum iter adversis ventis impulsâ et procellis fatigata, portum attingat, multò magis habet admirationem, idque contigit reipublicæ judaicæ.

ARTICULUS III.

DE FORMA REIPUBLICÆ HEBRÆORUM, FŒDERIS IN MONTE SINA INITI SANCTIONE, AC NOTIS INTERNIS DIVINÆ ORIGINIS IN IPSA CONSTITUTIONE CONSPICUIS.

In asserendâ divinâ legatione Moysis et supernaturali Dei in rempublicam providentiâ, illis solùmmodò usi sumus argumentis, quæ dicuntur externa, desumptis scilicet ex illis notis quas velut in externo habitu gerebat ille legislator, vel quæ in publicâ rerum administratione apparebant. Alia nobis in hoc articulo expendenda sunt, quorum non minor vis et auctoritas apud sapientes esse solet, ducta ex ipsâ legis naturâ et singulari reipublicæ judaicæ constitutione. Ut in tantâ materiâ copîa perspicuitas major enteatur, in tres paragraphos articulum hunc tribuemus: in primo de reipublicæ formâ, in secundo de legis sanctione, in tertio de notis divinæ originis in hæc constitutione, legisque sanctione conspicuis disputabimus; articulo sequenti speciatim dicturi de variis legis præceptis moralibus, judicialibus et cæremonialibus eorumque finibus.

§ 1. De formâ reipublicæ Hebræorum theoreticâ.

Apud Hebræos singularem reipublicæ formam deprehendimus et ab omni aliâ discrepantem politiam, in quâ civilis constitutio et religiosa, divisæ apud omnes alias gentes, prorsus coaluere, ita ut una sine alterâ nequam potuerit consistere. Eò diligentius hanc constitutionis formam expendendam ducimus, quòd ex eâ petendæ præsertim sint notæ divinæ originis et in eâ quærenda sit legum multarum intelligentia.

Theocratia verò nomine intelligimus Dei imperium seu monarchiam, quæ in naturalem et civilem distribui potest. Monarchia Dei naturalis ea est, quæ jure creationis et omnipotentia suæ ac summæ etiam sapientia et bonitatis Deo convenit, quamque in omnes creaturas à primâ rerum origine semper exercuit, semperque exercebit. Civilis Dei monarchia ea est, quam Deus inter Israelitas tenuisse dicimus jure solemnisi pacti, quo nomen regis

inter eos et rerum omnium civilium arbitrium certâ conditione Deo delatum est. Propter illam duplicem theocratiam factum est, ut Deus in Scripturis sacris nunc rex totius terræ, aliàs rex Israel appelletur. Magna contentio fuit inter eruditos quosdam, præsertim inter Richardum Simon et Joannem *le Clerc*, de duratione hujus theocraticæ regiminis, priore contentente illud permansisse usque ad Christum regem, alio defendente illud prorsus abrogatum fuisse in Saülis inauguratione: quomodo componi possit ista lis, quæ est tota de nomine, exponemus alterâ propositione, postquam in priore confecerimus initio formam reipublicæ fuisse quoad omnes numeros theocraticam.

PROPOSITIO PRIMA.

Forma reipublicæ judaicæ fuit initio theocratica, seu in illâ republicâ rerum civilium summâ potiebatur Deus cum regis titulo et auctoritate.

PROBATIO.—1° Habemus ex c. 19 fœdus in initum inter Deum et populum Israel accuratissimè descriptum, solemnemque Dei in regem electionem: « Mense tertio egressionis Israel de terrâ Ægypti venerunt in solitudinem Sinai, ibique fixit Israel tentoria è regione montis. Moyses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, et ait: Hæc dices domui Jacob et annuntiabis illis Israel: Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum et assumpserim mihi. » (Dignatur scilicet Deus egregia sapientiæ suæ ac potentiæ exempla nuper edita populo in memoriam revocare, ut ille tantorum beneficiorum memor et ex divinarum virtutum consideratione promptior existeret ad illum in regem eligendum: deinde regis officium se gratum acceptumque habiturum, totamque gentem in curam et clientelam suscepturum significat.) « Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. » (Deinde conditionem oblatam accepit populus et Deum in regem suum communibus suffragiis eligent.) « Venit Moyses, et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus, et respondit populus: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciamus. » (Deus, accepto electionis suæ nuntio, statim

cum Moyses agere incipit de seipso Israelitis manifestando, de tabernaculo fabricando et legibus rogandis, de politâ cultuque religioso.) « Cùmque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem, et credat mihi in perpetuum. »

Fœdus hoc, quo Deus et populus sibi invicem devincti sunt, in libro descriptum fuit, qui *volumen pacti* dicebatur, et cæremoniis in electione principum, et aliis contractibus usitatis ratum firmumque factum est: quippe cùm Moyses Dei promissa et præcepta in libro scripsisset, et populus, auditis iterùm legibus, assensum præbuisset, Moyses, oblatâ victimâ, sanguinis dimidium sparsit super altare, quod Dei locum tenebat, et dimidium super populum, dicens: *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Atque hoc ritu peracto, ut firmitas omnimoda fœderi adderetur, Moyses, Aaron, Abi, et 70 seniores, qui populi quasi personam gerebant, in montem ascendisse, et ibi è pacificis comedisse dicuntur. Hæc omnia brevius, nec minus explicatè expressit Moyses in Deut. c. 26, his verbis ad populum factis: « Jehovah elegisti hodiè, ut sit tibi Elohim (id est, Dominus, dux et imperator), et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio; et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius, et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam. »

2° Deus in Israel rex semper agnitus fuit. Infinita hujus rei sunt in Scripturâ testimonia; elucet maximè locus ille celebris Judic. c. 8, ubi Israelitæ à Madianitarum jugo Gedeonis virtute liberati, principatum et imperium ei posterisque suis obtulerunt, dicentes: *Dominare tu in nos, et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian.* Ille verò conditionem oblatam respuit, dicens: *Non dominabor in vos ipse, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur in vos Dominus.* Aliud habemus testimonium in lib. 4 Reg. c. 8, ubi Deus Samuelem, populi regem postulantis vota molestè ferentem, sic consolatur: *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, quia non te spreverunt, sed me spreverunt, ne regnem super eos.* His verbis indicat Deus se in gentem israeliticam ad ea

usque tempora regnavisse, et regis civilis exercuisse officia. Hinc dixit Isaias c. 33, v. 22 : *Dominus enim iudex noster, Dominus legislifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Et David : *Regnabit Dominus qui sedet super Cherubim*; et Ps. 84 : *Altaria tua, Domine, virtutum, rex meus et Deus meus*; et Ps. 149 : *Lætetur Israel in eo, qui fecit cum, et filii Zion exultent in regno suo.* Et auctor libri Ecclesiastici scripsit : *Unicuique genti Deus præsidem dedit, Israel Dei portio est.* Hinc quoque solum in quo sedebat Salomon speciali quâdam ratione solum Domini vocatur; et regnum quod Salomonis posterius tenuerunt, regnum Domini; et iudicium quod populi principes ferebant, iudicium Domini; et Jerusalem dicitur civitas regis magni.

Hanc quoque propositionem nostram confirmat veterum scriptorum auctoritas. Inter eos Josephus Moysen inducit Judæos sic alloquentem : « Optimum quidem vobis est, optimatum regimen, et in sic administratâ republicâ vivere; nec est cur alterius politiæ formæ desiderium vos accipiat, sed præstat ut hæc contenti in legum et vestrâ ipsorum potestate sitis. Satis est Deum habere gubernatorem. » Et paulò post sic Moysen belli leges populo præscripsisse dicit : « Exercitum contra eos (hostes) educite, summum imperium Deo committentes, sed creantes unum aliquem virtute præcellentem, qui vicarius sit ei, et quasi proimperator. » Idem l. 2 contra Appionem habet : « Innumeræ sunt particulatim gentium et morum apud omnes homines differentiæ : alii quidem monarchiis, alii oligarchiis, alii verò democratiis reipublicæ potestatem commiserunt. Noster autem legislator nihil horum intendens, politiam nostram theocratiam declaravit, Deo præcipuè principatum assignans et potentiam. » Idèoque idem historicus scripsit, Moysen suâ legislatione effecisse, ut omnis moralis et civilis virtus esset pars religionis, id est, pietatis erga Deum, cum in aliis constitutionibus religio sit pars virtutis (1). Hanc etiam sententiam suo suffragio probavit Theodoretus in lib. 1 Sam., quæst. 15, qui formam administrationis publicæ apud Hebræos sic expressit : « Dominus Deus, et Dei

et regis implebat munus. Propheta verò Samuel erat administer et veluti quidam præfectus aut magister militum, aut tribunus plebis. »

3^o Loci regii prærogativæ et jura majestatis Deo reservata fuere, obituque omnia regis munera. Nam regis jura sunt, leges rogare et sancire; proreges suos et iudices reipublicæ constituere; in rebus difficilioribus mentem suam declarationibus explicare; exercitus ducere, bella et fœdera inire; denique toti reipublicæ consulere, cavereque ne quid detrimenti illa capiat. Atqui 1^o legislativa potestas, sine quâ suprema auctoritas esse nequit, ad Deum solum pertinebat : ille initio leges, sive judiciales, sive rituales constituit, quibus derogare aut obrogare nulli unquam licitum fuit. Erant leges mosaicæ incommutabiles et divinæ semper in republicâ firmatæ auctoritate, et proinde fuerunt perpetua regis Dei potestatis monumenta. 2^o Deus ministros tum ordinarios, tum extraordinarios constituere jure regio. Non solum tribum leviticam in suum assumpsit famulitium, et familiam Aaronis sacerdotio in perpetuum decoravit, sed iudices etiam populi ipse instituit, eorumque potestati limites posuit. 3^o Regis officium præterea præstitit, viros pietate et fortitudine præcellentes ad rempublicam regendam evocando. In rebus difficilioribus more regum declarationibus et responsis ex oraculo datis, mentem suam significabat : sic in causâ filiarum Salphaad hæreditatum jura definivit, et controversias graviore sæpius circa res sacras et civiles determinavit : imò lege præceptum fuit, ut illæ causæ graviore ad illum deferrentur. 4^o Exercitum ducebat et gentis bella pugnabat. Illud asserit Josue c. 25 et, ut verbis suis fidem adstruat, incursus illos hostiles enumerat, à quibus summi numinis auspiciis liberati fuissent. Hincque etiam Deus triumphator in Israel dicitur in Scripturâ sacrâ. Arca fœderis, præsentia divinæ symbolum, agmina semper præcedebat; et quamdiù Israelitæ sub tentoria versabantur, Deus etiam in tentorio agere et in medio castrorum, ut loquitur Moyses, ambulare censebatur. 5^o Fœdera nulla inire neque bella sine Dei consensu licebat : juxta hæc præceptum Num. 27, 18 : « Dixitque Dominus ad Moysen : Tolle Josue filium Num. Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulat Dominum : ad verbum ejus egredietur et ingreditur ipse et omnes filii Israel cum eo. » Hanc legem servatam fuisse discimus ex libris

(1) Οὐ γὰρ μέρος τῆς ἀρετῆς ἐπίστανε τὴν εὐσεβεῖαν, ἀλλὰ ταυτὴς τὰ μέρη τ' ἄλλα σύνειδε καὶ κατέστησε λέγω δὲ τὴν δικαιοσύνην, τὴν καρτερίαν, τὴν σωφροσύνην, τὴν τῶν πολλῶν πρὸς ἀλλήλους ἐν ἅπαι συμφορῶν. αβ.

Josue et Judicum. Denique totius reipublicæ curam in se Deus susceperat, et fuerat Hebræis pollicitus se præsidio illis futurum, quamdiu essent legem ejus servaturi : quæ pronussa sua præstitisse Deum certum est ex totâ historiâ judaicâ.

In hæc reipublicæ theocraticâ constitutione doctores hebræi multorum Moysis institutorum rationes quærent, speciatim verò tabernaculi omniumque ejus partium, quod instrumentum palatii et tentorii regii loco inservisse docent. « Deus, inquit Rabbi Schemrob Commentario in More Nevochim Maimonidis, talem sibi domum condi jussit, qualis esse solet domus regia. In domo regiâ hæc omnia, quæ diximus, repcriuntur: alii scilicet qui custodiant palatium ejus; alii qui fungantur officiiis ad regiam dignitatem pertinentibus, qui epulas instruunt alaque faciunt regi necessaria. Est etiam in domo regiâ locus ad cibos apparendos constitutus. Item locus ubi odoramenta adoleant. Est etiam mensa in domo ejus, item conclave ipsi proprium, quò nemo pervenit nisi qui ei secundus est, quosque in maximè charis habet. Eundem ad modum voluit Deus, ut hæc omnia in suâ domo inessent, ne quâ in re terrarum regiâ bus concederet. Est enim ille rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. Verùm hinc faciliè elucet ratio victûs familiaris sacerdotibus et Levitis dati, utpote quem rex quisque ministris suis suppeditare solet. Atque hæc omnia spectabant, ut intelligeret vulgus, regem, nempe Dominum exercituum, inter vos versatum. » Aliud insigne regiæ majestatis ab illis habetur dimidium sicti, quod tributî loco quotannis Deus accipiebat ab omnibus Israëlitis vigesimum annum prætergressis (1). Vide Spenserum de Legibus hebræis ritualibus; Warburton div. Leg. Moysis l. 5, sect. 2.

(1) Auctor libri famosi, non ita pridem apud nos editi, qui inscribitur: *Le despotisme oriental*, asserit pleraque post diluvium imperia fuisse totidem theocratias, quam notionem à Spensero acceperat, qui in dissert. de Theocr. Jud. c. 3, scripsit: « Seculi moribus ita factum erat, ut dii sui principatum quemdam inter servos suos obtinerent, et nomine, rituque regio colerentur. Nam seculo illo deos titulos Moloch, Elohim, Baahm et hujusmodi aliis, regibus et magnatibus tributî solitis, assignare solebant: eos imperii arbitros plerùmque ponebant, cum nec bella gerere, nec civitatem condere, nec regem eligere, nec grandius aliquid moliri solerent, priusquam deos per oracula vel auspicia consultissent. »

PROPOSITIO II.

Nunquam rescissum est fœdus sinaicum nec consequenter abolita prorsus theocratia per illud fœdus instituta, usque ad Christum regem. At variis successivè gradibus ab externâ administratione reipublicæ recessit Deus, et hoc sensu imminuta est gradatim theocratia.

PROBATIO. — I. Nunquam prorsus rescissum est fœdus sinaicum, nec immutata reipublicæ forma. Non primùm ubi constituti sunt reges, quia regum illorum sicut et judicum electio non ad populum, sed ad Deum pertinebat: stauerat illud Moyses Deut. c. 17: « Cùm ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et dixeris: Constituam super me regem sicut omnes habent per gyrum nationes; eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de medio fratrum tuorum. » Ex quibus verbis clarè patet nequaquam ex constitutione regiâ à Deo electi immutatum iri statum reipublicæ, sed vetitum fuisse ne aliquid statureretur sine Domini veniâ et auctoritate, quod seditiosum fuisset. In hoc ergo differebat judicum et regum institutio, quòd illi sæpius interiori spiritu excitati, hi designatione externâ ad munus vicarium vocati fuerint. Deinde hi reges nullam habebant potestatem legislativam, qualis ei convenit qui omnia habet supremæ majestatis jura; sed executivam, quâ vicarii et proreges non possunt carere. Nullas unquam ab ipsis rogatas leges invenimus, aut illa ex mosaicis institutis ab ipsis abrogata unquam fuisse. Præterea Deus post constitutos reges jure suo usus est sæpius, non tantùm in illis eligendis, sed etiam exauctorandis; sic Saulem propter malè administratam rempublicam, et quòd suis jussis non paruisset, abiecit, et totam ejus familiam à throno exclusit, atque *elegit David; de post fetantes accepit cum pascere Jacob servum suum*

Quam sententiam vanitatis jure arguit Warburton div. Leg. Moysis l. 5, sect. 2. Ex regibus deos creabant quidem ethnici; sed deos in reges proprio sensu nunquam elegerunt; hinc factum est, ut dii servaverint regia nomina, sed nullam rerum publicam administrationem retinuerunt. Marshamus sect. 13, p. 340, et in imnuere voluisse videtur theocratiam judaicam à paganis derivatam: fatetur tamen paganorum deos nomine potius, quàm re reges fuisse. « Moyses quidem Θεοκρατίαν declaravit Hebræorum rempub., ne sibi potestas regia deferretur; Athenienses autem Διοκρατίαν suam Apollini acceptam reulerunt; ut regis nomen Jovi cederet, neque tam titulum, quam potestas regia immineretur. »

et Israel hæreditatem suam. Nec in familiâ David hæreditarium sceptrum fuit, nisi ad remunerandas illius principis virtutes. In regno quoque Israel per prophetas suos reges alios exauctoravit, aliosque elegit sine ullâ legum reipublicæ violatione. Tandem reges suos ut Dei vicarios et ministros semper habuere Judæi, Deumque pro rege summo agnovère, ut patet ex iis omnibus testimoniis quæ propositione præcedenti allata sunt, quæ excerptimus ex illis libris, qui post constitutos reges scripti fuere. Jerusalem semper dicta est civitas regis magni, solum regem Juda, speciali ratione solum Domini. Non fuit etiâ reipublicæ forma mutata, nec rescissum fœdus Mosaicum in captivitate Babilonica: nam declaravit Deus per prophetam Aggæum et alios, se semper esse regem et Deum eorum. Inter multa hujus rei argumenta locus insignis est apud Aggæum c. 2, 5: « Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus: et confortare, Jesu, fili Joseph dech, sacerdos magne, et confortare omnis populus terræ, dicit Dominus Deus exercituum; et facite (quoniam ego vobiscum sum, et dicit Dominus exercituum) verbum quod pepigi vobiscum cum egredere mini de terrâ Ægypti: et spiritus meus erit in medio vestrum; nolite timere. » Quodnam erat fœdus istud initum olim, quod ratum firmumque esse declarat Deus, nisi illud quod expressit Moyses his verbis: *Jehova elegisti hodiè, ut sis tibi Elohim, et ambules in vis ejus, et obedias ejus imperio; et Dominus elegit te hodiè, ut sis ei populus peculiaris, etc.*

II. Non minus certum est theocratiam variis gradibus imminutam fuisse, hoc sensu, quòd ab administratione reipublicæ gradatim recesserit Deus. Fuit illud Dei regimen in perfectissimo statu quamdiù vixit Moyses, et erant Israelitæ vagi in deserto; toto isto tempore obiit Deus omnia munera legislativæ, executivæ et judiciaræ potestatis. « Invenit eum (populum Israel) in loco horroris et vastæ solitudinis: circumduxit eum et docuit et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos voltans, expandit alas suas et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Dominus solus dux ejus fuit. » Post subactam terram Chanaan, quamvis semper præsidio esset eorum rebus Dei præsidium, haberent oraculum quo de voluntate divinâ in rebus gravioribus certiores fierent, excitaretque Deus viros fortitudine et sapientiâ præcel-

lentes, qui dictatorio jure populum suo nomine regerent et ab hostibus liberarent, tamen multis partibus minùs perspicua et perpetua erat Dei in rebus civilibus interventio, quàm fuerat tempore Moysis. Post constitutum regem, quamvis hæc verba Samuel ad Israelitas fecerit: « Nolite timere; vos fecistis universum malum hoc; verumtamen nolite recedere à tergo Domini, sed servite Domino in toto corde vestro; et nolite declinare post vana. et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia juravit Dominus facere vos sibi populum; » quamvis duo priores reges à Deo electi fuerint, et constet eos oraculum Urim consuluisse; tamen iis regnantibus imminuta est Dei in rebus civilibus interventio, cum appareat ex Scripturis multa ex eorum arbitrio facta esse, videlicet bella et fœdera inita, magistratus inferiores institutos, pœnas capitales irrogatas; quæ omnia in primâ origine reipublicæ sine divino jussu fieri non poterant. Postea verò regnum hæreditarium factum est, siluit oraculum et rariùs Deus rebus civilibus sese immiscuit. Tandem post captivitatem Babilonicam spiritus propheticus, omniaque fermè extraordinariæ Dei providentiæ indicia et pignora defecerunt. Qui plura de hoc argumento velit, legat sectionem 5, l. 5, div. leg. Moysis.

§ 2. De fœderis Mosaici sanctionibus, seu de pœnis illi fœderi propriis.

Quætionem inchoamus difficilem, in quâ explicandâ adhibenda est summa verborum proprietas, ne Pelagianis ex unâ parte non satis fœdus Mosaicum et Evangelicum discernantibus, aut contrariis recentiorum quorundam erroribus favere videamur: et idcirco acutissimi theologi verbis et auctoritate uti satius ducimus. « Occurrit, inquit Suarezius de Leg. l. 9, c. 6, commune dubium, quales fuerint promissiones illius legis, an temporales tantùm, an etiâ spirituales et æternæ. Et ratio dubii est, quia D. Thomas significat promissa illius legis fuisse tantùm temporalia, et reddit rationem, quia lex illa disponebat ad Christum sicut imperfectum ad perfectum, et dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione perfectionis, quæ erat futura per Christum: imperfectorum autem est, quòd temporalia bona desiderant, et idèò illa lex per temporalium honorum promissiones homines inducebat. Nam qui vult, ait divus Thomas, inducere alium ad observantiam præcepti, ea

debet promittere, quæ magis sunt in ejus affectu : nam sicut qui docet, incipere debet à facilioribus, ita qui movere alium vult, ei proponere debet, quæ facilius movere possint. Unde ob eandem causam comminationes illius legis erant de pœnis temporalibus, quia carum timor magis movere solet animales homines et imperfectos. Confirmatque hoc D. Thomas ex Paulo ad Gal. 3, comparante legem pædagogico, et consequenter Israeliticum populum puero existenti sub pædago : nam sicut puer maxime sensibilibus movetur, et ideo à pædago interdum flagellis terretur, aliquando verò levibus manusculis et promissionibus inducitur, ita lex illa populum sibi subjectum inducebat, quod etiam constat ex tenore legis Dent. 27 et 28, et ex usu Prophetarum, Isaïæ 1 : *Sî volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*, etc., et sæpè in aliis.

Significat autem D. Thomas hoc esse intelligendum exclusivè, ita ut non solum lex illa temporalia frequenter promiserit, quod evidentissimum est, sed etiam quòd nihil excellentius promiserit, ad hoc enim discursus D. Thomæ tendit. Unde promissio illa quæ habetur Lev. 18, et Ez. 20 : *Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, de vitâ corporali intelligit idem D. Thomas qu. 100, art. 52, ad 2, ex Paulo ad Gal. 3, ubi significat diversitatem esse inter illas duas sententias : *Justus ex fide vivit*, et : *Qui fecerit ea vivet in illis* ; quòd prior intelligit de vitâ spiritali, posterior autem minimè, quia lex non est ex fide. Et ideo in priori sententiâ simpliciter dicitur, *vivit*, in posteriori autem non simpliciter, sed cum addito, *vivet in illis*, id est, in lege, cujus pœnas non incurret, vel in justitiâ legis, ut exponere videtur idem Paulus ad Rom. 10, dicens : *Moses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ*. Præterea idem Paulus ad Hebræos scribens hanc sententiam indicare videtur. Nam c. 7 dicit : *Novi Testamenti meliorem esse spem*, utique quia est de æternis bonis, *per quæ approximamus ad Deum*. Ergo hæc non promittebantur in veteri Testamento, et ideo c. 8 addidit, novum Testamentum *melioribus repromissionibus sancitum esse*. Hinc sancti Patres multùm huic sententiæ favere videntur : Nam D. Augustinus de Civ. Dei lib. 18, c. 41, dicit legem appellari vetus Testamentum, quia promissiones terrenas habet, et per Jesum Christum futurum fuerat Testamentum novum in quo regnum cælorum pro-

mitteretur. Quæ differentia manifestè requirit, ut promissio regni cælorum in veteri Testamento facta non fuerit, et subjungit rationem similem discursui D. Thomæ, dicens : *Hunc enim ordinem servari oportebat, sicut in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur quod ait Apostolus, ut non sit prius quod spirituale, sed quod animale, postea spirituale.* Et ita in qu. 92 in Ex. dicit, licet in veteri Testamento præcepta ad bonos mores pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenas fuisse : et qu. 53 in Num. inter alias differentias inter utrumque Testamentum hanc constituit, quòd in veteri promissa erant temporalia, in novo spiritualia ; quod 4 contra Faustum et Ep. 120, et in aliis locis sæpè repetit. Unde Bernardus serm. 50 in Cant. de Lege dixit : *Grave legis jugum et vile præmium, nam terra est in promissione*, cui statim opponit suave jugum legis gratiæ, quæ promissionem habet vitæ quæ nunc est, pariter et futuræ. Hinc denique Hieronymus dialogo primo contra Pelagianos, et Chrysostomus in Mathæum, diverunt regnum cælorum cœpisse prædicari de Evangelio : *Legens legem, legens Prophetas, legens psalterium, nunquam regnum cælorum audivi, nisi in Evangelio*. Hieronymus autem reprehendit Pelagium, qui dicebat regnum cælorum etiam in veteri Testamento repromitti : *Cum perspicuum, inquit, sit, regnum cælorum primum in Evangelio prædicari*.

Contrarium verò est, quia non videtur posse negari quin antiqui observatores legis Moysis vitam æternam per eam sperarent ; de hæc enim retributione loquitur David Ps. 118, cùm dicit : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem* ; et clariùs Tobias c. 2 filio dicebat : *Filii sanctorum sumus et vitam expectamus, quam daturus est Deus iis qui fidem suam nunquam mutant ab eo*. Et 2 Machab. 7, unus eorum dixit : *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*. Unde de illâ vitâ intellexisse illam promissionem, *qui fecerit ea vivet in eis* ; de quâ etiam Ezeç. c. 8, cùm dicit : *Qui custodierit præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vitâ vivet* ; et similia habet c. 35, et vita æterna expressè promittitur Dan. 12, et Sap. 5 : *Justi in perpetuum vivent*. Denique Isaïas c. 64, æterni præniù dignitatem agnoscens et expectans ait : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te*, et c. 45, describit æternum præmium virtutis. Non videtur ergo dubium quin homines sub lege vi-

ventes promissionem haberent vitæ æternæ et illam sperarent, quod apertè confirmat Apostolus ad Hebræos 11, ubi factâ longâ enumeratione justorum illius temporis concludit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt re-promissionem*, quod necesse est intelligi de re-promissione æternâ: nam temporales promissiones multi acceperunt, de quibus in principio dixerat: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt re-promissiones*. Denique non solùm pœna temporalis, sed etiam æterna cognoscebatur et timenda proponebatur in illo tempore, ut constat ex iisdem locis. Unde etiam tunc peccando mortaliter reatus illius pœnæ incurrebatur, ut est de fide certum; ergo necessarium est, ut etiam æternum præmium proponeretur: nam hæc duo connexa necessariò sunt, et eadem est utriusque ratio. Quod etiam apertè ostendit princeps quidam Judæorum, qui Christum interrogavit, *quid faciens vitam æternam possidabo?* Luc. 7, c. 18; habebat ergo notitiam illius et spem.

« Dicendum verò est, utramque partem rectè intellectam veram esse. Lex propriè sumpta non promittebat præmia æterna, sed temporalia, ut priores Patres docent, et ratio eorum suadet, et ex testimoniis ex lege citatis colligitur, addendo nullum ex propriâ lege afferri testimonium, in quo spirituales fiant. Et nihilominus verissimum etiam est, homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ et spiritualium bonorum, et fidem ac spem eorum, sine quâ impossibile est remissionem peccatorum obtinere. *Accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est, et quòd inquirentibus se remunerator sit*. Neque hoc posterius cum priori repugnat, quia hanc promissionem non habuerunt Judæi ex lege, sed ex patribus (ut sic dicam), utique per traditionem eorum (1). Nam à principio Ecclesiæ

(1) Clarissimus auctor libri celebratissimi, qui inscribitur divina Moysis Legatio, in omnibus, post primam, editionibus, auctorem hujus operis arguit inconstantæ et contradictionis, quòd hæc duo conjunxerit, et duas propositiones contrarias defendendas suscepit: « The consequence of which is that the
« two large chapters in his second volume
« (the first to prove that a future state was
« always a popular doctrine amongst the Jews:
« and the second, that temporal rewards and
« punishments were really and equally distributed amongst them under the Theocracy.)
« just serve to confute one another: or more
« properly, the second chapter, by aid of the
« arguments taken from the divine legition,

facta est hominibus fidelibus et in eis per traditionem permansit fides ejus, et in Abraham revocata est et expressior facta; sic ergo ad

« effectually overturns all that he has advanced
« in the first. » An hæc duo, uti exponitur à Suarezio et infra ab auctore delenduntur, inter se pugnant, penes lectorem sit judicium.
— Arguit etiam eodem loco auctorem viri doctissimus, quòd cùm suas probationes pro temporali legis Mosaicæ sanctione et extraordinariâ Dei providentiâ ex libro de divinâ Moysis Legatione desumpserit, tamen argumenti ibidem adhibiti vim hand intellexerit, aut malè representaverit. Cui objectioni respondet auctor, se, quamvis in multis sui operis partibus, et in hac præsertim disputatione, multum usus sit ingenio et eruditione Warburtoni, tamen hoc loco ejus argumento nullo modo uti voluisse. Argumentum scilicet clarissimi viri hæc dubio syllogismus, ipso docente l. 6, sect. 6, seu t. 5, p. 56½, continetur. « Omnis religio, seu societas, quæ non fundatur in fide futuræ post mortem vitæ, sine providentiâ extraordinariâ consistere non potest. Atqui religio et societas Judaica non habebant pro adiniculo fidem futuræ vitæ. Ergo religio et societas Judaica habebant pro adiniculo extraordinariam Dei providentiam. Item: Omnes veteres legum latrores putabant religioem illam, quæ non fundaretur in fide futuræ vitæ, consistere non posse sine extraordinariâ Dei providentiâ. Atqui Moyses creditus in omni scientiâ Ægyptiorum (cujus scientiæ pars primaria erat fidem futuræ vitæ incutere), talem proposuit religionem. Ergo Moyses putabat religionem suam habere pro adiniculo extraordinariam Dei providentiam. » Sed nullam ex horum syllogismorum proportionibus auctor asseruit, nullò minus sibi totum argumentum defendendum proposuit. — Demùm vir clarissimus hujus operis auctorem arguit, quòd cùm multa passim ex libro de divinâ Moysis Legatione mutatus sit, hæcque ratione suis commodis et etiam forte famæ consuluerit, non semper tamen gratiam retulerit. Est hæc justa querimonia. Causæ verò, cur auctor sæpius tam ingratus fuerit, et quas à plurimis jam annis didicit vir clarissimus ex litteris ad communem amicum datis, hæc fuerunt. Quum auctor hujus operis, juvenis et male providus, animum ad colligenda hæc pro religione argumenta appulit, et etiam quo tempore chartulas suas librario tradidit, sibi erat propositum, et hæc sperabat futuram operis sui præcipuum commendationem, post singula capita auctorum nomina attexere, quibus, aut usus fuisset, aut alii in eodem argumento uti possent. Idèò in toto primi voluminis tot sunt in margine expressa nomina. At postea parcus eadem exhibenda visum est in opere ad juniorum theologorum utilitatem unice comparato, præsertim postquam sacra Facultas Parisiensis legem tulisset, ut in thesibus solorum sanctorum Patrum et probatorum theologorum nomina legerentur. Utilitatem juniorum theologorum hisce religionis elementis sibi proponere auctor potuit, et propter studium honestum laudem aliquam querere, famam non potuit.

populum Israëliticum pervenit, et postea per Prophetas scripta est, non tanquam nova, sed tanquam antiqua. Quod totum satis probat testimonium Pauli ad Hebr. c. 11, ubi incipiens ab Abel et progrediens per Patriarchas usque ad Prophetas, omnes dicit habuisse hanc promissionem. Lex ergo nullam promissionem spiritualem huic antiquæ addidit, et in hoc sensu verè dicitur tantum promississe temporalia, scilicet quantum ad promissiones quas ipsa addidit. Et in hoc sensu locutus est D. Thomas cum Augustino. Et in eodem dixit Bernardus fuisse vile præmium, scilicet proprium illius legis comparatum ad onus etiam proprium, quod lex illa imponebat. Chrysostomus autem et Hieronymus, quia non de solâ lege, sed de toto Testamento veteri loquuntur, exponendi sunt, ut loquantur de promissione vitæ æternæ sub expresso nomine regni cælorum. Vel dicendum est ante Christum non fuisse promissum regnum cælorum ut jam apertum, et secundum illum statum assequendum; et hoc modo inceptum esse prædicari tempore legis gratiæ, et hoc intendisse illos Patres: vel certè regnum illud non fuisse promissum, ut præmium operum legis, sed ut præmium operum gratiæ, et ut sic semper ad novum Testamentum pertinuisse. »

Itaque exiit ab ipso mundi initio religio non solum lumine naturali innixa, sed divinâ quoque revelatione, quæ docebat unum Deum, verum omnium moderatorem æquissimum, non tantum in hac vitâ, sed et in futurâ bonorum et malorum habiturum esse rationem: docebat etiam homines à primævâ felicitate lapsos, esse iterum in integrum restituendos per futurum liberatorem in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ. Religio hæc data primum Adamo, servatâ traditione apud ejus posteros; post diluvium confirmata Noëmo, postea enucleatius Abrahamo, aliisque patriarchis, hæreditario jure transmissa est ad Hebræos, semperque mansit in memoriâ populi Deo dilecti. Uno verbo Religio christiana quoad substantiam mundi æqualis est, semperque in omni ætate aliqui fuerunt, qui ad eam pertinuerunt. Lex autem propriè sumpta, et quatenus distinguitur ab hac religione quam à patribus acceperunt Israëlitiæ, superaddita est, ut ait S. Paulus, *propter transgressiones*, ut populus Deo sacer, cui jam credita fuerant eloquia Dei, in rempublicam coactus separaretur ab omni aliâ, nec vicinarum gentium laderetur contagione. Fuit illa monumentum

quo tuta semper servarentur veri Dei cognitio, Religionisque christianæ exordia et incrementa. Fuit apparatus legis novæ, quo adumbrarentur res evangelicæ à Christo aliquando propagandæ. Hujus legis nationalis et temporariæ sanctio, si nudam litteram spectes, offerbat quidem bona et mala temporalia (1), quæ erant figuræ bonorum et malorum futuræ vitæ: adeoque sub litterâ latebat spiritualis sensus, à Moyse reverà intentus et ab Israëlitis intellectus, qui verè dici potest legis Mosaicæ pars interior. Rectè ergo damnata olim fuit hæc Pelagianorum propositio: *Lex sic mittit ad regnum, quemadmodum Evangelium*. Et damnandi quoque ex alterâ parte ii qui negant à Moyse injectam esse Judæis spem futuræ vitæ, per fidem vel per opera legis in fide facta obtinendæ.

Hæc omnia suis locis conficiemus: hic solummodò redarguendum est duplex hominum genus, deistas dico et mysticos quosdam, qui ab iisdem profecti principiis valdè diversas tenent sententias. Utrique statuunt indignum esse Deo homines bonis temporalibus excitare ad præstanda Religionis officia, illius virtutem vanam esse qui talia cupit, t terrena commoda; promittique illam Religionem divinæ originis nullas notas habere, in quâ illa hominibus ut actionum suarum motiva proponerentur. Quid ex eo deistæ conclusère? Legem Mosaicam vanam esse nec à numine profectam, quæ certo certius pœnis erat et præmiis sancta temporalibus. Atque ut huic suæ conclusioni major accedat vis, in eo maxime elaborant, ut efficiant ante captivitatem Babylonicam Judæos nullam immortalitatis animæ aut futuræ vitæ notionem habuisse, sed illam tum temporis ex Babyloniolorum et Persarum consuetudine accepisse. Mystici seiv figuristæ è contrario, assumptâ religionis Judaicæ divinâ origine, ex eodem principio concludunt nullas fuisse reverà promissiones bonorum temporalium, sed solummodò spiritualium; et Judæos, qui illa expectârunt, spe suâ fraudatos fuisse: quæ

(1) à Judæis equidem scio in lege Mosaicâ, non cœlestis regni, viteque mercedem propositam fuisse: contra quam Pelagius existimabat, qui eo nomine inter alia postulatus est in judicio Diospolitano. Petavius Theol. dogm. t. 1, l. 10, c. 24, § 11. Et alii que tout chrétienne, les promesses spirituelles sont développées par la prédication de l'Évangile dans le temps que le peuple Juif, qui n'en avait reçu que de temporelles, reproché manifestement, etc. Bossuet Hist. univ. c. 29. Vide caput 13 et 14 libri S. Augustini de Gestis Pelagi.

sententia unversam pervertit œconomia Judæicæ rationem, et divinæ originis istius legis notas multas nobis adimeret, ut ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

Patriarchas, Moysen et Prophetas animarum immortalitatem futuramque vitam credidisse certum est. Hæcque eadem doctrina apud omne Judæorum vulgus semper communis fuit, ac interior legis sensus erat.

PROBATIO — I. Id certum est de Patriarchis et inter Judæos doctoribus. 1^o Multa sunt non obscura hujus doctrinæ vestigia in Scripturis sacris: nam primùm in historiâ creationis, quam Moyses scripsit juxta communem avorum suorum traditionem et doctrinam apud Judæos constantem, anima à corpore valdè diversa supponitur; hoc ex pulvere concretum, illa spiritus vitæ appellata post formatam corpoream molem infusa dicitur: magnificè etiam extollitur naturæ humanæ dignitas, dùm homo ad Dei immortalis imaginem factus exhibetur, quâ certè descriptione Sadducæus et materialista uti nullo modo potuit. Secundò, in Genesi et aliis Scripturæ libris legimus angelos frequenter Patriarchis apparuisse, quod Sadducæorum doctrinam omninò everit. Tertio, ex historiâ Enoch, qui dicitur sublatus à Deo, quid aliud concludemus, nisi quod auctor Ecclesiastici et S. Paulus, raptum illum justum fuisse ad meliorem statum in præmium virtutis, quoniam ambulaverat cum Deo? Idem ex raptu Eliæ, qui multis post seculis contigit apud eos quos Sadducæismi arguunt deistæ, licet colligere. Quartò, Patriarchas audimus confitentes esse peregrinos et hospites super terram, et vocantes vitam suam super terram, dies peregrinationis pravos et malos; subit statim mentem hæc cogitatio, illos meliorem appetuisse patriam, id est, cœlestem: nam, ut argumentatur Apostolus: *Si illius meminissent de quâ exierant, habebant utique tempus revertendi.* Quintò, in fœdere cum Abraham inito hæc fuit ex parte Dei conditio: *Ego ero merces tua magna nimis, quæ certè promissio nunquam fuit impleta, si Abrahamum nulla alia manserint præmia et bona, nisi quæ in hac suâ ærumnosâ vitâ expertus est.* Sextò, patriarcha Jacob morti proximus, dùm benediceret filiis suis, divino afflatus spiritu exclamavit: *Expectabo salutem tuam, Domine; et Balaam eodem spiritu excitatus castra intuens Israelitarum dixit: Moriatur anima mea morte justorum, et fiant*

*novissima mea eorum similia, ex quibus patet eos aliam vitam post mortem expectasse. Denique apud Moysen Deus dicitur *Elohim*, id est, Dominus et protector Abraham, Isaac et Jacob, ex quo rectissimè concluditur illos Patriarchas vivere, nam protectorem non habent, qui non vivunt.*

His ex Pentateucho testimoniis multa consentiunt in singulis V. T. libris. David Ps. 46 cant: « Propter hoc lætatum est cor meum, et caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Quæ verba etsi ad Messiam propriè pertinent, hæc minùs probant Davidem credidisse resurrectionem mortuorum. Postea describit beatitudinem iisdem verbis, quibus utuntur scriptores N. T.: « Notas mihi fecisti vias vitæ, et adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dexterâ tuâ usque in finem. » Quorum similia hæc sunt Psalm. 17: « Ego autem in justitiâ apparebo conspectui tuo; et satiabor cum apparuerit gloria tua; » et hæc Psalm. 34: « Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. » Ista et plura alia apud prophetam regium sensu obvio et naturali significant eum expectasse post hanc mortalem sortem vitam alteram; et etiamsi concederemus illa loca ad alium sensum transferri posse et esse metaphorica, saltem probant valdè familiare illi fuisse de immortalitate animæ et de resurrectione cogitare, eum illis notionibus utatur ad significandas etiam res temporales.

Plura quoque in Salomonis scriptis invenimus valdè luculenta ejusdem doctrinæ indicia: Proverb. c. 14, ait: *In malitiâ suâ expellatur impius, sperat autem justus in morte sua.* Quid expectare justus in morte potest, nisi post mortem bona? Item, Eccl. c. 11: « Lætare, et inquit ironicè, juvenis, in adolescentiâ tuâ, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui et in intuitu oculorum tuorum, et (pergit seriò) scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Aufer iram à corde tuo, et amove malitiam à carne tuâ: adolescentia enim et voluptas vanæ sunt (1) » — Certè hæc

(1) Textum hunc accuratius ex Hebræo sic reddit doct. Houbigant: « Lætare, juvenis, in juventute tuâ; hilaret te cor tuum in diebus

christiana sunt, nec illa minùs c. 12 : « Memento creatoris in diebus juventutis tuæ, « antequàm veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dices : Non mihi placeant.... antequàm revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. » Ubi manifestum discrimen ponit inter corpus et animam, et videtur alludere ad Moÿsis verba in initio Genesis. Idem Ecclesiastes hæc pulcherrimâ sententiâ libro finem imponit : « Finem loquendi pariter omnes audiamus : Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo ; et cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum, illud sit (1). » Eandem antea doctrinam inculcaverat c. 3, v. 16 : « Vidi sub sole in loco judicii impietatem, et in loco justitiæ iniquitatem, et dixi in corde meo : Justum et impium Deus judicabit. » Igitur si aliqua sint apud Salomonem, quæ contraria videantur, dicendum est illum in istis locis ex impiorum hominum sententiâ loqui.

Consentiunt denique cæteri Prophetæ : Isaïæ c. 57 : « Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo, et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat ; à facie enim malitiæ collectus est justus. Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulavit in directione suâ : vos autem accedite huc, filii auguraticis, semen adulteræ et fornicariæ, super quem iustis ? super quem dilatâstis os et ejecistis linguam ? » Quorum verborum sensus alius esse non potest, nisi quòd justique quandoque immaturâ morte tollantur, ut liberentur ab imminentibus malis et transferantur in locum pacis ; et impios appellat ad contemplandam illam pacem. Idem propheta c. 26 habet : « Vivent mortui tui, interfecti tui resurgent, expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus. » Et Osee c. 13 : « De manu mortis liberabo eos,

« bus adolescentiæ tuæ ; sequere eam viam in quam propendent cor tuum et oculi tui. Verumtamen noli ignorare quòd super his omnibus ad judicium te Deus sit adducturus. Tolle indignationem ab animo tuo : amove squalorem à carne tuâ. Nam vanitas, ut juventus, sic senectus. »

(1) « Extrema sermonis denique omnes audiamus : Deum time, et mandata ejus observa ; hoc est omnis homo. Quippe omne opus Deus ad judicium adducet ; id videlicet omne quod est absconditum, כִּלְכִלִּים sive bonum, sive malum. » Ita ex Hebræo vertit Cl. Houbigant.

« de morte redimam eos : ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero, inferne. » Transferant hæc si velint adversarii ad res temporales, saltem efficiunt, ut jam dixi, valdè familiarem fuisse illam futuræ vitæ et resurrectionis cogitationem. Denique Daniel c. 12 illam doctrinam clarissimè tradit : « Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii à vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper : qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuis æternitates. » Nulla ex libris, qui scripti sunt post Danielem, testimonia afferre necesse est, cum habeamus confitentes Deistas hanc de immortalitate animæ doctrinam à captivitate Babilonicâ valdè apud Judæos communem fuisse.

2º Alia dogmata tenuere Patriarchæ et Prophetæ cum isto necessariò conjuncta : cognoscebant quippe hominem ad immortale ævum primùm à Deo destinatum fuisse, et in has mortalitatis vitæ ærumnas ad luendam peccati penam devenisse. Sciebant venturum aliquando liberatorem, qui caput serpentis antiqui contereret, hominesque in pristinum statum restitueret ; et ipsa carnis resurrectio valdè clarè in libro Job, loco notissimo, significatur. Hujus liberatoris notitia obscura primùm, clarior postea ex divinis revelationibus apud Judæos evasit, donec tandem in plenitudine temporum *manifestatus in carne, justificatus est in spiritu, apparuit angelis, creditus est in mundo, assumptus est in gloriâ*. Hinc non dubitavit Christus, quem Messiam esse aliàs ostendemus, ad Scripturas provocare : *Scrutimini Scripturas, aiebat, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. Varios Scripturarum textus, in quibus hæc de redemptione hominum doctrina continetur evolvemus, ubi de antiquitate doctrinæ christianæ.

3º Christus et Apostoli docent Patriarchas et prophetas doctrinam de animarum immortalitate tenuisse, eandemque in Scripturis contineri : quorum hic utitur auctoritate ad confirmandos in hæc sententiâ Christianos, magis quàm ad Religionis christianæ refellendos contemptores. Primò quidem id docuit Christus, Matth. c. 22, ubi Sadducæis de resurrectione mortuorum interrogantibus sic respondit : « Erratis nescientes Scripturas atque virtutem Dei. . . . De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham

« et Deus Isaac et Deus Jacob? Non est Deus « mortuorum, sed vivorum. » Si errabant Sadducei nescientes Scripturas, ergo Scripturæ reverè continebant illud dogma resurrectionis mortuorum saltem involutè, juxta Christo Domino. Secundò Joannis c. 8, v. 28, Christum hæc verba fecisse legimus ad Judæos: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est.* Ergo judicio Christi Domini mysterium redemptionis humanæ per incarnationem filii Dei Abrahamæ innouit, et consequenter animæ immortalitas et æterna vita non ipsum latebant. Tertio Apostolus Paulus Ep. ad Hebr. c. 11, clarissimè idem affirmat, multa præclara de fide Patriarcharum tradens: « Fide, inquit, Abraham demoratus « est in terrâ repositionis tanquam in alienâ, in casulis habitando cum Isaac et Jacob « cohæredibus repositionis ejusdem: expectabat enim fundamenta habentem civitatem, « cujus conditor et artifex Deus. » Et paulò post pergit: « Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repositionibus, sed à longè eas aspicientes et salutantes, et confidentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere: si quidem ipsius meminissent de quâ eierunt, habebant utique « tempus revertendè: » nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim « illis civitatem..... Fide Moyses grandior factus negavit se esse filium filie Pharaonis, « magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem: « majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum impropere Christi: aspicebat enim « in remunerationem. » Et paucis interjectis pergit Apostolus: « Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos: alii autem dissentienti sunt non suscipientes redemptionem, « ut meliorem inveirent resurrectionem. » Qui textus nullâ profectò indiget explicatione. Denique nullo modo sine dementiâ suspicari possumus hanc doctrinam summis illis vix incognitam fuisse: quis credat homines sapientissimos, qui omnes omnium gentium philosophos rerum divinarum scientiâ superarunt, primum illud vitæ moralis fundamentum nescisse apud alias omnes gentes tam commune?

Il vulgus etiam Judæorum hanc doctrinam in omni ætate imbutum fuit: videlicet animos post mortem permanere. 1º Quia, naturâ do-

cente, immortalitatem animorum: tenere debebant Judæi. Nam hæc doctrinâ caruisse nunquam non solum populum integrum, sed nec ullum hominem nisi vanum philosophum, est certissimum; id fasè et evidenter effecimus in parte operis ubi de lege naturali disputavimus: sed si historice omnes et omnia monumenta tradant, hanc doctrinam apud populos obtinuisse barbaros et efferos, qui dubitari potest quin obtinuerit apud populum optimis utentem legibus et apud quos maximè florere scientiæ et artes omnes que ad cultum civilem pertinent? Si in omnium hominum animis, etiam eorum qui omni carent institutione, enascitur spontè futuri Dei judicii expectatio et quædam præsensio futurorum seculorum, qui defendi potest Judæos, solos naturâ ab aliis separatos, eodem sensus non esse expertos? è contrario profectò, cum illa naturalia quasi auguria futurorum seculorum oriantur inprimis ex cognitione nummis, boni et mali cogniti discrimine, conscientiâ delicti et innocentie, apud eum populum longè clarior esse debuit et defæcata magis illa doctrinâ, qui Deum ejusque naturam melius cognoscebat, et virtutem colere ac vitia fugere ab infantia juxta sanctissimam legem instituebatur.

2º Ex traditione dogma de æternitate animorum acceptum Judæi omnes crediderunt. Constat ex supra dictis Patriarchis, quibus prognati sunt Judæi, animos manere post mortem credidisse. Constat Ægyptios, apud quos olim commorati sunt Hebræi, eandem tenuisse doctrinam, ut omnes consentienti voce tradunt historici et ex cæremoniis sepulcrorum colligere licet. Constat etiam Chananæos, Phœnices, Chaldæos, Arabas, quibus undique cincti erant Judæi, in eadem fuisse opinione, atque hinc profluxisse præcipuè idolorum cultum, totumque cœlum genere humano completum fuisse. Fuerunt ergo Judæi ad hanc doctrinam instituti præceptis parentum et magistrorum, ac vicinarum gentium exemplis. Ergo necesse est ut illam doctrinam semper tenuerint: nam semel accepta è memoriâ populi nunquam potuit excidere. « Opiniorum quidem commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. »

3º In historiâ sacrâ multa sunt istius doctrinæ apud populum indicia: 1º Illæ imagines, quas Rachel abstulit, relictâ paternâ domo, quæ Theophylæ vocantur in Genesi, quæque erant dii penates Laban, nihil aliud fuere, juxta opinionem cruditorum, nisi mortuorum hominum,

sacra simulacra. 2° Israelitæ in deserto, qui initiati fuerunt Beelphegor, comedisse dicuntur sacrificia mortuorum, id est, juxta S. Aug. multosque alios interpretes, sacrificia manibus facta. 3° Illa singularis propensio Israelitarum, quâ perpetuò ferebantur ad ritus supersticiosos ethnicarum gentium probat profectò illos Sadducæos nullomodò fuisse, sed diis manibus dedisse fidem quos gentes vicinæ colebant. 4° Leges illæ severissimæ, quas sanxit Moyses contra magos, ariolos, divinos, incantatores et habentes pythonem, clarissimè ostendunt Israelitas doctrinâ tam communi apud alios populos de diis manibus multum abusus esse, vel sollicitè saltem cavisse legislatorem, ne illâ abuterentur. Unum locum laudabimus ex Deut. c. 18, « Nec invenia ur in te qui « iustret filium suum aut filiam, ducens per « ignem; aut qui ariolos sciscitetur, et obser- « vet somnia atque auguria; nec sit maleficus « nec incantator, nec qui pythones consulat, « nec divinos; nec quaerat à mortuis verita- « tem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, « et propter istius modi scelera delebit gentes « in introitu tuo. » 5° Legimus in libro 1 Reg. Saûlem, cum in maximas angustias ab hostibus redactus esset, nec responsa à Deo per sacerdotes aut Prophetas habere posset, perrexisse ad mulierem pythouissam, eamque rogavisse ut evocaret animam Samuelis; Samuelem verò apparuisse, et imminens Saûli exitium nuntiâsse. Ex quo loco certè apertum est regem illum, proinde omnes Judæos (nam plebe supersticiosior rex esse non solet) in eâ opinione fuisse, permanere post mortem animas (1). Plura alia argumenta litteræ sacræ suppeditant, sed ad evincendam rem per se evidentem hæc sufficiunt.

III. Addidimus in propositione hanc doctrinam de futuris in alterâ vitâ præmiis et pœnis fuisse ipsius legis interiorem sensum, quamvis littera indicet solummodò bona temporalia, quia planè repugnat; ut Deus præscripsit legem sanctissimam, non tantùm externum habitum, sed etiam interiores sensus moderantur, omnia fidei et charitatis officia præscri-

(1) Ex hæc historiâ manifestum fit Hebræos vulgò credidisse post corporum mortem animos hominum superesse; neque enim potuit Saûl optare sibi evocari animum Samuelis, nisi superstitem eum esse crederet. Idem colligere licet ex loco Moysis, ubi vetat consuli mortuos, Deut. c. 18. Joannes Clericus Comm. in libros hist. p. 269, quem ideò hic laudamus, quod multis in locis contrariam opinionem secutus sit.

bentem, cui quisque obedire tenebatur, etiam cum fortunarum suarum ac vitæ jacturâ nullo alio proposito præmio nisi temporali. Quomodò enim quis ad mortem subeundam protrhendâ venitate ullo alio præmio excitari potest, quàm præmio post mortem obtinendo? Quia repugnat etiam ut Moyses certò ipse crediderit immortalitatem animæ ac vitæ futuræ bona, nec tamen Judæis in suâ religione illorum spem injecerit, præsertim cum nullâ religio sine illâ spe benè possit consistere. Quia contradictionem quoque involvit, ut populus Israel ex sensu naturali et ex traditione patrum crediderit Deum in alterâ vitâ piorum et impiorum habere rationem speraverit futura bona, ut debita obedientiæ præstitæ legi naturali et religionis traditæ præceptis, illa tamen non expectaverit propter obedientiam præstitam voluntati Dei per legem Moysis clarè et expressiùs explicatæ, ac cum majori majestate in Sina monte promulgatæ. Quia tandem certissimum est ex locis supra laudatis à Suarezio tum ex veteri, tum ex novo Testamento, Judæos semper putavisse se habere per legem suam vitam æternam.

Hanc eandem sententiam confirmat veterum multorum auctoritas, inter quos duos appellabimus Josephum et Origenem. Prior l. 2 contra Appionem mentem suam sic expressit: « Jam qui legis ad præcepta rebus in omnibus adhaerescunt, eis præmium est, non argentum, vel aurum, non corona ex oleastro, vel apio, aut aliquid ejusmodi præconium, Sed conscientia quique suæ testimonio freti, quod legislator prædixit, et Deus certissimè hîc pignore confirmavit, futurum omninò credunt, ut illis qui leges constanter servaverint, proque eis, si opus sit mori, libenter strenueque mortem susceperint, et novum deinceps ortum et vitæ vicissim alterius longèque melioris fructum Deus largiatur, quæ sanè scriberem ipse nunquam, nisi ex factis cognitum id omnibus intellexerem, hominum plerosque nostrorum sapiùs, ne vel una sibi contra legem voluula excideret, omnia fortiter pertulisse. » Quibus consentientia sunt hæc Origenis l. 5 contra Celsum: « Et illud apud Judæos quale fuit, doceri jam tum à teneris unguentis sese supra naturam omnem sensibilem evehere, inclusum in eâ Deum non existimare, sursùm illum et supra corpora quærere? Tum quanti fuit vix natos et adhuc balbutientes didicisse animæ immortalitatem, subterranea tribunalia, mercedem rectè viventibus destinam? »

Quàm longè ergo distat à veritate hæc Arnaldi sententia, qui quartâ parte libri qui inscribitur *Apologie de Port-Royal*, ita mentem suam expressit : « C'est le comble de l'ignorance de mettre en doute cette vérité, qui est une des plus communes de la Religion chrétienne, et qui est attestée par tous les pères, que les promesses de l'ancien Testament n'étaient que temporelles et terrestres, et que les Juifs n'adoraient Dieu que pour les biens charnels (1). » Cui opponimus hæc viri clarissimi Fleury in aureo suo opere, quod scripsit de Moribus Israelitarum num. 49, tit. *Rel.* : « Ce qu'ils (les Juifs) connaissaient distinctement était, qu'il n'y a qu'un seul Dieu ; qu'il a créé le ciel et la terre ; qu'il gouverne tout par sa providence ; qu'il ne faut avoir de confiance qu'en lui, ni espérer autre bien que de lui seul ; qu'il voit tout jusqu'aux secrets des cœurs, qu'il veut intérieurement les volontés et les tourne comme il lui plaît ; que tous les hommes naissent en péché et sont naturellement enclins au mal, que toutefois ils peuvent bien faire avec le secours de Dieu ; qu'ils sont libres et ont le choix de faire bien ou mal ; que Dieu est très-juste, et punit ou récompense selon le mérite ; qu'il est plein de miséricorde et pardonne à ceux qui ont un regret sincère de leur péché ; qu'il juge toutes les actions des hommes après leur mort : d'où il suit que l'âme est immortelle, et qu'il y a une autre vie. Ils connaissaient encore que Dieu, par sa pure bonté, les avait choisis entre tous les hommes pour être son peuple fidèle : que d'entre eux, de la tribu de Juda et de la race de David, devait naître un Sauveur qui les délivrerait de tous leurs maux, et attirerait toutes les nations à la connaissance du vrai Dieu : voilà ce qu'ils connaissaient distinctement et qui était la matière la plus ordinaire de leurs réflexions et de leurs prières ; voilà cette haute sagesse qui les distinguait de tous les peuples. Car au lieu que chez les autres il n'y avait que les sages qui connussent quelques-unes de ces grandes vérités, encore imparfaitement, et

(1) Si in istâ Arnaldi propositione per vetus Testamentum intelligas pactum initum in monte Sina, quod fuit fundamentum politicæ nationalis et temporalis ; et per Judæos intelligas eos, qui serviliter littere inherentes cum Sadducæis prout bona temporalia Deum colebant, tunc propositionis vitium in eo erit, quod dicendo Judæos simpliciter adorasse Deum tantum propter bona carnalia, significaverit totam gentem, paucis exceptis, in eâ perversitate fuisse.

avec une grande diversité d'opinions, tous les Israélites étaient instruits de cette doctrine, jusqu'aux femmes et aux esclaves ; tous étaient dans les mêmes sentiments. »

Objicies : Judæi post captivitatem Babylonicam multum differant à patribus suis : quantum hi ad cultum idolorum proclives fuerant, tantum illi ab eodem abhorrebant. In libris post captivitatem editis spes futuræ vitæ sæpius auctores significant, dum in Scripturis antiquioribus nullus sit locus, qui ad alium sensum transferri non possit. Non dubitârunt etiam post captivitatem illâ spe excitati Judæi mortem pro lege suâ optetere, cujus fortitudinis nulla sunt ante captivitatem argumenta. Atqui hæc magna mutatio in populi ingenio et moribus nullam aliam habet causam, nisi quod immortalitatis animæ notitiam ex Babylonicorum et præcipuè Persarum familiaritate acceperint. Ergo ante captivitatem non erat ista opinio apud populum communis. — Respondeo istam objectionem nihil aliud efficere, nisi quod Deistæ ad calumniandam religionem Judaicam vanissimas et planè ridiculas opiniones amplecti non dubitent. 1^o Quidem fatemur Judæos post captivitatem ad idololatriam minus fuisse proclives et patriis institutis addictos magis : sed quis non intelligit istam contigisse mutationem quod gravissimas luissent pœnas pristinorum errorum ; quod urbis excidium, ruina templi, républicæ dissolutio, populi universi captivitas magnum incusserit animis divinæ ultionis terrorem ; quod tandem experti senserint se tutos et beatos esse non posse, nisi pietate et legis observantiâ divinum mererentur præsidium ? Ex alterâ parte quid tam absurdum, quàm defendere Judæos ab idololatriâ didicisse ab idololatriâ abhorretere ? Certè quandiù captivi in Babylone fuerunt, Chaldæorum usi solummodò sunt familiaritate, quorum linguam didicerunt, sed eos idololatrias fuisse nemo unquam negavit : et expressissimâ prophetarum vaticinia, in quibus Babylonicis imperii interitus prædicitur propter idololatriam suam, clarè ostendunt quantum distârunt Judæi ab eorum doctrinâ et moribus. Sed demum Deistæ Judæos usos esse Persarum familiaritate : quid aliud didicissent nisi duo esse rerum principia, bonum unum, alterum malum, colendum esse ignem cum sole, lunâ et sideribus, non esse Deo ædificanda templa, sed in altis locis offerenda sacrificia ? Erant hæc gentis Persarum communia dogmata, à quibus æquè abhorrebant Judæi post captivitatem æ

ab idololatriâ Chaldæorum; neque fuere ergo in magorum scholis instituti. Videmus è contrario Esdram et Nehemiam post captivitatem unice occupatos in constituendis rebus omnibus, non juxta aliarum gentium mores, sed secundum legem Moysis et veteres consuetudines; imò illi ipsi Judæi, qui in imperio Persarum remanserunt, adeò distarunt à Persis in doctrinâ et moribus, ut inde arripuerit opportunitatem Aman concitandi in eos omnium invidiam, et obtinendi ab imperatore edictum, quo omnes capite damnabantur. Deinde si auctores librorum deuterocanonicorum clariùs de animæ immortalitate et futura vitâ scripserunt, non putabant profectò se novam tradere doctrinam, sed illam quâ ab infantia imbuti fuerant, didicerantque à majoribus. Denique falsum est ante solutam captivitatem Babylonicam nulla esse exempla fortitudinis apud Hebræos: nam ut sileam Prophetas innumeros, qui à regibus Israel et Juda extrema perpassi sunt, in ipso captivitatis initio, regnante Nabuchodonosor, egregia dedere exempla constantissimæ pietatis tres Hebræi, Sadrach, Misach et Abdenago. Dedit etiam postea Daniel, qui pro religione tuendâ in speluncam leonum lætus descendit.

PROPOSITIO II.

Civilis reipublicæ Judaicæ constitutio, quam theocraticam fuisse jam ostendimus, fuit sancta, idque convenientissimè, præmiis et malis temporalibus à Deo reipublicæ capite retribuentis.

PROBATIO. — Illis præmiis atque pœnis lex Mosaica sancta fuit, quæ in codice legum clarè memorantur; quæ recensent Prophetæ legum Mosaicarum interpretes tanquàm ad fœdus Mosaicum pertinentia; quæ expectabant semper à Deo Judæi vi fœderis cum eo initi; quæ reverè tribuit Deus ad legum suarum vindicandam auctoritatem; quæ theocraticæ institutioni apprime conveniebant. Atqui

1º In legum codice clarè exprimuntur præmia et pœnæ temporales. Ante datam legem in monte Sina fœderis conditiones exposuit Deus hisce verbis: « Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis, quomodò portaverim vos et super alas aquilarum et assumpserim mihi: et si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium et de cunctis populis, mea est enim omnis terra. » Per voces illas, *eritis mihi in peculium*, seu thesaurum dilectum, Deus literali

sensu significavit affuturam illis opem suam ad eorum gentem tuendam et augendam, ut patet ex antecedentibus, in quibus enumerat beneficia sua temporalia; et ex consequentibus, in quibus quasi, ut fidem faciat, dicit suam esse omnem terram: sic etiam post fœdus initum, easdem conditiones declarat Moyses his verbis: « Jehovam elegisti hodiè, ut sit tibi Elohîm, et et obediens ejus imperio: et Dominus elegit te, ut sis ei populus peculiaris, et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit. »

Ex c. 20, v. 5, præcipuum et fundamentalem statum Judaici legem sic sanxit: « Ego sum Deus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea: » quam visitationem in filios temporalî sensu intelligunt omnes. Lev. c. 26: « Si in præceptis meis ambulaveritis... dabo vobis pluviam temporibus suis, et terra gignet germen suum, et pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, et vindemia occupabit sementem, et comedetis panem in saturitate; et absque pavore habitabitis in terrâ vestrâ.... Auferam malas bestias.... persequemini inimicos vestros, et corrucet coram vobis. » In illâ benedictionum et maledictionum serie, quæ leguntur in fine Deuteronomii, quas cum magno apparatu in montibus Garisim et Hebal pronuntiari voluit Moyses, quæque generalem legis sanctionem continent, hæc mala recensentur: mors, morbus, fames, pestis, bellum, inedia, ærugo, locusta, servitus, etc.; et hæc promittuntur bona: vita longa, bona valetudo, pax, copia, potestas, gloria, etc. Hæc omnia metaphoricè vertere et spirituali tantùm sensu intelligere, est pervertere omnem Scripturam.

2º Prophetæ in præmiis et pœnis temporalibus positam etiam esse legis sanctionem docent: nam ut exordium sumamus ab immediato Moysis successore, Josue in confirmando fœdere bona quoque recenset temporalia, mala minatur ad avocandos Judæos ab idololatriâ temporalia. Salomon cum cultum divinum instaurasset, atque addidisset maximam pompam, fudit ad Deum in dedicatione templi pulcherrimam orationem, in quâ illum precatus est, ut fœdus cum populo initum constanter servaret. In illâ oratione præcipuas partes legis recenset, fusèque de sanctione

legis verba facit; meminit ibidem honorum temporalium. Isaias c. 30, in præmium abolitionis idololatriæ copiam et abundantiam promittit: « Et dabitur pluvia semini tuo, ubi-
 « cumque seminaveris in terrâ, et panis frugum
 « terræ erit uberrimus et pinguis: pascetur
 « in possessione tuâ in die illo agnus spatiosè,
 « et erunt super omnem montem excelsum et
 « super omnem collem elevatum rivi curren-
 « tium aquarum. » Jeremias c. 8, tempus viti-
 sationis sic descripsit: « Consumendo con-
 « sumam eos; non est uva in vitibus, et non
 « est ficus in ficulnâ, folium deflavit, et quæ
 « dedi eis prætergressa sunt. » Idem Jeremias
 significat abrogandam esse in lege novâ hanc
 sanctionem veteris legis, nempe visitationem
 in filios. « In diebus illis non dicent ultra:
 « Patres comederunt uvam acerbam, et dentes
 « filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in
 « iniquitate suâ morietur: omnis homo qui
 « comederit uvam acerbam, obstupescet den-
 « tes ejus. » Ita etiam Ez. c. 18: « Quid est
 « quod inter vos parabolam vertitis in prover-
 « bium istud in terrâ Israel, dicentes: Patres
 « comederunt uvam acerbam, et dentes filio-
 « rum obstupuerunt? Vivo ego, dicit Dominus,
 « si erit ultra vobis parabolâ hæc in prover-
 « bium in Israel. » Quæ verba Ezechielis for-
 tassè non sunt intelligenda de tempore præ-
 senti, sicut interpretatus est Spinosa, ut hunc
 prophetam Moysi contrarium efficeret; sed de
 tempore futuro, nempe istam parabolam abo-
 lendam esse sub lege novâ: nam tota Historia
 Judaica probat Deum ultum esse peccata pa-
 rentum, filios puniendo, nisi hi suis virtutibus
 peccata parentum redimerent; nec desunt in-
 numerâ Prophetarum testimonia, in quibus id
 clarè traditur: « Heu, heu, heu! ait Jeremias,
 « Domine, Deus: ecce tu fecisti cælum et ter-
 « ram in fortitudine tuâ et in brachio tuo
 « extento: non erit tibi difficile enno verbum,
 « qui facis misericordiam in nullibus, et reddis
 « iniquitatem patrum in sinum filiorum post
 « eos; » et Osee habet: « Succidatur populus
 « meus, eò quod non habuerit scientiam;
 « quia tu scientiam repulisti, repellam te,
 « ne sacerdotio fungaris mihi; oblitus es
 « legis meæ, obliviscar filiorum tuorum et
 « ego. »

5^o Bona terrena tanquàm pietatis præmia
 semper expectavère Judæi; mala temporalia,
 ubi à Deo deficiebant, metuenda sibi esse puta-
 verunt: id constat ex singulis non solum pa-
 ginis, sed lucis veteris Testamenti: unum

locum solummodò laudabo, quia in memoriam
 infinita alia revocabit. « Beatus vir, inquit Da-
 « vid Ps. 1, qui non abiit in consilio impiorum,
 « sed in lege Domini voluntas ejus: erit tan-
 « quàm lignum quod plantatum est secus de-
 « cursus aquarum, quod fructum suum dabit
 « in tempore suo; folium ejus non defluet, et
 « omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.
 « Non sic impij, non sic: sed tanquàm pulvis,
 « quem projicit ventus à facie terræ. » Quid
 ergo? Num diceamus Davidem, Prophetas, Ju-
 dæosque ad unum omnes non rectè legis san-
 ctionem intellexisse? An falsis promissionibus
 à Deo deceptos pronuntiabimus?

4^o Deus promissis suis stetit, et populum
 Israeliticum legis suæ observantem semper
 tenuit, et bonis omnibus temporalibus cumulavit;
 rebellem semper castigavit, et calamitatum in
 pœnam scelerum inflicis ad se redire cogit,
 ut supra ostendimus. Sed si ita se erga Israeli-
 tas constanter gesserit, quis potest dubitare,
 quin in dandâ lege illam opem suam pollicitus
 sit?

5^o Præmia et mala temporalia legi Mosaicæ
 conveniebant, non tantum propter rationes
 supra allatas ex SS. Aug. et Thomâ, ductas ex
 imperfectione populi Judaici rebus terrenis
 multum dediti, sed etiam quia spontè nasce-
 bantur ex constitutione republicæ theocraticæ.
 Cùm Deus dignatus fuisset habenas regni Israe-
 litici tenere et præse civili statui, hinc nec-
 cessitas orta est *civilliter* interveniendi in rebus
 istius populi. At *civilliter* intervenire non potuit
 nisi per judicia, quibus bona et mala tempora-
 lia divideret.

Objicies: Promissiones, quibus contineri vi-
 detur felicitas temporalis, significabant reverè
 res spirituales, nequaquam verò temporales.
 Nam illa interpretatio vera esse nequit, quâ po-
 sitâ Deus fidem non servasset, sibi contrarius
 fuisset, et Judæorum cupiditati fomitem addi-
 disse. Atqui positâ interpretatione literali,
 1^o Deus fidem non servasset: nam illæ promissio-
 nes sunt generales, et pertinent ad omnes tem-
 porum periodos justosque omnes, et ut adim-
 plerentur necesse foret ut justî in omni ætate
 rerum omnium copiâ semper abundarent. At-
 qui tamen sub veteri et novo Testamento
 multi justî caruerunt illis bonis temporalibus.
 De justis sub novo Testamento nullum dubium
 est, nec magis dubitari potest quin etiam sub
 veteri Testamento valdè adversè usi sint for-
 tunâ: Jacob, v. g., vitæ suæ summam com-
 plexus, vocat dies peregrinationis suæ pravos et

malos : et reverà vix ulla fuit ejus vitæ pars expers afflictionis. David hæc inæquali bonorum et malorum dispensatione multùm perturbatum se confitetur : « Mei autem, dicebat, « penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. » Salomon animadvertit non esse velocium cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem; sed tempus casumque in omnibus. Justus es, Domine, ait Jeremias, veruntamen justa loquar ad te : « quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui operantur iniquitatem? » Tandem, ut ait Apostolus ad Hebræos c. 11 : « Alii justi distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem; alii verò ludibria et verbera experti sunt, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt; circumierunt in pelotibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus : hi omnes « testimonio fidei probati non acceperunt recompensationem. » 2º Si Deus justis temporalia bona proposuisset, sibi esset contrarius; nam bona terrena in veteri Testamento multùm commendasset, in novo nihil fecisset. Quid tam indignum divinâ sapientiâ et constantiâ hæc consilii mutatione? 3º Denique cupiditati Judæorum fomitem addidisset: promissionibus enim suis eorum avaritiam, ambitionem, vindictam, luxum et luxuriam auxisset, quod quàm alienum sit à divinâ sanctitate dici nequit. Ergo in veteri Testamento non promisit Deus bona temporalia, sed solummodò spiritualia. Vide librum qui inscribitur : *Règles pour l'intelligence des saintes écritures.*

Respondeo : Nego minorem, quoad omnes partes : et 1º quidem temerè assereretur vanas fuisse promissiones divinas sensu literali intellectas; contraria quippe esset ista assertio expressissimis Moysis, Josue, Davidis, omniumque Prophetarum testimoniis; qui omnes apertissimè docent Deum temporalem curam habuisse totius reipublicæ, et illam etiam curam aliquatenus pertinuisse ad privatos. Clarissima sunt hæc Davidis verba Ps. 36 : « Junior « fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem; » et Ps. 127 : « Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus : labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et benè tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans

« in lateribus domus tuæ; filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ : ecce « sic benedicetur homo qui timet Dominum. » Hæc sanè temporalia bona, vel nihil, sonant. Salomon in oratione suâ ubi Deum precatur ut firmum ratumque habere velit fœdus cum Moyse initum, ejusque servare conditiones, inter alia hæc precatur pro privatis : « Si quis « de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam et infirmitatem, et exanderit manus suas in domo hæc, tu exaudies « de celo, et propitiare et redde unicuique secundùm vias quas nôsti eum habere in corde suo, ut timeant te et ambulent in viis tuis « cunctis diebus, quibus vivunt super faciem « terræ. » Isaïas c. 3 : « Dicitè justo, quoniam « fructum adinventionum suarum comedet. « Væ impio in malum, retributio manuum ejus « fiet ei. » Et c. 33 : « Qui ambulat in justitiis, « et loquitur veritatem, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, et aquæ ejus fideles sunt. » Ex visione Ezech. c. 9, clarè patet Deum etiam in generalibus calamitatibus privatorum habuisse rationem : « Et clamavit, ait propheta, « vir in auribus meis voce magnâ dicens : Appropinquaverunt visitationes urbis... et ecce « sex viri veniebant et uniuscujusque vas interitis in manu ejus : vir quoque unus in « medio eorum vestituserat lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus... et dixit « Dominus ad eum : Transi per mediam civitatem .. et signa *Thau* super frontes virorum « gementium et dolentium super cunctis abominacionibus, quæ sunt in medio ejus : et « illis dixit, audiente me : Transite per civitatem sequentes eum, et percute; non parcat « oculus vester neque misereamini; senem, « adolescentulum et virginem, parvulum et « mulieres interficite usque ad interneccionem : « omnem autem super quem videritis *Thau* ne « occidatis et à sanctuario meo incipite. » Clariora etiam sunt verba Amos c. 4 : « Ego quæ « que prohibui à vobis imbrem, cum adhuc « tres menses superessent usque ad messem; « et plui super unam civitatem, et super alteram civitatem non plui : pars una completa « est, et pars super quam non plui aruit; et venerunt duæ vel tres civitates ad unam civitatem ut libèrent aquam, et non sunt satiatæ, » Idem c. 9, hæc pronuntiat Dei nomine : « Ecce « enim mandabo ego, et concutiam in omnibus « gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro, et non cadet lapillus super

« terram; in gladio morientur omnes peccatores
« populi mei. »

Negamus etiã ca, quæ in objectione afferuntur, ullo modo nostræ assertionis certitudinem elevare: nam quamvis statuamus Deum, sub veteri lege, piorum et impiorum specialem rationem habuisse, necesse non est defendere justos semper in omnium rerum copiã vixisse cum maximo honore, gloriã et imperio, et malos in omnium rerum fuisse inopiã. Hoc enim cum constituto naturæ ordine non potuit convenire, nec sine perpetuis miraculis impios reges et magnates omnibus rebus privare, aut pios ex infimã plebe ad regni fastigium evelere potuisset Deus: sed necesse fuit solummodò, ut quisque quò in suã esset conditione legis observantior, eò communiter secundã magis uteretur fortunã. Et certè quamvis Jacob ex fratris Esãu invidiã et malitiã Laban soceri sui, ex filiorum improbitate, in angustiis quandoque constitutus fuerit, fuit tamen semper valdè conspicua in tuendo illo patriarchã ejusque familiã Dei providentiã, quæ plerùmque efficiebat, ut ex malis orirentur majora bona. Exempli gratiã, nulla gravior calamitas contigit Jacob amissione filii sui charissimi Joseph; tamen, ut Joseph ipse fratribus dicebat: *Pro salute vestrà misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Sic etiã David Ps. 72, post ea verba in objectione laudata statim hæc addit, quæ maximè confirmant conclusionem nostram: « Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum; verumtamen propter dolos posuisti eis; deiecasti eos dum allevarentur: quomodò facti sunt in desolationem, perierunt propter iniquitatem suam. » Et alio loco legitur: « Si dicebam: Motus est pes meus, misericordia tua adjuvabat me; secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » Multa gravia passi sunt sæpè Prophetæ ab impiis regibus, sed viri isti non erant de numero imperfectorum, qui deberent per temporalia duci ad Deum, sed de numero perfectorum seu spiritualium, quorum virtus erat exercenda et probanda.

Deinde positã hæc speciali quod defendimus Dei, etiã erga privatos, providentiã, multa tamen in eo statu rerum pati mala potuerunt justi homines et reverã passi sunt, quæ mala fluebant ex æquabili Dei providentiã in universum statum: ut, v. g., quando filii pro patribus puniebantur, *patres*, uti ferebat proverbium,

comedebant uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescebant; quando subditi puniebantur pro regibus, ut tempore Davidis contigit, cum populus propter peccatum illius principis peste afflictus est, dicebat David ad Dominum, cum vidisset angelum cædentem populum: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt?* 2^o Necesse etiã fuit, ut esset quædam in divinã providentiã erga privatos inæqualitas propter hanc aliam rationem, quia hæc extraordinaria Dei providentiã vim suam non exerebat, nisi quando legibus reipublicæ civilibus crimina non erant correpta; delicta publica pertinebant ad tribunal publicum, et occulta peccata propriè ad Deum. Hinc fiebat ut bonum et malum inæqualiter contingeret, ubi remissius leges executioni demandabantur: neque Deus interveniebat, donec publica administratio severioribus judiciis castiganda et emendanda esset. 3^o In hoc Dei regimine impii quandoque relictii sunt in punitionem aliorum impiorum. 4^o Quandoque suspensa manebat Dei manus et interrupta aliquo modo Dei administratio propter peccata populi, et ut revocaretur ad meliorem frugem. Hæc divinæ providentiæ discessio per Prophetas publicè denuntiabatur, ut Isaïæ c. 3 et c. 59, ubi hæc verba sunt: « Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat; sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. » 5^o Animadvertendum etiã est, non eandem fuisse in gentem Judaicam Dei providentiã in diversis reipublicæ ætatibus: in deserto illam republicam rexit solus sine administro; præsens omnibus rebus adfuit, interprete solummodò usus est Moyses. Post mortem Moysis usque ad Saulem etiã valdè conspicua fuit Dei providentiã: gubernabat populum per viros divinitus excitatos, suoque afflatus spiritu. Postquàm populus seditiosè regem postulasset, eorumque votis eò usque annuisset Deus, ut theocratiam à rege administrari passus sit, reipublicæ habenas tenuit remissius, tum ad ulciscendam rebellionem Judæorum, tum quòd reverã per regis electionem longius ab administratione publicã removeretur. Tandem post captivitatem, etsi spiritus ejus manserit inter eos, fermè defecit ista extraordinaria providentiã; idque ob multiplicem causam: quia ad conservationem veræ religionis non ampliùs erat necessaria: deinde

ut magis splendida essent Messæ opera, fortiusque Judæos commoverent ejus miracula; et ut ad eam doctrinam accipiendam, quæ honorum solummodo spiritualium spem erat allatura, magis disponerentur. Ad eam ut pauca tempore secundi templi miracula patrata, eventus et conversiones rerum, nec adeo singulares, nec adeo subite, nulli omnino Prophetæ fuerint, uti jam supra notatum est.

Auctor doctus et pius in objectione laudatus parum attendisse videtur ad œconomiam Mosaicam rationem, ubi ad confirmandam opinionem suam scripsit illas promissiones temporales in lege contentas ad omnes justos in omni ætate pertinere; quas verò eadem prorsus et in omnibus esset fœderis antiqui et novi natura; quasi verò lex magnâ ex parte temporalis et politica, ad separandos Judæos à cæteris omnibus gentibus inventa, iisdem necessariò confirmanda esset sanctionibus, ac lex spiritualis Christi ad perficiendam interiorem hominem et adunandos omnes mortales instituta. Monebo etiam nequaquam à malâ fide Deum absolvi in illâ opinione: nam supponitur Deum de industriâ populum Judaicum falsis delusisse imaginibus honorum, quæ non erat concessurus; eumque illis attulisse spem tutelæ et procurationis suæ, quam erat denegaturus.

2º Deus nequaquam sibi contrarius fuit cum duarum legum non prorsus eandem esse voluit sanctionem: nam ille sibi contrarius non est, qui non mutat propositum, sed ad eundem finem per sapientissima media contendit: non est sibi contrarius architectus, dum lapides parat, machinas admoveat ad constructionem ædificii, quæ huic fini obtinendo necessarie sunt: haud secus in divinâ œconomia lex Mosaica cum ritibus suis et sanctionibus pars est valdè coherens, etiamsi post allatam lucem evangelicam inutilis sit: et mira deprehenditur in totâ Religionis revelatæ serie unitas consilii, uti alio loco efficiemus.

3º Falsò assertitur honorum temporalium promissiones cupiditati fomitem addere. Numquid, queso, leges civiles reipublicæ, quas sancire solent principes præmiis et poenis temporalibus, cupiditatum laxant habenas? certè alia longè fuit legislatorum et omnium hactenus mortalium mens: legibus politicis tueri se virtutis partes et frena vitii dare putarunt. Sed fortassè præmia temporalia promissa à Deo augebunt hominum cupiditates, non augebunt eadem promissa ab homine? quæ et qualis est ista argumentandi ratio?

Licebit ergo hominibus obtemperare ex spe præmiorum temporalium, Deo promittenti non licebit? Qui se intus tentaverit, inveniet hominem multiplici motivo excitari ad observationem legis naturalis: tum ex amore justitiæ propter naturalem virtutis pulchritudinem; tum ex pietate in Deum seu studio obtemperandi voluntati Dei, qui ejusdem legislator est; tum etiam ex prudentiâ propter suas veras utilitates, seu temporales, seu perpetuas (1). Hæc motiva non tantum secum consistunt, sed nec debent disjungi. Iisdem ergo hæc tribus motivis excitare potuit Deus Judæos ad observationem præceptorum, quibus continebatur eorum respublica: nullus unquam cum majori vi orationis et gravitate leges suas sanxit ex duobus prioribus motivis quàm Moyses; proinde nullus ad veram pietatem potentiùs homines excitavit. Promisit insuper bona temporalia, in politica sua constitutione, retribuenda à Deo reipublicæ politico capite, quæ boni principes præstant subditis quantum possunt, et quæ omnes nationes etiam christianæ votis et precibus à Deo obtinere nituntur: quod quomodò distet à sapientiâ Dei non intelligimus. « Ea solum cupiditas rerum temporalium abducit à Deo, quæ bona temporalia nimis avidè concupiscuntur, sic nimirum ut plus vel æquè concupiscantur quàm Deus; et hoc modo intelligitur illud Augustini: « Venenum charitatis est cupiditas. » Quando autem bona temporalia moderatè concupiscuntur, in ordine scilicet ad Deum, ea cupiditas neque est venenum charitatis, neque abducit à Deo, cum bona, sic considerata et adepta, sint quædam via inducens imperfectos ad Dei amorem. » Sylv. 2, 99, art. 6, in 1-2 (2).

(1) Nunquam tamen hæc motiva in se sufficienter efficacia habenda sunt, independentè à sanctione spirituali, seu à dogmate de immortalitate animæ, quod, ut cæteræ gentes et quidem fide longe perfectiore, Judæi admittunt.

P.-S.

(2) Sententiam nostram de legis Mosaicæ sanctionibus clariùs explicavit vir ingeniosus et doctus, sed anonymus, cujus in dissertatione de Miraculis, duas jam epistolas representavimus; huic sicut et aliis libenter subscribimus: « Je vous ai promis, monsieur, quelques observations sur l'économie Mosaique... Vous l'avez insinué, on se serait épargné bien des disputes, si, avant que d'entrer en lice, on avait eu soin de fixer avec précision l'état de la question, et la valeur des termes. Dans l'économie Mosaique, on a coutume de renfermer et de confondre des objets très distingués et très disparates. Pour éviter

§ 3. De notis divinarum originis in œconomia Mosaiicâ conspicuis.

Theocratia itaque fuit non tantum nomine, sed re, reipublica Judaicâ constitutio; et in

moi-même cet inconvenient, je définis les mots avant que d'en venir aux choses, sur lesquelles il pourrait me rester quelques éclaircissements à vous demander. Par l'économie Mosaique, je n'entends certainement pas, et personne ne peut raisonnablement entendre la religion, ou la loi naturelle, dont les devoirs et les préceptes sont si clairement énoncés et si souvent proposés dans le Pentateuque et les autres livres de l'ancien Testament. Cette religion est de tous les temps et de tous les peuples. Elle n'est pas étrangère à la religion des Juifs; mais elle ne lui est pas non plus particulière. Sur ce point, nulle difficulté. Il n'y en a pas davantage à reconnaître une très-grande différence entre la Religion révélée et l'économie Mosaique. Personne ne l'ignore, et Moïse l'apprend lui-même, que la révélation est beaucoup plus ancienne que la législation particulière dont il a été ministre. Cette révélation, dont la première époque remonte jusqu'au premier homme, s'est conservée plus ou moins longtemps dans sa pureté, et les altérations successives qu'elle a essuyées, ne l'ont pas tellement anéantie parmi les nations étrangères à l'alliance, qu'on n'en retrouve encore des traces éclatantes, même à travers les fables absurdes et les mystères impies dont l'histoire nous a transmis le souvenir. Je ne renferme pas même dans l'économie Mosaique les vérités que Dieu a jugé à propos de révéler, soit aux Patriarches, soit aux Prophètes, avant ou après Moïse. Je donne, par conséquent, plus d'étendue à la religion des Juifs qu'à l'économie Mosaique.

« La religion des Juifs offre à mes yeux ce corps, cet enchaînement de vérités surnaturelles, que Dieu a successivement manifestées depuis Adam jusqu'à J.-C., et qui sont contenues dans les livres de l'ancien Testament. Ce dépôt renfermant le dogme, la morale, avec la nature et la discipline du culte religieux, que Dieu a daigné révéler à nos pères, en différents temps, et en diverses manières, dit S. Paul, jusqu'aux derniers jours, où il nous a parlé par son propre fils. Avec l'histoire sacrée, et avec S. Paul lui-même, je place Moïse au nombre de ces hommes revêtus de la mission du ciel, pour être les *prédicateurs de la justice* et les héros de la foi pour former cette *grande multitude de témoins*, qui tous, jusqu'à Jean-Baptiste, ont préte la grâce qui nous était réservée, dit S. Pierre, en ont recherché les temps et les circonstances d'après les lumières anticipées et les instructions que l'esprit de J.-C. leur donnait. Moïse a donc été, tout à la fois, un patriarche, un prophète, et à cette double qualité, il a joint celle de ministre dans l'économie dont il s'agit d'expliquer la nature.

« Je la réduis, cette économie, à l'objet du ministère que Moïse exerça, sur la montagne de Sinaï, dans l'alliance entre Dieu et le peuple Juif; alliance qui sépara ce peuple de toutes les nations de la terre, pour en former une république, un royaume dont le Seigneur de-

supernaturali atque extraordinariâ Dei, quem in magistrum supremum elegerant, providentiâ tota innixa recumbebat. Hinc sponte enascitur quæstio, fuerintne illa constitutio à Moÿse

avait être le législateur, le monarque temporel; alliance que Dieu fit proposer aux douze tribus, et que les douze tribus acceptèrent solennellement; alliance dont le Seigneur dicta toutes les lois à Moïse, pour être promulguées de sa part, et observées par les enfants de Jacob, devenus ses sujets; alliance surajoutée à la Religion révélée, qui était déjà établie, comme un dépôt confié aux Patriarches, aux Prophètes, aux hommes de Dieu, chargés de la transmettre jusqu'à J.-C., qui devait la perfectionner, l'enrichir, la confier à ses Apôtres et à leurs successeurs jusqu'à la fin des siècles. L'alliance de Sinaï, considérée sous ce point de vue, telle qu'elle est rapportée dans l'Exode depuis le chap. 19 jusqu'au chap. 35, est donc une constitution civile, un code politique, où Dieu parle en souverain temporel à un peuple sur qui désormais il exercera une autorité monarchique relativement à tous les objets qui peuvent intéresser la félicité publique. La félicité publique énoncée dans la sanction de cette loi, route sur les biens temporels que Dieu, comme monarque, s'oblige de procurer à son peuple, par une providence particulière, pendant toute la durée de la théocratie; et sous la seule condition que le peuple de Dieu sera fidèle à observer les lois contenues dans le volume ou le code de l'alliance. Jusqu'ici, monsieur, je crois n'avoir mis sous vos yeux qu'une analyse succincte de vos principes sur l'économie Mosaique, principes que vous mettez dans le plus grand jour, et que vous établissez avec toute la force dont ils sont susceptibles. Ils m'avaient néanmoins fait naître deux difficultés: l'une sur la durée de la théocratie, l'autre sur la sanction de ses lois.

« Vous soutenez, contre Jean le Clerc, que l'alliance de Sinaï, ou la théocratie, malgré les affaiblissements successifs qu'elle a essuyés, n'a cependant été ni entièrement abolie, ni abrogée, qu'après l'avènement du Messie. Je souscris pleinement à la vérité de votre assertion et à la solidité de vos preuves. Mais on peut vous objecter que Samuel ne pouvant plus, à raison de son grand âge, soutenir le poids du gouvernement, et que s'en étant déchargé sur ses deux fils, qui ne marchaient pas dans les voies de leur père, les anciens d'Israël s'assemblèrent pour lui demander un roi, tel qu'en avaient les autres peuples: *sicut et universæ habent nationes*. Il était donc question de donner au peuple Juif, non un chef précaire, tels qu'avaient été les Juges, mais un roi véritable, tel qu'en avaient les autres nations. Aussi, la proposition déplut-elle à Samuel, et elle ne lui déplut que parce qu'elle offensait le Seigneur, dont on voulait secouer le joug et rejeter l'alliance; et c'est en effet la réponse que fit Dieu lui-même à Samuel, qui le consulta. Ce n'est pas vous qu'ils rejettent, c'est moi, afin que je ne régné pas sur eux: *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Or, Dieu commande à Samuel de se rendre aux désirs de la nation, de lui accorder ce qu'elle

inventa, et ad scientiæ politicæ, quam in Ægypto didicerat, regulas composita, an accepta, ut Judæis persuasit, divinitus? Ad hujus quæstionis solutionem inquirendum est

demande, après néanmoins lui avoir expliqué toutes les charges du nouveau gouvernement qu'elle veut adopter. Je n'ajouterai pas, pour prouver que la puissance législative était dévolue aux rois d'Israël, que David régla l'égalité dans le partage du butin entre ceux qui allaient au combat et ceux qui restaient au bagage, et que ce règlement, sur lequel nous ne lions pas que le Seigneur ait été consulté, fut suivi comme une loi stable et permanente dans Israël, *constitutum et præfixum, et quasi lex in Israël* (1 Reg. 50, 25) ; le texte hébreu a quelque chose de plus expressif : *Et fuit à die illâ et deinceps* (insuper) ; *et posuit* (ou positum est) *hoc in decretum et in iudicium Israeli usque ad diem hanc*. Je crois pressentir la réponse que vous auriez faite à cette objection, si vous aviez jugé à propos de vous la proposer. Je passe à l'autre difficulté, qui me paraît plus importante. Elle roule sur les récompenses et les châtimens qui forment la sanction de l'économie Mosaïque. La lettre de cette loi n'énonce que les biens et les maux temporels. Ces biens et ces maux sont le seul objet apparent des promesses et des menaces que Dieu adresse à son peuple dans ce côté de l'alliance qu'il contracte avec lui. Or, néanmoins, le code embrasse trois sortes de lois : lois morales, lois judiciaires, lois religieuses ou cérémonielles. Les biens et les maux temporels se concilient sans peine avec des lois judiciaires ou civiles. Ces lois ont pour objet le gouvernement politique de la nation. Entre des lois de cette nature, et des récompenses ou des peines temporelles, la proportion ne saurait être plus parfaite. Mais n'est-ce donc aussi qu'en monarchie politique que Dieu dicte à son peuple, et les lois qui prescrivent l'exercice de toutes les vertus, et celles qui renferment l'ordre et le détail du culte extérieur de la Religion ? Des biens et des maux temporels peuvent-ils avoir une juste proportion avec des objets si spirituels et si sublimes ? De pareilles récompenses seraient-elles dignes, et d'un peuple choisi, et d'un Dieu monarque ?

« Vous avez prévu cette difficulté, monsieur, et pour la résoudre, vous avez dit que les récompenses de l'autre vie étaient le sens intérieur de la loi, quoique la lettre n'énonçât que les biens temporels. Je ne prétends ni contester, ni même infirmer la solidité de cette réponse. Je me permets seulement de faire observer que des biens spirituels, tels que ceux de l'autre vie, ne me paraissent pas pouvoir être le sens intérieur d'une loi que Dieu n'avait portée que comme monarche temporel ; d'une loi qui, selon S. Augustin et S. Thomas, cités par Suarez dans le passage que vous rapportez, promettait les biens temporels, par exclusion des biens spirituels, en ce sens qu'elle ne promettait rien de plus excellent ni de meilleur que les biens temporels ; car c'est jusque là que va le raisonnement de S. Thomas, dit Suarez, et on peut ajouter que les biens spirituels semblent être en effet totalement étrangers à

qui fuerint Ægyptiorum mores, que illorum instituta, ut intelligamus an illis usus sit magister Moyses in sua constituendâ civitate ; perspicendum quibus instructus dotibus ad

une législation purement politique, où Dieu ne parlait que comme un souverain qui manie les rênes de son royaume. De là, ce sont vos paroles, *la nécessité d'intervenir civilement dans les intérêts du peuple d'Israël, intervention civile qui ne pouvait s'exercer que par des jugemens qui décernaient les biens et les maux temporels*.

« Comme l'alliance Mosaïque était la figure de l'alliance chrétienne, les promesses de l'une étaient aussi l'image des promesses de l'autre. En ce dernier sens, j'avouerai que les biens spirituels étaient renfermés dans les biens temporels, comme la réalité est contenue dans l'ombre qui l'annonce.

« Je n'en ai encore moins que les Juifs, religieux observateurs de l'alliance, en acquérant le droit sur les récompenses temporelles qui leur étaient promises, ne méritaient par cette fidélité les biens spirituels que la religion révélée leur proposait, et dont les envoyés de Dieu ne manquaient certainement pas de les instruire. Les Juifs pouvaient aussi bien observer les lois politiques de l'alliance dans la vue de mériter les récompenses promises par la religion, que les Chrétiens peuvent et doivent aujourd'hui observer les lois civiles de la société, dans l'intention de mériter la vie éternelle.

« Il faut donc conclure, avec Suarez, que la loi proprement prise ne promettait pas les récompenses éternelles, mais les biens temporels, et qu'il est néanmoins très-vrai que les hommes qui vivaient sous la loi, avaient la promesse de la vie éternelle. Nulle contradiction, nulle répugnance entre ces deux assertions, fait observer le même théologien, parce que cette promesse de la vie éternelle, les Juifs ne l'avaient pas de la loi, mais de leurs pères, dépositaires de la loi, et prédicateurs de l'attente de ces meilleures promesses sur lesquelles la nouvelle alliance devait être établie.

« Si l'on m'objectait encore que les lois de l'économie Mosaïque n'étaient pas purement politiques, puisqu'elles renferment le Décalogue, que par conséquent ses récompenses ne pouvaient pas être purement temporelles, parce que des biens temporels n'ont aucune proportion ni avec des lois morales, qui commandent toutes les vertus, même les vertus surnaturelles, ni avec des lois religieuses, qui prescrivent tout l'appareil du culte public : à cette objection, monsieur, voici ma réponse. Je la soumetts à votre censure, prêt à la rétracter si elle vous paraît hasardée :

« Un souverain politique ne peut-il pas plutôt son autorité à la Religion, et par le concours de ses lois, assurer l'obéissance due par ses sujets aux décisions et aux lois de la Religion sur les dogmes de sa foi, les principes de sa morale, les cérémonies de son culte ? Ce droit et ce devoir de protection que les princes catholiques exercent tous les jours, Dieu, comme monarche temporel, l'a exercé sur la montagne de Sinaï. Je dis même qu'il a dû l'exercer dans une législation politique, dont l'objet principal,

reip. negotia accesserit ille legislator; cognoscendum, quibus tenerentur Judæi, quos in civitatem coegit, consuetudinibus et opinionibus. Quotquot ferrè pro Religione scripserunt,

en détachant le peuple Juif de toutes les nations de la terre, était de conserver la vraie Religion au milieu d'un monde idolâtre. Comme auteur de cette Religion révélée, et comme objet de son culte, il en avait long-temps auparavant manifesté les mystères, les préceptes, les récompenses, les sacrifices. Je m'arrête sur ce dernier article, parce que seul il peut souffrir ici quelque difficulté. Ce fut incontestablement par révélation que les premiers Patriarches connurent que Dieu voulait être honoré par l'immolation des victimes, et que dès le temps de Noé on discernait déjà les animaux purs et impurs, dont l'offrande était permise ou défendue. Nous ne savons pas dans quel détail était entrée cette révélation primitive sur les rites extérieurs qui devaient accompagner les sacrifices. Moïse parle assez souvent d'autels érigés et consacrés au Seigneur. Or ces autels, ces sacrifices, ces rites religieux, antérieurs à l'économie Mosaïque, supposent que le sacerdoce était déjà établi, puisque, s'il n'y a pas de sacerdoce sans victime, il est tout naturel de conclure qu'il n'y a pas non plus de victime sans sacerdoce. Ainsi les rites essentiels de la Religion remontent bien au delà de l'économie Mosaïque, où néanmoins il était convenable de les rappeler, pour en affermir l'autorité et en assurer l'observation. Si elle ajoute des détails sur la construction de l'arche, sur les fonctions, les habillements de ses ministres, et autres objets semblables, on aurait peine à prouver que ces objets sont assez essentiellement religieux, pour être étrangers à un code purement politique. L'arche était au milieu du peuple comme le palais du monarque, et ceux qui en faisaient le service, ou qui en avaient la garde pouvaient être regardés comme ses officiers et ses ministres. Ce qui concernait leurs emplois et leurs personnes n'était donc pas étranger à un code purement civil?

« Il est visible, monsieur, qu'on peut admettre tous ces principes, et dire sincèrement anathème à la barbare doctrine des novateurs sur la distinction des deux alliances. Oui, anathème à quiconque avance que les promesses de l'ancien Testament n'étaient que temporelles et terrestres, et que les Juifs n'adoraient Dieu que pour les biens charnels. La religion de leurs pères leur reposait des biens intiniment plus précieux, les biens de l'autre vie, pour récompenses de leurs adorations et de leurs hommages. Anathème à quiconque enseigne que, dans l'alliance Judatique, Dieu exigeait du pécheur le renoncement au péché et l'accomplissement de la loi, en le laissant dans son impuissance. Les secours spirituels que le Juif prévaricateur ne trouvait pas dans la loi, lui étaient offerts par la religion, dans les promesses du libérateur et dans l'application anticipée de ses mérites. »

Hoc unum hic addendum habeo, quòd auctor epistolæ, quamvis distinguat legem nationalem et civilem Moysi à religione antiquâ, nullo modo negare cultus Mosaicum ex lege reversâ fuerit religio, quandoquidem et Deum pro

plurimum versati sunt in exponendâ illius avatatis barbarie et supinâ omnium hominum ignorantia: Ægyptios genus hominum rude et incultum pronuntiârunt; et si quid sanum tenuerint,

objecto habebat, et ex obsequiosâ erga Deum voluntate peragebatur. Eodem redeunt, ut videtur, quæ de hac materiâ scripsit vir inter Protestantas ingenosus, auctor dissertationum de Annâ belluarum et de certitudine morali, in suis observationibus in thesim M. de Prades p. 91: « On peut envisager le peuple juif sous deux faces très-différentes: premièrement en qualité de nation, distinguée de toutes les autres par un gouvernement, une police, des lois, et des privilèges, que Dieu lui avait donnés, en se déclarant son monarque particulier. C'est sous cette relation, qu'après l'avoir tirée de la servitude d'Égypte, il traita alliance avec elle par le ministère de Moïse. A ce premier égard cette alliance n'avait que des promesses terrestres; son objet était purement temporel, et la loi publiée sur le Sinai, laquelle en faisait partie, n'annonçait d'autres récompenses et d'autres peines que celles de la vie présente. La raison de ceci est très-claire; c'est que l'ancienne alliance était nationale, et qu'une nation, considérée comme nation, n'a d'autres maux à craindre, ni d'autres biens à espérer que ceux de ce monde. En second lieu, on peut regarder les Juifs comme un peuple dans le sein duquel la vraie religion était en dépôt, comme l'asile de l'église et de la société des adorateurs du vrai Dieu. Ainsi la constitution politique de ce peuple, séparé de tout ce qui l'environnait par le privilège d'une alliance divine; et établiessement, dis-je, n'avait d'autre but que de maintenir le vrai culte et de conserver l'Église. Il tendait à assurer le dépôt des promesses de grâce qui concernaient le genre humain, jusqu'au temps marqué pour l'accomplissement de ces promesses, et à faire en sorte que la vraie Religion, transmise depuis l'origine du monde par les Patriarches, se concentrait pour ainsi dire chez le peuple Juif, en attendant que le libérateur promis vint la développer et la manifester à tous les peuples. » etc.

Ad id verò quod contra duratorem theocratæ additur in superiori epistolâ, respondeo, verum quidem esse, populum postulasse regem, sicut et universæ habebant nationes; et cum nationes per circuitum haberent reges cum suprêmâ et absolutâ potestate, hæc petitione suâ rogasse videntur abolitionem theocratæ; quod eis etiam crimini vertit Deus in his ad Samuelem verbis: *Non enim abjecerunt, sed me, ne regnum super eos.* Sed quamvis hæc imprudenter petisset populus; quamvis jussus sit propheta votis populi annuere in omnibus, tamen manifestum est Samuelem, imitatum Gedeonem (qui, ubi sceptrum cum supremo imperio ei oblatum fuit, immutationi theocratæ non consensit) populum ad meliorem mentem revocasse; et ad id efficiendum stupendo miraculo et subitâ tempestate perterruisse. Populus facti sui penitentibus his verbis prophetam deprecatus est: *Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.* Et Samuel his verbis respon-

sive in opinionibus, sive in institutis, id totum ex Judæis derivatum fluxisse : rati scilicet, quòd nata in agresti solo Moysis sapientia majore luce splendesceret. Alii contra nituntur et in efferendâ Ægyptiorum sapientiâ multum solent elaborare. Contendunt scientias artesque omnes, quæ ad civilem cultum pertinent, et præcipuè politicam prudentiam ab ipsis magnooperè excultam, fuisse illam gentem ab omni ævo cæterarum nationum præceptricem, didicisseque ab illis omnes mortales quæ uterentur, sive religione, sive politiâ; atque ad hanc confirmandam opinionem suam ipsis utuntur sacris litteris, in quibus non rarò laudatur sapientia Ægyptiorum. Nunc uni,

dit : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc : verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servate Dominum in omni corde vestro... Et non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum ; quia juravit Dominus facere vos sibi populum. Ex quibus patet, populum pœnituisse imprudentiæ et impetivæ suæ petitionis, obsequium denuò Deo vorasse ; in gratiâ à Deo receptam, cuius gratiæ argumentum et pignus fuit theocratice confirmatio cum hæc mutatione, quòd loco judicum Deus ipsis daturus esset reges vicarios seu proreges ab ipso designandos. Quod habet Joannes Clericus contra hanc rationem allatum à Riccardo Simon satis vanum est : « Pour ce que dit M. Simon, que Dieu se rend maître de l'élection des rois, il ne s'ensuit nullement qu'il continuât d'être pour cela chef politique de la république d'Israël, puisque, si cela était, il faudrait dire que Dieu faisoit beaucoup plus souvent les fonctions de chef de l'état dans le royaume idolâtre des dix tribus que dans celui de Juda : car ce dernier royaume était héréditaire, et était possédé par la famille de David, sans qu'il fût besoin d'aucune élection ; au lieu qu'il se fit plusieurs élections dans celui des dix tribus. » Quis dubitat quin non obstante divisione regni Israël à regno Juda, servaverit Deus et exercuerit jura regia in Israël sicut et in Juda ? et si in priore regno plures habuerit Prophetas, et sæpius peculiari providentiâ Israeliticis rebus intervenerit, quis non videat id propterea factum esse, quòd major in regno Israël perversitas morum, major à lege Dei alienatio hanc extraordinariam providentiam pro conservandâ Religione magis fecerit necessariam ?

Quod verò observat ingeniosus et doctus vir Davidem decretum perpetuum fecisse pro divisione spoliatorum hostilium, unde sequi videtur devolutam fuisse in reges potestatem supremam, eamque legislativam, respondeo, regibus nunquam fuisse potestatem, aut abrogandi ullam partem legis Dei ; aut ei derogandi et ab eâ dispensandi ; aut ei obrogandi, novâ aliquâ legislatione de rebus jam delinuitis ; sed illis relictam quidem esse executivam potestatem ; quâ proreges carere non possunt, et jus quoddam statuta edendi, judiciorum exercendi, cum illâ executivâ potestate necessariò conjunctum.

nunc alteri parti adjungere se solent deïstæ, prout è re suâ esse existimant ; sed posteriori plerumque adhiærent, ut efficiant nihil contigisse singulare, si Moyses, instructus nationis sapientissimæ doctrinâ omni, leges Hebræis posuerit pulcherrimas. Nos verò credimus, multum abesse debere studiosum veritatis indagatorem ab amplectendâ sententiâ ob hanc unicam rationem, quòd causa suæ aliquo modo favere videatur : aliunde difficile esset statuere ex duabus illis opinionibus, quænam majus præbeat rei Judaicæ præsidium. Non dubitamus ergo ad illam accedere sententiam, quæ adversariis arridet magis. Sed falluntur si existimant causæ suæ ex hæc concessione vim et pondus accedere. Quod verò Moysen atinet, illum omnibus ingenii atque animi dotibus instructum à naturâ, et omni sapientiâ imbutum à pueritiâ omnes ultrò fatentur et testantur Scripturæ. Sanctus Stephanus verba faciens de illo legislatore ait illum « potentem fuisse in verbis et operibus suis, » quæ verba significare videntur illum propter prudentiam politicam et maturitatem consilii ad rempublicam capessendam idoneum, et propter animum et virtutem ad res gerendas domi, militiaeque, aptissimum. Denique etsi forsitan Hebræos non ceperit omninò oblitio religionis Abrahamiticæ, tamen sacri codices nullum relinquunt locum dabitandî, quin iidem servitute oppressi, et in durissimis laboribus educati, agrestes valdè et inculti fuerint, atque absurdissimis superstitionibus cum plebe Ægyptiacâ addictissimi.

Hucusque igitur habemus consentientes Deïstas, sed ex his principiis valdè disjunctas eruinis conclusiones : illi verò concludunt rem facilem perfecisse Moysen, dum ad suas leges populum Hebræum instituit, hæc nixi assumptione, quòd mira sit inter Ægyptiorum et Hebræorum mores similitudo et tanta consonantia, ut omninò necesse sit confiteri, aut Ægyptios mutatos sua ab Israelitis instituta, aut vice versâ Israelitas sua ab Ægyptiis. Nos verò è contrario legem mosaicam divinitus acceptam, non à Moysè inventam, monstrabimus, ex eo quòd in totâ suâ constitutione recesserit ab institutis Ægyptiorum, incluserit populum ad consuetudines et religionem planè oppositam, et ita à regulis prudentiæ politicæ, quas apud Ægyptios dicitur, discesserit, ut manifestum sit non proprio usum eum esse ingenio in lege suâ sancientiâ.

PROPOSITIO.

Theocratica reip. Judaicæ constitutio sancta præmiis et pœnis temporalibus à Deo retribuentis, non hominem, sed Deum habuit inventorem.

PROBATIO. — In constituendâ civitate Judaicâ Moyses nequaquam usus est suo apte ingenio, sed divino certissimè consilio, si illa constitutio in omnibus partibus abhorreat à constitutione civili Ægyptiorum apud quos educatus fuit, et posita sit in principiis et fundamentis ab humana prudentiâ omninò alienis. Hanc majorem propositionem assumimus, quia admittitur ab eis cum quibus in hoc articulo nobis contentio est; et profectò ridiculè assereretur Moysen artis politicæ nec prima habuisse rudimenta, et temerè ac inconsideratè à præceptis Ægyptiorum, quæ alii legislatores diligentissimè secuti sunt, et quibus ipse imbutus ab infantia fuerat, recedere voluisse. Atqui Moyses in suâ constituendâ civitate ab Ægyptiorum præceptis et institutis multùm recessit, illamque posuit in fundamentis à politicâ prudentiâ valdè alienis. Nam in istâ constitutione 1º leges suas summo Deo rerum omnium creatori et moderatori acceptas retulit, deosque omnes inferiores et vicarios rejectit Moyses, et in hoc posuit fundamento omnem religionem politiamque suam. 2º In eadem constitutione sublata est à republicâ omnis legislativa potestas, factæque sunt leges circa res minutissimas perpetuæ, immutabiles et à circumstantiis temporum ita independentes, ut nunquam iis licuerit derogare. 3º Omnium legum vis et auctoritas ad obligandum posita erat non solum in præmiis et pœnis post hanc vitam expectandis, sed in æquabili in hæc vitâ Dei providentiâ, quâ bona bonis, mala malis præter consuetum naturæ ordinem tribuerentur à Deo reip. principe et moderatore. Atqui hæc valdè abhorrent à politicâ prudentiâ et ab institutis Ægyptiorum.

I. Multùm recessit Moyses ab Ægyptiorum exemplis et à scientiâ politicæ præceptis, dum primam causam patronum Judæorum pronuntiavit. Nam certum est Ægyptios in eâ opinione fuisse, mundi administrationem inferioribus diis commissam esse à primâ causâ; summum Deum res humanas parùm curare; illos inferiores et tutelares deos propria esse cultûs religiosi objecta; cognitionem supremi numinis celandam et obtegendam mysteriis, quibus solummodò sapientes et magistratus initiarentur, et à quibus profanum vulgus arceretur.

Hinc inter tot legislatores, qui apud Ægyptios instituti republicas constituerunt, nullus omninò invenitur, qui suas leges supremæ et universali causæ acceptas retulerit; sed singuli commenti sunt se familiaritate usos esse dei alicujus tutelaris et gentiliti, qui peculiarem illius gentis, cui dabant leges, curam habere putabatur, quique plerùmque majorum suorum celeberrimus unus erat: illi ipsi qui Jovem legum suarum auctorem pronuntiabant, non illum considerabant ut deorum atque hominum parentem, sed ut Jovem Cretensem, vel Lybium, vel Olympicum, vel Capitolinum, etc. Sic Amasis et Mnevis apud Ægyptios leges à Mercurio sibi datas finxerunt; Zoroaster apud Bactrianos, et Zamolxis apud Getas, à deâ Vestâ; Zathraustes apud Arimaspos, à quodam dæmone, seu bono genio. Rhadamanthus et Minos, Cretensium reges, Jovis Cretenensis nomine suas nuncupabant. Triptolemus apud Athenienses se à Cerere gentilitiâ deâ afflatum dicebat. Pythagoras et Zaleucus apud Crotoniatis et Locrenses. Minervæ; Lycurgus apud Lacedæmonios Apollini, Romulus deo Conso, Numa nymphæ Egeriæ, leges et constitutiones suas acceptas retulere. Fuit ergo planè singularis in hæc parte Moyses, cum spreitis Ægyptiorum institutis, contemptâ eorum doctrinâ, quam avidè combiberunt omnes alii legislatores, non dubitavit inferiores et tutelares deos profligare, solamque causam primam communem omnium hominum parentem Judæis colendam proposuit.

Deinde multùm quoque abhorrebat à politicâ prudentiâ deserere trita Ægyptiorum, legislatorumque omnium vestigia et leges suas acceptas referre omnium rerum creatori et unico moderatori; idque ob multiplicem causam: 1º quia oportuit omnisci et populo Israelitico persuadere se supremæ causæ unicè charos esse, communemque hominum parentem de suâ gente maximè sollicitum fuisse: quod quantum distet à cogitationibus nostris, dici vix potest, et satis liquet ex contrariâ praxi legislatorum omnium, quos supremum nomen agnovisse certissimum est, et ob nullam aliam causam tutelares deos approbasse, nisi quia illam fidem putabant necessariam societati. 2º Propter hanc aliam causam vetabat humana prudentia, ne legislator hebræus suarum legum causam primam, universalem et unicam, efficeret auctorem, quòd nulla esse posset Judæos inter et gentiles in religione societas, nihilque tam aptum esset ad excitandam omnium gen-

tium in suos invidiam, odiaque æterna fovenda : ex quibus inimicitii perpetua nasci bella debebant, et populo omnibus inviso maximæ impendere calamitates. Propter hanc etiam præcipuè causam, alienum duxerunt omnes legislatores à prudentiâ populum sibi commissum ad veritatem erudire, ut ex Varrone et aliis antiquioribus scriptoribus colligere facile est : ad communem generis humani concordiam docere vulgus necessarium putârunt, unamquamque gentem suam habere Deum proprium, qui cum aliis diis sociali fœdere, vel etiam consanguinitate teneretur. Hincque etiam profuxit illa mira paganorum in tantâ religionum diversitate consensio : unaquæque civitas majorum institutis adhærebant, non tanquàm omnium optimis, sed ut propriis et sibi maximè convenientibus (1). Judæi verò et Christiani propter hanc causam, quòd supremo Deo leges suas acceptas retulerint, nec ab aliis tolerari nec ferre alios potuêre.

Jam verò rogo utrùm consentienter humanæ prudentiæ et callidè diversam inierit viam ab omnibus aliis oculatissimis legislatoribus, et constituerit gentem suam toto humano generi inimicam. Certè id ad eò distare ab humanâ sapientiâ censuit Josephus, ut non ausus sit in suâ historiâ rem referre, prout erat, sed varias finxit leges, quæ à mosaicis toto cœlo distant, nempe ut conceptam adversus Judæos minueret invidiam, quæ suis temporibus tandem fatalis fuit reip. Inter alias hanc recenset valdè quidem consentientem placitis philosophorum et legislatorum, sed nequaquàm mosaicam. « Nemo blasphemet deos, quos aliæ civitates deos esse æstimant, nec spolianda fana peregrina, nec donarium Deo cuiquam dicatum auferendum. » Cùm è contrario Moyses dixerit Deut. c. 7, v. 5: « Aras eorum subvertite et confringite statuas, lucosque succidite et sculptilia comburite, quia populus sanctus es Domino Deo tuo. » Denique prudentiæ pars est præcipua, omnia instituire consentienter ingenio populi, et ex ipsis opinionibus et superstitionibus plebis quærere legibus suis auctoritatem : Moyses verò è contrario rem difficillimam, imò homini impossibilem conatus est, dùm insitas ab

(1) Hinc portentosi loco habebatur quòd dux apud Ægyptios civitates Ombos et Tentyræ religionis causâ inter se dimicarent : et impotentis Cambysis et Xerxis licentiæ tributum est, quòd, in bello, Ægyptiorum et Græcorum idola Persæ confringerent, quæ simulacra in aliis imperii sui partibus, et in iosâ Babylonæ toleraverant.

infantiâ opinionones ex suorum animis evellere, eosque à consuetudinibus, quibus summo studio adhærebant, avocare, et ad ritus et mores insolitos flectere, apud se constituit. Ergo in hoc primo reip. suæ principio et fundamento recessit, tum ab exemplis sapientum, tum à præceptis politiæ prudentiæ, et nonnisi Dei consiliis excitatus, ac ejus auctoritate fretus tantam invexit mutationem.

II. Alienum valdè erat à politici prudentiâ et à praxi legislatorum, omnem è republicâ tollere potestatem legislativam, legesque sancire ex divinâ auctoritate immutabiles, quibus nec obrogare unquàm, nec derogare liceret. Nam leges civiles cùm ad civium promovenda commoda inventæ sint, debent esse temporibus, moribus, opinionibus et necessitatibus accommodatæ : jam verò hæc mutari perpetuò constat experientiâ, nihilque aliud nobis exhibet historia nisi in rebus humanis perpetuas conversiones, quæ legum et institutorum exigunt mutationem. Apud nullum planè populum, nisi Hebræum, jus civile perfectum initio extitit, sed labentibus annis cogente necessitate perfectius evasit. Sapiens ergo legislator nunquàm è republicâ omnem tollet, neque tollere audebit legislativam potestatem; neque ullus unquàm præter Moysen inventus est, qui id aggressus sit, qui leges sanxerit quibus nihil adjicere neque demere liceret, etiamsi inter legislatores multi diviniùs afflatus se jactaverint. Sequitur igitur, cùm id Moyses præstitit, eum inter omnes solum pervidisse perfectam esse suam legum complexionem, ex quibus nulla essent oritura incommoda, cùm omnes alii ex legibus suis oriri posse suspecti sint : eundemque legislatorem non tam ad populi commoda respexisse, quàm ad divina jura. Legislatorum fundamentale principium fuit : *Salus populi suprema lex esto*, omnesque religionem politiæ accommodarunt; Moyses ponebat : *Dei unici regis nostri honor et gloria, suprema lex esto*, et politiam religioni fecit subservientem. Hæc certè non humani ingenii, sed divini mentis inventa sunt. Et cùm huic tam singulari constitutioni morem gesserint Hebræi, neque ad abrogandas leges suas unquàm eos adduxerit, nec earum difficultas, nec novarum rerum studium hominibus nativum, nec fortuna prospera, nec calamitas, nec rerum humanarum naturalis vicissitudo, potest eos semper retinuisse sensum divini originis legum suarum, quem nulla alia gens habuerit.

III. Plusquàm aliud quidquàm divinam legis Mosaicæ originem ostendit Moyses in pollicendâ divinâ ope singularis fidentia et securitas, quam superiori propositione exposuimus : nam nisi habuerit promissorum suorum sponsorem Deum, optimequæ sciverit clectum esse ab eo populum Israëliticum in laudem et nomen et gloriam suam, ac apud Deum constitutum fuisse populum illum regere extraordinariâ et æquabili providentiâ; profectò incredibilis stultitiæ et insanix dedisset argumentum, dum leges poneret suas in fundamento, quod quotidiana experientia ruinosum et falsum ostendisset.

Imò verò non solùm Moyses in providentiâ Dei supernaturali leges suas posuit cum eâ fidentia et securitate, cujus frustra quæreres alibi exemplum; verùm etiam non dubitavit populum Hebræum variis privare commodis, quæ ex ordinariâ providentiâ expectare potuit, spe divinæ istius præcurationis, multaque præcipere multùm à prudentiâ humanâ abhorrentia, quales sunt inter alias multas leges illæ de sabbatisando anno septimo, de celebrandis festis paschatis, pentecostes, tabernaculorum; de non habendo equitatu; de audiendis prophetis, etc.

Prima sic concepta est : « Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Quando ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, sabbatiseis sabbatum Domini; sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, collesque fructus ejus; septimo autem anno sabbatum erit requiescentis Domini : agrum non seres, et vineam non putabis, et uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vinetiam. » Hujus legis tam singularis, quæ apud nullum populum servata unquàm fuit, nec servari potest, observatio ipsi Hebræis videbatur impossibilis : hinc non sine causâ adiecit Moyses hanc non minùs singularem mandati rationem : « Quòd si dixeritis : Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum. » Pollicetur itaque non novalia anno octavo fore uberiora, sed terram post sex annos effictam facturam fructus *trium annorum*. Certè risu exciperetur legislator, qui talem apud nos legem ferret.

Secunda lex legitur Ex. c. 34, v. 24 : « Tribus temporibus anni apparbit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. » Id est, præcipit ut dera-

lictis imperii finibus omnes eant Jerosolimam, ibi mansuri per aliquot dies ad celebrationem paschatis, pentecostes et tabernaculorum. Audita tali lege statim obversatur menti periculum à finitimis hostibus metuendum; neque Moysen latebat illa objectio. Quâ igitur ratione hanc singularem legem commendavit? hæc multò magis singulari promissione : *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te et apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.*

Tertia lex non minùs à politâ prædentiâ aliena legitur Deut. c. 17, v. 16 : « Cùm fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero sublevatus, præsertim cùm Dominus præceperit vobis ut nequaquàm amplius per eandem viam revertamini. » Esi lex ista regi præscribatur, tamen ex ratione legis et ex usu apud Judæos patet illam generalem fuisse ac perpetuam et ad iudices in primis reipublicæ seculis etiam pertinuisse. Nam non accipiebant aliunde Chananæi equos et currus nisi ex Ægypto : cum Ægyptiis igitur negotiandum fuisset, quod interdictum erat. Hincque Josue cùm confederatos Chananæorum reges fudisset, « qui egressi fuerant cum turmis suis (c. 11, v. 4) populo multo nimis, sicut arena quæ est in litore maris, cum equis etiam et curribus immensæ multitudinis, » juxta præceptum Domini equos subnervavit et currus igne combussit, neque unquàm legimus Judæos in exercitibus suis equitatu usos esse, sed hostium equos Josuam imitato semper interfecisse et currus igne cremasse. Porrò constitutio illa etsi sapientissimè facta sit, ut locus nullus esset commercio cum Ægyptiis, erga quorum superstitiones proclivem semper habuere Judæi animum, et ut illis omnis tolleretur spes proferendi unquàm imperii terminos, debellandique Syros et Ægyptios, quod sine equitatu fieri sine miraculis nequaquàm potuit; tamen eadem hæc constitutio eos in impossibilitate absolutâ posuit sine divinâ et supernaturali ope vincendi primùm Chananæos, seseque tuendi, post devictos Chananæos, contra vicinos populos : neque hoc ignorare potuit vir ille, quem summum ducem fuisse Deistæ solent non tantùm conlteri, sed probare. Ex hæc igitur etiam lege manifestum est voluisse Moysen, ut omnem salutis spem ponerent in supernaturali Dei ope, ut ipse præcipit etiam Deut. c. 20 : « Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus et currus... non timebis eos, quia Dominus Deus tuus

« tecum est, qui eduxit te de terrâ Ægypti. »
 Illic canit psaltes regius : « Ili in curribus et
 « hi in equis » nos autem in nomine Dei no-
 « stri speravimus. » Illic Isaias sic Judeos
 increpat c. 31 : « Væ qui descendunt in Ægy-
 « ptum ad auxilium, in equis sperantes, et ha-
 « bentes fiduciam super quadrigis, quia multæ
 « sunt, et super equitibus, quia prævalidi ni-
 « mis : et non sunt confisi super sanctum
 « Israël. »

Tandem quarta lex de audiendis Prophetis
 non minùs singularis sic exprimitur in Deut.
 c. 18 : « Gentes istæ, quarum possidebis ter-
 « ram, augures et divinos audiunt : tu autem
 « à Domino Deo tuo aliter institutus es. Pro-
 « phetam de gente tuâ et de fratribus tuis si-
 « cut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ;
 « ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo
 « in Horeb, quando concio congregata est et
 « dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei
 « mei, et ignem hunc maximum ampliùs non
 « videbo, ne moriar; et ait Dominus mihi : Be-
 « nè omnia sunt locuti : prophetam suscitabo
 « eis de medio fratrum tuorum similem tui,
 « et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque
 « ad eos omnia quæ præcepero illi : qui autem
 « verba ejus audire noluerit, ego ultor exi-
 « stam. » Hæc verba continent primò prophe-
 tiam de quâ supra diximus : continent præte-
 rea legem, quâ jubetur prophetæ obedientia :
 quæ sapientissima, imò necessaria fuit, si re-
 verà Deus in republicâ princeps fuerit, eam-
 que extraordinariâ providentiâ rectorus erat.
 Sed si Moyses hujus rei nequaquam certus et
 securus fuit, absurdam legem sanxit et consti-
 tutionis, quam formaverat, eversivam. Nam
 quid tam alienum à sapientiâ politicâ, quàm in
 constitutam legibus rempublicam fanaticum
 spiritum inducere, et hominibus furore illo
 correptis ansam dare ad turbandam civitatem ?
 Quis unquam legislator prospexit salutem eorum,
 jussitque ut illis obtemperaretur, qui divinam
 fingentes missionem ordinarios iudices contem-
 nerent, et ad populum divina ferrent mandata ?
 Certè hæc omnia et alia plura, vel hominis di-
 vini sunt, vel insanientis : sapientissimus fuit
 Moyses ex concessione adversariorum. Ergo
 divinus.

Objicies 1^o : Nèdum ex oppositis Judæorum
 et Ægyptiorum institutis effici possit Moysen
 in lege suâ adornandâ non usum esse suo-
 pte ingenio, è contrario ex mirâ utriusque gentis
 in multis rebus convenientiâ manifestè patet
 legem Mosaicam ex Ægyptiacis institutis lau-

stam esse. Nam reverà magnam esse inter ve-
 terum Ægyptiorum consuetudines et Judaicos
 ritus convenientiam, demonstraverunt plurimis
 exemplis tum Marshamus, tum Spencerus, et
 ii etiam qui ab his duobus auctoribus multùm
 dissentiunt, eorumque opera confutârunt, in
 re ipsâ conveniunt, etsi diversas eruant con-
 clusiones. Solum laudabimus Witsium, cujus
 hæc sunt verba in operè contra Spencerum
 adornato : « Ita autem commodissimè processu-
 rum me existimo, si primò longâ exemplorum
 inductione ex doctissimorum virorum mente,
 et eorum peritumque verbis demonstraverim,
 magnam atque mirandam planè convenientiam
 in religionis negotio veteres inter Ægyptios
 atque Hebræos esse : quæ cum fortuita esse non
 possit, necesse est vel ut Ægyptii sua ab He-
 bræis vel ex adverso Hebræi sua ab Ægyptiis
 habeant. » Et paulò post addit : « Porrò si le-
 vato antiquitatis velo gentium omnium ritus
 oculis vigilantibus intueamur, Ægyptios et He-
 bræos præ omnibus moribus simillimos fuisse
 comperimus; neque hoc Kircherum fefellit,
 cujus hæc sunt verba : Ægyptii tantam habent
 ad ritus, sacrificia, cæremonias, sacras disci-
 plinas Hebræorum affinitatem, ut vel Ægyptios
 Hebraisantes vel Hebræos Ægyptisantes fuisse
 planè mihi persuadeam. » Deinde longam in-
 stituit comparisonem ex quâ id evidenter col-
 ligitur. Ex quibus apparet ipsam convenientiam
 non esse in controversiâ positam, sed dispu-
 tationem in eo versari utrùm Hebræi ab
 Ægyptiis, an hi ab illis, sua instituta acce-
 perint. Ergo in falso principio ponitur propo-
 sitio.

R. 1^o : Distinguo antecedens : magna est con-
 venientia inter Hebræorum et Ægyptiorum
 mores et instituta in primis principiis religio-
 nis et reipublicæ fundamentis, N. Est magna
 convenientia in usibus quibusdam particulari-
 bus et indifferentibus, subdistinguo : quia ab
 Hebræis illos mutuati sunt Ægyptii, vel in eos
 fortuitò inciderunt, concedo minorem ; quia
 Ægyptios imitati sunt Hebræi, nego. Ea quæ
 supra dicta sunt, evidenter certè efficiunt Moy-
 sis sapientiam non in scholis Ægyptiorum natam
 fuisse, cum recesserit à primis et clarissimis
 politicæ scientiæ principiis in ipsis funda-
 mentis, tum religionis suæ, tum politiæ; illum
 consilia alia secutum esse quàm humana, cum
 non sit passus inclinari sese, nec præceptorum
 evidentiâ, nec propensione illâ quam homines
 gerunt erga patriam religionem et institu-
 ta patriæ; eum divinis auspiciis susceptam

rem perfecisse, cum in illo temporis articulo quo conciliandi erant omnibus modis suorum animi, nec difficultas immutandæ religionis, nec facilitas constituendæ politicæ, in receptis vulgò principiis, avocaverit à rebus apud suos prorsus immutandis. Non posuimus nostram demonstrationem in oppositione rituum quorundam particularium, idè quæ non destruitur illius vis, nisi demonstretur convenientia in fundamentalibus, quæ certè nequaquam tentant unquam Deistæ. Deinde verò nequaquam constat ritus illos, qui utrique genti communes fuere, apud Ægyptios primùm cõpisse, et ad minus æquali probabilitate defendi potest ab Hebræis fuisse derivatos (1). Vel fieri etiam potuit ut in illos ritus fortuitò inciderent Ægypti, quos constituerat apud suos Moyses.

2º Concessã alterã parte antecedentis, nempe hæc propositione ab Ægyptiis ad Hebræos derivatos fuisse omnes illos ritus, qui utrique populo communes fuerunt, nego consequent., seu ex illã concessione ulla tenet minui divinam legis auctoritatem; nam post constitutam veram religionem divinæ auctoritatis pondere, post sanctitas innumeras leges superstitionibus Ægyptiacis prorsus oppositas, quæ æternùm dividerent utrumque populum, non fuit profectò alienum ullo modo à sapientiã eos ritus et consuetudines servare, quibus jam plebs assuefacta erat, et quæ in bonum finem facilè converti potuere.

Objicies 2º : Fœdus illud inter Deum et po-

(1) « Hæc est enim vestra sapientiã et intellectus coram populo, inquit Moyses Deut. c. 4, ut audientes præcepta hæc dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna. Nec est alia nãtio tam grandis, quæ hæbeat deos appropinquantés sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclita, ut habeat cæremonia, justaque judicium et universam legem, quam ego proponam hodiè ante oculos vestros? » Admirationem Moyses huc ad iucit populorum tum futuram, cum audierint gentes de æquitate ac de præsentia legum earum, quibus utuntur Judæi. Quod cum fecit Moyses, Jovis quodammodò præscribit ut ne his etiam novis explanatoribus, qui videre sibi videntur, leges Moysis satis multas ad exemplum legum, quæ apud vicinos populos tum vigebant, fuisse factas. Nam si ita esset, qui posset Moyses populos hic facere admirantes, ut in re novã et mandatã, legem Israelitarum? Ergo, si quum similitudinem habere gentium leges cum lege Moysis, jure colligitur ex ipsis verbis, imitatores Moysis fuisse veterum legislatores, non eorum Moysen; atque adeò legem Moisaicam esse omnium, qui antea existere, juris codicum vel poluici vel sacri, codicem longè antiquissimum. Doctis. Houbigant. in c. 4 Deut

pulum Israeliticum, nedum efficiat divinam legis originem, è contrario legislatoris vanitatem et fraudem detegit. Nam 1º hoc fictitium fœdus pugnatum cum omnibus Dei attributis : alienum erat à divinã constantiã, justitiã atque bonitate populum divinæ beneficiis indignum in specialem clientelam assumere, illumque auctum multis bonis contra alias omnes gentes tueri : Deus nec est, nec esse potest acceptor personarum, sed æqualiter illi est cura de omnibus. 2º Hoc fœdere falsas et pravas in sevit Moyses suorum amicis de divinã naturã opiniones; didicerunt enim Judæi à legislatore suo non allam sibi fingere summi Dei et omnium hominum benignissimi parentis ideam, quam numinis alicujus gentilitii et titularis, qui inter Cherubinos super propitiatorium sederet : hinc ubi arca capta fuit à Philistæis, Deum suum captum conquesti sunt et dixerunt : *Translata est gloria ab Israel.* 3º Denique quia hoc fœdere suo Moyses constituit Judæos toti generi humano inimicos; nam qui benignum gerere animum potuere erga eos qui Dei regis sui inimici habebantur, et quos intra fines suos pati debebant, et reverã constat eos odisse semper alienigenas omnes, rectè quæ scripsisse Tacitum : « Apud eos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium; » atque hinc etiam profluxit, et adhuc manet omnium hominum mutua adversus eos invidiã. Ergo fœdus illud Deum habere inventorem non potest, nedum ex eo effici possit divina legis inventio.

Respondeo fœdus illud in itum à Deo cum Israelitis distare multum à nostris cogitationibus, et in istã singularitate et abhorrentiã à nostris ideis posuimus partim probationem nostram : fieri quippe nullomodò potuit, ut Moyses suapte ingenio talem contractum fingeret, et neglectis naturalibus præsidii civium salutem poneret in supernaturali Dei ope. Sed etiam contendimus fœdus illud non fuisse obnoxium illis, quæ in objectione continentur, incommodis. 1º Non pugnat cum divinæ attributis : nam non abhorret à sapientiã divinã institutio, quæ sapientissimis finibus inserviebat; quã nihil aliis gentibus detractum est, ut melior efficeretur conditio Judæorum : ex quã multa profluxere beneficia in totum humanum genus. Atqui, primò hæc constitutio ad sapientissimos fines inventa fuit. Negari certè non potest consilium Deo dignissimum fuisse tueri inter homines veram religionem, et non permittere ut omnia loca

occuparet Impia idololatrarum superstitio : sed ille finis nequaquam potuit obtineri, nisi gentis alicujus ab omni alia separatione, nec potuit illa pars assumpta sine speciali providentiâ in errorum sinu et colluvione consistere : ex quâ speciali Dei procuratione spontè derivata fluere debebant bona temporalia. Jamverò si licuerit Deo, ad gloriam et honorem nominis sui, gentem aliquam eligere, consentaneum etiam fuit divinæ sapientiæ, quæ plures fines complecti eodem medio solet, easdem benedictiones temporales velle esse remunerationem magnarum et illustrium virtutum, quas habuissent illius populi electi parentes. Non fuere igitur Judæi electi, quòd Deo magis gratiosi essent, quàm alia quævis gens ; sed cum separatio faciendâ esset causâ universi generis humani et ad gloriam honoremque Dei, hi in adoptionem assumpti sunt, sine aliorum injuriâ, ad remunerandam Abrahami parentis sui pietatem. Neque hæc explicatio aliena est à mente Scripturæ sacræ, quæ nequaquam nobis exhibet Judæos ut magis apud Deum ex suis meritis gratiosos ; Moyses enim ipsis declarat, idque sæpius, nec propter eorum numerum, nec propter eorum virtutes elegisse eos Deum (1) ; et per Ezechielem prophetam denuntiavit Deus non propter eos, sed *propter nomen suum*, se tanta facere in eorum gratiam. Verba prophetæ hæc sunt : « Hæc dicit Dominus Deus : Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polleatis in gentibus ad quas intrastis ; et sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod pollutistis in medio eorum, ut sciant gentes, quia ego Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis coram eis. » Deinde nihil aliis gentibus detraxit Deus hoc fœdere ; è contrario multa profluxere in totum genus humanum beneficia. Nam ut saltem illum finem totius œconomix divinæ planè

(1) « Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter iniquitates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter justitias tuas et equitatem cordis tui ingredieris ut possideas terras earum : sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt, et ut compleret verbum suum Dominus, quod juramento pollicitus est patribus tuis. Scito ergo quòd non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dedit tibi terram hanc optinam in possessionem, cum durissimæ cervicis populus sis. » Deut. c. 9.

præcipuum, missionem videlicet filii Dei ad totius humani generis redemptionem, cui parabat viam lex Mosaica, ut alibi ostendemus, multa præterea arripuerunt ex eâ gentes commoda, etiam antequàm veniret is quem Jex adumbrabat, et in quo erant benedicendæ omnes nationes terræ. Nam per hanc constitutionem servata fuit vera religio, tanquàm lucerna lucens in caliginoso loco, ad quam lampades suas accendere potuerunt vicinæ nationes ; et certum est à Judæis multos accepisse veras de Deo et religione notiones. Certè ad propagandam veram doctrinam convenientissimè propè maxima terræ imperia, Ægyptios, Assyrios, Chaldæos et Phœnices sibi erant ; neque dubium est quin liberationem illius populi tot prodigiis celebrem, ejus in terram Chanaan victorias, et eventus in ejusdem gratiam planè singulares, ad ultimam terræ oras fama detulerit. Temporibus Davidis, cum Judæi opibus et potentiâ florent, et Salomonis, cujus adeò pervagata erat sapientia, et sub quo magnificentissimum orbis templum vero Deo extractum fuit, Israelitarum nomen et leges apud alios populos innotuisse verisimile est, multosque secutos exempla regis Tyriorum Hiram et reginæ Sabeæ ad veram religionem adductos fuisse ; quòd si plures illam non susceperint, eorum incogitantia in causâ fuit.

Imò Israelitarum captivitates et dispersiones multùm, Deo sic volente, ad propagandam veram religionem conducebant ; nam infortuniis suis eruditi solebant valedicere superstitionibus, sese ad Deum convertere, atque summo studio institutis Mosaicis inhærere. Decreta Nabuchodonosori, Darii, et Cyri, quæ ubique per immensa eorum imperia vulgabantur, probant Deum verum per Judæos toti innotuisse Orienti : hincque factum est ut apud Orientales longè clarior et defœcata magis fuerit semper veri Dei cognitio, quàm apud occidentales, qui magis distabant à Judæâ ; et certum quoque est communem et universalem magis evasisse veri Dei notitiam, quò magis dispergebantur, adeò ut tempore Christi fuerit infinitus proselytarum numerus, quorum multi ex remouissimis gentibus ibant Jerosolymam ad festa celebranda.

2º Impudentissimè Moysis legem calumniantur Deistæ, dum contendunt ex illo fœdere factum esse ut Judæi supremum nomen tanquàm localem et gentilitium Deum haberent. Arbitrati sunt quidem Deum specialiter

rebus suis adesse, nec sine causâ, cum perpetua procurationis suæ daret argumenta per oracula, per spiritum propheticum, per miracula, per præsentissimam suam in rebus adversis opem. Sed tamen eum nullo alio modo concipiebant, quàm ut ens infinitum, per se existens, quod immensitate suâ omnia complectet, potentia omnia à se creata sustineret, et providentiâ gubernaret. Samaritani quidem deportati à rege Assyriorum in vacuum Israelitarum regionem, et vicini populi, stultis obsecrati opinionibus, ipsum cogitabant Deum loci, vel Deum collium et montium, etc. Sed ab istis nationibus tanquàm à blasphemis abhorruere semper Judei. Neque profecto aliam concipere animo notionem potuerunt, nisi eam quam modò descripsimus, cum unicum tantùm Deum, cujus virtute omnia consistenter, semper agnoverint. Ubi ergo dicunt sacri scriptores, Deum inter Cherubim sedere super arcam fœderis, nihil aliud intelligunt, quàm Deum in eo loco dare præsentia suæ argumenta; nam Salomon in oratione suâ factâ in dedicatione templi, etsi roget Deum ut velit domum istam præsentia suâ decorare et illam inhabitare, tamen eodem tempore dicit nec cœlos cœlorum capere Deum posse. Hanc laudem Judæis denegare Tacitus non potuit, eorum aliunde eluminari iniquus. « Judæi, » inquit, mente solâ unumque numen intellegunt; profanos qui deum imagines mortalius materiis in species hominum effingunt; summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedùm templis sunt: nec regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. »

Denique non docuit eos Moyses in legibus suis odio alios habere, sed è contrario omnes complecti benevolentia: *Si habitaverit, inquit Lev. c. 19, v. 33, advena in terrâ tuâ, et moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei. Sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos; fuistis enim et vos advene in terrâ Ægypti: ergo Dominus Deus vester, Et Deut. c. 10, v. 19, hæc in confirmationem ejusdem legis verba adjungit: Quia Dominus Deus vester ipse amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum; et vos ergo amate peregrinos. In pluribus aliis locis, ut Deut. c. 21, v. 19; et Lev. c. 25, v. 35; Num. c. 27, 41, advena conjungitur eum viduâ, pupillo et Levitâ: ergo pensissimum erga alienos voluntatem evigilavit lex, et vix rare eos pro summo habendum crimine do-*

cet. Verum est quòd inter se nullos pati deberent idololatrias; hoc jure sine dubio sancire potuit Deus, et præterea idololatriam reipublicam dissolvebat, et crimen erat læsæ majestatis; sed ipsis præceptum non fuit, ut sciverent in eos extra Chananaeorum fines, seu ultra illam ditionem cujus Deus rex esse dignatus est. Ergo nec alienum à divinis virtutibus, nec falsarum opinionum origo, nec perversi et immitis ingenii erga externos fuit fœdus Moisaicum. Vide de toto hoc argumento Jaquetot de inspiratione librorum sacrorum V. et N. T.; Sherloch de fine et usu prophetiæ cum dissert. adjunctis; Warburton Div. leg. Moysis.

ARTICULUS IV.

DE LEGUM MOSAICARUM FINIBUS ET SAPIENTISSIMA INSTITUTIONE.

Etsi nulla sit hujus operis pars, quæ non sit fructuosa, tamen est hic locus ad dicendum amplissimus, vastissimusque nobis sese aperit campus, in quo diu jucundè versari liceat. Si enim leges Atticæ, Romane, aliæque vetustatis et sapientiæ nomine commendabiles, tantum doctis viris jucunditate adlerunt, quantum adferre oportet eam legem, quæ omnium antiquissima aliarum gentium memoriam ipsam superat, quæ perfectissima in primo suo ortu, omnia religionis et vitæ moralis ac civilis præcepta sic continet, ut nec hominum levitas, nec temporum necessitas illi quidquam ademerit aut adjecerit; quæ eam habuit vim, ut Judæos ab omnibus populis divisos in mundo idololatræ, in omnium errorum colluvione immunes à superstitionis contagione, per tot annorum secula servaverit? At ratio instituti operis vetat has moras, monetque, ut eas potius partes defendamus, quæ minus elucet et quas calumniari solent Deistæ, quàm ut in exponendis splendidioribus immoremur. Dicemus tamen satis, ut manifestum sit, Moysen non vanè superbientem, sed conscium perfectionis suarum legum fecisse ad populum verba hæc Deut. c. 4: *Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes præcepta hæc dicant: Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic in clyta, ut habeat ceremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego proponam hodiè ante oculos vestros?*

In lege Judaicâ triplæ generis præcepta distingui solent: alia sunt moralia, quæ perti-

nent ad informandos ad pietatem interiorem et ad virtutum animos, atque ad legem naturalem revocantur; alia civilia sunt, quæ spectant administrationem reipublicæ et vitam civilem; alia ritualia seu cæremonialia vocantur, quæ cultûs divini et rerum sacrarum ordinem continent. De singulis pauca dicemus, postquàm breviter indicaverimus generalem omnium harum legum linem. 1^o Legis Mosaicæ præcipuus finis erat veræ religionis in mundo idololatrico conservatio. Id patet primò ex pacto Abrahamitico, quod partim in fœdere Mosaico completum fuit. Ille etenim patriarcha à Deo vocatus dicitur cùm diis patriarce alienis, non propter merita sua vel posterorum suorum, sed ut Deus statueret pactum cum semine ejus in generationibus suis, ut esset Deus illius et seminis ejus post eum. Idem constat ex ipsis verbis contractûs in monte Sina: *Deus elegit te hojiâ, ut sis ei populus peculiaris in laudem, et nomen, et gloriam suam.* Jam verò quòd convenienter inventa fuerit lex in hunc finem, satis ipse eventus per se demonstrat, cùm reverà per tot annos Judæos à cæteris gentibus divisos servaverit, et exlitterit seipimentum veræ religioni, donec universus orbis ad eam vocatus fuerit. 2^o Alter legis Mosaicæ finis erat, præsertim ejus partis quæ dicitur cæremonialis, ut rebus evangelicis tanquàm in imagine representandis inserviret, uti alio in loco fusiùs explicabimus.

§ 1. De moralibus legis Mosaicæ præceptis.

Deus ut Judæis significaret esse hanc legis suæ partem planè præcipuam, decem hæc moralia præcepta clarâ voce et cum magnâ majestate rogavit, lapidibusque inscripta Judæis servanda dedit: « Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, et quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea neque coles... Non assumes nomen Dei tui in vanum... Memento ut diem sabbati sanctifices.... Honora patrem tuum et matrem tuam... Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. » De hoc Decalogo multas quæstiones

agitare solent theologi: quomodò sint præcepta distribuenda? quot in primâ tabulâ, quot in secundâ ponenda sint? utrùm ad Decalogum omnes prorsus aliæ in Pentateucho contentæ præceptiones, omniaque legis naturæ dictata, etiam quæ pertinent ad seipsum, revocari possint? Sed cùm hæc disceptationes non pertineant ad Religionis adversus impios defensionem, neque ad hanc nostram pertinent disputationem.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex moralis contenta Decalogo, cæterisque Pentateuchi partibus, est in omnibus legi naturæ consentiens: imò omnia continet ad religionem et mores rectè instituendos necessaria præcepta: atque in hac parte multum superat omnes alias legum naturalium complexiones, sive à legislatoribus, sive à philosophis olim confectas.

PROBATIO. — Primam partem hujus propositionis certissimam esse in responsionibus ad objectiones conficiemus. Secunda verò pars facili inductione conficitur potest.

1^o Omnis religio tribus constat, nempe relictis de Deo sentiitiis, piis in Deum affectibus, et cultu externo honorificentissimo. Sed si primus Dei cultus sit, Deum credere, ac deinde reddere ipsi majestatem suam, attributa ejus agnoscere; nullus certè cum tantâ, quantâ Moyses, dignitate et orationis magnificentiâ hæc inculcavit. Ubique fovet vividam in Deum fidem, illumque exhibet ut ens æternum necessarium, infinitum, immutabile, omnisciens, omnipotens, sibi sufficiens, sui possessione beatissimum, sapientissimum et optimum rerum omnium creatorem et gubernatorem. Quæ omnia attributa apud Moysen significantur ipsis Dei nominibus: יהוה *Jehova*, quod necessariam existentiam, independentiam, et immutabilitatem exprimit: אלהים *Elohim*, quod Dei in omnia jus, auctoritatem et impèrium denotat: אלה *El*, quod indicat specialiter ratione Dei omnipotentiam; cui nomen שדי *Schaddai* affine est, indicans etiam Deum sibi sufficere: אלהים *Elohim*, quod divinæ naturæ excelsum et infinitum à nostris imperfectionibus distantiâ ostendit: אלה *El Sabbath*, quo ex divino nutu pendere bellorum exitus et imperiorum fortunam significatur. Cum quantâ majestate omnia ex divino arbitrio et ipso verbo pendencia exhibentur in istis: *Fiat lux, et facta est lux!* ut commendatur ejus bonitas, in his: *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valdè bona!* ejus sanctitas, veritas, justitia, in illis: *Dei perfecta sunt opera*

et omnes viæ ejus judicia; Deus fidelis, et absque ullâ iniquitate, justus et rectus! Ejus providentia et potentia: Videte quòd ego sim solus, et non sit alius Deus præter me: ego occidam et vivere faciam; percutiam et ego sanabo, et non est qui de manu meâ possit erucere!

Deinde omnes animorum affectiones piæ erga Deum continentur illo præcepto admirabili: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ.* Neque aliud est tota lex nisi perpetua exhortatio, ad timorem Dei, ad fiduciam in ejus ope et præsidio, ad devotionem seu submissum animum ejus voluntati. *Et nunc, Israel, quâ Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in totâ animâ tuâ?* Deut. c. 10, v. 12. *Nor est Deus noster ut dñi eorum, et inimici nostri sunt judices,* ibid. 52, 51. *Beatus es tu, Israel: quis similis tui, popule, qui salutaris in Domino? Scutum auxilii tui, et gladius gloriae tuae; negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis,* ibid. 53, 29. Omnis denique perfectio, omnis sanctitas ubique injungitur. *Perfectus eris et absque maculâ, cum Domino Deo tuo,* Deut. c. 18, v. 13. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dominus Deus vester,* Lev. c. 19, v. 2. Omnia quoque externi cultûs officia cum maximâ solemnitate injuncta, et omnia majestati cultûs contraria prohibita sunt. Huc pertinent leges omnes contra idola et supersticiosos quoscumque ritus: *Gentes istarum, quarum possidebis terram, aures et divinos audiant; tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es;* omnes leges de reverentiâ exhibendâ divino nomini in communi sermone, omnes de votis et sacrificiis, de admoventâ divinis aris, cum animi puritate, etiam corporis castimoniam; uno verbo nullum planè est officium seu internum seu externum, quod à Moysè divinâ quâdam nec imitabili eloquii vi non commendatur.

2º Omnis inter homines communitas duas continetur virtutibus: justitiâ quæ vetat violationem juris alieni perfecti; et charitate, quæ exigit ut prodesse velimus quàmplurimis. At Moyses non modò commendavit officia justitiæ, uti omnes confitentur; et quæ hoc præcepto, interiores etiam animorum motus moderante, continentur: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt;* sed

etiam quæcumque charitati subiecta sunt, quod negare solent religionis revelatæ contemptores. Omnia siquidem hæc brevissimâ sententiâ comprehenduntur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* Lev. c. 19, cui eodem loco hæc junguntur: « Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat... cum mesueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ, nec remanentes spicas colliges, neque in vineâ tuâ racemos et grana decidentia congregabis, sed pauperibus et peregrinis capienda dimittes: ego Dominus Deus vester. Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledices surdo, nec coram cæco ponas offendiculum. Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: justè judica proximo tuo. Non eris eriminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, et ne habeas super illo peccatum. Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civitum tuorum. Ego Dominus. » Quam hæc pia, quàm sancta sunt!

3º Quamvis nulla præcepta injungantur expressè, tanquàm ad seipsum pertinentia, tamen reverè ea omnia, quæ pertinent sive ad animi culturam, sive ad corporis cultum, præscribuntur: cum per legem instituti sint Judæi ad ea omnia, quæ spectant informationem mentis, et doceantur, quæ origo, quæ destinatio, quæ conditio atque officia hominum; ad ea quoque omnia, quæ spectant affectuum temperationem ad omnem sanctitatem. Addidimus in conclusione legem Mosaicam, multum perfectione superare quascumque alias, seu legislatorum, seu philosophorum institutiones, cum in confesso sit, apud gentes omnes alias obtinuisse vanissimam superstitionem, quâ si non omnia quidem vitæ moralis officia proculcarentur, omnis saltem vera religio pessumdabatur, sine quâ religione moralis disciplina non habet in se satis præsidii ad bonam, beatamque vitam. Huic malo, nec legislatores, nec philosophi remedium attulisse aut afferre potuisse jam in alio loco confecimus.

Adversus hanc moralem legem objectio peti solet ex permissione divortii et fœneris ab ex-

trancis accipiendi. At Deistæ nostri in his non multùm versantur : et reverà vel leges de divortio et fœnore erant permissiones civiles, seu non prohibitions, vel erant propriè dictæ concessiones. In primâ hypothesi, quam probant quàmplures auctores, nulla planè est difficultas ; cùm legibus civilibus ea sæpissimè propter sapientissimas causas non prohibeantur, quæ tamen nullo modo probantur. In secundâ, quam etiam probant multi auctores christiani, non erant etiam illæ leges injustæ : non lex de usuris ab extraneis recipiendis ex pecuniâ mutuo datâ ; quia, ut ait Suarezius, potuerunt Judæi habere justum titulum petendi et accipiendi illas usuras tanquàm à Deo donatas, vel ut à supremo Domino, vel ut à justo iudice : præterea usibus et legibus erant eædem usuræ apud extraneos introductæ ; et propter commercia, quæ apud vicinos Palæstinæ et aliarum gentium populos agitabantur, non tam noxiæ erant : à Judæis autem usuris exigere omninò vetitum erat. Non etiam lex de libello repudii, quia, ut idem ait, ex concessione divinâ sub illâ lege et conditione contractûs à principio fit fiebat. Vide Covarr. l. 3 Variar. c. 7, n. 7. At gravior est objectio in quâ multùm exultare solent Deistæ, et quæ diligentius est excutienda.

Objicies : Paganæ omnes religiones, vel hoc uno titulo falsitatis ab omnibus Christianis arguuntur, quòd humana usurpaverint sacrificia ; quo nihil magis alienum est à Dei benignitate, omnibusque attributis ; nihil abhorrens magis à naturalibus affectibus, aut magis aptum ad perturbandum naturæ humanæ statum, hominesque ad sævitiam et crudelitatem erudiendos. Hinc arripuit Lucretius gloriantis occasionem, suamque impiam philosophiam Religioni anteferendi :

Illud in his rebus vereor, ne fortè rearis
 Impia te rationis iure clementa, viamque
 Endogredi sceleris ; quod contra sapius olim
 Religio peperit scelerosa atque impia facta,
 Autide quo pacto Trivia virginis aram
 Iphianassar tarpârunt sanguine fœdè
 Ductores Danaum.
 Tantùm religio potuit suadere malorum .

Atqui tamen lex Mosaica talia permittebat humana sacrificia, imò commendabat. Quippe Lev. c. 27, duplicis generis vota distinguuntur : alia quæ redimi possunt, circa quæ præscribuntur formulæ æstimandi, taxandique vota, seu res et personas : in his non tam res et persone, quam eorum pretium seu

valor Domino consecratus est : hincque dicta sunt vota æstimationum, et soluto pretio res hujusmodi voto consecrata Domino manebat. At alia postea vota recitantur, quibus res et personæ consecrabantur sine ullâ spe redemptionis. *Omne quod Domino consecratur* (omne anathema quod deoverit, seu anathematizaverit homo Domino), *sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*, v. 28. Res seu persona ad hunc modum devota חֵרֵם *Iherem* seu *Cherem*, quod *anathema* rectè vertitur, vocabatur. Jam verò quòd sic consecratum fuit, mactandum erat, ut patet ex his verbis sequentibus : *Et omnis consecratio* (anathema), *quæ offertur ab homine* (quod devovetur ex homine), *non redimetur, sed morte morietur*.

Legem hanc sic interpretati sunt, non modò Judæi plures, sed etiam Christiani : Ludovicus autem Capellus de voto Jeplate legem sic intellectam multiplici allatâ ratione defendit (1) : quam ejus interpretationem multis

(1) « Ad diritatem et immanitatem quod
 « attinet hujus legis, dicimus eamdem propè
 « hujus legis esse rationem, quæ fuit legis de
 « repudio. Non probabat Deus repudium ; sed
 « si quis erat tam duro et præfacto animo,
 « ut nollet divitiis uxori convivere, Deus, qua-
 « tenus populi Judaici rex erat, veluti politicus
 « et civilis legislator, non prohibebat quom-
 « nius illam a se amandaret, dato repudii
 « libello. Sic etiam Deus non probabat, ut
 « quis personam humanam sibi per Cherem
 « devoveret ; sed si quis adeò temerarius erat
 « ut votum ejusmodi nuncuparet, non de
 « bestia aut agro tantùm, sed de personâ
 « etiam quæ ipsius esset juris, volebat eam
 « morte affici ; non quòd illi probarentur et
 « grate essent humanæ hostiæ, sed aliis de
 « causis legitimis, quas lex quidem non aperit
 « (neque enim Deus legum et præceptorum
 « suorum rationem reddere tenetur), sed ali-
 « quantenus nobis suspicari et eas subolfacere
 « licet. Ac primo quidem videtur Deus sic
 « tacitè voluisse innuere se potestatem vitæ et
 « necis concedere parentibus in liberos, et
 « heris in servos, non quidem ipsismet pro
 « arbitrio exercendam quàm lberet, quo-
 « modo eam etlinet Græci et Romani exer-
 « cuerunt, sine magistratûs conscientiâ, sed
 « quam hæc duntaxat ratione excerceret, sacrâ
 « nempe capitis eorum devotione, ad ejus
 « executionem intervenire oportebat sacerdo-
 « tum operam et ministerium ; ad quos nim-
 « rùm pertinebat votorum cognitio, rerumque
 « Deo per Cherem sacratarum jus et pro-
 « prietas sive dominium ; Num. c. 18, v. 14 :
 « *Omne anathema in Israel tam erit. Quâ*
 « *sanctione sacerdotes iudices erant à Deo*
 « *constituti qui dispicerent et judicarent, an*
 « *vota illa essent legitimè, necne, concepta et*
 « *nuncupata, atque ita mors liberorum et ser*

conquisitis exemplis confirmare elaborant Deistæ.

Urgent 1° exemplum Abrahæ, cujus, inquit, promptus animus ad immolandum filium suum Isaac maximis extollitur encomiis. 2° Obijciunt legem de consecrandis Deo aut redimendis primogenitis, sive hominum, sive iumentorum : quæ legitur Exod. c. 13, v. 12 (1). 3° In eundem finem laudata est lex de prædæ primitiis dandis sacerdotibus Num. c. 51, v. 23 (2). 4° Ad confirmandam eandem

« vorum à parentibus et heris devotorum non
« simpliciter et nudè à parentum et herorum
« arbitrio et libidine pendebat, quandoquidem
« sacerdotum iudicium et sententiam inter-
« venire oportebat. Ita abusus crebatur, et
« simul parentes à liberis et heri à servis tantò
« majore in honore habebantur, utpote quos
« tantam viderent in se habere vitæ et necis
« potestatem, ut si libuisset ab uno oris ipso-
« rum verbulo vita et mors sua penderet. Hæc
« ratione magis in officio et debitâ erga pa-
« rentes et heros obedientiâ continebantur. »
Hanc etiam ejusdem legis rationem addit idem
auctor : « Deus sic forte voluit homines a
« pravo et quasi ingenito vitio et more deter-
« rere, quo solent trâre periculi diris et impre-
« cationibus devovere eos quibus malè vo-
« lunt... Quùm itaque Deus voluit eum morte
« affici, qui ab eo in ejus est potestate ana-
« themate devotus est, videtur voluisse tunc
« hæc sanctione abstertere parentes et heros à
« temerariis in liberos et servos diris atque
« imprecationibus, quibus non rarò solent
« commotiores in eos invehi. » Aliam tandem
rationem offert idem, quod hæc devotio esset
figura illius, quâ Christus factus est à patre
pro hominibus maledictum.

(1) « Separabis omne quod aperit vulvam
« Domino, et quod primitivum est in pecori-
« bustuis : quidquid habueris masculini sexûs,
« consecrabis Domino. Primogenitum asinæ
« mutabis ove : quod si non redemeris, inter-
« ficies. Omne autem primogenitum hominis
« de filiis tuis, pretio redimes... Nam cum
« induratus esset Pharao, et nollet nos dimi-
« ttere, occidit Deus omne primogenitum in
« terrâ Ægypti, à primogenito hominis usque
« ad primogenitum iumentorum : idecirco in-
« molo Domino omne quod aperit vulvam
« masculini sexûs, et omnia primogenita fi-
« liorum meorum redimo. » Hanc redemptionem
permisam animalium immundorum
atque hominum fuisse relaxationem quandam
legis asseruerunt quidam Deistæ.

(2) « Dixit quoque Dominus ad Moysem :
« Tollite summam eorum quæ capta sunt ab
« homine usque ad pecus, tu, et Eleazar sa-
« cerdos, et principes vulgi : dividesque ex
« æquo prædam, inter eos qui pugnaverunt
« egressique sunt ad bellum, et inter omnem
« reliquam multitudinem. Et separabis partem
« Domino ab his qui pugnaverunt et fuerunt
« in bello, unam animam de quingentis, tam
« ex hominibus quam ex bobus et asinis et
« ovibus; et dabis eam Eleazar sacerdoti,
« quia primitivæ Domini sunt, » etc

legem multum ponderis habere existimatur
votum Jephthæ, quod narratur Jud. c. 11, v.
30 (1). 5° 1 Reg. c. 15, cum Saül missus ad
delendum funditus Amalec, regi Agag peper-
cisset, à Samuele graviter jurgatus et re-
probatus à Deo fuit : « Dixitque Samuel :
« Adducite ad me Agag regem Amalec, et
« oblatum est ei Agag... et ait Samuel : Sicut
« fecit absque liberis mulieres gladius tuus,
« sic absque liberis erit inter mulieres mater
« tua. Et in frusta concidit eum Samuel co-
« ram Domino in Gulgalis. » Ex his ultimis
verbis colligunt adversarii eum ad altare im-
molatum fuisse. 6° Tandem objicitur hæc
textus Micheæ c. 6, v. 6 : « Quid dignum
« offeram Domino? Curvabo genu Deo ex-
« celso? Numquid offeram ei holocaustomata
« et vitulos anniculos? Numquid placari po-
« test Dominus in millibus arietum aut in
« multis millibus hircorum pinguium? Num-
« quid dabo primogenitum meum pro scelere
« meo, fructum ventris mei pro peccato ani-
« mæ meæ? » In quo loco humana sacrificia
inter alia licita rerum natura subest, jure

Respondeo gravissimam quidem esse accu-
sationem hanc, atque aptissimam ad alienan-
dos à lege Mosaicâ hominum animos, ac
propterea omni ope amovendam esse: non
quòd existimem ex eâ pendere causam reli-
gionis Judaicæ: nam sine dubio cædes qual-
viscumque ex lege supremi numinis, cujus im-
perio universa rerum natura subest, jure

(1) « Votum vovit (Jephthæ) Domino dicens :
« Si tradideris filios Annon in manus meas,
« quicumque primus fuerit egressus de foribus
« domûs meæ, nullique occurrerit revertenti
« cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum
« offeram Domino. Revertente autem Jephthæ
« in Maspha domum suam, occurrit ei umge-
« nita filia sua cum tympanis et choris : non
« enim habebat alios liberos. Quâ visâ, scidit
« vestimenta sua, et ait : Heu me! filia mea,
« decepisti me, et ipsa decepta es : aperui os
« meum ad Dominum et aliud facere non
« potero. Cui illa respondit : Pater mi, si
« aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi
« quodcumque pollicitus es, concessâ tibi ul-
« tione atque victoriâ de hostibus tuis. Dixit-
« que ad patrem : Hoc solum mihi præsta
« quod deprecor : dimitte me ut duobus mens-
« sibus circumcæm montes, et plangam virgi-
« nitatem meam cum sodalibus meis... ex-
« pletisque duobus mensibus, reversa est ad
« patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quæ
« ignorabat virum. Exinde nos increbuit in
« Israel, et consuetudo servata est ut post
« anni circulum conveniant in unum filia
« Israel, et plangant filiam Jephthæ Galaaditæ
« diebus quatuor. »

certissimo committi potest (1). Dicimus itaque per legem Leviticam nullatenus permessa fuisse humana sacrificia, neque ullam accedere huic sententiæ auctoritatem ex exemplis supra laudatis.

I. Lex Levitica humana sacrificia certissime non permittebat. In isto quippe c. 27, Lev. vv. 28 et 29, duplex distinguitur anathematis genus : unum v. 28, quod significabat sacrum donarium, quod numini seu in sacros usus devovebatur, et quod pecuniâ redimino debebat. Huic anathemati subjiciebantur tum res, tum personæ; sed hæc morte nequaquam afficiebantur : hæc ratione consecratus est Samuel à matre, antequam nasceretur, servitio tabernaculi. Alterum verò anathematis genus significabat id quod expressè jure belli devovebatur perditioni aut interneconie; cujus exemplum habemus in istis Josue c. 6, v. 17, de Jericho : *Sitque civitas hæc anathema, et omnia*

(1) Sed, ut habet Seldenus de Jure nat. et gent. l. 4 : « Ex hujusmodi devovendi, immo-
« landique libertate necesse fuisset, ut mirum
« in modum immueretur interdicti de homici-
« dio amplitudo, nec ulla ita prolis et servo-
« rum (à quibus neque in hæc lege alii qui-
« quam distinguuntur) vitam innocentia tueri
« potuisset; adeo ut ultroneum plane homici-
« dium, tum extra belli aut pœnæ rationem,
« tum citra fori sententiam, eorumque qui
« rebus præerant decretum, hæc in specie
« intra sacram illam rempublicam permitti
« inde esset concludendum. Nam quod Capel-
« lus addidit de sacerdotum interveniente hic
« sententiâ velut forensi, nihil habet id omni-
« nino quo nitatur, sive in lege sacrâ, sive in
« magistrorum commentariis; et certè si ha-
« beret, nihil aliud sequeretur, præterquam
« quòd pro devoventis et sacerdotum arbitrio
« extra causas jam dictas homicidium potuis-
« set patrari. » Neque rationes allatæ à Cap-
« pello talis legis savitiam excusant. Non illa
« quidem, quòd major em existeret liberorum
« erga parentes, et servorum erga dominos, re-
« verentia, quia hæc reverentia satis muniri
« potest aliis legibus minus inhumanis, neque
« gravioribus incommodis procranda est. Non
« etiam secunda, quòd Deus voluerit dominos
« et parentes avertere à diris et imprecationibus
« temerariis : quid? Estne sapientis legislatoris
« ea rãta habere, à quibus civis vult avertere?
« aut devotos à parentibus et hæreres liberos aut
« servos morte afficere, ut nulli sic devoveren-
« tur? Si malum sit devovendi propositum,
« imò inconsiderata qualisemque imprecatio,
« quantò majus malum, illas imprecationes te-
« merarias et devotations executioni deman-
« dare? Non etiam tertia ratio, quòd sacrificia
« illa humana typi essent Christi pro hominum
« salutis ad mortem traditi, quia hoc futurum
« Christi sacrificium satis belluarum eruentis
« mactationibus figuratum erat, nec per Reli-
« gionis cæremónias homines ad savitiam in
« ejusdem nature consortes erudiendi sunt.

*quæ in eâ surt, Domino; sola Rahab meretrix
« vivat; de hoc genere sermo est v. 29 (1). Vel
« si hanc distinctionem admittere quis nolit, sed
« utrumque versiculum de eodem anathematis
« genere intelligere velit, dici potest eas voces
« v. 29: *Morte morietur*, non esse vertendos, per
« eas, *jugulabitur, vel interficietur*; sed sic ut signi-
« ficent, personam devotam non redemptam in
« statu anathematis semper victuram et tandem
« in eo morituram, seu in eo usque ad mortem
« permansuram. Hunc quidem sensum habent
« istæ voces in quàmplurimis locis. Vid. Gen.
« 2, 17; Num. 36, 65; 4 Reg. 8, 10; Ezec. 5, 18,
« et 18, 15. Vel tandem servanda est versiculi
« 29 versio vulgata, ad quam revocari possunt
« Græca 70 interpretum et plures aliæ veteres, et
« legendum : *Omnis consecratio, quæ offertur ab
« homine, non ex homine, vel de homine : quæ
« lectio omnem tollit difficultatem.**

Quòd verò liberi à parentibus vel servi à do-
« minis anathematis voto consecrati, non essent
« immolandi, multiplice argumento patet. Primò,
« filios à parentibus Deo in holocaustum offerri
« vetat lex Deut. c. 12, v. 31 ubi Israelitæ mo-
« neuntur sub gravissimarum pœnarum commi-
« natione, ne Chanaanæorum infandos ritus æmu-
« lentur : *Non facies similiter Domino Deo tuo.*
« *Omnes enim abominaciones, quas aversatur Do-
« minus, fecerant diis suis, offerentes filios et filias,
« et comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc
« tantum facito.* Unde David Ps. 105, 37, qui
« benè legem intellexit, exprobrat Judæis quòd
« fuderint sanguinem innocentem filiorum suorum,
« quos sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Vide
« Jerem. c. 19. Et apud Ez. c. 16 declarat Deus
« se Judæos judicaturum esse *judicio effluentium
« sanguinem*, quòd sacrificaverant filios suos ido-
« lis. Existit etiam apud Isaiam c. 66, v. 5, tex-
« tus ex quo clarissimè colligitur humana sacri-
« ficia inter res abominabiles habita fuisse : *Hæc
« dicit Dominus... Ad quem respiciam nisi ad pau-*

(1) De duplici anathematis genere agi in duo-
« bus istis versiculis facile patet ex textu he-
« bræo, quem hoc modo rectè vertit Cl. Houbig.
« v. 29 : *Sed si quis de his quæ possidet, anathe-
« mate aliquid voverit, seu hominem, seu jumentum,
« aut agrum hæreditate captum, id non venditur,
« neque redimetur; omne id, quòd anathemate obli-
« gabitur, erit sacrosanctum, et Domino cæset. V.*
« *2.) Quicumque ex hominibus anathemate devotus
« fuerit, non redimetur, sed morti dabitur.* Per ho-
« mines verò anathemati isti obnoxios intelligen-
« di videntur uti Chanaanæi, quos jussisset Deus
« ad interneconem deleri. Neque enim jus vita:
« et necis Judæi habebant in suos vel liberos,
« vel servos, ut patet ex Exod. c. 21, v. 26, Le-
« vit. 25, v. 39, 55.

*periculum et contritum spiritu et trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excrescere canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Cujus loci hic sensus est, quod sacrificia legitima sine interiori virtute Deo abominationi sint, haud minus quam sacrificia detestanda hominis, canis, sanguinis suilli et benedictio idoli. Secundò, quia juxta constantissimam omnium Judaeorum veterum et recentiorum sententiam nemo potest vovere, multò minus anathemate devovere, nisi quod suum est. Atque ex hoc principio rectissimè concludunt doctores Judæi in Misna liberos et servos Hebræos nullo modo devoveri posse: « Si quis anathemate, inquit, devoveret sive filium suum, sive filiam, sive servum, sive ancillam ex Hebræis » (nam ejusmodi servi ex lege libertatem pristinam post certum tempus elapsum expectabant, adeò ut ipsi in perpetuum alienari nequirent) « sive agrum ad tempus conductum, anathemata non sunt, quia nemo potest anathemate devovere id quod planè suum non est. » Unde juxta eos soli servi Chananaei anathemate devoveri poterunt; et cum heri etiam in hos nullum jus vitæ et necis habuerint ex lege Moysis, juxta eosdem per consecrationem eorundem nihil evenit, quam ut totum jus quod in eos antea domini consecratis erat, jam sacerdotibus et usibus sacris cederet, nempe potestas jubendi et utendi eorum operis assiduis, quæ nec redimi poterunt. Tertio, si humana sacrificia à lege permitterentur, et ut Deists placet, haberentur à Judæis, ut actus religionis excellentissimi, admirationem certè nostram habere debet, quod Deo Israel nunquam tales fuerint oblatæ victimæ, cum idolis gentium toties istas obtulerint. Habemus 1 Reg. c. 4, exemplum ejusmodi voti edui à matre Samuelis; qui secundum hoc votum, quod ipse sine dubio postea ratum fecit, non morte affectus, sed tabernaculi servitio consecratus est. *Commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*, dicebat Anna mater.*

II. Ex exemplis in objectione laudatis nullam habet confirmationem contraria sententia. Primò, non ex facto Abraham: nam Abraham non proprio motu ad hoc sacrificium sese accinxit, velut excellenti religionis officio perfunderetur; non ex terrore aliquo ad placandum numen, uti solebant idololatræ in calamitatibus; sed expresso Dei jussu excitatus, eo tem-

pore quo magis securus erat divinæ amicitiae, et amplissimæ promissiones sibi et filio suo factæ fuissent, adeoque fide plenus non dubitavit Deo sese, filiumque committere, *arbitraris quia et à mortuis suscitare potens est Deus*. Cùmque post expertam Abraham fidem et obedientiam, aliam victimam Deus suppeditavit, satis declaravit nullo modo sibi gratas esse humanas victimas, sed illam præceptionem fuisse ad obedientiæ probationem, et revelationem dei Domini, quam *videre desideraverat, vidit et gavisus est*. Secundò, lex de consecrandis Deo primogenitis ridiculè in confirmationem affertur, cùm expressè illà lege jubeatur ut primogeniti hominum redimantur. Neque primogeniti ante redemptionem mactandi erant, sed Deo erant sacri ut sacerdotio et muneribus religionis perfunderentur, antequàm eorum loco in suum famulitium gentem Leviticam assumpsit Deus. Tertio, in lege etiam de prædæ primitiis dandis sacerdotibus et Levitis ne verbum quidem est de hominum immolatione; sed illa solummodò cavetur, ut prædæ pars quinquagesima Levitis, quingentesima sacerdotibus tribuatur. Sicut asini et captivi cæteris tribus distributi in earum usum cedebant, ita quoque captivi et animalia Levitis dati sunt, non ut jugularentur, sed in servitutem. Quarto, ex exemplo etiam Jephthæ nihil colligi potest. Nam ii omnes, qui putârunt Jephtham reverà filiam suam in holocaustum obtulisse, unanimi voce affirmârunt illum obtulisse ingratham Deo victimam contra legis præceptum, nimio studio æmulatum vicinarum gentium, et speciatim Ammonitarum, adversus quos bellum gerebat, perversos mores; vel deceptum more illo anathematis prælii prævii, quo hostes, vel cives, qui jura militaria anathemate præstita violarent, interneceioni devovebant, temerè anathemate illigasse tam personam, quam animal quodecumque ei post victoriam occurreret. « Si consulisset, inquit Chaldaeus Paraphrastes Jud. 41, 59, Phinees sacerdotem, redemisset eam pecuniis. » Idemque tradit « addictam fuisse sanctionem illam seu statutum, ideò nè quis immolaret filium suum seu filiam, quemadmodum fecerat Jephthæ. »

At longè nobis verisimilior opinio videtur virginem Deo quidem consecratam, nullatenus verò immolatam fuisse; nam huic solum sensum patitur textus Hebræus, ut patet ex accuratâ ejus versione adornatâ à Cl. Houb. J. 2, p. 124: « Votum autem vovit Domino Jephthæ, sic dicens: Si mihi trades filios Ammon, id

« quod foribus meæ omnis mihi à filiis Ammon
 « in pace redeunt primùm occurret, erit
 « Domino sacrum; ego id offeram pro holo-
 « causto... Jephthe revertetur Maspha in do-
 « mum suam. Ecce verò filia ejus ibat ci ob-
 « viam cum tympanis et choris. Eam autem
 « filiam unicam habebat; non erat ei, præter
 « eam nec filius, nec filia. Is eam ut conspe-
 « xit, scidit vestes suas, dixitque: Heu! filia
 « mea, quo tu me gradu nunc dejicis! Tene
 « ex his esse, qui me conturbant! Ego enim
 « aperui ante Dominum os meum, nec pote-
 « ro verbum revocare. Illa ei respondit: Mi
 « pater, aperuisti ante Dominum os tuum;
 « fac mihi ut locutus es, postquam dedit tibi
 « Dominus, ut de inimicis tuis filiis Ammon
 « ultionem sumeres. Sed patri suo hæc dein-
 « de locuta est: Hoc tantum, quæso, liceat
 « mihi: dimitte me menses duos, ut abeam
 « digrediarque ad montes; ibi meam virgini-
 « tatem deshebo cum meis sodalibus (1). Ille ei:
 « Vade, inquit; dimisitque eam duos men-
 « ses. Illa igitur digressa cum suis sodalibus
 « virginitatem suam in montibus deshevit; et
 « mensibus duobus transactis ad patrem rever-
 « sa est, qui fecit ei, sicut voverat (2); itaque
 « illa virum non cognovit. Sed iste mos apud
 « Israel invaluit (3), ut virgines Israel tempo-
 « ribus diversis irent ad filiam Jephthe Galaadi-

(1) « Petit virgo, filia Jephthe, ut liceat sibi
 « desheere virginitatem, non vitam creptam; ita-
 « que aperte jam demonstrat id, quod adhuc se-
 « quentia declarabunt, se esse virginitati, non
 « mortu devovendam. »

(2) « Fecit ei sicut voverat, sive eam Domino
 « sacravit. Nam dixerat Jephthe: ויהי ליהוה, erit
 « Domini (id quod mihi redeunt primùm occurret);
 « addidit Jephthe: והעליתיה עולה, et id offe-
 « ram in holocaustum, quod etiam in filia fecit,
 « virgine in perpetuum mansurâ. Nam עלה
 « holocaustum, de victimâ dicitur, quæ Domino
 « tota dicatur et consecratur, et habet non modò
 « holocaustum proprie dictum, sed alias etiam
 « victimas, quæ non totæ igne adolebantur, ut
 « ad Pentateuchum non semel observavimus: ut
 « planum sit verbo holocaustum eos aluiti, qui sibi
 « persuadent fuisse Jephthe filiam, tanquam pe-
 « cudem, in altari crematam et assumptam: quos
 « à tali sententiâ deterrere vel ipsa religio de-
 « huerat, cum non ignorarent Deum velasse ne
 « Israelitæ filios aut filias suis immolarent, ut
 « facebant dus suis gentes Israelitis inimicæ...
 « ויהא לה ירעה אש, illa autem non co-
 « gnovit virum. His verbis sole clarus declaratur,
 « ut votum Jephthe fuerit impletum. Nam si filia
 « Jephthe fuisset mactata, ineptum foret ac prope
 « fatuum, monere eam non posthac virum
 « cognovisse. Etenim, ut observat Clericus, non
 « potuit nubere mox ingulanda. »

(3) « ויהי דתן בישראל, et fuit statutum
 « in Israel, sive ille mos invaluit, ut irent virgi-

« tis, ut eam quotannis dies quatuor consola-
 « rentur. » Verba ergo illa, et fecit sicut vo-
 « verat, intelligenda sunt de filia consecratione,
 « non de immolatione. « Fecit ei domum, inquit
 « David Kimeli, et introduxit in eam, atque ibi
 « remansit seclusa à filiis hominum et à rebus
 « secularibus. Atque statutum seu mos invaluit,
 « ut quotannis eam inviseret Israelitides. » At-
 « que hinc causa fuit juxta Ben Gersom, cur
 « vestimenta laceraret Jephthe atque tantum do-
 « leret, quamprimum filia ei visa est: nempe
 « eam, quæ ei unica erat proles, jam sciebat à
 « viri consortio in perpetuum secludendam, adeò
 « ut de posteris ex eâ suscipiendis spes non es-
 « set reliqua. Cui interpretationi maximam sine
 « dubio confirmationem affert, quòd virgo duo-
 « rum mensium intervallum exoraverit, non ad
 « lugendam acerbissimam et immaturam mor-
 « tem, sed virginitatem suam. Si quæras quo
 « jure Jephthe filiam in perpetuum consecraverit,
 « dicam, planè nullo jure: nam hanc potesta-
 « tem patribus nullibi concedit lex, nullum quo-
 « que est ejus vestigium in corpore Talmudico
 « aut apud jurisconsultos celebriores: quin apud
 « doctores Judæos receptissimum est filium aut
 « filiam ita sacrari nequissime, ut ipsi sacerdoti-
 « bus aut sacris usibus ex parentum voluntate
 « et voto cederent: æstimationem autem et preti-
 « um sive filii, sive filia, sive alterius cujus-
 « cumque (modò excipias servos et ancillas ex
 « gentilibus) consecrati, sacerdotibus solven-
 « dum præscribit lex Levitici c. 27, v. 2, non
 « ipsos addicendos. Quin et qui ipsi se devove-
 « rant, etiam se redimere potuerunt. Samuelis
 « consecratio nullo modo contrarium evincit:
 « nam et ipse Levita erat atque eo nomine et à
 « natalibus Domino sacer: atque censetur ipsum
 « matris votum libenter sacra præstando minis-
 « teria solvisse. Unde hæc verba Jephthe: *Aperui
 « os meum Domino, neque potero revocare*, ostendunt
 « illum in perversâ fuisse de hac re opinio-
 « ne. Vide Seldenum de Jure nat. et gent.

Quartò, ex istis verbis: *In frusta concidit
 eum (Agag) Samuel coram Domino in Galgalis*,
 nullo modo colligi potest Agag regem Amal-
 nes Israel quotannis ad Jephthe virginem, ut
 eam consolarentur. Nihil est in sacrâ paginâ
 cur credamus cum morem, Jephthe filia mor-
 tuâ, fuisse adhuc conservatum. Imò disertò
 dicitur virgines Israel ivisse (ירכנה, *ibant*) ad
 ipsam Jephthe filiam; non enim notatur alius,
 quòd irent, locus. Itaque fabulam narrat, ex
 voto Jephthe prævè intellecto, qui commiscuitur
 constitutum fuisse placentum apud Israel
 ferè similem ei, qui apud ethnicos habebatur
 in placentu Adonidis. »

innotatum fuisse in sacrificium super altare, cui imposita erant frusta ejus corporis. Quia primum vox Hebraea quæ vertitur, in *frusta concidit*, hoc solo loco in Scripturis invenitur, unde non est terminus sacrificiis aptus et à Chaldæo interprete vertitur per aliam vocem, quæ significat, *diffundere, discernere, scindere*. Illæ aliæ voces, *coram Domino*, significant solummodò, prophetam cum magnâ animi constantiâ in Dei præsentia regem Amalec occidit jussisse: vel si supponatur altare extractum fuisse in Galgalis, hæc verba significabunt solummodò hæc peracta esse in loco, ubi sacra facta fuerant Deo. Quintò, ridiculè in rem suam pulcherrimum Michæ locum laudant adversarii, in quo non recensentur varia sacrificiorum genera, quæ ipsis lege permessa erant; sed ea quæ Israelitæ corrupti et depravati ethnicis superstitiosis maximè salutaria et efficaciora existimare poterant ad conciliandum Deum; et inter alia recenset sacrificia humana quæ sæpius Israelitæ idolis obtulerunt in valle Ennon: negat hæc omnia, quæ apud eos in usu fuerant, et quæ efficaciora putaverant, ullam habere vim ad placandum Deum: *Judicabo tibi*, pergit propheta, *quid sit bonum et quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo*. Quàm hæc præclara, quàm sancta sunt!

§ 2. De legibus cæremonialibus.

Sustinuit in omni ævo hæc legis Mosaicæ pars calumnias impiorum hominum, quibus hæc circa res minutissimas instituta visa semper sunt divinâ indigna gravitate: ita Celsus olim et post eum omnes deistæ. Nullam prorsus perspicunt in illâ rituum multitudinem, vel utilitatem, vel dignitatem: longius etiam progressi docuerunt ex illis quidam, nulla posse Deum dare hominibus præcepta aliâ, nisi quæ in immutabilibus rerum relationibus posita sunt. Horum redarguimus temeritatem in aliâ hujus operis parte, ubi ostendimus non tantum jure posse Deum hominibus injungere præcepta positiva, sed multiplicem eorum etiam utilitatem esse confestim. Hic demonstraturi sumus illis ita displicere præcepta illa Mosaica ritualia ob nullam aliam rationem, nisi quòd earum causas perdere nolunt, nullamque esse partem istius legis veteris, quæ divinæ originis notas vel plures vel clariores ferat.

Quamplurimi inter Judæos et inter Christianos etiam nonnulli, ansam Deistarum calumniæ non levem dederunt, dum statuerunt le-

ges eas omnes sine causâ speciali datas et earum rationem nullam extra summi legislatoris voluntatem querendam esse: sed longè abist, ut eum, cui ratio nomen, tot Ecclesiæ suæ leges sine ratione dedisse credamus; et sapientiam ipsam, per quam principes jus decernunt, jura mente et consilio vacua scribere voluisse. Si in mundi opificio inconsultum nihil reperias vel otiosum, nullas leges supervacaneas, quo nisi in principio statuemus merè arbitrarias leges posuisse Deum, quibus vita hominum regeretur? Inquinè rectè adversus ethnicos argumentabatur Arnobius 1. 7: « Si quæcumque ab hominibus sunt, maximè in re sacrâ, debent habere suas causas, nec sine ratione est quidquam in negotiis omnibus et in omni administratione faciendum; edisserite nobis et dicite, quæ sit causa, quæ ratio, ut ritibus hinc deos propitiis.... nisi ratio cur quid fiat in sacris ostendatur, et expositam sui causam habeat, jam non illud errori objiciendum est ludicro, sed ut dicatur expressius, insanis, dementiæ, cæcitati. » Illa igitur sententia fidem tam facilem invenisse apud aliquos videtur, quòd minimè assequerentur quorsum Deus tot leges de rebus per se nec bonis nec malis conderet, et earum violationem poenis tam gravibus coerceret: ideoque asserere maluerunt Deum sine ratione leges illas statuisse, quàm earum rationem captum suum superare. Verùm post lucem huic argumento allatam a doctissimo Maimonide, quem commentati sunt egregiè quidam recentiores, nullatenus licet dubitare quin singulis ritibus sancientis causa fuerit specialis. Demonstrârunt siquidem cum maximâ eruditione ritus istorum temporum supersticiosos occasionem plerisque institutis cæremonialibus dedisse, totamque legem rituales in minutissimis suis partibus præsentia remedia idololatris attulisse, ipsiusque radices omnes atque surculos amputasse. Atque his suis laboribus egregiè rem religionis revelatæ promoverunt. Nam legum primò divinarum honorem vindicârunt à contemptu impiorum hominum, qui easdem tanquam asinorum onera et labores otiosos spernebant. Secundò, multam lucem sacris Scripturis attulerunt, quæ propter incognitas rationes legum in multis partibus obscuræ manserant, quæ obscuritas occasionem inanibus multis atque frigidis allegoriis præbuit. Tertio, quia cognitio rationis harum legum plurimum prodest ad libertatem christianam asserendam, et refellendos eos qui gravi Judæorum jugo vitam credu-

lorum oppriment: quorum judaïsantium Christianorum fuit ab Apostolorum ætate ad hunc usque diem semper ingens multitudo. Hæc in tuendis Judaicis cæremoniis pertinacia legum Judaicarum et consilii divini in ferendis illis ignorantia principia sua debuit: nam impossibile esset, ut homines anxii religione circa Judaica illa versarentur, si leges Mosaicæ ex causâ peculiari et temporariâ datas intelligerent. Quartò, quia cognitio illa haud parùm confert ad Judæos erroris crassissimi convincendos, eosque ad Christi gregem alliciendos. Ideò enim tam immenso legum suarum zelo flagrare, et earum perpetuitatem inter fidei suæ articulos numerare solent, quòd earum causas nesciant, easque è Dei potius voluntate, quàm seculi Mosaicæ conditione fluxisse sentiant. — Verùm si error sit asserere totè divinarum legum nullas fuisse rationabiles causas, est quique magna vanitas quorundam querentium in singulis institutorum circumstantiis ac partibus rationem specialem (1).

Possemus hoc loco ostendere fidei nostræ mysteria per medias rituum Judaicorum umbras transparentia et Messiaè olim venturi varia munera in illis designata; at hæc aliàs: hic solummodò animus est ritualis legis causas querere in circumstantiis, in quibus positi erant Judæi Moysis temporibus; et ex fine proximo et immediato ejus sapientiam concludere. Certè nullum dubium esse potest quin generalis harum observantiarum finis, ut et omnium religiosarum cæremoniarum, fuerit interior animi sanctitas; at erat quoque alter specialis, nempe abolitio idololatricæ: quod, ut

(1) De hæc re egregiè disseruit Marmonides in More Nevochim. Oblatio hostiæ, ait, magnam habet utilitatem: sed quòd hostia una debeat esse agnus, alia aries, et quòd numerus ipsarum sit certus et definitus, ejus ratio nulla dari potest; et qui laborat alienjus similibus circumstantiis rationem reddere, is meo judicio est amentissimus, neque absurditates à se removel, sed potius auget. Is enim æquè longè abest à veritate, qui credit istiusmodi particularia habere rationes, atque is qui credit totum præceptum nullam habere utilitatem. At scito quòd sapientia requirit, vel si mavis, necessitas postulet, ut talia in præceptis existant, quæ nullam rationem habent; et quòd res quasi impossibilis sit in lege, ut hujus classis res aliqua in illâ non existat. Modi hujus impossibilitatis sunt isti: quare illa oblatio debet esse agnus, et non aries? Eadem quæstio mansisset, si loco agni positus aries: nam necessariò species aliqua esse debuit. Ita si quis dicat: Quare debent esse septem agni, et non octo? idem queri posset si fuissent octo vel decem vel viginth.

præstemus, tria conficienda sunt: 1º Judæos fuisse olim penè ad insaniam propensos in idololatricos cultus Ægyptiorum, aliorumque populorum; ad quam cohibendam legis ritualis multiplices cæremoniæ planè erant necessariæ 2º Legem rituleam reverè ad Judæos ab idololatriâ avocandos institutam fuisse. 3º Ad hunc finem inventam esse sapienter, seu illi valdè accommodatam fuisse.

PROPOSITIO PRIMA.

Israelitæ tempore Moysis et post illius legislati rî mortem, fuerunt idololatriæ atque superstitionibus ethnicis addictissimi.

PROBATIO. — I. Id patet ex Moysis turditate in legatione divinâ suscipiendâ et rationibus ab illo allatis. Postulavit primùm ille legislator, ut Deus sibi nomen, quo vocari vellet, indicaret: *Ecce ego*, inquit, *radam ad filios Israel, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos: si dixerint mihi, quod est nomen ejus? quid dicam eis?* Ex quâ Moysis interrogatione patet Israelitas fermè oblitos Dei veri, totosque fuisse delitos Ægyptiorum diis. Claret etiam magis ex obstinatâ Moysis reluctantiâ, siquidem postquàm Deus dignatus fuerat sibi nomen Jehova assumere, dixit Moyses: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Cùmque hanc difficultatem, concessio miraculorum dono, elevasset Deus, addidit Moyses: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Ex quibus omnibus manifestum est Moysen arbitratum esse rem difficillimam, populum ab Ægyptiacis superstitionibus avocare. Deinde si consideremus quomodò erga Moysen se gesserit populus in Ægypto et in solitudine, ejusdem veritatis infinita reperiemus argumenta. Cùm Moyses et Aaron congregavissent seniores filiorum Israel et signa fecissent, credidit quidem populus et proni præ stupore adoraverunt omnes: sed statim atque viderunt omnia non procedere ex consilio, magnis clamoribus conquesti sunt. Et etiam post patrata maxima in eorum gratiam miracula jussi à Moysè purificare sese non paruerunt, ut ex ipsis Dei verbis Ez. c. 20, v. 5, licet colligere (1).

(1) Hæc dicit Dominus Deus: In die quæ elegi Israel... et levavi manum meam pro eis ut educerem eos de terrâ Ægypti, in terram quam provideram eis, fluentem lacte et melle, et dixi ad eos: Unusquisque offensiones oculorum suorum abiciat, et in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester. Et irritaverunt me, nolueruntque me audire, unusquisque abominaciones oculorum suorum non protexit, nec idola Ægypti reliquerunt. Et dixi,

Cùm ad mare Rubrum pervenissent, clamaverunt, ut tradit Moyses Ex. 14, v. 12 : *Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede à nobis ut serviamus Ægyptiis, multò enim melius servire eis, quàm mori in solitudine.* Quotiescumque rei alicujus inopià laborabant, dicere solebant : *Utinam mortui fuissimus per manum Domini in terrà Ægypti* (scilicet cum primogenitis Ægyptiorum), *quando sedebamus super ollas carniùm, et comedebamus panem in saturitate.* Cùm Moyses diuturniorem moram in monte fecisset, statim vitulum aureum apud Ægyptios notissimum simulacrum conflaverunt et redeundi in Ægyptum consilium ceperunt. Ita etiam cùm ad limites terræ Chanaan perventum esset, clamàrunt : *Utinam mortui essemus in Ægypto: dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem et revertamur in Ægyptum.* Ex quibus omnibus et ex Moysis frequentissimis conviciis et expostulationibus luce clarius est, Israelitis erga Ægyptum, Ægyptiacosque ritus, dùm viveret ille legislator, propensissimum semper animum gessisse.

II. Post mortem Moysis in terrà Chanaan, fluente lacte et melle, cùm non ampliùs tenerentur desiderio carniùm Ægypti, tamen superstitionibus veterum dominorum addicti permansère, uti nobis auctor est Ez. c. 2, v. 8 : *Insuper et fornicationes suas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit. Nam et illi dormierunt cum eà in adolescentià suà, et illi confregerunt ubera pubertatis ejus, et effuderunt fornicationem suam super eam.* Itaque post tot miracula in eorum gratiam patrata necesse fuit, ut admoneret eos Josùe mortì proximis hìsce verbis c. 24, v. 14 : *Nunc ergo timete Dominum, et auferite deos quibus servierunt patres vestri in Mesopotamià et in Ægypto, ac servite Domino.* Dicitur quidem quòd servierunt Domino cunctis diebus Josue et seniorum qui longo post eum tempore vixerunt et noverant omnia opera Domini quæ fecerat cum Israel. Sed additur etiam post generationem illam surrexisse alios, *qui secuti sunt deos alienos, deosque populorum qui habitabant in circuitu eorum.* Post constitutos reges et conditum splendidissimum Deo templum, in quo religionis Mosaicæ cæremoniæ cum maximà

ut effunderem indignationem meam super eos, ut implerem iram meam in eis in medio terræ Ægypti, et feci propter nomen meum, ut non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, et inter quas apparui eis, ut educerem eos de terrà Ægypti; eieci ergo eos de terrà Ægypti, et eduxi eos in desertum. »

pompà peragebantur, eandem servaverunt erga ethnicos ritus propensionem, ut constat ex totà historià Judaicà; ita ut illis exprobret Jeremias c. 2, v. 28 : *Secundùm numerum civitatum tuarum erant dii tui, Juda.* Imò eos imitatos esse omnium fermè gentium et præsertim Ægypti ritus idololatricos patet ex visione Ezechielis descriptà c. 8 (1).

Ita demùm Ægypti amore flagrabant Hebræi, ut cùm Jeremias Propheta miseris populi reliquis, post excidium, securitatem pollicitus Dei nomine fuisset, et extrema esset comminatus, si patriam tellurem relinquerent : *Responderunt: Nequaquam; sed ad terram Ægypti pergemus, ubi non videbimus bellum, et clangorem tubæ non audiemus, et famem non sustinebimus, et ibi habitabimus.* Fuit ergo populus Judaicus in cultus idololatricos singulari ratione semper propensus, non solum ætate Moysis, sed usque ad urbis primum excidium.

Objicies : Hæc propositio non parùm videtur minuire vim illius argumenti, quo supra confecta est divina Moysis legatio. Nam posità hujus propositionis veritate, planè sequitur nunquàm Judæos persuasos fuisse divinæ originis legis Moysis, nec fidem dedisse ejus miraculis. Nam quis putet Judæos, si suam legem

(1) « Et introduxit me, inquit propheta, ad ostium atrii; et vidi et ecce foramen unum in pariete, et dixit ad me : Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium unum; et dixit ad me : Ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio et universa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et 70 viri de senioribus domus Israel, et Jezonias filius Saphaa stabat in medio eorum stantium ante picturas; et unusquisque habebat thuribulum in manu suà, et vapor nebulae de thure consurgebat. Et dixit ad me : Certè vides, fili hominis, quas seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui. Dicunt enim : Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. » Continent prædicta verba cellæ Ægyptiacæ accuratissimam descriptionem; deinde pergit propheta in describendis idololatriis in quibus Phœnicis imitabantur Judæi : « Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis abominationes majores his, quas isti faciunt. Et introduxit me in atrium Domini quod respiciebat ad aquilonem, et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem. » Et denique Pericæ superstitio hìs verbis describitur : « Et dixit ad me : Adhuc conversus videbis abominationes majores, quas isti faciunt. Et introduxit me in atrium domus Domini interiorius : et ecce in ostio templi inter vestibulum et altare quasi 25 viri, dorsa vestiebant contra templum Domini et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. »

divinam credidissent, tam constanter ritus Ægyptiorum aliarumque gentium colere voluisse? Ergo, etc. — Respondeo ex hâc Judæorum ad captivitatem usque Babylonicam in idololatricis cultus perpetuâ propensione nullatenus minui, sed potius confirmari legis auctoritatem, quia nunquam in suis ad ethnicos cultus defectionibus legem Moysis rejecerunt aut aliquam ejus partem abrogârunt; sed abductus fuit in errores ille populus impiè superstitiosus exemplis potius vicinorum populorum et novellis quibusdam impurisque ritibus, qui plebis animos multò magis solent allicere, quàm sanctitas religionis nudata carnalibus blanditiis; quos impuros ritus cum religione Mosaicâ conjungebant (1).

Si quæras causas tantæ in Israëlitis insaniz

(1) Confirmant id clarissima Prophetarum testimonia. Jeremias cap. 7, v. 9, sic eos alloquitur Dei nomine: « Confiditis in sermonibus mendacibus, furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libere Baalim et ire post deos alienos quos ignoratis; et venistis et stetitis coram me in domo hæc, in quâ invocatum est nomen meum, et dixistis: Libere rati sumus..... Faciam domui huic in quâ invocatum est nomen meum, et in quâ vos habetis fiduciam..... sicut feci Silo, et proieciam vos à facie meâ. » Et in alio loco eosdem idololatrias sic loquentes inducit: « Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? Quæ iniquitas nostra? quod peccatum nostrum quod peccavimus Domino Deo nostro? Et dices ad eos: Quia dereliquerunt me patres vestri, et abierunt post deos alienos, et vos scelus operati estis. » Sed numquid, quæso, ita loqui potuissent illi idololatriæ si Deum suum omnino abjecissent? Ezechiel etiam c. 14, apertissimè declarat eorum impietatem in eo positam fuisse, quòd religionem Mosaicam cultûs externi commixtione polluerint: illum prophetam sic alloquitur Deus: « Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis..... Numquid interrogatus respondebo eis? propterea hoc loquere eis, et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo de domo Israel, qui posuerit immunditias suas in corde suo..... et veniat ad prophetam interrogans me per eum; ego Dominus respondebo et in multitudine immunditiarum suarum. » Et in alio loco idem propheta hujus rei exemplum affert: « Cum idolis suis fornicati sunt, sed et hoc fecerunt mihi: polluerunt sanctuarium meum in die illâ, et sabbata mea profanaverunt; cum immolarent istos suos idolis suis, et in die illâ ingredierentur sanctuarium meum ut polluerent illud: etiam hæc fecerunt in medio domus mee. » Hincque constantissime apud Prophetas idololatria Judæorum adulterium nuncupatur, quia cum Deo essent solemniter mancipati ejusque jus agnoscerent, tamen deos alienos ignavè et perfide in consortium divini nominis adsciscabant.

et stupiditatis, dicam nullas alias esse quærendas præter pravam consuetudinem, exempla vicinorum populorum et quædam præjudicia istis temporibus valdè communia. Nempe populariserat opinio universum orbem terrarum inter deos partitum esse et unicuique partem obligisse: hinc in quæcumque veniebant regionem præter deos patrios sacra etiam facebant illis quos vocabant indigetæ; ideòque Moyses his verbis Judæos adinonere necesse duxit: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, et habitaveris in terra earum, cave ne imiteris eas aut requiras ceremonias eorum, dicens: Sicut coluerant gentes istæ deos suos, ita et ego colam.* Deinde deos omnes necessitudine quâdam conjunctos existabant, nec minus cultum alteri fuisse contumeliosum. Præterea rudis et inculta plebs ex eventibus de deorum virtute judicabat, eumque populum meliores et fortiores deos habere putabat, cujus res maximè florebat, hincque profluit illa ad eò constans erga Ægyptiaca sacra Hebræorum propensio, quia Ægyptus semper fuerat ab antiquissimis temporibus regnum florentissimum. Denique per excessum peccare non posse se credebat ignarum et superstitiosum vulgus, sed quò plures colebat deos, eò plures habiturum protectores. Hæc quidem opiniones stultæ sunt et parum dignæ illo populo ad sanctissimam religionem instituto; sed si consideremus, quòd hæc præjudicia apud gentes omnes alias obtinuerent, potius causam admirandi habemus, cur Judæi in tam universales errores non prorsus antierunt, quàm quòd gentilium ritus cum suis cæremoniis quandoque copulaverint. Certè quòd in hæc tantâ superstitione legis quoque suæ memores fuerint et in eâ præsertim gloriarî soliti essent, præter textum Prophetarum supra citatos, nullum dubitandi locum relinquit hæc Jeremiæ expostulatio c. 8: *Quomodo dicitis: Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est?*

PROPOSITIO II.

Lex cæremonalis ad veræ religionis præsidium, depe'ndamque illam tam communem idololatriæ pestem, quæ etiam animos Hebræorum infecerat, inveniata et lata est.

PROBATIO. — 1^o Huic veritati multùm præsidii præbere visum est SS. Patribus caput 20 Ezechielis: ibi enim Deus populo in memoriam revocat idololatriam illam, quâ dùm in Ægypto viverent seipsos polluerunt, v. 4, 7

et 8. Deinde memorat leges illas morales quas illis Ægypto nuper egressis dederat, versibus 10, 11 et 12. Postea gentis istius contumacis mores et ingenium distinctè refert, quòd scilicet statuta sua sperneret, minas et promissa nullius æstimaret, et quòd naturam et consuetudinem suam exuere nescia, ritus et deos Ægyptios pertinaciter retineret. Hisce memoratis subjungit v. 23 : *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent.* Adèd ut textus ille interpretandus sit, juxta eorum mentem, quasi Deus prophetam in hunc modum allocutus fuisset : Israelitis ab Ægypti servitute nuper liberatis leges dedi non servis, sed ingenis dignas, utpote nativâ suâ bonitate commendabiles et vitam obtemperantibus allaturas ; cùm autem leges illas, utpote moribus eorum dissonas, violarent et in cultum idolorum perpetuò ruerent, tandem leges alias posui, sua quidem naturâ non bonas, sed quasi jugi loco forent, quo rigidæ cervicis populi contumacia frangeretur, et omnis ad Ægypti mores redeundi libertas et occasio tolleretur. Ita illum locum interpretati sunt S. Justinus, Origenes, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Theodoretus et alii, quorum textus videre licet in Historiâ ecclesiasticâ Natalis Alexandri t. 1.

Ad idem efficiendum afferri solent verba Apostoli ad Gal. cap. 30, qui postquam asseruisset promissiones factas Abrahæ fuisse solummodò in Christo adimpletas, nec hæreditatem consecutos esse Judæos, ait : *Quid ergo lex ? propter transgressiones posita est* (seu superaddita est) *donec veniret semen, cui promiserat.* Lex cæremonialis cui superaddita fuit ? Religioni sine dubio Patriarcharum ? Respondet Apostolus, id factum esse propter transgressiones donec veniret semen, id est, propter superstitiosos mores istorum temporum et gliscentem ubique etiam apud posteros Abrahæ idololatriæ pestem ; ideòque rectè subjungit : *Sub lege custodiebamur conclusi*, id est, separati et divisi à cæteris ethnicis gentibus.

2^o Fulcitur hæc nostra conclusio auctoritate SS. Patrum. Inter eos Tertullianus libro de Cibis Judæorum hæc verba habet : *Lex ad hoc filiis Israel data est, ut per illam proficerent et redirent ad bonos mores, quos cùm à patribus accepissent in Ægypto propter consuetudinem barbaræ gentis corruerant.* Eadem habet Eusebius in *Demon. evang. lib. 1* : *« Vetus Testamentum, inquit, lapsis à majore*

rum pietate Judæis vitamque Ægyptiacam ac mores æmulantibus, et ad errorem cœlendi multos deos superstitionemque gentium declinantibus freni loco impositum est, ut eos qui ceciderant excitaret, et præcipites ruentes in rectum duceret. » Clariora sunt ejusdem verba cap. 6 : *« Moysis lex, inquit, ingressa est, quasi pueriliū imperfecularumque animarum curatrix quædam et gubernatrix, aut etiam instar medici ejusdem, universæ Judæorum nationi gravi Ægyptiaco morbo laboranti tradita est : nam quæcum Ægyptiis versantes post SS. Patrum morem ad morum Ægyptiacorum similitudinem allecti sunt, et ad multorum deorum superstitionem deciderant, adèoque quidem ut Ægyptiis per omnia similes tum in errore simulacrorum, tum in aliis quoque facinoribus evasisse viderentur, quasi ex profundo malorum ipsos eruens Moyses ab impiè deorum multitudine amovit, et ad opificem univèrsi Deum deduxit, primum illum gradum pietatis in præceptis legalibus, tanquam tot vestibulis et introductionibus ad perfectiora, præstruens.* » Denique S. Chrysostomus Comm. in Isaiam cap. 1, scribit : *« Præcepta ritualia ideò data fuisse, ut per assiduum eorum observantiã à cultu dæmonum et idolorum Judæi abducerentur, non propter utilitatem ex eorum observantiã prodeuntem.* » Eadem est communis sententia aliorum ferme omnium SS. Patrum, quorum testimonia videre licet in Hist. ecc. t. 1 Nat. Alex.

3^o Eandem doctrinam tradidère etiam ex Judæis multi. Maimonides, Judæorum longè doctissimus, in *More Nevochim* de legis cæremonialis ratione sic mentem explicat : *« Nòsti ex pluribus Scripturæ locis quòd prima legis intèntio sit idololatriam tollere, memoriam illius et omnium eorum quæ illi adherent aut hominibus ad illam vel minimam occasionem præbent, delere.* » Eundem fuisse veteris legis finem docuerunt etiam antiqui Judæorum magistri, in quorum scitò dictis numeratur hæc sententia : *« Quicumque confitetur idololatriam, habetur pro eo ac si totam legem abnegasset ; et quicumque abnegat idololatriam, pro eo ac si totam legem confessus esset.* »

4^o Ratio varia argumenta suppeditat, quæ apud SS. Patres passim leguntur. Primò, certum est viros pietate celebres, cùm nulla subest idololatriæ suspicio, legem illam violare

non dubitasse: nam Elias, cum lex omnes ad templum vocaret, in Carmelo sacrificium obtulit. Legimus etiam Samuelem rem sacram fecisse in Masphat. Samson nullam reprehensionem subiit quod favum ex leonis cadavere sumptum comedisset. David panes propositionis, quos lex divina sacerdotibus solummodo permiserat, in cibum, urgente fame, sumpsit. Sacerdotes, in templo variis laboribus occupati, sabbatum impunè violabant, cum ipse locus et laboris sanctitas omnem idololatriæ aut legis contemptus suspicionem amoveret. Ezechias rex multis Judæis pascha celebrandi facultatem concessit, licet ad legis præscriptum nequaquam sanctificatis; et multa alia exempla reperias, ex quibus efficitur nunquam existimasse eos, ut quidam opinantur Judæi, illa præcepta ritualia immutabilia fuisse, aut eorum bonitatem in sua naturâ sitam. Secundò. Nulla ratio occurrit cur Deus tot legibus atque ritibus populum Judaicum et cultum rationalem penè obruere voluerit, nisi ut gravi illo jugo populum impediret, ne officii sui cancellos transiliret, et ad ritus gentilium rueret. Id enim concessum et apertum est tanto cæremoniariarum apparatus opus non fuisse ad colendam pietatem. Dicendum igitur cum S. Chrysostomo: « Non ad virtutem conferunt ejusmodi leges, sed eis datæ fuerunt pro freno et ut causas negotii et occasionem occupationis præberent. » Tertio. Lex illa solis Israelitis servanda tradebatur,isque jam peste idololatriæ corruptis: antiquis verò Patriarchis ignotis penitus erat onerosus ille rituum apparatus, qui posterorum curam et pietatem exercebat. « Hebræi, ut ait Eusebius Præp. evang. libro 7, qui longo ante Moysen tempore claruerunt, ferendæ per eum legis ignari, expeditam quamdam et liberam pietatis viam tenuerunt, moribus ad naturæ ductum compositis ornat. » Nec tantum Patres antiqui, sed Judæorum proselyti, seu gentiles ab ethnicismo conversi, vitam legum Mosaicarum vinculis solutam semper egère. Hinc non obscure colligitur malos aliquos mores in Ægypto haustos novis legibus occasionem præbuisse. Quidni enim Israelitæ eadem, quæ patres sui, libertate fruerebant, nisi quod à patrum suorum moribus in Ægypto descivissent, et in gentium semitas certò proruisissent, nisi Deus legum illarum compedes eis injecisset?

Quartò. Leges illæ tum primùm Israelitis datæ sunt, cum in deserto ingenii moribus Ægyptiacis addictissimi iudicium insigne edidissent. Con-

stat enim Deum primùm decem tantum mandata tradidisse, nec ullam mentionem fecisse cultus tot operosis cæremoniis præstandi; sed tum demùm illud legum et rituum onus eis imposuisse, cum fœdus de Deo vero colendo violasset, et cultu vitulino animi moribus Ægyptiacis pertinaciter adhærentis luculentum nimis argumentum præbuisset: hæc observatio est S. Hieronymi in Commentario in caput 28 Ezechielis: « Ante offensam, ait, Decalogum tantum accepere Israelitæ; post idololatriam verò et blasphemiam multiplices legis cæremonias. » Hinc fortassè Apostolus loco supra laudato de lege rituali loquitur tanquam mantissâ quædam et propter peccata promissionibus et antiquis Dei præceptis superadditâ: certè locum illum sic illustrat Theophilactus Comm. in cap. 5 Epistolæ ad Galatas: « Scitè autem illud, *apposita est*, dixit, ut indicet non esse præcipuè ac primo consilio datam, quemadmodum promissiones, sed veluti obiter addita ob multas transgressiones, ut aliquot saltem cohiberet. »

Quintò. Proclive est observare Deum cui-libet legem *manu elatâ*, id est, protervè ex præmeditato violanti, supplicium extremum statuisset, cum tamen peccatis suâ naturâ gravioribus, ut furto, proximi mutilationi et aliis ejusmodi, poenas longè mitiores irrogaverit; cujus rei hanc rationem optimam affert Maimonides: « Nemo ita peccat (manu elatâ) nisi cuius insidet animo opinio vel dogma, vel aliquid legis intentioni repugnans: hinc communis et recepta legis hujus expositio est, quod in ea loquatur Scriptura de idololatriâ, eò quod ea primariis et principalibus legis fundamentis adversetur. » Huic rationi confirmandæ argumentum præbet ipsa legis istius verba hæc Num. 15: *Quoniam contra Dominum rebellis fuit*. Hæ rationes multis placuerunt; eas cujusque iudicio relinquimus. Vide Nat. Alex. t. 1.

PROPOSITIO III.

Lex ritualis ad abolendam idololatriam sapientissimè instituta fuit.

PROBATIO. — Nam legis ritualis præcepta ad hæc capita commodè revocari possunt, seu istius legis partes præcipuæ sunt: 1^o signa illa populi Deo peculiariter addicti propria, qualia erant circumcisio et sabbatum. 2^o Præcepta de animantium et ciborum discrimini-bus. 3^o Sacra plurima certis quibusdam locis, personis et temporibus affixa. 4^o Instituta, qui-

bus cavebatur ut Deo et rebus sacris debitus honos constaret et reverentia. 5° Variæ immunditiæ vel munditiæ species. 6° Rituum quorundam prohibitiones. Atqui hæc omnia aut abolitionem idololatriæ maximè conducebant. Primò, ad abolendam apud posteros Abrahamæ idololatriam multùm conducebant signa illa perpetua, circumcisio et sabbatum. Circumcisio quidem ob multiplicem causam : tum quia erat signum distinctivum, quo Abrahamæ posterì à quâcumque aliâ gente dividebantur; eoque effectum est ut incircumcisos omnes tanquàm profanos et barbaros habuerint semper Judæi; tum quia erat signum memorativum, quo foedus inter Deum et Abraham, et patriarchæ illius fides ac pietas in frequentem memoriam revocari possent; adeòque ad excitandos eosdem in posteris sensus aptum et idoneum. Erat præterea signum figurativum, utpote quæ rei spiritualis imaginem præferbat : prout enim apud Christianos Baptismus, cujus pars exterior est depositio sordium, impuritatem omnem carnalem rejiciendam indicat; ita et apud Judæos circumcisio abundantiam malitiæ renuntiandam significabat; hincque tam frequens in Scripturâ usus istius formæ loquendi, *incircumcisum cor, incircumcisæ aures*, etc. Erat denique circumcisio signum initiativum, quo homines religionis Judaicæ sacris et Jehovæ cultui apertè devotos se profitebantur et ad universam legem Moosaicam servandam seipsos obligabant.

Sabbatum etiam multiplici ratione avocabat ab idololatriâ. Erat enim ut circumcisio signum distinctivum, et dividebat Judæos à cunctis aliis populis; soli quippe Judæi sabbata observabant, ut fusè ostendit Seldenus. Deinde erat etiam signum memorativum creationis mundi, et significabat Israelitas sacros esse Deo creatori : hinc apud Ezechielem dicit Deus : *Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me et eos, et scirent quia ego Dominus sanctificans eos*. Nullum erat hoc instituto presentius adversus errores istorum temporum remedium : sabbatum quippe ob oculos semper ponebat, omnes gentium deos, solem, lunam et militiam cœli omnem, mera idola esse, quæ originem suam Deo Israel, summo rerum omnium creatori debebant : eadem erat et æquè clara istius festi ac psalmistæ vox : *Omnes dii gentium idola, Dominus cœlos fecit*. Hincque vix quidquam Judæos in odium et invidiam majorem apud ethnicos vocavit quàm observatio sabbati.

2° Præcepta de discriminibus animalium et ciborum ad abolitionem idololatriæ multùm contolère, quia lex ciborum discrimen inducendo Judæos à gentiliùm cœtu et societate separabat : nam qui fieri potuit, ut gentes illæ mensæ ejusdem communionem fruerentur, cum eadem lanx gentili delicias, Judæo verò cibos immundos exhiberet ? Deinde illa ciborum discretio Judæorum et gentiliùm animos ab invicem alienos, et ad mutua fœdera vel amicitias contrahendas minùs aptos et proclives reddidit. Denique eadem illa lex Judæos à gentium consortio non parùm arcebat, quatenùs in eâ sanctitas quædam Judæis et consequenter gentilibus immundities adscribebatur. Jam verò si hæc Judæi à gentiliùm societate fuère semoti, longè etiam ab idololatriæ, quâ infecti erant gentiles, contagione per hanc legem distabant. Alias harum legum rationes seu litterales, seu mysticas videre licet collectas in Hist. ecc. Nat. Alex.

3° Lex ritualis idololatriæ obstaculo fuit, sacra pleraque certis locis, personis et temporibus adstringendo : exempli gratiâ, multùm coercerebat Judæos à cultu idololatriæ lex illa, juxta quam capitali supplicio puniendus erat is qui sacra faceret extra tabernaculum aut eum locum quem elegisset Dominus, quia Israelitas à vicinarum gentium altaribus atque idola veluti frenum quoddam cohibebat : quia eadem lex sanctè observata omnem cultûs ethnici speciem et memoriam abolebat. Erat scilicet in ethnicorum moribus frequentissimum ut, sacra sua in lucis, agris et excelsis locis obirent : quia denique apta erat etiam ista institutio ad eradicandam illam adeò communem opinionem, quæ Deum aliquem cuique loco alligabat, et multas alias non minùs ineptas, quæ apud gentiles universum obtinebant; atque etiam idonea ad confirmandam doctrinam unitatis Dei, ut observavit S. Thomas : « Quia gentiles, ait, diversis diis diversa templa constitutebant, et ut firmaretur in animis hominum fides unitatis divinæ, voluit Dominus ut uno tantùm loco sibi sacrificium offerretur. »

Sic etiam uni tantùm familiæ sacra obcundi facultatem concessit lex ritualis, ut populum illum in gentium ritus et deos propensum ad Dei veri cognitionem adduceret, eosque à sacrificiis privatis et moribus idololatriæ avocaret, quatenùs sacrificandi potestas uni tribui concessa impedivit, ne quis esset opportunus sacra aliqua privata et suspecta faciendi locus;

quatenus excitabat Levitas tanto munere decoratos ad diligentiorum rerum sacrarum curam; quatenus restrictio sacerdotii favoris divini monumentum erat in familiam Leviticam, quæ præ cæteris Hebræorum familiis zeli contra idololatriam exempla perillustria præbisset (cùm enim Israelitæ fermè omnes ad vituli cultum prolapsi essent, Levitæ longè plurimi ab illius peccati contagio integros et intactos se conservârunt, Moysi vocanti statim præstò fuerunt, divinamque ulti sunt injuriam. Imò si Judæorum doctoribus fides, etiam dùm in Ægypto viverent à superstitionibus Ægyptiacis immunes fuerunt); quatenus denique restrictio illa veterem Israelitarum idololatriam in memoriam revocabat, hisque pollutionem quamdam inde contractam tacitè exprobrabat. Huic assertioni fidem facere quidam volunt verba Ezechielis cap. 20, v. 25, quæ sic verti possunt: *Dedi eis præcepta non bona, et pollui eos* (id est, pollutos eos duxi), *in numeribus suis cùm præterirem omne primogenitum ut eos dehonestarem; et ut scirent me esse Dominum*: quæ indicare videntur primogenitos Israelitarum ex primo Dei consilio in sacerdotes assumendos fuisse, sed propter idololatriam rejectos; et in eorum locum Levitas, qui numero circiter æquabant primogenitos, electos à Deo fuisse.

Idem de temporibus quibus adscripta fuere sacra Judaica dicendum est: illa etenim sacra vel erant numero septenario definita, vel ex lunæ motu pendentia: jam verò utraque ad abolendam idololatriam valebant. 1° Quidem sabbata dierum vel septimus quisque dies otio sacro dedicandus; sabbatum hebdomadarum aut festum pentecostes post septem à paschate hebdomadas observandum; sabbatum mensium vel tempora festis et jejuniis religiosis mense quovis septimo consecranda; sabbatum annorum vel otium terræ Judaicæ anno quovis septimo concedendum; et denique sabbatum sabbaticorum omnium, vel annus septies septimus, qui jubileus dicebatur, et servorum humeros oneri subducebat, hisque plenam à laboribus immunitatem afferebat; hæc, inquam, sabbata omnia plurimum ad abolendam idololatriam virtutis habuere, quatenus creationis imaginem quamdam Judæis exhiberent, et illius sapiens memoriam redintegrarent. Vix possibile fuit ut Judæi quandiu memori tenebant, omnia sex dierum spatio creata, unquam in divini cultûs societatem vocarent solem vel lunam vel sidera, aliasve

creaturas. Tempora etiam à lunæ motu pendentia, ut novilunia, pascha, festum tabernaculorum, novi anni initia, ad abolendam idololatriam plurimum etiam valere, quatenus Israelitas sacris occupatos detinebant, quominus festis gentilium in novilunio vel plenilunio plurimum celebratis interesse vellet aut possent. Verisimile est etiam Deum mensem tisi seu septembrem civilis anni caput exordium sacris solemnitatibus propter similem causam implevisse. Judæi primum mensis illius diem tubarum clangore, sacrificiis, conventu solemnem, et animo ad hilaritatem soluto, celebrare tenebantur; die decimo festum expiationis solemnij jejuniis, oblationibus, aliisque cæremoniis agebatur; die decimo quinto tabernaculorum solemnitas celebrabatur, ejus multiplices cæremonia: non parùm negotij per octiduum Judæis afferebant. Videtur certè Deum, tot solemnitatibus religiosis in mensem unum congestis, Israelitas à vitæ communis officiis et curis detinere voluisse ob hanc præcipuè causam, ne Israelitæ gentilium cæremoniis vacarent, aut ne Zabii et Ægyptii, qui hunc, ipsum mensem variis cæremoniis colebant, mensem aliquem magis sanctè agere, vel annum melioribus auspiciis inchoare viderentur.

4° Multiplices illæ leges, quæ Deo honorem et reverentiam singularem vindicabant, rebusque omnibus sacris, sive personis, sive locis, sive instrumentis, aptæ valdè erant ad idololatriam eradicandam: hæc quippe ratione tremendum majestatis divinæ ejusque sanctitatis sensum rudibus Hebræorum animis injiciebat lex ritualis, et eorum etiam pietatem et obedientiam exercebat.

5° Variæ munditiæ et immunditiæ species sive personarum sive rerum in eundem finem collimabant, et ad instituendos Judæos ad bonos mores multum valebant: primum quia populus ille Judaicus inter Ægypti lateres educatus mores sordidos et conditioni servili consentaneos tantum hauserat, ideò par erat ut Deus leges conderet omnem fœditatem, et spurcitiem ablegantes, et quæ eos ad munditiam et morum elegantiam, non doctrinam tantum, sed religione revincirent. Deinde verisimile est leges aliquas de vasorum immunditiis conditas in remedium dogmatis aut moris superstitiosi, tunc temporis invalescentis. Tertio Deus hujusmodi leges tulisse videtur, ut sanctuarii sui dignitatem et honorem integrum conservaret: nam ideò de corporis munditiæ

se tam sollicitum præbuit, ut ad sanctuarium et sacra labeculæ cujusvis immunes accederent Israelitæ, eaque reverenter haberent, et modo sanctitati suæ singulari consentaneo. Quartò immundities rerum præcepta videtur, ut hæc ratione Judæi à gentilium consortio et convictu sejuncti viverent, nec frequens cum peregrinis commercium cultui et mori peregrino occasionem præberet. Quintò Israelitæ gens sancta erant, et Deo præter cæteras gentes peculiari ratione separata; Deus itaque tot immunditiæ spectes introduxit, ut disciplina illa sanctitatis suæ signum et symbolum esset, eamque ad eorum memoriam sæpissimè revocaret.

6º Denique lex ritualis idololatriæ progressum inhibuit, ritus varios idololatriæ prohibendo. Seculo illo, quo Moyses ad Hebræos redemptor missus est, Zabiorum superstitio longè latèq; propagata est, ut ostenderunt Maimonides et Spencerus. Qui hujus populi mores, originem, et instituta scire velit, adeat modò dictos scriptores; in præsentì sat erit monuisse Zabios illos fuisse perditissimis moribus idololatrias, astrorum, dæmonum, idolorum, mortuorum etiam cultores, ritibus insuper et artibus huic cultui conjunctis addictissimos. Deus itaque ut huic seculi morbo se passim diffundenti occurreret, et Israelitas suos à superstitionis istius scabie puros et intactos conservaret, leges multas atque ritus instituit, qui Zabiorum caeremoniis et institutis adversà fronte repugnabant, quales sunt inter multas alias, leges prohibentes hædi coctionem in lacte matris, mellis oblationem, transitum per ignem, capitis tonsionem in rotundum, carnis incisuram et stigmata, lucos in vicinà altarium, vestes ex lanà et lino, mixtionem diversorum seminum in vineâ, bovis cum asino ad arandum conjunctionem; hisce, inquam, legibus multisque aliis occasionem dedere superstitiosorum temporum ritus. Ergo omnes legis ritualis partes sapienter inventæ sunt ad idololatriæ abolitionem. Hæc omnia fusè et valdè eleganter explicantur à Spencero lib. de ritibus Hebræorum Legibus, et à Natali Alexandro Hist. ecc. t. 1, ex quorum uberi segete quasdam tantùm spicas selegimus.

§ 3. De legibus judicialibus.

Nescimus quænam fuerint in tam remotà antiquitate Ægyptiorum, aliarumque gentium leges politicæ: hoc certum est Moysèm à nullà natione suas mutuâsse, quia, ut modò exposuimus, diversam reipublicæ formam instituit,

cui leges civiles attemperare necesse fuit; in oppositum planè ab aliis legislatoribus finem collinavit, ad quem assequendum leges contrarias sancire oportebat. At certum quoque est, easdem leges Moysis, quantò superant antiquitate omnes alias cognitæ cæterarum gentium, tantò sapientiâ et perfectione antecellere. Neque profectò nostram solùm admirationem, qui illarum divinam originem credimus, habent; sed in omni ætate ethnici eas suspexere, et ex his fontibus eorum legislatores largè hauserunt, ut confectum est à pluribus doctissimis viris. Attamen ex his legibus quamplurimæ, etsi sapientissimæ, non sunt ejusdem naturæ cum legibus moralibus, nec posite in incommutabilibus rerum rationibus; sed sic erant attemperatæ regimini theocratico, in circumstantiis temporum et personarum positæ, institutæ ad dividendos Judæos ab omnibus aliis populis, servandamque inter ejusdem familiæ membra æqualitatem, ut non solùm non sit necesse eas servare in imperiis christianis, verùm etiam non oportet.

PROPOSITIO.

Lex Mosaica judicialis cum summâ sapientiâ atque equitate ad pacem et prosperitatem reipublicæ instituta fuit; aptissimè quoque inventa ad obtinendum totius illius œconomiaæ finem principalem, videlicet veræ Religionis conservationem.

PROBATIO. — Cœnia ad pacem et prosperitatem reipublicæ benè instituta sunt. Primò in omni reipublicâ fovenda est diligentissimè in Deum pietas, sine quâ nulla vigebunt alia officia. At ex jam dictis satis liquet eum quantâ diligentia cultûs divini, seu interni seu externi, honori ac dignitati per legis moralis et caeremonialis civilem sanctionem consuluerit Moyses. Illic ergo oculis subjecimus eas leges, quibus cavet legislator ut tum principes, tum plebs in divinæ legis meditatione versarentur. « Postquàm autem sederit rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribûs, et habebit secum, et legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et caeremonias ejus, quæ in lege præscripta sunt. » Et Deut. 6 ad omnem Israel hæc verba facta sunt: « Hæc sunt præcepta et caeremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos... quæ ego præcepit tibi et filiis, ac ne-

« potibus tuis... eruntque verba hæc in corde
 « tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis
 « in eis sedens in domo tuâ et ambulans in
 « itinere, dormiens atque consurgens: et liga-
 « bis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque
 « et movebuntur inter oculos tuos; scribesque
 « ea in limine et in ostiis domus tuæ. » Ibid.
 e. 31: « Post septem annos, anno remissionis
 « in solemnitate tabernaculorum, convenien-
 « tibus cunctis ex Israel, ut appareant in con-
 « spectu Dei tui, in loco quem elegerit Domi-
 « nus, leges verba legis hujus coram omni
 « Israel, audientibus eis: et in unum omni
 « populo congregato, tam viris quàm mulieri-
 « bus, parvulis et advenis, qui sunt intra por-
 « tas tuas; ut audientes discant et timeant
 « Dominum Deum vestrum, et custodiant im-
 « pleantque omnes sermones legis hujus; filii
 « quoque illorum, qui nunc ignorant, ut au-
 « dire possint, » etc. Quis unquam legislator
 tam studiosè omnium civium eruditioni consu-
 lit?

Secundò. Præter magnum Synedrium 72
 seniorum, curavit Moyses ut alia inferiora tri-
 bunalia per urbes et oppida constituerentur.
 « Judices et magistros constitues in omnibus
 « portis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi
 « per singulas tribus tuas, ut judicent populum
 « justo judicio, nec in alteram partem decli-
 « nent. » Postea hæc tribunalia erant trium
 virorum, quæ de causis pecuniariis; viginti vi-
 rorum, quæ de causis capitalibus judicabant;
 causæ verò religionis ad magnum Synedrium
 deferebantur. Illis omnibus has posuit Moyses
 sanctissimas judiciorum regulas: « Quod ju-
 « stum est judicate; sive civis sit ille sive pe-
 « regrinus, nulla sit distantia personarum; ita
 « parvum audietis ut magnum; pauperis quo-
 « que non miseraberis in judicio, nec accipietis
 « enjusquam personam; Dei enim judicium
 « est. Nec accipies munera, quæ etiam excæ-
 « cant prudentes, et subvertunt verba justor-
 « rum. » Quod testes attingit, statutum est
 Deut. 19, 15: « Non stabit testis unus contra
 « aliquem, sed in ore duorum vel trium testium
 « stabit omne verbum. » Vetitum est ne mu-
 lieres propter levitatem, vel mancipia propter
 humiles animos ad testimonium admitterentur.
 Si quis falsus testis extitisset, pœnam ferebat
 talionis: « Cùmque diligentissimè perserutan-
 « tes invenerint falsum testem dixisse contra
 « fratrem suum mendacium, reddant ei sicut
 « fratri suo facere cogitavit. » His regulis,
 nihil æquius sanctiusve excogitari potest.

Tertiò. In mutuis civium erga se officiis et
 rerum permutationibus docuit Moyses, ut se
 cognatos et unius familiæ membra existima-
 rent; atque isti æqualitati semper consulit.
 Universam terram Chanaan in partes divisam
 æqualiter tribui jussit: neve avaritia hanc
 æqualitatem unquam tolleret, statuit ut anno
 quovis septimo servi Hebræi manumitterentur;
 et ut quovis jubilæo ad pristinos dominos
 prædia et alia quævis bona redirent, neque
 unquam licitum esset pecuniam fratri ad usu-
 ram commodare. Præterea tulit sanctissimas
 æquissimasque leges ad tuendam civium vitam
 et libertatem, atque eorum protegenda bona,
 de homicidio, de furto, de venditione et re-
 ptione, de commodato, de deposito; cum
 summâ sapientiâ pœnas accommodans delictorum
 gravitati, cæterisque adjunctis. Nullum
 prætermisit vitæ domesticæ officium, seu con-
 jugum, seu parentum et filiorum, seu servorum
 et dominorum. Imò quod nulli contigit le-
 gislatori, omnia charitatis officia externa jussit;
 interiorem quoque benevolentiam, tum erga
 concives, tum erga extraneos, quarum legum
 exempla quædam supra retulimus. Hæc omnia
 Dei regis comminatus vindictam civiliter san-
 xit.

Quartò. Quod leges militares attinget, sanxit
 legislator, ut æquæ pacis condiciones hosti
 primum offerrentur, Deut. 20, 10, ut victoriâ
 moderatè uterentur, et urbe etiam vi captâ,
 parcèretur mulieribus, pueris, jumentis; ut
 fructuosæ arbores in terrâ hostili non succide-
 rentur.

Quintò. Nihil ad promovenda publica com-
 moda humana prudentia excogitare potest,
 quod Moyses non præscripserit. Hujus dili-
 gentiæ et prudentiæ argumenta sunt leges de
 asyis, de bestiis offeratis, de tegendis puteis,
 de fastigiis domorum clathris circumdandis,
 infinitæque alia, quarum hic solummodò men-
 tionem aliquam injicimus, ne omninò præter-
 missus hic locus videretur.

II. Erat eadem lex judicialis sapienter insti-
 tuta ad veræ Religionis conservationem: tum
 quia vetando cum exteris commercia, amicitias
 et affinitates, Judæos ab omnibus aliis di-
 videbat; tum etiam quia severissimas leges
 continebat contra idololatrias, rituumque ido-
 lolatricorum studiosos. Juxta illam legem pœna
 capitalis non tantum in homines, qui idolola-
 triæ rei erant, infligi debuit, sed etiam in eos
 qui alios ad idololatrias ritus excitabant; ne-
 que solum in homines privatos, sed etiam in

civitatem integram, quæ animi ad idola propensi testimonium aliquod publicum dedisset. Hanc pœnam exigebant Judæi, sive publico iudicio, sive privato illo, quod zeli iudicium vocabatur: nullum certè præsentius remedium idololatriæ pesti excogitari potuit, quàm pœna ejusmodi capitalis non solum in apertos idololatrias, sed etiam in seductores constituta, cum præsertim Deus quemlibet privatum licetorem suum et pœnæ executorem statuisset (1). Hæc quippe ratione cautum est, ut omnia rerum malarum semina in ipso ortu et primo nisu perderentur.

Neque hæc leges severissimæ adversus idololatrias crudelitatis et injustitiæ argui possunt, non solum quia à Deo supremo rerum arbitro, sed quia idololatria erat transgressio pacti, uti vocatur Deut. 17, 2, et crimen læsæ majestatis, universamque dissolvebat reipublicæ constitutionem, quæ ad veri nominis conservandam cognitionem præsertim sancta fuit, et in quam Israëlita liberè consenserant. Hinc idololatra ubique representatur tanquam adversus Dominum Deum rebellis, tendens adversus Omnipotentem brachium suum, et dicens: *Non serviam*. Neque adversus has leges unquam jura conscientiæ prætenderunt Israëlita, aut prætereundum potuerunt: imò verò erant eorum prævaricationes etiam conscientiæ violationes, cum semper agnovissent suæ legis divinæ originem, aut vana judicia commodi alicujus temporalis adipiscendi seu mali depellendi, aut ex vicinorum populorum auctoritate temerè concepta.

Adversus hanc legem judicialem aliam afferunt Deistæ accusationem, petitam ex hæc sanctione: « Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me. » Quasi verò, inquirunt, non abhorreat ab omni æquitate innocentes pro reis plectere! Hanc legem crudeliter secutum esse Josue docent, ubi universam Achani domum morte damnavit, ob crimen unius Achani. Sed animadvertendum est illius sanctionis executionem iudicibus non fuisse permissam, sed illam sibi reservasse Deum; qui cum omnia

(1) Cum extraneo principi subditi erant Judæi, haud licuit ipsis quemquam iudicio illo privato et zelotico interficere, nisi principis illius permissione, qualem dedit rex Persarum, ut constat ex c. 8 lib. Esther; et qualem Romanus dedere in alienigenas deprehensos intra templi septa.

agat cum summâ sapientiâ et æquitate, ex istâ sanctione nullum oriri potuit incommodum. Legitur etenim Deut. 21, 16, hæc lex: « Non occiderunt patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur. » Et consentienter huic legi et moribus receptis Amasias, « cum obtinisset regnum, percussit servos suos, qui interferant regem patrem suum: filios autem eorum qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro legis Moysi, » 4 Reg. 14. Achani ergo familia tota deleta est, quia conscia criminis furti et violati sacramenti rea tota quoque fuerat. Deinde verò sapientissimæ causæ esse possunt, cur filii parentum infortunis implicentur, idque in omnibus civitatibus constitutum est. De quâ re hæc Cicero in Ep. 12 ad Brutum: « Nec verò me fugit quàm sit acerbum, parentum scelera filiorum pœnis lui; sed hoc præclarè legibus comparatum, ut charitas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet. Itaque Lepidum crudelis in liberos, non is qui Lepidum hostem iudicat. » Et in Ep. 15: « In quâ videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit. Sed id et antiquum est et omnium civitatum. » At si hæc agendi ratio ad procuranda commoda publica hominibus permessa sit, certè multò magis eâ uti potuit Deus ad conservationem veræ Religionis, præsertim cum adversus eum creatura nulla jus aliquod vindicare possit. Ei competit, ut habet Grotius, jus domini plenissimum non solum in res nostras, sed etiam in vitam nostram, utpote munus suum, quod sine ullâ causâ et q. ovis tempore auferre cuivis quando vult potest. Tandem Deus per Moysen et omnes Prophetas suos significavit, pesteros suâ pietate et virtute redimere posse scelera parentum et mala suis capitibus imminencia avertere. Illustre est inter alia omnia testimonia hoc Ezechielis c. 18: « Pater ejus quia calumniatus est et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate suâ. Et dicitis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Vide licet, quia filius iudicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, et fecit illa, vitâ vivet. » Hanc fuisse Dei agendi rationem probat etiam universa Judæorum historia.

ARTICULUS V.

DE LEGUM MOSAICARUM ABOGATIONE.

Partes hujus operis ita sunt omnes nexæ et copulatæ, ut in eadem versari disputatione, eandemque sæpius causam perorare videatur, divinam videlicet legis Mosaicæ originem. Cælestis fuisse illud institutum suadet ipsa legis antiquitas, quam primo articulo confecimus: id clarè demonstrant illa divinæ commissionis quasi sigilla, quæ Moysen ad populum Judaicum attulisse secundo articulo probavimus. Accessit eidem veritati magna auctoritas ex illis quæ disputata sunt de reipublicæ Judaicæ singulari et ab humanis consiliis remotâ constitutione: sapientia diversarum legum, sive moralium, sive judicialium, sive ritualium, quam strictim præcedenti articulo attigimus, non esse illas constitutiones varias et multiplices unius hominis sibi relictæ et apud idololatras instituti inventa manifestissime elicit; subministrabit etiam hæc ultima pars pro eadem causâ gravissima argumenta, quæ ostendent in ipsâ reipublicæ dissolutione et legum interitu completa Moysis et Prophetarum vaticinia et ex istius statûs roderibus nascentem illam Christi Ecclesiam ad eam à Prophetis decantatam, in quâ lupi et agni, gentiles et Judæi, tandiâ separati ejusdem tandem Religionis vinculis conjungendi erant. In eundem reverâ scopum in singulis partibus collimavimus, nec ob aliam causam hæc quinque partium divisionem instituvimus, nisi quia ad diversa capita rationes pro divinâ legis Mosaicæ origine ob ingentem earum numerum revocare necesse fuit.

Nullum est argumentum, in quo Judæi copiosius aut cum majori contentione versati sunt, quam in asserendâ legis Mosaicæ æternitate, quæ legis immutabilitas inter eorum dogmata locum tenet præcipuum. Ad hæc igitur disputationem et nos afferre debemus majorem diligentiam, ut hæc eorum pertinacia præcipuam causam tollamus. Non tamen in hoc loco iis omnibus uti rationibus licebit, quibus Judæi erroris convinci possunt; quod scilicet illa pendrant ex iis quæ pro Religione christianâ disputanda sunt; si, v. g., certissimum sit legem Mosaicam umbram et figuram fuisse legis Evangelicæ, intelligitur ex hæc veritate id sequi, evanescere aliquando illam umbram debuisse: et premuntur adversarii

eorum omnium argumentorum pondere, quo stabilitur causa christiana. Hic igitur ea solummodò evolvemus argumenta, quæ suppeditat vetus Testamentum et ex quibus abolendam esse legem suam concludere debebant Judæi etiam ante natam christianam Religionem, vel quæ subministrat istius gentis hodierna conditio. Ex hisce principiis duas hæc propositiones conficiemus: 1^o Mosaicam legem non fuisse à Deo institutam ut æterna esset, sed interire aliquando debuisse. 2^o Illam jam esse antiquatam nec unquam renovandam. Animadvertendum est nos non movere controversiam de lege morali seu illis præceptis quæ in rerum convenientiis posita sunt: pertinent illa ad naturalem legem, quam æternam esse atque incommutabilem novimus; sed de legibus judicialibus et caeremonialibus, quæ non in immutabilibus rerum rationibus, sed in arbitrariâ posite Dei voluntate, non obligarent, nisi essent sanctæ voce divinâ.

PROPOSITIO PRIMA.

Constitutio Mosaica necdum fuerit immutabilis, cum aliquando interire necesse fuit.

PROBATIO. — Illa lex aliquando interire debuit, cujus interitum Deus in ipso initio reipublicæ per legatum suum Moysen et postea per voluntatis suæ interpretes Prophetas sæpius prædixit; quæ deinde ita erat in circumstantiis temporum, locorum et personarum posita, ut in æternum permanere non potuerit; quæ denique non per se et propriâ suâ virtute ducebat homines ad æternam vitam, sed continebat solummodò infirma et egræ elementa, quæ per se non valebant ad emundationem conscientiarum, solummodò verò ad procreandam quandam justitiam externam et legalem. Si hæc tria ostenderimus, erit ex communi parte labefactata Judæorum opinio, cujus fundamenta sunt, quædam Moysis legem mutare prohibentis verba, legis sapientia absoluta et independens à circumstantiis temporum, et summa perfectio, excellentia atque efficacia ad homines sanctificandos in hoc seculo, illisque procurandam in altero æternam felicitatem.

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex prophetiis.*

1^o Deus per Moysen aliosque Prophetas legis veteris interitum sæpius prædixit. Clariora quippe illum interitum prædicere non potuit, quam perpetuò annuntiando doctorem et lega-

tum novum similem Moysis, cui parere teneantur Judæi; pactum antiquato veteri novum; novum sacerdotium ab Aaronico diversum; alia sacrificia; aliam gentem suo imperio subjiendam; denique templi ruinam, urbis Jerosolymitanæ excidium, populi Judaici æternam dispersionem. Atqui 1^o Moyses et Prophetæ annuntiare doctorem novum similem Moysis. Clarissima sunt et absoluta hæc Moysis verba Deut. 18: *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsam audies*. Erat Moyses mediator fœderis et legislator; erat rex in Israel, ut audit in Scripturis, juxta vulgatam editionem Deut. 33, 5; erat emmenter sacerdos, cum ipse obtulerit sacrificia, et unxerit fratrem Aaronem in sacerdotem. Prophetæ igitur ille excitandus debebat etiam esse legislator et mediator fœderis, rex et sacerdos. Hi etiam tres characteres tribuuntur Messîæ ab omnibus Prophetis, ut infra videre licet.

Objicies: Ille locus non est intelligendus de aliquo singulari prophetâ Moysis quodammodo æmulo, qui eodem habiturus esset characteres, sed solummodo de successione Prophetarum, uti patet ex serie orationis. Id ellicitur primò ex occasione istius promissionis; fuit etenim illa promissio relativa ad petitionem populi, qui efflagitaverat, ut non amplius per seipsum loqueretur Deus inter tonitrua et fulgura, sed ministerio Moysis eos erudiret: *Loquere tu nobis*, dicebat populus, *non loquatur Dominus*. Ubi igitur Deus respondit, benè omnia locutum esse populum, et se excitaturum, uti petierant, prophetam, simpliciter annuit Judæorum votis, et significavit se non amplius immediatè eos allocuturum, sed per legatos suos, quales post Moysem fuere Josue, Samuel, Elias, etc. Secundò hunc sensum suadent verba antecedentia: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*. Hæc verba, cum immediatè præcedant, et cohæreant cum promissione prophete, ostendunt Deum per illum prophetam significasse seriem virorum divinerum, à quibus consilium petere et divinam rescire voluntatem Israelitæ possent; quique apud Judæos fungerentur officiis, quibus apud gentes fungebantur augures et divini. Tertio hanc etiam interpretationem confirmant subsequenter verba; continuò siquidem subjungit Moyses: *Propheta autem qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, etc.* Ubi vox illa, *propheta*, significat non singu-

larem aliquem pseudo-prophetam, sed eos omnes qui postea exituri erant.

Respondeo neminem movere debere rationes istas, nec auctoritatem quorundam christianorum interpretum, qui duplicem finxerunt hujus prophetæ sensum litteralem. 1^o Dico verba Moysis in litterali et obvio sensu sumpta, nullum alium nisi singularem prophetam, nempe Messiam significare. Primò quia Moyses dicit Deum excitaturum prophetam, non dicit excitaturum prophetas: jam verò propheta in litterali et obvio sensu non significat successionem prophetarum; et propter hanc rationem ex Judæis quidam hic denotari Josuam vel Jeremiam putarunt. Secundò quia ad designandum hunc prophetam, dicit Deus eum fore similem Moysis, quæ nota selectò non est vulgaris, neque ulli competit prophetæ sub veteri Testamento. Deum ipsum testem habemus, qui occasione jurgii ab Aaron et Mariâ Moysi illati, hæc verba fecit: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnum loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est; ore enim ad eos loquor ei, palam et non per ænigmata et figuras Dominum videt; quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi?* Præcellerat igitur Moyses Prophetis omnibus ratione suæ cum Deo familiaritatis; debebat ergo propheta illus similis et par, etiam in hæc parte, eisdem antecellere. Deinde Moyses splendore miraculorum alios omnes Prophetas longè superavit, juxta hæc verba addita in fine Pentateuchi: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nôsset Dominus facie ad faciem in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, etc.* Propheta ergo ille similis Moysis unus ex illis esse non potuit, qui erant Moysis dissimiles. Sed forsitan dicit aliquis: Similitudo in eo solummodo consistebat, quòd propheta ille suscitandus divino afflatu, sicut Moyses, agi deberet; sed in istâ hypothesi non adjecisset Deus fore illum similem Moysis: nam vox *propheta* per se afflatum divinum significabat; ubi ergo adjecit illum prophetam similem Moysis futurum, notam dedit distinctivam quæ soli conveniebat novi Testamenti mediatori. Tertio verba subsequenter: *Ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi*, singularem prophetam, quî legislator futurus esset, denotant. Nam vox *verba*, in eo loco significat *leges*: decem præcepta Decalogi vocantur apud Moysen, *decem verba*; et in ipsâ præfatione Decalogi dicitur

Deum locutum esse *verba ista*. Hunc sensum confirmant antecedentia, ubi singularis propheta, et propheta similis Moysi prædicatur venturus; confirmat eandem explicationem subsequētia hæc: *Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultior existam*: ubi Deus comminatur se ulturum, non legem suam despectam à Judæis, sed verba istius prophetæ. Ergo propheta ille in hoc differebat à cæteris, quod hi nulla nova verba ferrent ad populum, sed solummodò vetera confirmarent; hic nova verba allaturus esset. Ex his omnibus patet totius illius textus hanc esse naturalem expositionem: Deus annuit votis vestris, ó Israelitæ, et promittit se non amplius inter fulgura et tonitrua daturum leges suas, sed missurum aliquando ad vos prophetam, qui vobis in venturis seculis leges suas promulgabit, cui si non obtemperaveritis, divinam iram et vindictam provocabitis.

Dico secundò vanas esse eas rationes, quibus suadere volunt adversarii in illo loco significari successionem Prophetarum: prima ratio sumitur ex petitione, cui relativæ asserunt Dei responsonem, quod et nos confitemur; sed quænam fuit eorum petitio? *Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc amplius non videbo, ne moriar*. Petit ergo populus ut in causis gravioribus, in legibus videlicet ferendis, eidem ratione cum ipsis ageret, quâ hactenus per ministerium Moysi egerat; huic petitioni annuit Deus, et promittit se non amplius leges daturum in tantâ majestate, sed in venturis seculis, ubi leges erunt promulgandæ, se excitaturum prophetam similem Moysi, et positurum verba seu leges suas in ore ejus. Hic sensus ita est obvius, ut dederit Apostolo opportunitatem comparandi legis Judicæ et Christianæ promulgationem hinc verbis: *Non accessistis ad tractabilem montem et ad sensibilem ignem et turbinem et caliginem et procellam et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum... sed accessistis ad novi Testamenti mediatorem Jesum*. At, inquis, de novâ lege non cogitabat populus, et proinde rogabat solummodò ut Deus sub veteri Testamento eos per se non alloqueretur, et consequenter, si Dei responsio sit relativa ad mentem populi, eodem sensu intelligi debet. Cogitaverit, nec ne, populus, de lege novâ, apposita erat Dei responsio: petierunt ut in legibus veteris non amplius per se illas ferret; respon-

dit Deus se omninò annuere eorum votis, et non tantum usurum se ministerio Moysi in ferendis reliquis legibus ad reipublicæ Judicæ constitutionem necessariis, sed etiam prophetam similem Moysi excitaturum, cum leges novas ferre vellet.

Neque enim secunda ratio, ducta ex connexionione hujus cum superiore versiculo ubi agitur de gentium auguribus, ullam habet vim, quia nulla est necessaria connexionio inter duos illos versiculos; potuisset ille qui Scripturas in capita divisit, inchoare caput decimum nonum ab istis verbis: *Prophetam de gente tuâ, etc.*; et decimum octavum concludere istis: *Tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*. Sed demus esse quamdam connexionem; tunc sensus erit: Nolite, sicut gentes, consulere augures et divinos, ut sciatís Dei voluntatem, vel novas Religionis formas; sed servate legem hanc, donec veniat propheta similis mei. Nullatenus certè dici potest Deum promississe Prophetarum successionem, ut locum augurum et divinatorum teneret, quia in nullâ re erant istorum similes Prophetæ.

Non favent denique sententiæ adversariorum verba subsequētia; nam ex eo quod Moyses moneat Judæos ut caveant à pseudo-prophetis, qui auctoritatem illius singularis prophetæ affectare vellent, non sequitur eum non promississe singularem prophetam in versiculo superiori. Uno verbo hæc nostra istius textus explicatio adeò obvia est, ut ab universâ gente Judicâ ita fuerit ille locus intellectus, quod colligere primùm licet ex comparatione à S. Paulo institutâ inter utriusque legis V. et N. promulgationem. Deinde S. Petrus, in sermone ad populum Act. 5, et S. Stephanus verba faciens coram principibus Judæorum Act. 7, sine ullâ hesitatione, ista Moysi verba ad litteram intellectam Christo attribuunt, quod certè non fecissent, si illis temporibus ea intellexissent omnes Judæi de successione Prophetarum. Ad eundem locum videtur respexisse Philippus, quando sic Nathanaelem allocutus est: *Quem scripsit Moyses in lege et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth*. Qui missi fuere ad Joannem Baptistam à principibus sacerdotum quasiere ab ipso: *PROPHETA ILLE ES TU?* Et postea dixerè: *Quare tu baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque ILLE PROPHETA?* Post panum multiplicationem clamaverunt Judæi: *Quia hic est verè PROPHETA qui in mandum venturus est*.

2º Deus per Prophetas declaravit novum ini-

turum se cum hominibus *foedus* mediatore Messia : clarissima sunt inter alia multa hæc verba Jeremiæ cap. 51 : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum ut educerem eos de terrâ Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Et hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel: post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deus, et ipsi mihi erunt in populum.* Non pertinet ad præsens nostrum institutum ostendere hanc duorum foederum descriptionem optimè convenire legi Mosaicæ et Christianæ: hoc solummodò concludimus, quod certè valdè perspicuum est, ibi duo memorari fœdera distincta et diversa, unum jam olim initum, alterum post certum temporis intervallum ineundum.

Hæc de renovatione antiqui foederis post captivitatem intelligit Grotius cum D. Kimchi : Quo tempore, ait, clarior erat, quàm antea, Dei cognitio per multitudinem synagogarum, ubi ter in hebdomadâ docebatur populus, fuit etiam constantior Judæorum erga legem suam voluntas; majora beneficia comitabantur pacti renovationem, quàm ejus primam in Sina promulgationem. Sed hæc vana sunt : nam ibi novum prænuntiatur foedus alio tempore ineundum : *Dies venient, feriam, hoc erit pactum, dabo, etc. Dicendo novum, ut habet Apostolus, veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, propè interitum est.* Deinde non solum distinctum est novum illud foedus à veteri, sed diversum omninò ratione universalitatis, stabilitatis et efficaciæ; prius enim datum est solis Israelitis, novum promittitur cum omnibus gentibus; illud cum omnibus suis ritibus et sacramentis ad carnis solummodò emundationem valebat, novum in visceribus et tabulis cordium carnalibus inscribendum, vi suâ remissurum est peccata; illud denique vix initum, solum ab Israelitis fuit, hoc stabile in æternum permansurum est. Ridiculè certè hæc de synagogarum fictitiâ multitudine interpretatur Grotius, aut de beneficiis et prodigiis post captivitatem Babylonicam patris, quæ nec plura nec majora fuere quàm in exitu ex Ægypto.

Huic loco affinis est alius apud eundem prophetam cap. 3, v. 16 : *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ;*

cumque multiplicati fueritis et creveritis, in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra : Arca testamenti Domini; neque ascendet super eor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra. Tempora hæc de quibus propheta, tempora esse Messia manifestum est ex eorum descriptione : *Tunc conjungetur Israel et Juda, congregabuntur in Jerusalem omnes gentes, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi; dabit Dominus pastores juxta cor suum, hæc et similia nulli nisi glorioso Messia regno convenire possunt.* Jam verò istis temporibus non solum carebunt Israelitæ arcâ testamenti Domini, verùm etiam non ascendet super eor; non recordabuntur illius : hocque prædicitur, non ut calamitas, sed ut nota temporum feliciorum; ergo et lex ipsa interibit, quæ in arcâ servabatur; ergo antiquabitur foedus, cujus erat signum memorativum; ergo theocratia illa Judaica finem accipiet, destructo throno regis, qui in magnificâ gloriâ super propitiatorium sedere, et inde dare oracula solebat. Hæc certè conclusiones necessaræ sunt : nam qui fieri potest, ut non contingat in eâ constitutione mutatio, eûm totius legis compendium, omnium rituum quasi anima, divinæ apud eos præsentia symbolum, palladium gentis, et Israelis gloria oblivione delebitur?

Sed, inquit, post captivitatem Babylonicam caruere Judæi arcâ testamenti; servatæ tamen sunt religionis Mosaicæ caeremoniæ : fatemur quidem, sed lugebant illis temporibus illud divinæ præsentia symbolum, nec ullum infortunium adeo agrè ferebant. Sperabant illam arcam aliquando sibi restituendam : è contrario temporibus istis de quibus propheta, nulla erit de isto symbolo cura; non ascendet super eor, nec recordabuntur illius amplius. Inepta profectò est hujus loci à Manasse Ben Israel allata explicatio : asserit ille doctor Judæus prophetam non loqui de abolitione arcæ fœderis, sed solummodò significare Judæos adeo facillè devicturos hostes suos, ut non ampliùs necesse futurum sit ducere secum in bellis arcam testamenti. Verùm non potuit propheta prædicere cessationem consuetudinis, quæ suo tempore non obtinebat, quæque à longo tempore non obtinuerat : ex quo templum à Salomone adificatum fuerat, immota in sancto sanctorum manserat arca foederis. Præterea verba propheta absolutam sonant arcæ oblivionem.

Neque recedimus in hæc parte à sententiâ veterum Judæorum : Rabbi Moses Ben Nachan

nobilissimum Jeremiæ oraculum ad tempora Messie refert, et retulere fatente Maimonide quamplurimi.

3° Novum promittitur sacerdotium ab Aaronico diversum : nam Messias ex tribu Juda nasciturus fungi sacerdotio debebat, juxta hæc verba Zachariæ cap. 6 : *Hæc dicit Dominus æternituum : Ecce vir, Oriens nomen ejus ; ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo.* Inò verò sacerdotium Messie debebat esse diversi ordinis à sacerdotio Aaronis, juxta hæc verba psalmi 109 : *Juravit Dominus, et non penitebit eum : tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et apud Zachariam cap. 16, legimus assumendos esse ex gentibus sacerdotes et Levitas : *Et assumam ex eis in sacerdotes et Levitas, dicit Dominus.* Jam verò, ut argumentatur Apostolus, *translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio sit* : etenim maxima pars legis Mosaicæ omninò pendebat à sorte Leviticæ tribus, et cum illà constitutione necessariam habebat connexionem.

Verba Zachariæ solent Judæi ad Zorobabilem referre, et illa : *Erit sacerdos super solium suum*, sic vertere : *Et erit princeps super solium suum vel coram solio suo.* Sed vox illa, *Oriens*, quæ hebraicè germen est, propriè Messie convenit : vocatur enim ab Isaïa Messias, *germen Domini*; et à Jeremiâ, *virga de radice Jesse, vinctum, et radix, et germen justum*, ab Ezechiele, *germen nominatum*. Orientis etiam nomen agnoscitur in his verbis Balaami, non ad Zorobabilem sed ad Messiam certò pertinentibus : *Orietur stella ex Jacob*; et in istis Malachiæ, quæ ad Christum quoque spectant : *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*; et in his Zachariæ alterius apud Lucam : *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto.* Unde germen in illo Zachariæ loco *Messiam* interpretati sunt Jonathan Ben Uziel, et Rabbi Jarchi, Maimonides, et Talmudista Jerosolymitanus libro Beracoth. Pervertunt etiam illius loci sensum, qui vocem כֹּהֵן *Cohen* principem significare docent, quia etsi *Cohen* quandoque vitum nobilem regi proximum, vel virum à consiliis secretioribus significet, nunquam tamen significat ipsum regem seu principem summâ indutum auctoritate : sic lib. 2 Reg. cap. 20, v. 26. Ita Jairites dicitur *Cohen David*, id est, minister ejus : hoc etiam sensu vocatur Davidis filii ibidem cap. 8, *Cohanim*; jam verò ille, cui *Oriens* nomen, juxta prophetam portabit

gloriam, et sedebit super solium; ergo ecclesiastico sensu, non politico, pro principe accipienda est illa vox *Cohen*.

Deinde verò quod spectat locum ex psalmo 109, certum est illum olim de Messia interpretatos esse Judæos : nam Christus Dominus publicè eos alloquens pro confesso assumpsit, Messie prædictionem illic contineri; ut legimus c. 22, Ev. S. Matthæi, qui subjicit : *Et nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum ampliùs interrogare.* Factum idem à Petro memorant Actus Apostolorum : idem Paulus sensisse, prior ad Corinthios declarat Epistola; apertissimè verò Epistola ad Hebræos, in qua reconditis hujus psalmi sensus Apostolus explanavit; haudquam verisimile est eos tantum sibi fuisse permissuros ut nobilissimo psalmo novam et ad hæc inauditam sententiam affingerent, apud Hebræos præsertim, superstitionibus deditam gentem, et in his quæ ad religionem pertinerent irritabilem, nisi in communi opinione receptam ac vulgò creditum visissent. Itaque opinionem hanc jam inde à vetustis ductam temporibus secuti sunt Judæi complures; in his Talmudista, et Rabbi Moses Hadarsan, et Rabbi Saadias Gaon in Daniele. Vox *Cohen* in hoc psalmo, sicut in loco superius ex Zachariâ allato, sacerdotem, non principem significat, propter modò allatam rationem, et factam Melchisedechi mentionem, qui erat *sacerdos Dei altissimi*, hocque titulo decimas omnium olim accipit. Præterea hæc de mutatione sacerdotii, et assumptione in gentium sacerdotes, quæ prædicitur Isaïæ 66, robor accipitur ex iis, quæ jam de novis sacrificiis dicturi sumus.

4° Nova prænuntiantur sacrificia. Horum mutationem necessariò inducit mutatio sacerdotii Aaronis, quod cum sacrificii relationem necessariam habebat. Sed præterea apud Malachiam et Daniele clarissima extant de hæc sacrificiorum mutatione vaticinia. Mal. cap. 1, hæc verba legimus : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrà : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Daniel cap. 9 de Messia verba faciens habet : *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, et in medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque in finem perseverabit desolatio.* Quantum Judæi prænantur illustri Malachiæ vaticinio,

ex nullâ re magis liquet, quàm ex variis, quas excogitarunt, hujus loci explanationibus; quas exponentem et repellentem audiamus illustrissimum Huetium in Demonstratione evang. prop. 9, c. 107. Sunt qui dicunt Deum id sibi velle: quantumlibet in idolis vel stellis, minutisque diis compluribus colendis effusa sit ethnicorum impietas, unum tamen summum ac supremum Deum venerantur, quod mihi est longè gratissimum. Hujus expositionis auctor est Rabbi Salomo Jarchi, assertores Rabbi David Kimchi et Aben-Esra. Ea verò quàm absona sit et falsa, liquet ex eo quòd inter gentes idolorum cultui addictas obscura sit supremi Dei, et ferè nulla notitia, neque ulla ipsi sacrificia fiant: id ergo quodcumque honoris est, impiis cæremoniis et nefario cultu idolis exhibito, tot veri Dei sanctionibus vetito conjunctum, videant quo jure, quâve ratione, oblationem mundam appellare queant.

Impia quidem hæc est, et absurda interpretatio, commentitia verò et ad arbitrium conficta altera quam proponit idem Jarchi, Deum nempe significare Judæorum, qui inter gentes dispersi versantur, comprecationes sibi etiam sine victimis fusas perplacere. Quæ expositio cum prophetæ verbis pugnat ex adverso: quippe honores à gentibus sibi habitos Deus opponit cultui à Judæis præstito et æpertis verbis afflirnat sibi ab his sacrificari; id enim sonant verba hæc: *Munus non suscipiam de manu vestrà... in omni loco sacrificatur et offertur*, etc. Aliam explanationem non minus futilem proponunt David Kimchi et Aben-Esra, nempe hanc: Si à gentibus, tñdem ut à vobis, munera mihi offerri vellem, munda ea et selecta offerrent, vos verò strigosas et malè habitas hostias mihi offertis. Sed nulli legi seu conditioni proposito hæc conjuncta est, sed simplex; nec id fore aut fieri posse, sed esse reipsâ ac fieri dixit Deus.

5° Prænantur populus novus ex omnibus gentibus confusus Messie imperio subjiciendus, idque non ab uno aut altero prophetâ, sed ab omnibus, in singulis fermè paginis. Fuit conditio pacti Abrahamitici, ut in semine illius patriarchæ benedicerentur omnes cognationes terræ; Messiam vocat Jacob in celebri vaticinio *expectationem gentium*; ipsi Hebræi doctores hæc verba psalmi 2: *Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, de Messia intellexere; clariora etiam sunt ista verba Isaie: *Quia repleta est terra scientiâ Domini... in die illâ radix*

Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; et illa Osee prophetæ c. 2: *Dicam non populo meo: Populus meus es tu; et ipse dicet: Deus meus es tu*; et ista Sophonia, cap. 3: *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno*; Zacharias cap. 9 de Messia verba faciens hæc habet: *Loquetur pacem gentibus, et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad terminos terræ*; adde verba Malachiæ modò laudata: *Non est mihi voluntas in vobis*, etc. Ex his locis sine ulla ambiguitate concluditur non solum regnum Messie fore amplissimum, et gentes ad cognitionem veri numinis adducendas; sed etiam patet eandem futuram gentium et Judæorum conditionem.

6° Denique clarè prænantur est à Daniele cap. 9 reipublicæ, urbis et templi, cui universus sacrificiorum apparatus alligatus fuit, interitus sempiternus. *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duxerunt... et occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est: et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio*. Sed de his infra fusiùs.

Objicies: Lex certissimè lata fuit à Moysè, non ad tempus, sed eâ mente ut in æternum permaneret; et multa sunt Prophetarum de legis æternitate clarissima vaticinia. Nam Moyses vocat legem suam in multis locis legimum sempiternum. Deut. cap. 29, v. 29, præcipit ut in sempiternum servantur universa præcepta: *Abscondita Domino Deo nostro, ait, quæ manifesta sunt nobis et filiis nostris usque in sempiternum, ut faciamus universa verba legis hujus*. Sic in sanciendo variis de sabbato et paschate præceptis, aliisque legis partibus, eadem utitur phrasi: ea omnia mandata vocantur *mandata æterna*. Nec solum illâ voce in æternum utitur, sed et aliis, quæ legis perpetuitatem sine ulla æquivocatione significant: v. g., pronuntiat eam non necessuram esse de ore seminis ejus: *Respondēbit, inquit Deut. 32, 12, et canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore seminis ejus*. Et rursus in benedictione tribuum, Deut. 33, hæc absoluta invenimus: *Legem præcepit Moyses hæreditatem multitudinis Jacob*.

Prophetæ Moysi concinunt: *Initio cognovi, ait David Ps. 118, de testimonio tuis, quia in æternum fundasti ea*. Deus apud Jeremiam prophetam pronuntiat tamdiù permanuram le-

gem, quamdiu populus Judaicus esset permanens, c. 31, v. 36 : *Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.* Prophetarum ultimus Malachias, libro suo finem imposuit haece verbis : *Mementote legis Moysis servi mei quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et judicia; et hanc legem versu sequenti mansuram declarat usque ad adventum Eliae et diem iudicii : Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis... et percutiam terram anathemate.* Ex quibus omnibus sic argumentari licet : Lex in aeternum posita, nullâ oblivione delenda, ab ore Israel nunquam recessura, coram Deo nunquam defectura, hereditatis instar Israelitis in perpetuum transmittenda, usque ad diem iudicii observanda, reverâ perpetua est et immutabilis; atqui, etc.

Resp. : Distinguo majorem : lex quæ à Moysè et Prophetis dicitur in perpetuum posita, nullâ oblivione delenda, ab ore Israel non recessura, reverâ perpetua est, nec ullo modo temporaria dici potest, si aeternitatem, perpetuitatem et indefectibilitatem absolutam legi tribuant istis verbis Moyses et Prophetae, concedo; si aeternitatem, perpetuitatem et indefectibilitatem solummodò relativam, quæ pertineat non ad omnia futura tempora, sed ad definitum reipublicæ ævum, nego. Igitur, ut ex istis locis in objectione citatis efficiant Judæi legem non esse temporariam, ostendendum ipsis est verba ista, *in aeternum, in perpetuum, in omnes generationes*, etc., semper in sensu absoluto accipi, neque unquam à Moysè et Prophetis usurpari in sensu relativo; quod certè nunquam elicient. E contrario evidentissimum est voces has, ubi rebus humanis accommodantur, absolutam significationem habere non posse, et ad summum significare mundi durationem; neque alio sensu, nos Christiani, legis nostræ praecepta aeterna et perpetua asserimus, nisi quia permansura sunt usque ad consumptionem seculi. Est igitur istorum verborum sensus necessariò relativus. Inquirendum ergo est quæ tempora includat illa aeternitas attributa legi à Moysè et Prophetis : an omnia tempora usque ad finem mundi, an ea solummodò quæ Messiae adventum præcedere debebant? Jam verò certum est voces Hebraicas, quæ verti solent per has latinas, *in aeternum, in perpetuum*, non tantum non significare propriè dictam aeternitatem, sed necetiam diuturnitatem

mundi : quandoque etenim tempus indefinitum, quandoque finitum, quandoque etiam tempus breve denotant, ut contra alios Rabbinos doctè et fusè demonstravit Rabbi Joseph Albo, trecentis abhinc annis, non sine multâ suorum invidiâ. Illic doctor Judæus in libro contra Christianos, quem inscripsit *Sepher-Ikkarim*, omnia argumenta à Maimonide allata pro aeternitate legis vana esse ostendit. Præterea Judæi interpretes illas ipsas voces, quarum vim urgeresolent adversus Christianos, ubi de aeternitate legis quæstio est, sæpissimè aliter vertunt, et ipse etiam aeternitatis legis defensor acerrimus Maimonides, in *More Nevochim* hæc annotavit : *Proinde sciendum est quòd עולם olam non necessariò significet aeternitatem, nisi ei conjungatur עד ed vel ad, idque vel post illud, עולם ועד olam vead, vel ante, ut עולם עד ad olam. ׀ עולם Olam igitur simpliciter et per se, ex confessione Maimonidis, non significat aeternitatem. At neque cum illis adjunctis eam habet vim, nisi pro subjectâ materiâ, ut ps. 60 : Dominus ipse est rex in aeternum. Nam 1 Reg. c. 22, v. 22, eadem vox ad olam significat tempus finitum et determinatum; ibi quippe Samuel dicitur mansurus coram Domino ad olam seu in aeternum, id est, non recessurus à tabernaculo Domini, sed ibi per totam vitam præsens sacris affuturus. Multa alia loca sunt, in quibus voces illæ olam, le olam, ad olam, significant solummodò tempus finitum (1). Itaque illa praecepta dicta sunt aeterna et perpetua, ut intelligerent Judæi illa non pendere ab hominum voluntatibus, sed vigere debere, quamdiu permansura esset respublica, vel donec à legislatore Deo abrogarentur. Liqueat*

(1) Exod. 21 : *Quòd si dixerit servus : Diligo Dominum meum et uxorem ac liberos, non egrediar liber, offeret enim dominus diis... et perforabit aurem ejus subulâ, et erit ei servus in seculum*, id est, usque ad annum jubileum. Num. 8, 24; Prov. 22, 28; Is. 52, 14; et 45, 17; et 63, 60. Jer. 14, 20; Mal. 3, 4; Ps. 61, 5; Eccl. 10, 1. Rabbi Kimchi refert, veterem esse traditionem in domo Eleazar servatam, nempe tres esse voces in linguâ hebraicâ, quæ interminatam significant durationem : *Netzah, Selah et Ad*. Quæcumque sit istius traditionis auctoritas, ex eâ efficitur familiam Eleazar non existimasse alias voces quibus semper utitur Moyses in suis legibus sancientis, eandem strictam significationem habuisse. At neque hæc voces absolutam aeternitatem significant. Nam, ut observavit Joseph Albo, etiam vox, *le Netzah*, in aeternum, quandoque accipitur pro tempore brevi et finito, uti Ps. 68, v. 17, ubi Deus dicitur in aeternum habiturus in monte Sina, cum tamen erecto tabernaculo inde translatus sit cultus in tabernaculum.

etiam nullum alium esse sensum istorum verborum Moysis. Deut. 12, v. 32 : *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidpiam, nec minuas.* Eadem vis est istorum verborum : *Erit vobis legitimum sempiternum... legem dedit Moyses hereditatem multitudinis Jacob... non recedet de ore seminis tui... illam nulla delebit oblivio.* « Hæc et similia, ut ait Rabbi Joseph Albo, admonent nos ne addamus vel detrahamus aliquid præceptis pro nostro lubitu vel arbitrio, sed nihil prohibet quominus ipse benedictus addat aut demat, prout sapientia ejus stauerit. » Denique dies ille Domini magnus et horribilis, ante quem, juxta Malachiam, venturus erat Elias, et usque ad quem permanere debebat lex, non est dies ultimi judicii, sed dies ultimus status Judaici, usque ad quem diem legem vigere debuisse, et vigiisse confitemur. Verba Malachiæ modò fusiùs exponemus.

Hæc planè sufficiunt ad diluendum Judæorum objectionem; sed si aliunde constat *olam* apud Judæos significare solere certum et determinatum tempus, ætatem scilicet reipublicæ Judaicæ ante Messiam, et quandoque illam ætatem, quâ sub Messia victuri sunt Hebræi, non solum ad vanitatem objectionis ostendendam confert, verùm etiam istæ voces non parùm confirmabunt sententiam christianam de abrogatione legis, temporibus Messicæ. Jam verò celebris est apud doctores Synagogæ distinctio inter *עולם הזה* *olam eze*, et *עולם הבא* *olam eba*, seu præsens seculum et seculum venturum. Primum seculum continet temporis spatium usque ad Messiam, et secundum seculum tempora illa quibus Messias regnaturus est. Huic distinctioni locum sine dubio dedere Prophetarum scripta, in quibus rerum status sub Messia significatur per novum cælum et terram novam. Cùm igitur hæc sit naturalis et obvia interpretatio vocis Hebraicæ *olam*, cui auctoritatem conciliat multorum doctorum inter Judæos sententia, nihil impedit quominus illas phrases apud Moysen, quibus asserit leges suas mansuras in æternum, hoc sensu interpretemur, quòd mansuræ essent per totum *olam eze* seu ævum præsens, et usque ad *olam eba*, seu seculum venturum Messicæ. Ideò fortassè Moyses aliis in locis asserit, ritus legis suæ esse observandos in habitationibus eorum, seu quamdiù possessores terræ Chanaan futuri erant : sciebat enim divinus ille vir ex vaticinio Jacobi, et ex divino afflatu interitum aliquando statum Judæorum tem-

pore Messicæ, et ideò præcepit ut lex in terrâ Chanaan servaretur, his verbis Deut. c. 12 : *Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in terrâ quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi ut possideas eam cunctis diebus quibus gradieris super terram;* vel, ut v. 19 legimus, *super terram tuam*, id est, terram Chanaan. Et reverà propter hoc Moysis mandatum, extra terram illam festa legis Mosaicæ aliosque ritus non servarunt olim, nec si amplissimo regno potirentur, servare possent Judæi.

Tandem in hæc nostrâ explanatione nequam recedimus à sententiâ veterum Hebræorum. Legitur in Talmude traditionem esse in domo Eliæ, quòd sex annorum millibus definita esset mundi duratio, quorum duo priora millia fuerunt sine lege; duobus subsequentibus millibus vigere lex debuit, et postea servari per postrema duo millia Messicæ doctrinam oportebat. Ex quibus patet illos magistros non putasse legem suam æternam esse. Est quoque in Midrasch Cohelet hæc sententiâ : « Legem quam homo discit in hoc seculo vanitatem esse præ lege Messicæ. » Est apud R. Simeonem in Jalkut, « Deum per Messiam novam legem esse daturum. » In multis aliis locis eadem declarantur.

ARGUMENTUM II. — *Ex naturâ legis Mosaicæ.*

1^o Ita erat Mosaicæ lex posita in temporum, locorum et personarum circumstantiis, ut in perpetuum manere nequaquam potuerit. Nam lex accommodata certæ regioni, solis data posteris Abrahamæ ad eorum discretionem ab omni aliâ gente, et ad abolendam idololatriam inventa, non debuit permanere, nisi quamdiù regnum Dei angustis istius regionis limitibus contineretur; Judæi à cæteris gentibus separati consisterent, et vigeret idololatriæ pestis. Evidens est hæc major propositio : nam multùm distat à sapientiâ legem dare imperio extenso extra terræ Chanaan limites, quæ non nisi in istâ regione servari potest, aut constitutionem ad hominum separationem inventam, omnibus adunatis imponere; aut ritus infinitos ad idololatriæ abolitionem institutos retinere, ubi nullum est idololatriæ ampliùs periculum aut occasio. Atqui lex Mosaicæ ita erat terræ Chanaan accommodata, ut extra illam servari non potuerit : erat data solis Abrahamæ posteris ad eos ab omni aliâ gente dividendos, et ad abolendam idololatriam fermè tota instituta : atque ex alterâ parte non fuit semper coercendum Dei regnum soli terræ Chanaan limitibus, nec semper dividendus erat populus Judaicus à cæteris gentibus nec semper infectura erat orbem idololatriæ.

Prima hujus minoris pars jam à nobis superioris articulo confecta est; pauca solum addemus ut intelligatur illam legem ita fuisse terræ Chanaan accommodatam, ut nec à Judæis extra illam servari possit, multò minùs esse lex universalis Messiaë. Si qua certè illius constitutionis pars universalis esse debeat, maximè præscriptæ solemnitates; jam verò istæ extra terram Chanaan celebrari non possunt. Non neomeniæ: nam illæ, sicut et cætera festa ex lunæ motu pendentia, determinabantur ex phasium lunarium observatione factâ Jerosolymis. Jam verò hæc observationes non nisi terræ Chanaan habitatoribus innotescere potuerunt; nec illo modo fieri potest, ut aliæ gentes remotiores, quas sol et luna citiùs aut seriùs invisunt, eodem tempore cum Judæis festivitates illas juxta legis præscriptum observent; atque apud nos commemorantes Judæi, servare solent singulis mensibus duplicem neomeniam, quia ignorant quâ præcisè die celebranda sit. Non etiã celebrari possunt ab exteris gentibus festa paschalis, pentecostes et tabernaculorum, ad quorum celebrationem Judæi Jerosolymam proficisci debent. Nam qui fieri potest, ut ex Galliâ, Britanniâ, aliisque remotioribus partibus ter in anno proficiscantur omnes Jerosolymam? Erant etiã in lege Moysis multæ aliæ causæ cur Judæi ad istam urbem se conferrent. Non denique annus sabbaticus: ille quippe annus incipiebat die septimâ mensis tisi, qui septembri maximâ ex parte respondet; et ideò ab hoc die otium terræ ordiebatur, quòd in istâ regione ante illud tempus omnes terræ fructus, non tantùm segetes, sed etiã uvæ et cætera poma colligerentur. Evidentissimum est hanc legem non posse servari, nisi in iis regionibus quæ eidem soli subjacent: nequaquàm verò in nostris plagis, in quibus vindemia magis sera est. Idem dicendum de omnibus aliis institutis Moisaicis, quæ ille legislator non nisi Judæis incolentibus terram Chanaan injunxit; quæ eorum majores in captivitate Babylonica apud exteros non servavère; quorum etiã observatio à proselytis portæ, seu non circumcisis, nunquàm exigebatur.

Certissima etiã est secunda minoris pars, quòd divinum imperium non fuerit semper coercendum angustis terræ Chanaan limitibus, nec idololatria semper orbem terræ infectura. Id efficiunt ea omnia, quæ protulimus modò, de vocatione gentium testimonia: imò et Judæos habemus confitentes, qui uno ore docent gentes in cognitionem veri Dei adductas per

Messiam, idola et supersticiosos ritus relicturas. Non minùs evidens est iisdem temporibus non esse dividendam gentem Judaicam ab aliis populis: nam illi non erunt separati, qui eidem obtemperabunt principi; eisdem parebunt legibus, in omnibus mutâ fruentur societate. Atqui hæc omnia contingent temporibus Messiaë: *Insulæ legem ejus expectabant, accipiet gentes hæreditatem suam, omnes populi eum deprecabuntur, et benedicentur in ipso omnes cognationes terræ.* Hæc constantissima vox est omnium Prophetarum.

2º Lex ritualis et judicialis propriâ suâ virtute nulla afferebat efficacia remedia delictis gravioribus, sed juxta illam morte damare peccatorem oportebat: ideò dicebat David poenitens: *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Pro levioribus quidem peccatis per ignorantiam vel inadvertentiam admissis, sacrificia expiatoria quaedam præcipiebantur: sed quæ esse poterat vis et efficacia sanguinis hircorum et vitulorum ad ablationem peccatorum, aut quid conferre cinis vituli aspersus ad sanctificationem inquinatum? Evidens est, uti concludit Apostolus, illa valere non potuisse nisi ad emendationem carnis, et ad legalem et externam quamdam justitiam procreandam; et ideò propheta multa de sacrificiorum vanitate habent: *Non sum locutus, ait Deus apud Jeremiam, c. 7, v. 22, cum patribus vestris, et non præcepi vobis in die quâ eduxi vos è terrâ Aegypti, de verbo holocaustorum et victimarum; sed hoc verbum præcepi: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus.* Samuel ad Saulem aiebat: *Nunquid vult Dominus sacrificia et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ; et auscultare, magis quàm offerre adipem arietum.* Psalterius regius sic Deum inducit loquentem Ps. 49: *Non in sacrificiis arguam te: nunquid manducabo carnes taurorum...? Immola Deo sacrificium laudis.* Et apud Oseam prophetam c. 6, v. 6, dicit Deus: *Misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quàm holocausta.* Imò verò sacrificiorum abrogationem propter inefficaciam canit David hisce verbis: *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustum et pro peccato non postulasti; tunc dixi: Ecce venio.* Infinita alia sunt in Scripturis hisce similia, ex quibus patet non fuisse Prophetarum mentem de sacrificiis diversam à mente Apostoli: ergo lex ritualis ex naturâ suâ, nec perfecta, nec immutabilis est.

Objicies cum Rabbi Abravanel libro de capite fidei c. 15 : « Mutatio legis divinæ vel totius vel alicujus partis repugnat infinitæ sapientiæ legislatoris, omnia ob fixum et certum finem agentis : *Ego Dominus et non mutor.* » Ergo. — Respondeo : Si lex sit summæ et consummata perfectionis pro omnibus temporibus, quod assumit ibidem ille doctor Judæus, vel si æternam et immutabilem esse illam semel decreverit Deus, quod etiam supponit idem auctor, vel si eadem necessariò futura sit semper ratio conservandæ legis, quæ fuerat ferendæ, manebit sine dubio. Sed Rabbi Abravanel nunquàm ostendit vel legem fuisse absolutè perfectissimam, vel Deum illam tulisse ob fixam et immutabilem rationem. Id non concluditur ex eo, quòd à Deo lata est : nam docent Hebræi datam fuisse Noachidis legem ante Mosaicam, quæ nec perfecta, nec immutabilis erat. Ergo nec concludere licet ipsis, legem suam esse absolutè perfectam et immutabilem, propter hanc solam rationem, quòd à Deo lata fuerit. Et verò qui potest dispensare, potest et abrogare. Atqui Deus sæpius dispensavit. Sollicitè interdictum erat Ex. 29, Lev. 24, Num. 18, ne quis vesceretur panibus propositionis, nisi qui sacerdotali fungeretur munere, aut ex tribu Levi esset; et nihilominus Davidi permissum fuit eos comedere; neque contra à Deo vel à Prophetâ factum hoc reprehensum fuisse. Idem David Gabaonitis concessit, ut septem viri de domo Saül, septem mensibus, suspensi manerent à decimâ sextâ nisan usque ad decimam septimam marchesvan, contra disertam legem Moysis Deut. c. 21. Hic ex ipsorum Judæorum confessione, legis violatio fuit, quorum alii cum Rabbino Jesaïâ respondent hoc factum fuisse ex mandato oraculi : alii verò putant eradicandam esse litteram ex lege, nomenque Dei publicè sanctificandum; ita Rabbi Raschi. Cùm itaque ex ipsis plurimi agnoscant divino vel jussu vel permissu legem hanc judicariam pro tempore abrogatam fuisse, nostram magnoperè firmant sententiam, videlicet Deum similibus jussis testatum fecisse, legem hanc se non perpetuam esse voluisse, sed pro beneplacito suo posse ac velle illi derogare. Multa alia exempla subministrant sacri codices, quibus permotus Maimonides, declaravit « obtemperandum esse prophetæ cuiilibet contra legis vetitum jubenti, exceptâ tamen idololatriâ. » Atque hoc nobis sufficit ad infringendam legis tum cæremonialis, tum judicariæ absolutam immutabilitatem.

PROPOSITIO II.

Lex Mosaica jam abrogata est.

PROBATIO. — Illa lex jam abrogata est, cujus interitui præfixum à Prophetis tempus jam à multis seculis effluxit, et quam præsens Judæorum conditio abrogatam planè ostendit : atqui, etc. Duæ ergo erunt probationis partes; ex prophetis una, quam leviter solummodò hic perstringemus, utpote totâ secundâ parte fusiùs evolvendam; altera ex conditione Judæorum, et rescissi cum illis initi fœderis argumentis.

1° Effluxit præsignatum legis Mosaicæ durationi à prophetis tempus : nam 1° advenit ille propheta similis Moysis, videlicet Christus Dominus : uterque propheta, sacerdos et rex ; uterque Dei intimâ familiaritate usus est ; uterque splendida patravit miracula ; uterque fœderis inter Deum et homines mediator exitit. 2° Promulgata est lex nova, de quâ Jeremias prophetavit, non scripta digito Dei in lapide, sed in visceribus et tabulis cordis carnalibus, quæ propter sanguinis Christi virtutem et divinæ gratiæ efficaciam, cujus conditio pacti est, irrita esse non potest; quæ non in circumstantiis temporum posita, æterna esse debet, quæ hominum conditioni accommodata atque sanctissima, eos ad perfectissimam vitæ rationem instituit. 3° Sacerdotium Aaronicum sine restitutionis spe abolitum est : nam non solum nullos habent Judæi sacerdotes, sed ita sunt confusæ eorum familiæ, ut quâ tribu quisque oriundus sit, planè nesciant. 4° Abolita sunt eorum sacrificia : sciunt etenim extra templum Jerosolymitanum non licere sibi offerre sacrificia, neque ulla reverà offerunt ; et aliunde magnum est nomen Jehovæ in gentibus, et ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur et offertur nomini ejus oblatio munda. 5° Vocatæ sunt ad cognitionem veri Dei gentes, usque ad quem eventum significaverat patriarcha Jacob duraturum statum Judaicum, in celebri isto vaticinio, Gen. 49, in quo Messiam prædictum crediderunt omnes olim Judæi, et quòd sic vertentur omnes interpretes : *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui... non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium ;* seu, et *ipsius erit congregatio populorum.* Si Messias sit expectatio gentium, si ipsius proprium officium sit, juxta omnes Prophetas, illas in cognitionem veri Dei et religionis unitatem colligere : ergo jam venit, cùm hoc effectum sit, nec amplius expectent gentes novum de cœlo doctorem. 6° Templum illud

secundum, quod ædificavit Zorobabel, debebat esse Judæorum ultimum, juxta Daniele m. 3, Aggæum c. 4, et Malachiam c. 5; sed illud jam dirutum est mille fermè et septingentis abhinc annis. 7^o Præsignaverat Daniel c. 9 septuaginta hebdomadas annorum seu annos 490 à restauratione urbis usque ad unctionem Sancti sanctorum, prophetiarum impletionem, expiationem peccati, urbis destructionem et abolitionem sacrificiorum, quæ septuaginta hebdomades jam effluerunt. 8^o Interiit regnum à Daniele prædictum, c. 2, quo tamen permanente, constituiti divinâ virtute debebat regnum æternum Messie, et iniri novum fœdus. 9^o Advenit dies Domini magnus et horribilis, quo rescissum est pactum in monte Sina ininitum, et terra Chanaan percussa est anathemate, juxta hæc verba Malachiae, quæ claudunt propheticos sermones veteris Testamenti: *Memento legis Moysis servi mei, quam mandavi ei in Horeb. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam et percutiam terram anathemate.* Hæc fusiùs aliàs evolvuntur.

2^o Præsens Judæorum conditio legem abrogatam et rescissum fœdus Mosaicum clarissimè demonstrat. 1^o Istius fœderis conditiones non servat amplius Deus. Fœdus quippe illud his verbis complexus est Moyses: *Jehovam elegeristi hodiè, ut sit tibi elohim* (seu rex et protector) *et obedias ejus imperio, et Dominus elegerit te, ut sis ei populus peculiaris, in nomen et laudem et gloriam suam.* Fœdere igitur illo obstrinxerat se Deus ad tuendam illam gentem, eandemque ab aliis separatam speciali providentiâ regendam, quo regis munere diligentissime perfunctum esse oim Deum supra ostendimus, leges dando, ministros constituendo, dividendo pro meritis præmia vel supplicia, omniaque alia regalis potestatis officia obeundo. Verùm à 1800 annis planè illius populi res deseruit, nec ullum obiit regalis potestatis officium; nulla edidit apud illos miracula, quibus ad se suorum animos solebat convertere; nullos misit ad eos Prophetas, qui eos de consiliis suis admoneant; non amplius sunt in nomen et laudem et gloriam Dei sui; urbis et templi destructionem, cultus abolitionem, universæ gentis excidium passus est, nec adhibuit ad recreandos Judæorum animos solatium ullum; nullam dedit restitutionis spem: uno verbo, apud eos Deus non amplius est politicus princeps, qualem se præbuerat; caret ditone, caret palatio,

caret throno, caret subditis, caret ministris, et si quem hodiè cultum Judæi exhibeant Jehovæ, non ut regi et capiti reipublicæ, sed ut Deo exhibent; ergo fœdus illud, quo in politicum reipublicæ caput electus fuit, jam est solutum. 2^o Deus fœderis Mosaici conditiones non modò non amplius servat, verùm etiam legis suæ partes omnes abrogavit, efficiendo ut earum observantia esset impossibilis. Juxta clarissima Moysis verba, omniumque Prophetarum, oportebat Judæos usque ad Messiam ducem, et quamdiù fœdus Mosaicum subsisteret, terram Chanaan incolere, gentem esse separatam ab aliis, Deoque exhibere cultum juxta instituta Mosaica. Nullus alius esse potest sensus istarum vocum, quibus legi tribuitur æternitas, perpetuitas, indefectibilitas; clara sunt etiam in hanc rem hæc Davidis verba: *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: hæc requies mea in seculum seculi; hæc habitabo, quoniam elegi eam;* et hæc alia: *Elegi et sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* Luculenta sunt etiam hæc verba Malachiae totius prophetiæ ultima: *Memento legis Moysi servi mei: ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Debebat ergo Deus, quamdiù rex futurus erat Judæorum, habitare montem Sion; debebant permanere ibi oculi ejus et cor ejus cunctis diebus; debebant Israelitæ usque ad adventum Eliæ prophetæ servare legem Moysis. Si ergo deseruerit locum istum, si legis observantiam reddiderit impossibilem, non est amplius rex Judæorum, et lex abrogata est. Sed manifestissimum est, ex quo abominatio desolationis constituta est in loco sancto, Deum illum locum deseruisse; clarum est ex quo Deus Judæos in omnes terræ plagas dispersit, nullam religionis, quæ templo alligata erat, partem posse consistere; manifestum est denique, ex quo civitas dissoluta est, judiciarias leges nullam vim servare; manifestum est ergo universam legem abrogasse Deum, nec clariùs mentem suam potuisse significare. 3^o Non solum Deus non servat fœderis in monte Sinai initi conditiones, impossibilemque reddidit legum suarum observantiam; sed in Judæos tanquam perduelles à 1800 annis animadvertit; ac pluribus prodigiis ac eventibus singularibus significavit invisum sibi esse eorum genus et ingrata munera. Dùm adhuc staret templum Jerosolymitanum, quadraginta circiter annis ante excidium, visa esse in templo

spectra, res miras et prodigiosas, referunt Judæi doctores in Talmude et in aliis libris: auditam vocem à sacerdotibus in festo pentecostes, narrant Josephus et Tacitus, è Sancto sanctorum prodeuntem, et auribus clarè insonantem verba hæc: *Exeamus, exeamus*.

Apud Josephum, lib. 6 de Bello Judaico, c. 6, sequentem legimus historiam: « Jesus quidam, Anani filius, vir plebeius et rusticus, quadriennio priusquàm bellum esset exortum, adhuc pacatà civitate et rerum omnium copià abundante, cum ad festum venisset quo tabernacula in honorem Dei defigi ab omnibus mos est, juxta templum repentè exclamare cœpit. *Vox ab oriente, vox ab occasu, vox à quatuor ventis, vox in Jerusalem et in templum, vox in sponso et in sponsas, vox in universum populum*; idque noctu et interdum clamitans omnis civitatis vicus circuibat. Nonnulli verò ex primoribus populi, diritatem omnis ægrè ferentes, hominem corripiant, multisque verberibus afficiunt; at ille nec pro se quidquam locutus, nec eos qui ipsum verberabant privatim deprecatus, eadem quæ prius verba inclamare non destitit. Proinde magistratus Judæorum rati diviniorem esse hominè motum, eum ad præsidem Romanum adducunt, apud quem ad nudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas ulla effudit, sed quantum maxime poterat, flebili et lugubri modo vocem inflectens, ad singula verbera clamabat: *Væ, vae Jerusalem!* Ille verò ad belli usque tempus, neque quemquam civium alloquebatur, sed quotidie velut precationem quamdam meditatus, *væ, vae Jerusalem!* lamentabatur; neque verò cuiquam imprecatus est, cum in dies singulos vapularet, neque cibum impertienti benedicebat: una autem ejus responsio ad omnes erat, triste præsagium. At maxime in festivitatibus vociferabatur, idque cum annos septem et quinque menses fecisset, neque voce raucus erat factus, neque delassabatur, donec obsidionis tempore perspectis reipsà auguriis quievit; nam in mœnibus obambulans iterum, *væ, vae civitati et templo et populo!* voce altè clamabat; ubi autem ad extremum adjecit: *Væ etiam mihi!* lapide ex balistâ excusso ictus statim occubuit, animamque, dum adhuc ista omnia loqueretur, dimisit. » Hæc Josephus Divina inclementia, ut habet Bossuetius, sese quasi conspicuam et visibilem præbuerat in isto homine, qui nullo vitæ fungebatur officio, nec vivebat, nisi ut dira vaticinaretur: dederat illi vires plus quàm humanas, ut clamoribus adæquaret populi

infortunia; occubuit tandem victima istius vindictæ, quam tamdiu portenderat: fuit in ipso nomine infaustum augurium, et videtur voluisse Deum ut propheta, Jesus nomine, ineluctabile fatum et præsens exitum annuntiaret, ac esset ominosum nomen pacis et salutis, quod in Christo Judæi contempserant.

Insana Judæorum in obsidione contumacia superat omnem fidem, nec quidquam divinam in ullum populum iram clariùs ostendit: Titi clementissimi imperatoris monita et minas contempsere; veniam oblatam sprevèrè eo ipso tempore, quo nulla erat salutis spes, et pertinaci defensione eò usque accenderunt militum. Romanorum adversum se animos, ut nullam sibi reliquerint ad salutem viam. Perière ergo undecies centena millia; urbs funditus eversa est; templum, invito Tito, flammis consumptum fuit, tamque evidens erat in illo infortunio divini numinis ira, ut imperator negaverit suis armis interiisse Jerusalem, neque laureas sibi ob victoriam à variis populis oblatas accipere, nec congratulatorias orationes audire voluerit. Post excidium urbis annis quinquaginta duce Bar-Cocheba rebellantes ab Adriano imperatore oppressi sunt: ille interfectis sexcentis millibus reliquos sub hastâ vendidit, prohibuitque ne ad urbis suæ ruinas accederent, aut etiàm è longinquo in easdem converterent oculos, ita ut tempore S. Hieronymi pecuniâ redimerent à militibus lacrymandi licentiam. « Usque ad præsentem diem, inquit ille Ecclesiæ doctor, perfidi coloni post interfectionem servorum, et ad extremum filii Dei, excepto planctu prohibentur ingredi Jerusalem, et ut ruina suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt; ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, et nequidem fletus eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est à Romanis, et diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas et senes, pannis annisque obitos, in corporibus et in habitu suo fram Domini demonstrantes; congregatur turba miserorum et patibulo Domini coruscante ac radiante ex anastasi ejus, de Oliveti quoque monte crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, et tamen non esse miserabilem; adhuc fletus in genis, et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat. »

Sed nullum est argumentum illustrius divinæ in istam gentem iræ eventu illo, quem temporibus Juliani imperatoris contigisse consen-

tiente voce referunt scriptores tum christiani, tum ethnici, tum judæi. Impius ille princeps in odium Religionis christianæ, et ut vanitatis Christi Domini vaticinium de perpetuo interitu templi convinceret, illud instaurare sumptibus inmodicis statuit. Cogniti imperatoris consilio Judæi ex omnibus mundi partibus concurrunt, omnia parant ad ædificium, imperatore excitante, pecunias suppeditante et auctoritate suâ inceptum promovente. Sed dum stadiit Domini vaticinia eventu frustrare, illa reverâ adimplevit; licuit illi imperatori et Judæis, veteris templi fundamenta diruere, et efficere ut non remaneret lapis supra lapidem; sed nova ponere fundamenta non licuit. Quid evenerit, docet Ammianus Marcellinus scriptor ethnicus, æqualis temporum, Juliani laudator. « Julianus, inquit, l. 23, c. 4, imperii sui memoriam magnitudine operum gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jerosolymam templum instaurare sumptibus cogitabat inmodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo, elemento destinatiùs repellente, cessavit inceptum (1). » Alias circumstantias hujus memorabilis eventus referunt historici ecclesiastici, inter quos Sozomenus sic hanc historiam concludit: « Quòd si cupiam hæc incredibilia videbuntur, fidem ei faciant ii, qui acceperunt ab hominibus, qui res ipsi viderant, qui opus imperfectum dimiserunt, aut, ut verius dicam, ne inchoare quidem potuerunt. » Et reverâ pertinax illa gens Judæorum, præcipuè à prin-

(1) Est inter ipsa Juliani scripta fragmentum epistolæ, ex quo magna accedit auctoritas relationi Ammiani Marcellini, in quo imperator confitetur quòd nuper ejus fuerat consilium templi Jerosolymitani instaurandi. Habemus etiam Judæos consentientes: in diebus R. Chanan et sociorum ejus, ait R. Gedaliah Ben Joseph Jechiaa, anno circiter orbis conditi 4349, memorant libri annalium, magnum in orbe universo fuisse terræ motum, collapsumque esse templum, quod struxerunt Judæi Jerosolymis, præcepto Caesaris Juliani apostatæ, impensis maximis. Postridie ejus diei (quo mota fuerat terra), de celo ignis multus cecidit, ita ut omnia ferramenta illius ædificii liquescerent, et amburerent Judæi multi atque adeò innumerabiles. Apud Wagenseil. Tela ignea satanæ. Errat hic ubi narrat extractum templum fuisse, sed hic error demonstrat illum auctorem, nec Ammianum, nec Christianos exscripsisse.

cipe excitata, ab illo opere nequaquam nisi divinâ virtute potuisset abndci. Denique à 1800 annis miseram et ærumnosam vitam agit ille populus apud extraneos, patrio solo extorris, sine sede fixâ, nullâ fruens requie, sed corde pavido, uti vaticinatus est Moyses, deficientibus oculis, animâ mœnore consumptâ, quasi pendentem ante se vitam infelix protrahit, factus in opprobrium, in fabulam, et in proverbium cunctis gentibus.

Dices 1^o: Ex præsentî conditione Judæorum non magis efficitur rescissum esse pactum Mosaicum, quàm in tempore captivitatis Babylonice idem concludi potuit: carebant quippe tunc civitate, templo, sacrificio, etc. Attamen firmum ratumque mansit tunc foedus Mosaicum: ergo et hodiè manet.

Respondeo ex utriusque eventus comparatione multum confirmari vim nostri argumenti, nedum illa elevetur. Nam 1^o si durationem spectamus utriusque calamitatis, nulla omninò inveniatur proportio: illa nonnisi septuaginta annis à primo initio, seu ab anno quarto regni Joachim duravit; hæc obtinuit jam annis fermè mille octingentis, id est, per diuturnum magis temporis intervallum, quàm steterat respublica Judæorum. 2^o Tempore Nabuchodonosori remansit Jerosolymis et in Judæâ magna pars populi, effecique divina providentia, ut nullæ ibi transferrentur coloniae, nec vicini populi vacua loca occuparent; è contrariis post ultimum excidium Romani novam urbem, Æliam nomine, condiderunt, ad quam accedere, vel etiam oculos convertere sub pœnâ capitis Judæis omnibus vetitum fuit. et ad unum omnes terrâ Chanaan pulsî sunt. 3^o Dispar valdè sors Judæorum fuit: in Babylone suos judices habebant, qui secundum legem Mosaicam jus dicebant; imò legimus Nabuchodonosorem extulisse thronum regis Joachim super thronos regum qui cum ipso erant in Babylone; in præsentî verò dispersione, in toto orbe, ne unicam quidem habent civitatem, sed ubique obtemperant legibus alienis, et principibus nomini suo infestis. 4^o In captivitate Babylonicâ addebant Judæis animos clarissima Prophetarum vaticinia: septuaginta annos determinaverat Jeremias, Isaias liberatorem Cyrum nomine compellaverat, Ezechiel novæ urbis et templi formam descriperat; ex quibus omnibus certò apud Judæos constabat se aliquando in patriam tellurem reducendos esse. Sed quàm dispar rerum in hæc captivitate facies! Nulli recreantur promissionibus divinis,

alienam gentem sua possidere cernunt, nomen suum invisum omnibus populis sentiunt, suis conatibus et inceptis obstare numen semper experti sunt : ergo nulla convenientia inter hanc et illam captivitatem, atque si illa divinæ in populum iræ propter idololatriam indicium fuit, hæc propter aliquod majus scelus summæ inclementiæ erit argumentum, de quâ re aliâs.

Et verò illa captivitates, quæ stante civitate, et nondùm soluto fœdere Mosaico, Judæis contingebant, necessariò breves esse debebant; aliâs Deus finem suum non obtinisset; fuit etenim Dei consilium in promulgandâ lege Mosaicâ ut apud gentem saltem unam vigeret sui cognitio; idcòque necesse fuit ut illam separatam à cæteris nationibus in terrâ Chanaan servaret : et propterea videmus Deum Judæos sæpiùs immerentes, et nequaquàm conversos ab hostibus liberâsse et reduxisse in patriam, ut gloriam suam vindicaret, et eos tangeret beneficiis, quos pœnâ non afficiebat : apud Ezechielem cap. 36, sic eos Deus alloquitur : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis in gentibus ad quas intrastis, et sanctificabo nomen meum magnum... ut sciant gentes quia ego Dominus.*

Clariora sunt ejusdem prophetæ verba cap. 20 : « Neque cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium : Erimus sicut gentes et sicut congregationes terræ, ut colamus ligna et lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos; et educam vos de populis, et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis in manu validâ; et in furore effuso regnabo super vos; et adducam vos in desertum populorum, et judicabor ibi vobiscum facie ad faciem, sicut iudicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti. Sic judicabo vos, dicit Dominus Deus, et subjiciam vos scepro meo, et inducam vos in vinculis fœderis... et scietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, et non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel, ait Dominus Deus. » Ex quibus patet Deum, quamdiù mansit fœdus Mosaicum, illam gentem etiam invitam rexisse suis legibus, et coegisse ad obsequium, nempe ad vindicandum nominis sui gloriam; et proinde cùm erga eos contrariâ prorsus ratione agat, sequitur eos non ampliùs esse Dei peculium, nec electos specialiter in laudem et nomen et gloriam suam.

Dices 2º : Deus speciali providentiâ Judæos conservat et tuetur : ergo fœdus Mosaicum non est abrogatum. — Respondeo conservationem Judaicæ gentis maximum esse prodigium, et ex eo sequi Deum specialem eorum curam gerere, sed nequaquàm concludi potest stare fœdus Mosaicum; nam 1º Judæos conservat Deus, quia hoc patribus promiserat ante datam legem Mosaicam. 2º Quia hæc eorum infelix conditio Christo testimonium perhibet evidentissimum, tum quòd in Scripturis veteris Testamenti hæc calamitas prædicitur subsequutura occisionem Christi; tum etiam quòd hoc infortunium cum omnibus circumstantiis prædixerit Christus Dominus; tum denique quòd in nullum aliud scelus, nisi in id admissum in morte Christi refundi possit tam diuturna, tam universalis, tam acerba calamitas, uti infra ostendemus: profugiet vagi super terram, sicut Cain ille fratricida, omnibus in memoriam revocant fuscum à se sanguinem justis Abelis, iramque Domini in habitu demonstrant. 3º Tuetur Judæos Deus ad fidem Evangelii confirmandam: testes sunt, certè omni exceptione majores, authenticitatis et integritatis sacrorum codicum, in quibus ponitur nostra fides; si omninò extincta fuisset ista natio, negarent forsitan infideles ullos unquam fuisse ante Christum Prophetas, illaque eorum scripta à Christianis conflicta dicerent; negarent ante tempora christianæ Religionis viguisse apud Judæos expectationem Messias. Ut hisce objectionibus nullus esset locus, voluit Deus ut à maximis Religionis christianæ inimicis ducerentur gentes ad fidem Evangelii, et ab iis acciperent principia, ex quibus evidenter eruitur divina Religionis nostræ origo. 4º Denique tuetur Judæos Deus, quia benigna sunt illius consilia in reliquiis istius gentis; veniet aliquando tempus, cùm ad Christi fidem conversi in ejusdem Religionis societate cum gentilibus conjungentur: hoc prænuntiavit Apostolus, hoc cecinere antiquiores Prophetæ, inter quorum oracula valdè illustre est istud Oscæ cap. 3, v. 4, quod Judæi solent applicari præsentì captivitatì : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, sine ephod, et sine teraphim; et post hæc revertentur, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, et pauebunt ad Dominum, et ad bonam ejus, in novissimo dierum.* Habemus in isto vaticinio descriptam hodiernam Judæorum conditionem; carent quippe civitate, principe, sacrificio, etc. Habemus etiam causam istius calamitatis: nescie-

runt siquidem seu reprobaverunt David regem suum, id est, Messiam, qui sæpius hoc nomine donatur in Scripturis, quia filius David futurus erat, et à David erat adumbratus. Animadvertendum est non dicere prophetam, post hæc tempora venturum regem suum, sed dicit Judæos conversuros se ad David regem suum; ex quo efficitur illum in propria venisse, et suos cum non cognovisse. Habemus denique

eorum futuram conversionem in istis verbis: *Et pavebant ad Dominum, et ad bonum ejus in proximis diebus*: nullum majus bonum à Deo venit hominibus Messia, ejusque Evangelio; ergo Judæi se ad Deum convertere non possunt, nisi paveant ad illud bonum ejus, nisi quærant David regem suum, de quo infra mox disputaturi sumus.

Appendices.

§ 1. — PREAMBULA.

1° *Præjudicis adversus incredulitatem* (1).

« Depromuntur ex vitio, tum doctrinæ ipsius, tum personarum quæ eam tuentur.

« 1° *Ex naturâ doctrinæ.* — Primò dignitati hominis est injuriosa. Quippe, si incredulitati fides, quænam est hominis natura? Levis pulvisculus et atomorum acervus. Quænam causa? Cæcus mechanismus, aut fortuita combinatio. Quæ existendi conditio? Eadem quæ plantis aut belluis, super terram sine consilio disjectis. Quis operandi modus? Idem ac machinæ mota necessariò agitatz. Quis tandem finis? Nihilum.

« Secundò ejus felicitatis inimica. Namque sub fortunæ dominio nulla securitas, sed subitanæ cladis et exitiî metus. Calamitatibus quibus obsidetur misera nostra conditio nullum affulget solatium; sed manet nos, aut rabies impotens adversùs inexorabile fatum et necessarias orbis vicissitudines; aut tranquilla submissio et stoica quædam indifferentia, quæ in animas naturâ sensibiles non cadit; aut suicidium, quod toto nisu refugit humanitas, quodque in annihilationem desinat. Quale autem remedium hæc annihilatio, quæ omnem voluptatis sensum perimit, et innatum felicitatis desiderium, nedùm expleat, vertit in certissimam ejus unquam explendi desperationem? Imò, cum incredulo nunquam illuxerit futuræ illius annihilationis invicta demonstratio, ne quidem fruitur securitate quam optare non horret; fluctuat anxius inter annihilationem dubiam et pœnas inevitabiles, si fallat eum annihilatio: atque adeò vitæ alterius, cujus lætissimam spem abjicit, terrores omnes, et sine compensatione, experitur.

« Tertiò mentem, veri appetentem, perplexam et in incerto suspensam relinquit, circa capita

(1) Vid. not. ad calcem col. 12 hujusce vol.

quæ, cum in praxi tota consistant, maximi aut ad rectam aut pravam vitæ institutionem momenti, puta circa suam originem, destinationem, naturam summi boni: de his, inquam, nihil fixum, nihil ratum habet incredulorum philosophia; nihil affert quod animam tranquillare possit; eique purissimam ingerere voluptatem in adeptâ veritate securè conquiescendi: exhibet è contra perpetuas opinionum varietates, ac mille repugnantias nullo unquam judice dirimendas, nisi solâ ratione, cujus edicta unusquisque conflagit ad nutum. Hinc anxietas et molestia; hinc veri inveniendi desperatio; ac tandem aut mentis nihil credentis torpor; aut alicujus è pessimis systematibus electio, tam fortuitò facta quàm pertinaciter defendenda; aut effrenata quidlibet sentiendi, effrenatiorque quidlibet dicteris impetendi licentia.

« Quartò animum avocans à virtute. Equid enim boni ageret, inscius omnium quæ mores dirigere deberent? Quid eum decet, nisi continua sui oblitio, usura præsentis, et nulla in futurum prospicientia? Imò, si Deus aut omninò non sit, aut sit iners; si corporea mens, aut mortalis; si fatum in omnes et omnia dominetur; jam à fundamentis virtus ruit; jam nullus ordo, nulla lex viget: aut, si quod supersit virtutis et vitii discrimen, non alio principio quàm privatâ utilitate metiendum est; quisque suus sibi statuitur finis ultimus; virtus erit egoismus, sui amor exclusivus, honorum præsentium appetitus et per media quælibet associatio: vitium evadit beneficentia, generositas, æquitas ipsa, cum multis se ipsam defraudare sæpè juberet.

« Neque dicatur publicæ quoque utilitatis habendam esse rationem; et ex utriusque commodi concordia virtutem exurgere. Quippò,

si ambo conciliari non possint (et rarè possunt), necesse est prævalere personale commodum; virtus hoc unum præcipit, cum minimo aliorum malo (at etiam cum maximo, si aliter fieri non possit), prosequendum esse bonum suum, cupiditatis hic et nunc urgentis iudicio maximum. Quin etiam, virtutis essentia in certo quodam boni privati ad publicum respectu positâ, quàm steriles sunt istæ ordinis et relationum idæ, quæ moralem officii sensum in combinationem merè physicam, et peccatum in aberrationem calculi convertunt! Tandem, vel incorruptâ remanente virtutis notione, quot ipsi subduccerentur adminicula! Dei semper intuitus reverentia, ei placendi desiderium, benefactorum futura merces, delictorum pœna: quorum in locum succederet annihilatio, æquo pede probum improbumque pulsans.

« Quintò inclinans ad vitium . ipsum scilicet honestat, ex modò dictis; et, nomine, deformitate, naturâ mutatis, loco virtutis obtrudit. Submovet odium quod animis naturâ honestis insidet: si enim flagitiosus ad belluæ vel automati conditionem redigatur, non magis criminis reus est quàm lapis hominem subjectum obruens, aut lupus viatorem dilanians. Deinde tolle Deum, tolle libertatem, sustulisti immunitatem pœnarum formidinem, ipsam conscientia stimulum energiam, neque locus datur occulto animi seipsum damnantis iudicio. Quodnam igitur supererit grassanti vitio repagulum? An suppliciorum civilium metus, aut præmiorum spes? An horror infamiae, vel ambitio nominis in historiâ celebrandi? At societas delicta omnia plectere, vel benefacta etiam publica præmiare non potest. At multi sunt homines, multi actus ad quos fama vel infamia non pertinet. At scelus occultandum, excusandum, in alios contorquendum, aut supplicium cludendum sperari potest. At, etc.

« Sextò ordini societatis et imperiorum tranquillitati exitiosa. Dùm enim clamitat societates solo violentiæ aut utilitatis impulsu conditas fuisse; non stare nisi mutuo et dissolubili civium rectorumque contractu; dominationem omnem repugnare conditionum æqualitati, contra quam nulla lex, necessitas aut consuetudo potuit unquàm præscribere, ac tandem superiorum jus omne, jus esse fortioris; omnemque inferiorum obligationem solâ imbecillitate vel utilitate fundari; evanesceit, ut patet, sacra legum majestas, principum auctoritas, civium mutua fides et securitas.

« Et verò si nullum sit inter cives et princi-

pes necessitudinis vinculum, præter utriusque partis utilitatem, ergo obediendi officium non latius patet, aut diutius viget, quàm privatum commodum; cujus quidem supremus iudex et provisor erit pro innato sibi jure, quodlibet societatis membrum. Quis porrò his principis imbutus, si malè habeat et vires suppetant, non erit ad ciendam rebellionem et tentandum regicidium pronus? Si autem se princeps existimet finem ultimum cui debeant inservire subditi, velut brutum pecus, ad celsitudinis suæ felicitatem unicè natum; si simul adverterit cavendum tamen esse ne populi hoc, quod inesse sibi arbitrantur, rebellandi jure abundantur; quid superest, nisi ut illos graviori in dies iugo premat, et, libertatis aliquando vindicandæ medium omne subtrahendo, suæ sibi tyrannidis impunitatem asserat? Ecce igitur ad rebellionem, ad tyrannidem, ad anarchiam ducit incredulitas.

« Neque dixeris incredulos omnes non esse atheos, materialistas, fatalistas, et toti sectæ tribuendos non esse quorundam errores nimis absurdos. Nam 1^o quisquis, excusso semel auctoritatis Ecclesiae iugo, cœpit fidem ad dictamen rationis ita informare, ut nihil credere velit nisi quod evidenter intuetur et comprensivè intelligit, variis gradibus et necessario lapsu decidit in hæresim, tum in socinianismum, deinde in deismum, in pyrrhonianismum, tandem in atheismum, ut infra magis evolvetur. Et reipsâ seriè eventuum consideranti facile patebit impuram hanc esse grassantis nunc impiorum sectæ genealogiam, ita ut semper à malo ruant in pejus, et non minùs verè quàm ingeniosè dictum sit: *Leur manière de philosopher n'est au fond que l'art de décroire*. Ergo, si ad extrema quæque non progrediantur omnes, non satis aptè et cohærenter loquuntur; et nihilominus verum est eò abripere nativam incredulitatis indolem, ideòque ipsi meritò imputari probra hæc et detrimenta quæ deploramus, licet à se amoliri conetur. 2^o Et reipsâ, prædicta quotquot sunt placita plerique nunc imperterriti profitentur increduli: neque ulla est hodiè diffusior et usu magis recepta incredulitatis forma. 3^o Vel inter deistas reverentiores, qui religionem naturalem servare et solam revelationem abjicere se prædicant, nullus laudari queat qui non impeerit in errores solâ ratione refellendos; et quædam flagitia ipsâ lege naturali vetita non probaverit, puta suicidium, rebellionem, luxum et impudicitiam.

« Hæc in quibus liberius exultare solet

oratorum facundia, breviter tantum indicavimus. Quam dispar sub revelatione, præsertim christianâ, rerum facies! Eam exhibendi locus erit, ubi generatim de utilitate revelationis spectatim verò de christianæ religionis sanctitate et sapientiâ disseremus. Observemus interea bis improbam et nocentem esse incredulorum sectam: primum scelus est, nefariis dogmatibus inferre mala quæ divinus: alterum, infinitis defraudare commodis quæ ex concordii Christianismi professione in omne genus humanum redundarent. Quæ cum ita sint, cum bonis omnibus horrorem et luctum movere debeat incredulorum doctrina, quâ fronte beneficientiam, humanitatem, boni publici studium continuò et arroganter decantant? quo iure se benevolos generis humani pædagogos instituunt? Deinde quanto debet esse veris fidelibus solatio, cum advertunt neminem ferè posse fidem abnegare, quin in absurda quæque ruat, et ad convellenda sacratissima virtutis et honestatis fundamenta prorumpat, jam omnis freni impatiens! Hinc tandem nascitur non modò præjudicium, sed et firma adversus incredulitatem demonstratio. Cum enim repugnet à se invicem divisas esse veritatem, et communem omnium utilitatem, sequitur falsam esse doctrinam, quæ universali bono felicitati que tum publicæ tum privatæ adversatur. Meritò igitur Jean-Jacques Rousseau: « Fuyez ceux qui, sous prétexte d'expliquer la nature, sèment dans le cœur des hommes de désolantes doctrines... Ils arrachent du fond des cœurs le remords du crime, l'espoir de la vertu, et se vantent encore d'être les bienfaiteurs du genre humain. Jamais, disent-ils, la vérité n'est nuisible aux hommes: Je le crois comme eux; et c'est, à mon avis, une grande preuve que ce qu'ils enseignent n'est pas la vérité. »

« 2^o *Ex indole incredulorum.* — Primò sunt hominum inconsideratissimi. Præcipua enim sapientiæ lex est, in necessariis amplecti partem aliquam, in dubiis partem et probabiliorum et tutiorem; atqui nihil horum præstant. 1^o De religione nihil pro certo habent, nisi Christianismo credendum non esse: ceterum ignorare quænam religio tenenda sit, ideòque nullam profiteri se libenter agnoscerent. Attamen non datur medium, cum religio consistat in praxi; quisquis de illâ indifferens est, eo ipso irreligiosus fit. 2^o Etsi renuant demonstrationes in religionis gratiam militantes agnoscerent, eam tamen magnis probabilitatibus commendari, ejusque sectatoribus, etsi falsa foret, nihil pe-

riculi metuendum esse, bonâ fide diffidit non possunt. Atqui, in eo controversiæ statu, insanum est partem quam sequuntur amplecti; partem, ut diximus, abjectissimam, anxietatis et miseræ plenam in præsentî vitâ, ac præsertim periculosissimam, pro ætate post mortem (probabiliter, ut conceditur), extiturâ.

« Secundò testes sunt in propriâ causâ, ideòque non audiendi: aut saltem ea est plerumque conditio. Tempus fuit quo religionis veritatem persuasam habere: quando nam incipit dubitatio? Simul ac vitium et libido: inde mali labes. *Naturale est odisse quem timeas, et quem metueris infestare si possis*, inquit Minutius Felix in Octav.; et melius de la Bruyère, chap. 16, *des Esprits forts*: « Je voudrais voir un homme sobre, modeste, chaste, équitable, prononcer qu'il n'y a point de Dieu; il parlerait au moins sans intérêt; mais cet homme ne se trouve point. » Itamen non sumus qui cæno voluptatum turpiter volutari accusemus quotquot irreligionem profitentur: at, cum nullis cupiditatibus pareat Evangelium, cum non modò fugam mali, sed virtutum omnium officia præcipiat; quis, in illo insectando, verè dixerit se nullo, nisi veritatis, commodo moveri; non intemperatâ quâdam curiositate, superbiâ mentis et independentiâ, quilibet audacter sentiendi libidine, non ambitione sibi laudem ac discipulos apud certam hominum classem comparandi? Imò non statuimus eos omnino malâ fide agere, et evidentæ, cuius conscii sint, oculos claudere, sed vel unâ cupiditate veritatem obscurari posse notum est; quanto magis si plures, agmine facto, in eamdem veritatem obnubilandum conspiciunt?

« Tertiò sunt plerumque iudices imperiti, qui causam de quâ pronuntiant non probè noverint. Fateantur enim quod res est; origo dubii fuitne perceptio ejusdam argumenti quod ipsos hucusque laterat? Eodem ingravescente dubio, attuleruntne ad veritatis investigationem mentem attentam, animum præjudiciis liberum, iudicium sanum, studium constans? Vix illis instructi religionis rudimentis que tradi pueris solent, in evolvendis devorandisque incredulorum libris, quotquot sibi præstò fuerunt, toti incubère; nostros autem penitus neglexerunt; et tot scriptorum quibus breviter et clarè demonstratur religionis veritas, ne unum quidem attigerunt: atqui accusationibus aures præbere et apologis claudere, objectionibus delectari, et non curare de responsis, partem unam attendere, non alteram,

judicis est iniqui, studio partium abrepti, veritatemque refugientis. Et verò in sectâ distinguunt debent magnates et vulgus. Priores, quos etiam duces et antesignanos dicere possumus, celam manum admoventes ad propagationem veritatis (ut vocant), quænam exhibent studii diligentis et accuratæ considerationis specimina? Ad satietatem usque congerunt difficultates ex historiâ, chronologiâ, physicâ petitas, Minervâ non suâ confictas, sed à Celso, Porphyrio, Juliano, aliisque veteribus christiani nominis hostibus inventas; ne quidem in ipsis fontibus haustas (quod esset operosius), sed nullo negotio exscriptas à quibusdam auctoribus anglis; quas Angli ipsi non è penu suo depromperunt, sed studii paulò magis patientes apud Socinianos, Judæos, Manichæos, aliosque veteres incredulos collegerunt. At objectiones illæ qualicumque responso non caruerunt: atque adeò postulabat assequendæ veritatis studium pervolvi SS. Patres et veteres apologistas, saltem perlegi recentiora nostrorum opera, et solutionum quas afferunt veritatem novis argumentis demonstrari. Verùm ipsi non ita: sed, neglectis responsis quæ viris non impudentibus ora clauderent, eadem semper cantant ac recantant. Sciscitamus ergo an defensiones nostras noverint, necne? Si noverint, ubi bona fides? Quidni silent, donec meliora et veriora nostris afferre queant? Si nesciant, jam in his desideramus eam attentionem et scientiam quæ ad litem tantî momenti dirimendam requiritur. Quod autem ad vulgus incredulorum attinet, novimus et quale sit; grex humilis et sequax, mulierculis et juvenibus vaniloquis constans, nullius aut levis admodum literaturæ, laboris omnis et studii impatiens, non cogitans aut loquens quæ sua sint, sed aliorum cogitata, verba ipsa repercutiens more saxi quo resonat echo; cui suprema opinionum suarum ratio sit effatum: *Ipse dixit* (Voltarius nempe, aut quisvis ejusdem farinae); cui proinde ipsius incredulitatis placita totidem sint articuli fidei, id est, ex solo auctoritatis dictamine admissa, quantum auctoritatem omnium maximam abjecisse se gloriatur ut rationi soli obsequeretur. Quis in causâ omnium gravissimâ pares iudices admittat, quos experiri nollet in nugis?

« Quartò præcones hypocritæ doctrinæ, cui minimè credunt, quam pudendam ipsi detestandamque persentiunt. Si secus, cur illius consecraria, nimis evidenter ac necessariò connexa cum principiis, apertè non faterentur?

Cur aliam personam induerent in scriptis, aliam in societate? Cur tantoperè metuere ne ad istius philosophiæ normam uxor, liberi, famulique sui mores componerent, et ipsi vivere crederentur? Si quis libellus è tenebris emergat ad lucem publicam, omni curâ celatur auctor, aut fingitur vir de republicâ benè meritus, et jam à pluribus annis in sinu religionis demortuus. Si fortè detegatur auctor, et immincat legum severitas aut etiam ecclesiastica censura, statim videbis palinodiam cantare paratum, nec ulla promissa vel juramenta detrectantem. In tantâ factorum dictorumque dissensione, dicant ipsi quibus credendum sit: si veritatem animo altè infixam habeant, quale dedecus eam turpi mendacio dissimulare! Si falsitatis sibi conscii sunt, quale scelus religionem scienter proscindere calumnias!

« At cordis intima scrutemur: cum defervet cupiditas, clamat ratio, premit adversitas, præsertim cum mors instat, quid tum de ipsis agitur? Infremunt, pallent, contremiscunt, deliria sua intus execrantur: testes sunt, quos vidimus, non paucos, conscientie pungentis aculeis devictos, tandem errores palam ejurare, sprete dii religionis solatia implorare, sese simplicibus ac idiotis timidores, ferè dixi superstitiosiores exhibere, ac tandem Epicurum imitari, de quo apud Tullium ait Cotta: « Nec quemquam vidi qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret, mortem dico et Deos; » atqui hæc arguunt fidem nunquam in eorum pectore penitus extinctam; nec enim mentem novis rationibus collustrat mors imminens, sed incredulitatis larvam, sub quâ fides latebat, detrahit.

« Quintò idoneâ et verè philosophicâ methodo non procedunt. Cum enim disputationis summa posita sit in factis, si quæ sit accurata religionem impugnandi methodus, ea sola quæ factorum certitudinem et monumentorum authenticitatem elevaret; atqui non ita disputant increduli. Alii ne quidem disputant, sed derident, quas irideresit ratiocinari. Alii facta negant et pernegant, solâ negandi prurigine. Militant quidam rationibus quæ ad pyrrhonismum universalem necessario lapsu ducerent. Quidam respondent, fortè, forsitan; et certitudinem verisimilitudine, facti realitatem possibilitate non facti, refellere contendunt. Plures metaphysicis argutis pungant, et factorum quæ contigisse probantur impossibilitatem obtinent. Tandem utuntur omni ferè genere sophismatum, quæ logici recensent: modò peti-

tione principii, pro certo assumentes quod controversum et probandum est; undè miras posthàc et multiplices in infinitum consequentias deducant: modò statuunt *non causam pro causâ*; dùm, v. g., Christianorum delicta et facinora, exaggerata tamen, Religionis christianæ, quæ ab illis abhorret, attribuant: à *particulari generale* concludunt, sic arguendo: Fuere miracula falsa et supposititia, prophetæ mendaces et fraudulenta oracula, martyres erroris et fanatismi victimæ, libri adulterini et corrupti, Evangelia apocrypha, fictæ et commentitiæ revelationes; ergo nullis miraculis, prophetiis, martyribus, historiis ac revelationibus credendum; atqui hanc de historicâ veritate dijudicandi rationem ars critica non admittit, nec sana philosophandi methodus. Ergo, etc.

« Sextò contradictionibus sciant, alii ab aliis, imò à se invicem dissentanei, ita ut neque duos incredulos reperias, quibus eadem sit credendi formula; neque ullum, qui in eodem libro, sæpè eadem paginâ, pugnantiâ non loquatur: hinc religio modò bono societatis exitiosa dicitur, modò à legislatoribus propter utilitatem publicam inducta, modò propter nimiam in condonatione peccatorum indulgentiam, modò propter nimiam præceptorum severitatem et in puniendis peccatoribus sævitiam redarguitur. Hinc Moyses et Christus, modò impostores singulari calliditate et industriâ præditi; modò viri contemptibiles, imperiti et legislatorum ineptissimi: Judæi et primi Christiani, modò rudes et ad stupiditatem usque creduli, quibus turpiter illudere facile fuerit; modò fallaces et dolosi seductores, qui ad aliis illudendum inter se conspiraverint: historici profani, si cum sacris conciliari non posse videantur, omnimodam fidem ac reverentiam merentur; si cum illis concordent, tum sunt indocti et malè creduli narratores, etc. Dicant porrò tot in assertionibus contrariis, cui, an affirmanti vel neganti, adhærendum sit.

« Tandem quot aliis vitiis laborant, quibus ab ipsâ veritate (si fortè partes ejus tuerentur), animos ingenuorum hominum averterent! Præcipua hæc sunt, 1^o capitale odium in religionem quamlibet, ac præsertim in christianam et omnia quæ ipsius sunt, licet evidens sit, etiam Divinitate sepositâ, nullam esse vel unquam fuisse humanitate, sapientiâ, sanctitate commendabiliorē: nec minus odium ejuslibet doctrinæ vel disciplinæ, quæ in servandâ vel restaurandâ morum puritate

sanctam severitatem redoleat. 2^o Contemptus, malevolentia, satyræ et convicia, in Christianos qui pietate et virtutibus sibi nomen in Ecclesiâ fecere; in principes qui de religione benè meriti sunt; in viros eximios quibus laus eruditionis et literaturæ nulli de fidei simplicitate et reverentiâ in Christianismum detraxit. 3^o Stylus et dicendi color arrogans ac protervus, independentiam, imò nonnunquam furorem fanaticum et delirium spirans; sæpius etiam inflictiis salibus et spurcitiis conspersus. 4^o Effrene partium studium, solite factiosorum artes, intaque conjuratio ad excelsi ingenii, rationis et sapientiæ laudem sibi suisque exclusivè dispensandam, cæteris omnibus denegandam; ita ut in eos optimè cadat illud Tullii, lib. 2 de Nat. deor. : « Vestra solùm legitis, vestra amatis; cæteros, causâ incognitâ, condemnatis. » Atqui fatendum est causam quæ tales adhibet patronos, quæ talibus machinis propagatur, meritò videri suspectam, et planè indignam quæ viros honestos et probos sibi sectatores conciliet. Ergo, » etc. (Ex Theolog. Rotomagensi, de verâ Religione, part. 1.)

2^o *Specimen historiæ religionis, et hostium et bellorum adversus eam.*

(Auctore Valsecchio (1). Vid. supra, not. ad calcem col. 12 hujusce vol.)

Adversatur religio cæcis hominis cupiditatibus; debuit ergo, debetque à nequam hominibus oppugnari. Religio hujusmodi hominum aggressionibus nequaquam vieta, à primordio rerum usquè ad hæc, quibus vivimus, tempora immobilis pestitit, constansque: est ergo ipsa Dei opus. Innumus duobus his ratiociniis re-

(1) Valsecchi (Antoninus), è D. Dominici familiâ homo percelebris, Veronæ anno 1708 in lucem editus est. Vix decem et octo annos natus, congregationi dictæ *Salomon* adscriptus, brevique peracto studiorum curriculo, è discipulo magister, philosophiam professus est. Singulari ingenii acumine, nec non acri judicio præditus, aeris grævedinem feliciter admodum comprobavit, unde penitus rubeat horrendum vacui systema. Sacris interea concionibus apud Italos vulgarissimè oratoris famam adeptus, primas deinceps in universitate Patavinâ theologiæ proflētendæ partes tenuit. Patavii obiit vir celebratissimus die 15 martii ann. 1791, ætatis verò 83.

Plurima maximèque commendanda edidit opera P. Valsecchi, quorum primum modò hic memorare sufficiat, unde haud pauca selectimus ad scopum nostrum mirè spectantia, nempe tres libros de *Fundamentis religionis et de Fontibus impietatis*, typis impressos Patavii ann. 1765 (3 vol. in 4^o).

ctissimis fundamentum stabile fidei nostræ, eodemque tempore deprehendimus caput illius cum nefarii, tum inutilis, miserique belli, quo his præcipuè temporibus in religionem sævitur. Nata simul cum homine, non aliunde, quam ab illo, qui est hominum creator, et cuiuslibet boni auctor, ortum habere poterat. Opera naturæ, facesque revelationis erant duo testimonia, et vades, quæ hanc religionem clarè apertèque prædicabant. Satis erat, ut homo se introspiceret, et quæ extra se sunt, intueretur, ut argueret ex dispositione et pulchritudine operis sapientiam, magnitudinem, divitiasque Creatoris. Satis erat, ut audiret verba Adamo facta, et ab ipso filiis relata, ut intelligeret, creatum se, ut ad divina tenderet, videretque modum certum, per quem ad illa perveniret, in fide promissi Salvatoris. At digressum paulò longiùs à primâ origine humanum genus, infandisque vitiiis fœdatum cœpit integræ, puræque religionis jugo gravari, quæ cum excelsior dogmatibus, tum severior præceptis è cælo usque illud minitendo territabat. Atque hinc proinde orta est superstitio, hinc impietas, utraque religioni adversa, utraque in hominis exitium conspirans. Amor immodicus sui, et libertas immodica cogitationum et cupiditatum, pepereunt hæc monstra. Cultus Creatori debitus conversus fuit ad res creatas, è quibus sensus, libidinesque aliquam perciperent voluptatem. Vis ingens deorum, qui erant puri putique homines cupiditatibus, vitiiis, sceleribus obnoxii, fuit per memora (*excelsa*) altariaque exulta. Animis ad vitium proclivibus addebant, quæ de his numinibus narrabantur: dies festi in eorum honorem instituti ad licentiam; cultus, quo colebantur, dissolutus, aut crudelis. Hæc fuit illa superstitio idololatrica, quæ à Noemi ætate incipiens, totum penè orbem post diluvium pervaserat. Hæc illa fuit, quæ ab avaris aulicis defensa, à regibus protecta, carmine à poetis celebrata, culta, et à gentibus cæco furore percitis disseminata religionem puram, castamque unius Dei extinxisse, et abstulisse prorsus videbatur. Sed factum benè, quòd ingeniosi quidam viri sese philosophiæ studio dederunt, artisque cogitandi amor pedetentim irrepsit in animos hominum, neque fieri potuit, quin superstitiois turpitudinem detegeretur. Erubescere homines tandiù tot deliria habuisse in deliciis, quibus deformarentur, declamatumque et Athenis, et Romæ fuit in multitudinem et in levitatem numinum, et in cultum præstitum illis. Purus Divinitatis radius inter

tam atræ noctis tenebras ab illustrioribus philosophis fuit agnitus. At quid inde? Plus æquo suis opinionibus fidentes agnitam veritatem innumeris quæstionibus, et pruriginem cam excutiendi maculantes, æquè religionis ac superstitutionis inimici, omnia in dubium revocârunt, oppositoque impietatis vitio aditum patefecerunt. Quare plebis ignorantia, sapientium falsa doctrina, sed præcipuè in utrisque mens corrupta per secula ferè quinque et viginti maximam orbis partem innumeris erroribus, et vitiiis obruerunt.

Interea tamen illa divina religio, quæ à primo ortus sui momento Adami menti fuit indita, firma semper, et eadem persistit, imò veluti auroræ splendor, qui augetur, et extollitur et ad meridiem usque progreditur, magis magisque crevit, seque expandit ulterius, et propositas perfectionis metas contigit. Elegit sibi Deus gentem, cui promeret oracula sua, castam, sanctamque cultricem nominis sui. Hujus voluit esse peculiari modo Dominus, rexque. Eam à cæteris aliis nationibus secrevit, legem ei dedit, quæ et moderaretur civile regimen, et religionem sartam, tectam simul servaret imò cum hæc intimâ necessariæque conjunctione colligatam. Inter deliria ergo totius penè orbis multitudinem deorum colentis, in Arabiæ desertis locis, et in Palæstinæ regionibus verus Deus agnoscebatur, pro quo cultu adorabatur. Viri clari vitæ integritate, cælestiumque donorum ubertate, identidem prodibant, hique illis succedentes præerant huic populo, edicebantque illi supremi numinis oracula. Emicuit Moyses inter hos, qui antiquissimus omnium scriptorum historiam orbis, et religionis tradidit posteritati. Videmus Deum ipsum, qui unus et ventura prædicere potest, et miracula patrare, vi suâ effecisse, ut in eâ gente hæc religio vigeret. Testis horum prodigiorum Ægyptus fuit, gens ipsa hebræa, cui Moyses illa enarrabat; prophetias autem et posteritas omnis, et nos ipsi cernimus adimpletas. Bella externa exagitantem populum istum: mutat ille regiminis rationem, mutat domicilium; modò victor est, modò captus, et exul. At Dei Abrahami religio inter tot discrimina, undique nationibus superstitioi deditis circumseptâ impolluta servat sua præcepta, constansque credit sua dogmata. Testantur id nobis ea volumina cum historica, tum prophetica, tum doctrinalia, quæ scripta ab hominibus, ætate, ingenio, muneribus, aliisque circumstantiis locorum ac temporum inter se

dissitis, dispersisque, omnia tamen et styli majestate, et sublimitate cogitationum, et sanctitate præceptorum, et veritate narrationum, præcipuè verò concordî doctrinâ, unoque, et eodem systemate religionis innixæ eidem fidei, excitatæque spe redemptoris ejusdem secum invicem congruunt. Hic cernitur *facies una purorum sermonum* (ita aiebat D. Augustinus) singulorum universorumque inter se connexorum, sibi que mutuò correspondentium. Oracula prophetarum lumen afferunt historiæ; historia oracula eadem adimpleta esse demonstrat; illaque et hæc mirum in modum consentiunt cum doctrinâ semper eadem, et cum religionis publicis cæremoniis.

Extra hebræani gentem vix duos reperias populos, qui eadem numina colant, aut scriptores duos, qui de religione scribentes idem sentiant. Numini suo gens illa immolabat, quod tanquàm numen hæc adorabat; imò idem populus quod sanctum quondam ducebat, postea habebat profanum. Jam varietas et inconstantia sunt mendacii argumentum; hoc nempe in omnibus religionibus, gentiumque theologis advertimus. Una christiana religio, cujus Christus hominum reparator caput est, finisque, in Adamo incipit; à Noemo post alluvionem terrarum in novos homines diffunditur; confirmatur iteratis pollicitationibus Abrahamo; stabilitur cultu mystico à Moysè; à tabernaculo migrat in Salomonis templum; remanet in divisione tribuum; permanet in captivitate inter ethnicas gentes; tandem veluti post longos, variosque viarum tortuosarum errores eadem semper, mutata nunquam, redit ad caput suum, illique ætissimè adhæret; quod quidem caput est Christus ipse jam ab annis quatuor millibus promissus, et per tanti temporis spatium semper firmè venturus creditus, juxtaque prophetarum effata in temporum plenitudine inter mortales ortus.

Magnum non est, opinor, in hoc vel uno perpetuo, constantique per quadraginta secula tenore, inter fluctus sævientiis superstitionis, in religione christianâ Dei opus intelligere. Hucusque ergo illa progressa diffudit adeò rutitantem lucem, ut orbis totus fuerit illustratus.

Christus imperante Augusto nascitur; et in ejus nativitate, vitâ, legislatione, morte, resurrectione, et prodigiis promissa et oracula edita ab ipso rerum initio, et subsecutis seculis repetita, et exarata in voluminibus diligentissimâ custodiâ à populo nobis infensissimo servata omnia ad unum videmus adimpleta

fuisse. Successus tamen maximè admirandus, quem illius operâ futurum sacri vates prædixerant, erat vocatio nationum, jam tum superstitionibus imbutarum, ac veri numinis cognitionem, et cultum, e proinde judaicæ gentis jamdiù duræ cervicis, infidæque reprobatio. Jam sicut quisque potest oculis ipsis in singulis ferè Prophetarum librorum pagellis hoc oraculum videre, sic cæcus prorsus sit oportet, qui non videt per Christum ejusque discipulos ejus complementum. Hierosolyma, centrum quondam judaicæ religionis æquata solo, et Roma gymnasium (ut eam velus quidam scriptor appellat) superstitionis, religionem christianam simul cum subditis sibi populis amplexata claro sunt argumento. Satis abundè suffecisset id religioni nostræ demonstrandæ divinæ. Sed notam hanc divinitatis, quæ ex prædictione successuum tanto tempore ante enuntiatorum illi conveniebat, Deus ipse triumphis etiam, quos ea retulit, voluit confirmari. Idololatria, quæ ubique regnabat, non nisi pedetentim solo cessit; Caesarum potentiam, omnem philosophorum sapientiam, aulicorum avaritiam, licentiam, cupiditates omnes populorum in Evangelium micantibus armis scimus irruisse. Per secula tria, et ultra, ubicumque Roma imperabat, bellum acerrimum indictum christianæ religioni fuit. Qui ferum nostra in viscera immergeret Nero primus: ab illo imperatores novem eodem fero ingenio fuerunt. Horum postremus Diocletianus furore tanto in Christianos sæviit, ut creditus à suis fuerit sustulisse prorsus ab orbe christianum nomen. Ex quo factum est, ut ob hujusmodi facinus monumenta illi erigerentur haud minus superba, quàm quòd Parthos, Dacios, Armenos subegerat. At decipiebantur miseri. In hoc siquidem certamine victa fuit superstitio, vicitque religio. Ist hæc inter tot persecutiones tamque crudeles non armis, sed pluriùm heroum millium sanguine defensa usque eò progressa est, quòd nunquam Romana signa pervaserant, neque ulterius pedem protulit, quia quòd proferret, non habebat. Quapropter si consideretur aut hujus religionis indoles sensibus longè superioris, aut modi, per quos disseminata fuit, hoc est per homines quovis ornamento, quod mortales suspiciant, spoliatos; vel conditio, et robur eorum, qui eam propugnârunt, non solum validorum hominum sed imbellium puellarum ex ipsâ acerbitate suppliciorum lætitiæ materiam sumentium, vel prodigia admirabilia his temporibus edita,

perspectaque, et ab ipsis adversariis cognita; aut mutatio morum in populis revocatis ex licentiâ et cupiditatibus ad innocentiam et castimoniam facta; aut stabilis possessio, quâ idololatria disjecta à Constantini Magni ætate usque ad hæc tempora, orbem tenuit; si, inquam, complexio hæc gestorum et circumstantiarum spectetur; ex alterâ verò parte si reputemus, omnia hæc per clarissima vaticinia longè ante sigillatim prædicta, quis est qui non videat evidentissimè ab eo proficisci religionem nostram, qui moderator omnium temporum, omnium mentium, omnium vicissitudinum, uno verbo naturæ, gratiæque supremus auctor tam excellens opus præcognoscere, modisque tam admirandis, quibusque obstaculis superatis, exequi unus poterat?

Id tamen ii, quibus odio erat tanta lux, cernere noluerunt. Eam religionem, cujus progressus armis impedire nequiverant, labefactare fraudibus, scriptisque sunt adorti. Hebræi primi post infamam in Christum ejusque discipulos exercitam crudelitatem, et postquam etiam cœlestis numinis poenam à Tito ex Judæâ natione expetitam viderunt, crediderunt, posse se dirutæ urbis instauratione, et templi erectione vi Apostatæ imperatoris disjectum cultum restituere. Qui quidem Julianus opus reverà est aggressus, etiam refellendi oracula Prophetarum et Christi, qui prædixerant illius urbis irreparabile exitium, malo pernotus consilio. At quid contra Dei voluntatem vis, fraudique humana potest? Ut locum antiquatæ synagogæ teneret Evangelica lex, dirutum fuerat templum illud, in quo vno cultus veteris fœderis exerceri poterat. Vas ergo non erat, ut illud rursus constitueretur, quoniam hæc dominari debebat. Julianus jubens effodi eversæ fundamenta urbis, Servatoris oraculum *lapidem super lapidem non esse relinquendum*, ignorans est executus, et motus terræ, et horridi igni globi è fossis recens factis semel et iterum erumpentes, impetentesque magno cum horrore et cæde artifices retundunt Cæsaris furor, et pervicacis nationis spes confundunt, quæ dispersa, et errabunda hæc illæc altè justas sui supplicii notas præ se fert, eodem tempore nostræ fidei triumphum.

Verùm post has pugnas potestate superstitionum principum, et odio perditorum Judæorum in religionem motus ingenio et arte apprimè præditi in eam pugnaturi, in aciem philosophi descendunt. Celsus, Lucianus, Theostenes, Porphyrius, Hierocles, Demetria-

nus, Cæcilius, Symmachus, et, ut alios prætermittam, Julianus, undique christianam doctrinam aggrediuntur. Acumen sophismatum, satyrarum acerbitas, eloquentiæ lepores, expediuntur omnia. Græca jactatio, fastusque, et philosophicum supercilium, quo tela jacunt, eos in spem erigunt, à doctrinâ simplici, et ab idiotis hominibus (ut ipsi illos per contemptum appellabant) scripta, et prædicata se nobilissimum reportaturus esse triumphum. Verùm hæc scilicet una fuit earum rationum à divinâ providentiâ adhibitarum, ut nostræ religionis veritas, velut aurum inter flammâs purior elucesceret. Suscepit certamen hoc, quod per aliquot secula inculpuit, ut retunderet robur, fraudesque detegeret hostium ad eò potentium, doctorum hominum Græcorum, Latinorumque illustre agmen. Videas inter hos Justinum Martyrem, Tatianum, Athenagoram, Theophilum, Antiochenum, quorum extant nobiles Apologiæ. Sequuntur Origenes, tum Eusebius Cæsarensis, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus Juliani imperatoris adversarius acerrimus. Inter Latinos eminent Tertullianus, Cyprianus, Minutius Felix, Arnobius, Lactantius, Prudentius, et ne alios nominem, Augustinus. Non sum nescius, omnia horum scriptorum opera pro religione non esse ejusdem ponderis, hoc est, omnia in genere suo perfecta esse; aio tamen, refutari his operibus paralogismos, quos calumnia, et superstitio, et impietas quondam excogitarunt, aut in posterum in christianam religionem proferent; dico, octo solos libros Origenis contra Celsum Epicureum philosophum, opus, meâ quidem sententiâ ex excellentissimis, quæ in hoc genere ab antiquitate acceperimus, subjicere oculis nostris retusa vi tantâ infanda deliramenta, quæ quasi nova inventa impietas his extremis temporibus produxit, ut magnificè de illis triumpharent, et fundamenta christianæ religionis undique validissimè munierint; affirmo inter patronos causæ nostræ eximia extitisse ingenia, quovis litterarum genere ornata. Quantum esset, et quantum posset Cyprianus, Justinus, Chrysostomus, Lactantius, Eusebius, et præ cæteris Augustinus, ii tantum ignorant, qui eorum opera aut legerunt nunquam, aut lecta non intellexerunt. Cæterum non aut præjudicii vis, aut educationis ratio eos impulit ad partes nostras. Constat enim, penè omnes amplectatos prius sententias nostris oppositas, convictos unâ veritatis vi, et evidentiâ religionis, quam

adeò strenuè tutati sunt postea, nonnisi post diutina examina, post diù pensitatas rationes elata ingenia sua tandem aliquando subiecisse.

Subacta ergo, debellataque etiam post tot pugnas, quæ seculo V desierunt, fuit superstitio, et impietas. Quemadmodum autem romana potentia, quæ tam crudeliter in christiana religionis assecas sævierat, superatâ demum tot heroum inuictâ fortitudine, qui eam effuso sanguine defenderant, eandem fidem est amplexata progressu temporis, illamque protegit, ita philosophia, eruditio, eloquentia, uno verbo scientiæ quælibet, quibus primis Ecclesiæ seculis hostes usi fuerant, ut fidem everterent, à nostrarum partium propugnatoribus, qui veritatem, ut est in se, suâ in luce exposuerunt, illustratæ fuerunt, et à viris ingenio præcellenti ornatis adhibitæ fuere postea ad eam propagandam, et à quovis impetu vindicandam. Felix interim, totiusque orbis domina christiana religio post tot certamina, victoriasque, ad hæc, quibus vivimus, usque tempora perduravit. Evenerunt quidem horum seculorum spatia, quod humanis in rebus evenire videmus, mutationes multæ, magnæque regnorum, litterarum, commerciorum, hæreses turpes, fatuæque, varique errores, è sinu ipso Ecclesiæ subsequentibus seculis eruperunt, quod à primis factum fuerat. Sed ex his ipsis erroribus incrementum illa cepit, ejusque veritas magis eluxit. Siquidem dum vicissitudinibus humana regna cesserunt, hæresesque variæ mendacii notam, quam occultabant, tandem singulæ prodentes, fuerunt singulæ dissipatæ, vera Christi Ecclesia una semper firma, constansque suis semper vestigiis institit, hinc septa magnis heroum agminibus, qui innocentâ admirabili vitæ legum sanctimoniam comprobârunt, illinc ingenti copiâ doctorum hominum, qui excellentiâ scientiæ dogmata defenderunt, et nullo impetu ea concuti sunt passi. Quarum rerum omnium cum veterum tum recentium causâ (quæ omnes singillatim severâ trutinâ perpense probantur locis suis) tuta quiescit religio; habetque non solum in corde firmam fidem, sed manu ipsâ gestat certissimum pignus pulcherrimæ illius pollicitationis, quâ ejus divinus auctor recepit, *se simul cum illâ futurum usque ad seculorum consummationem, ac proinde portas inferi adversus eam non vallituras.*

Quis tamen induxisset animum, ut hoc crederet, nisi res ipsa maximo cum nostrorum

temporum dedecore id ipsam demonstrâset? Turba hominum emerit, qui statuerunt non antiquas superstitiones revocare, sed superstitioni oppositam impietatem disseminantes, post secula tot ex terrorum orbe eliminare religionem, Deumque ipsum ejus auctorem è cœlo detrudere. Hujus consilii Hobbesius, Spinosa, Tolandus, Baylius recensentur inter insigniores duces. Hos, veluti conductitia gens, sequuntur Collinius, Woolstonus, Marchio Anglicus, Voltairius, Rousseau, Helvetius, aliique plurimi, qui præ pudore non audentes nomen apponere suum pestiferis libereulis epistolarum, speciminum, tractatum, cogitationum, examinum, ephemeridum, pluribusque aliis hujus furfuris operibus, quibus Europa scatet, descenderunt in aciem. Equidem dijudicare non ausim, quinam potius in homine sapienti turbam hanc intuente excitari sensus debeat, num indignationis, an contemptus, an verò misericordiæ. Heu miseros! Tantùmne vobis virum esse putatis, ut aliquot pagellis in lucem editis tot seculorum consensum vos refellere, erroris coarguere universum hominum genus, vocem naturæ comprimere, supremaque Numini bellum inferre posse arbitremini? An religionem illam, quam non tunc dominans idololatria, non tyrannorum crudelitas, armis totius romani imperii instructa, non acumen tot philosophorum in disputandi artibus omnibus exercitatorum opprimere poterunt, avaritia, voluptas, mos, gestus cupiditatibus omnibus orbis corrupti, effeminatique domabunt? Fabulæ. Quinimò ipsa omnium obicem victrix, cordium triumphatrix ingeniorumque, multiplicavit victorias suas certaminibus, suosque adversarios post pugnam propugnatores suos acerrimos est experta; an religionem, inquam, istam prosternet, delebitque omninò infamiam quædam satyra, libellinarum fabularum collectio, detectus aliquot ambiguarum verborum, pueriliumque sophismatum? Nisi hæc est summa audacia, imò insignis vesania, nescio quænam unquam possit esse. Et reverè satis est vel obiter legere horum eximiorum magistrorum scripta, ut statim dignoscantur indicia levium et delirantium. Ne, quæso, putes, te in iis reperire posse systema aliquod deductum benè, ut prima imis, media et imis et primis respondeant, et aptè inter se collæreant, quo et religioni, et Deo bellum inferatur. Nil nisi confusæ audiuntur declamationes, et voces, veluti audiebantur in terrâ Senaar inter ingentis turris opifices,

qui ne ipsi quidem mutuos sermones suos intelligebant. Evomit unusquisque infanda et falsa, sed tam varia, tam contraria, ut non solum idem significant, sed hæc illa destruant. Negat atheus Deum esse; deista ait esse, sed res humanas non curare. Naturalista contra utrumque pugnat, defenditque summâ ope et Providentiam, et Deum. Hic autem cum nolit in Deo recognoscere, nisi quod ipse ingenio suo tam hebeti capere potest, telis et athei, et deiste se præbet confodiendum. Ipsi enim probant, cum sibi contradicere, et per illationes, in fatua, repugnantiaque systemata sua illum unco veluti impacto pertrahunt. Dat Helvetius homini animam ejusmodi, quam equi, lupique habent, illamque libertate quavis spoliât. Rousseau eam liberam facit, ideòque etiam spiritualem, at primæva originalis conditio hominis, sententiâ ejus, nihil differt ab origine luporum et equorum. Asserunt hi. hominem totum perire, perente vitâ: alii putant, eum futurum immortalem. Inter hos quidam sentiunt, eum in alterâ vitâ nullis puniendum suppliciis; alii hæc supplicia futura volunt, quæ necessariò lex perscribit; irridet alii hæc leges, has pœnas tanquam pura putaque poetarum et regum commenta. Si hos audis, ab æterno fuit mundus; si illos, initium habuit, ut placet unis, à Deo; ut alteris, à casu, et à fortuito concursu atomorum æternarum et errantium. Est, qui vult religionem à metu introductam; est, qui eam inventam à politâ vult; est, qui à naturâ eam insitam asserit; modò eam necessariam ducunt ad regnorum conservationem, modò iisdem regnis exitiosam.

Neque verò credendum est, hos religionis adversarios non simul secum pugnare, et sese invicem non profligare. Quod est non minus verum, quam mirandum dictu, illud est, unumquemque eorum bello irrequieto in se sævire, et semetipsum suis se armis confodere. Quot sint in Hobbesii operibus, quorum hæc evertunt illa, ii uni ignorant, qui ea non legerunt. Tota Spinosæ ethica innititur definitioni, quæ duos intellectus habere potest, quorum unus, qui verus est, alterum evertit; hic autem eversus librum totum, qui ex eâ definitione pendet, à principio ad finem usque geometricè destruit. Libertinorum grex hoc in capite duces suos præclaros religiosè imitatur, à quibus cum mendacium didicerit, etiam illud didicit, ut respuat, quod approbavit, sibi que semper contradicat. Helvetius, ultimus fortassè ex impietatis doctoribus, in liberulo

de Spiritu (de l'Esprit) scætet abundè hujusmodi mendis. Illustris abbas Gauchatus in quâdam Epistolâ, prolixè, fideliterque in scenam producit philosophum hunc, eadem gravissima capita modò negantem, modò asserentem; atque hæc ratione illius operis robur exponit, quod terris, celoque bellum movere videtur. Quapropter Petrus Baylius, quem et acumen ingenii, et multiplex eruditio, et scribendi admirabilis elegantia commendant, nescio quo luctuoso fato, cum suscepisset negotium omnium religionis hostium causam agendi, vidit, nullâ aliâ ratione se illud perficere posse, nisi pyrrhonismo universum admisisset. Nec mora, nec requies; diruit, ædificat, impugnat, propugnatque res easdem. Dogmata, errores, fabulæ, theoremata eodem modo scribuntur. Eo pacto credit, se effecturum, ne lector minus prudens inter tot anfractus erroneosque veritatis vestigia invenire possit. At ita agens, cuilibet viro prudenti ostendit, quam stabilis sit causa illa, quam impugnare non potuit nisi ratione adeò perturbatâ, et quam ut negaret, opus habuit, ut aut cuncta negaret, aut revocaret in dubium.

Quòd si deest incredulis et argumentorum robur, et vera ratiocinandi methodus, audacia tamen, impudentia et mendacium non deest. Putant se his artibus demonstrationum loco uti posse, et incautis imponere. Arrogant ipsi sibi nomen hominum his extremis temporibus daturum terris, ut humano generi jacenti ab ipsâ antiquitate usque in densissimis ignorantiae tenebris, veritatis faciem præferant, et se scripta sua edere in utilitatem gentium omnium, ut iis veram unicamque felicitatem indigent usque ad hæc tempora unicuique ignotam, profitentur.

Quapropter eum statuerint, libertatem cogitandi esse rationem unam, quæ debeat susceptum grave negotium conficere, se iudices constituunt et creatorum hominum, et creatoris Dei; et juxta rationem suam, regulam certissimam, examinandam sibi proponunt religionem, leges, mores, jus, Cæsarem, Deum. Voluptas, utilitas aut sua, aut patriæ (quam *patriotissimum* appellat) constituunt *criterium*, seu normam, per quam internoscatur, quid sit sequendum, quid rejiciendum. Hinc, ut ita dixerim, in scenam producti turmatim Moyses, et Numa, Vestales et Moniales, Sacerdotes, et Dervisii Meschitæ, et Ecclesiæ, Alcoranus, et Evangelium; initisque rationibus, hinc inde omnibus inter se comparatis, pen-

satisque lance utilitatis et voluptatis, religio, integritas, veritas; ita iis è tribunali definiendis regio more, inhibitis appellationibus, damnantur exponendæ miris risibus, contentui, exilio. Verum quidem est, eos ut eximant se à pœnis, quas legislatores iis infligent, si apertè hæc in vulgus spargerent, ut plurimum impetere superstitionem, ut ex transverso religionem vellicent. Mahumedes larva est illa, quæ sæpè utuntur, ut consilium suum tegant; et Voltairius, ut missos alios faciam, materiem tragicæ ab illo desumpsit, quam velut egregium opus, quidam se operæ pretium factorum putârunt, si in vernaculum sermonem versam Italia tota legere posset. Huic dolo malo alium addunt, ut oculorum aciem perstringant legenti, eumque non doceant, sed oppriment et penè consternent. Reperies in hujusmodi libris *polianthæam* universam, sive indigestam collectionem declamationum et eruditionis. De jurisprudentiâ, de politicâ, de astronomiâ, de commercio, de ethicâ, de bello disputatur in illis. Dialectica una, vel ars cogitandi omninò desideratur. Volatur Athenis Spartam, Hierosolymâ Romam, ab Augusti seculo ad Ludovici ætatem. A Caraïbis Antillarum fit transitus ad Flotten-totos Africæ; ab his ad Groenlandos boreales; inde ad homines sylvestres Americæ, allarumque regionum magis inhospitalium et remotorum. Hinc orbis plagarum adeò inter se dissitarum modò examinantur leges, modò conferuntur inter se mores, nunc enarrantur eleganter et copiosè turpitudines, nunc plausibus celebratur irreligio. Hinc produciuntur Ægypti dynastiæ recensque detectæ, quas tamen ipsi nec inspexerunt, nec viderunt, antiquitates Sinenses majus pondus, quàm sacra Genesis penes eos habentes. Diodorus, Strabo, et Tacitus citantur Judaicarum antiquitatum Moÿse ipso peritiores. Horatius, Petronius, Manilius, Lucretius, Popius, sapientiæ incomparabiles præceptores afferuntur. Summatim ut dicam, historia et fabulæ, scientiæ et artes, itinerum narrationes, romanenses libri, ephemerides horum librorum farrago est. Totum id tamen fit sine grammatarum ineptiis, ut ipsi aiunt, hoc est, pluries quin auctorum loca percenseant; ut plurimum infideliter loca afferunt; semper autem sine arte criticâ, sine discursu; omnia autem dieteri proscindentes falsis, et amarulentis quæ vellicant, sed obiter; neque à scribentibus exposcunt, ut rationem ullam afferant, sed satis est, ut enuntientur

voce impavidâ, censoriâ, regiâ, quæ sola potest, ut opinantur, dare pondus gestorum fabulis, veritatis mendacis. Hærent in obtutu libertini juvenes, debilesque mulieres (nam ipsæ quoque delectantur, mirum quantum! hujusmodi libris) ad tantæ eruditionis congeriem, tantam rerum varietatem, tantam decidendi confidentiam legentes. Admirantur hujusmodi philosophos recentes velut sapientiæ oracula. Religio, cujus neque fundamenta, neque systema meditati sunt unquam, in eorum mentibus vacillat. Præceptores autem isti existimant reipsâ se, quod intendebant, fuisse consecutos, et rapidâ turbulentæque loquacitate tantâ ostendisse, *reverâ religionem christianam fictionem esse, Evangelium jocum, ejus ministros hypocritas, lymphatos ejus martyres, sanctos Patres idola antiquæ consuetudine adorasse, eos nihil omninò scire, omnesque veros Christianos gregem stolidorum boum, inutiles, imò societati et nationi perniciosos esse*, quarum felicitas produci solùm potest ab iis præclaris viris, qui religionem, Deumque pedibus subjecerunt; ejusmodi scilicet se putant esse, jactabundi sæpè usurpantes illud cujusdam veteris ducis eorum:

Quare Religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat gloria cælo.

Lucr. l. 1. v. 80.)

Quicumque harum quisquillarum lectione aliquantulum immoratus est, quæ die quovis magis magisque Europam inundant, novit, me id non amplificare, locisque auctorum per se claris prolatis posse meid totum confirmare, quod reipsâ locis suis in operis decursu me præstare quisque intelliget. Quod ad præsentem rem atinet, illud est, horum philosophorum, quo intumescunt, triumphum scenicum esse, qui solvitur flatu ipso, evanescitque; omnia siquidem eorum verba, dictæriæque aut falsa sunt, aut nihil causam probant, quam susceperunt inauspicatò defendendam. Quòd si in farragine tantæ rerum inutilium, et absurdarum sophismata quædam sunt intermixta, quæ apertè aggrediantur religionem naturalem, aut revelatam (neque enim inficias ivero, in his pauciora, plura in illis libris offendi), hoc tamen certissimum est, non semel, sed sæpissimè à nostris doctoribus, et à D. Thomâ Aquinate præcipuè, ea fuisse dissoluta, imò, ut ita dicam, in cinerem redacta et difflata, quod sanctè spondeo, me in hoc opere tam liquidò, tam evidenter, ut nihil

supra, demonstraturum. Quare intelligit per se unusquisque, non sine gravi causâ me paulò ante dixisse, nullos alios quàm indignationis, contemptûs, miserationis sensus in homine prudenti excitari posse, quotiescumque hos intuetur scriptores, qui artibus tam puerilibus, et scenicis aggressionibus se posse religionem evertere confidunt; eam religionem dico, cujus divina origo, dogmatum veritas, sanctitas præceptorum, eximia virtus, et protectionis vis, quâ munitur, effecerunt, ut per tot seculorum cursum, post tot casus neque ferro vinceretur, neque scriptis concuteretur, neque superaretur superstitione et impietate; uno verbo, ut retunderet omnes hominum dæmonisque impetus.

Quanquàm ipsimet increduli nostrorum temporum sponte suâ aperte demonstrant, se ad libitum vivendi pruriginè impelli ad inferendum bellum tam impium religioni, quæ eorum cupiditatibus adversatur. Testor quemcumque, modò non sit ferreus et plumbeus, num legi possint, salvo pudore, opiniones perversæ, turpia apophthegmata, obscœnæ descriptiones, quibus refarciantur hæc volumina. Ne nomen nunc Petrum Baylium, Montagneum, aliosque, de quibus locis suis sermo instituetur, auctor libelli *de Spiritu*, quem ut recentissimum, et ultimum fortassè ex tantâ copiâ unum producere placet, horum nulli facilè cedit. Excuit pudorem omnem, non solum cum abundè colligit pinguetes infandas libidines, quibus populi corpore, magis autem corde corrupti se totos adixerunt, verum etiam cum ab exemplis moralia theoremata deducit, nullumque non lapidem movet, ut probeat hujus generis corruptionem publicæ privatæque felicitatis esse fontem. « Quænam, malum, cynica philosophia (exclamat vir clarissimus (1), verba faciens de hoc ipso auctore coram gravissimo Galliarum consessu) est isthæc, quæ vel umbram ipsam pudoris eliminat? Videmus ethnicos solo rationis lumine ductos, in suis libris veneratos fuisse semper virtutem hæc, et animadvertisse in eos qui illam violare sunt ausi. Quanquàm æquam aliam morum disciplinam docere poterat au-

ctor, qui non erubescit palàm licentiam ex cathedrâ docere, et audacter enuntiare, *pudorem esse amoris, voluptatis exquisitæ inventum*; et qui in animum indixit suum, cum a mulebri sexu aliquando excutere.... Auctor qui hæc scribere potuit, quæ summo cum horrore legerentur in ipsis rerum obscœnarum scriptoribus, *cultum templorum Veneris et Astartis esse materiem nostrâ admiratione dignam, et quæ in angoribus nostris recreare nos possit.* Illicque eximius Parisiensis patronus, qui tamen parcens pudori illi, quem adèd insigniter lædi scriptor iste, silentio præterit alia, et quidem plura, loca multò turpissima, in quibus explicat, confirmatque propositiones ad quatuor orbis terrarum regionum institutionem. Tenemus ingenium, tenemus doctrinam eorum nostræ ætatis philosophorum, qui bello Religionem lacessunt; quod quidem ingenium est penè illorum omnium commune. Quanquàm non huc tantum spectant eorum instituta et studia, ut talis fiat orbis, qualis, ut cum Tertulliano loquar, erat Roma diebus natalibus Cæsarium, aut diebus festis Floræ, et Lupercalibus; sed aliud quid intendunt, nimirum ad illam imaginem, juxta quam, ut stultè sentiant, creatus fuit, nituntur illum componere, hoc est, ut sit immanium ferarum receptaculum, et domicilium inter se perpetuò certantium, et sibi mutuò exitium inferentium. Jus sociale (quis est qui hoc ignoret?) est vinculum illud sacrosanctum, quod familias, urbes et respublicas, et suaviter, et fortiter etiam conjungit. Jam juris hujus, quo fit, ut unus non spoliè alterum, sed det cuique suum, fundamenta aperte impetuntur, quæ omninò evertere libertinorum systemata certant, qui privata commoda, et singularia emolumenta volunt esse finem ultimum, quo omnia consilia, factaque dirigantur.

Quapropter sollicitudines illæ vestræ *patriotismi, felicitatis, nationis, mercimonia extendendi, imperii augendi*, quibus se solum tangi suis in scriptis jactitant, quibus de causis per fraudem vellent tanquàm inanem, et exitiosam christianam religionem amandari, istæ, inquam, sollicitudines, quas tanquàm primæ classis politici inculcant, ingerunt, plebs buccis effluunt et amplificant, chimæreæ sunt omnes, nisi veriùs eas appellare velimus, nequitiæ et improba commenta. Quidni? Principia, quæ tam pulchrâ et eleganti dictione involvunt, hunc tantum sibi propositum finem habent, ut omnes cives corrumpant, et ea

(1) Homerus Jolyus de Fleury, primus generalis advocatus in parlamento Parisiensi in sermone, quem habuit in aula 10 kal. febr. ann. 1759, in quo eleganter exprimit characterem librorum *de l'Esprit*, et *Encyclopédie*, a horumque talium librorum magnâ in copiâ editorum nostrâ ætate, quos jure assertit, adversari æquè societati, regno, religioni.

distumpant sacra vincula, et inviolabilia, quæ colligant populum cum principe, omnemque, si animus ferret, humanam societatem sus deque vertere: quod advertit, quem paulò ante dixi, clarissimus vir de Helvetio verba faciens. Res ergo extra omnem dubitationis aleam est, hostes religionis esse itidem et societatis, et morum, et imperii hostes; eundemque styllum, quo tam impia contra religionem scriptitant, acere in nationem, quam corrumpere satagunt, et in principem, quem conculcandum esse docent. Neque id mirum; primùm enim jura personale et sociale connexu tali tantoque cum jure religionis sunt conjuncta, ut quicunque hujus fundamenta evertit, illorum etiam durat; deinde verò, quia cupiditas immodicæ libertatis, quâ in religionem armantur, illos pertrahit ad effringenda, si ipsis contingat, repagula omnia honestatis, obsequii, obedientiæ, cum nullum aliud nomen sibi faciant, quam voluptatem. Quamobrem num intersit cum sacerdotio, tum imperio, tum humano generi hujusmodi facinora reprimere, videt unusquisque. (Valseechi, de Fundamentis religionis, lib. 1, cap. 1.)

3^o De fontibus impietatis.

1^o CORDIS CORRUPTIO.

Quamvis argumenta, quibus naturalis religionis capita præcipua probantur, sint adeò clara, et evidentiâ, ut vix ac menti nullis præoccupatæ præjudiciis proponuntur, statim illa amplectatur, et quò magis ea perpendit, eò certiora dignoscat, et christiana religio illa signa contineat, quæ procul dubio à Deo illam profectam, ac proinde verissimam demonstrant, ideò incredibile videtur, mortalem esse posse quemquam, qui de illis dubitari possit, imò etiam ea negare. Hinc causas, fontesque rei hujus tam à rectâ ratione alienæ, quam oculis nostris passim subjectæ investigare proposuimus; neque inanem sumemus laborem. Hinc enim enolumentum multùm vera causa percipiet, dedecusque ingens in libertinos redundabit, quorum verum ingenium longè aliud ab illo quod sibi adsciscunt, sparguntque in vulgus sedulo, se habere, saltem penes indoctos imperitosque, detegemus.

Nemo est qui neget esse Deum, nisi qui avet ne sit. In cordis ergo corruptione en verissimus fons primus. Hoc idem de illis, qui bellum in religionem revelatam inferunt, est sentiendum. Nos tamen de atheis potissimum nunc sermonem hæbebinus, cum quia il omnes qui à revelatâ

religione deciseunt, tam perversas Providentiæ Deique notiones habent, principiaque ita nutantia jaciunt, quæ in atheismum ducunt; tum etiam quia christianus, qui revelatam religionem deserit, hanc naturalem religionem sibi confingit, cum verissimum sit illud quod Fenelonius ait, *inter catholicam religionem, et atheismum nihil esse mediæ*. Itaque non ideò in religionem arma libertini movent, quòd viri docti sint, sed quia impunè mali esse cupiunt. Et sanè etiamsi concedere vellemus, argumenta quæ contra Dei existentiam, animæ immortalitatem, divinam revelationem, afferrent, habere vim aliquam apparentem, qui libet tamen prudens honestusque fateri debet, eâ collatâ cum perspicuis demonstrationibus, eâ vehementi inversâ propensione, quâ ad sequendas naturales præcipuè veritates homo fertur, nullum per se robur habere, quo animi præjudiciis præoccupatum nullis haberent in suspensio, multòque minis in impietatem propellerent. Quod ergo rationum vis facere nequit, efficit cupiditatum impetus; eoque modo quo, ut inquit theologi, sanctus amor, quem illi *pium credulitatis affectum* appellant, movet et urget intellectum, ut mysteriis obscuris, naturæque lumen suum superantibus assentiatur; ita dicendum est, amore malo ad negandam, vel invito insito lumine, veritatem, et ad præbendum grato errori assensum, non argumentis, sed unâ libidine motum intellectum impelli.

Ut autem nobis persuadeamus, rem ita esse, et hujusmodi esse impietatis fontem, et libertinorum ingenium, satis erit, si ad vivendam rationem eorum, qui eam profitentur, oculos convertamus. Gens nata, altaque cum Dei, æternitatis, legum religionis notione, quæ tamen aut voluptatis illecebris, aut utilitatis vi, aut cupiditatum blanditiis permota iis se totam permisit, sentit interea conscientiæ latratum, quâ discerpitur, religionis lumina, quibus perstringitur, Deum judicem fulmina jaculantem, æternaque minitantem supplicia prospicit. Nil non intentatum relinquant, ut quoad fieri potest, ab his cogitationibus terrificis mentem avertant: ex hoc in illud diverticulum migrant, ex unâ ad aliam cupiditatem. Et sanè inter effrenatarum cupiditatum tumultum, inier nitorem, strepitumque mortalium voluptatibus deditorum horrendas has voces, has suorum turpitudinum castigationes non sentiant. Quid tamen inde? cupiditatum æstu paulisper frigescente, et nocte adventante et solitudine,

intestina prodit furia, quæ illos deterret, suppliciumque longè majus perceptis concupitis voluptatibus iis infligit (1). « Nolite putare, « aiebat Cicero (pro Sexto Ros. Amer. c. 24), « quemadmodùm in fabulis sæpenumerò videtis, eos qui aliquid impiè, sceleratèque commiserint, agitari, ac perterrerì furiarum « tædis ardentibus. Sua quemque fraus, et « suus terror maximè vexat; summ quemque « scelus agitat, amentiaque afficit; suæ malæ « cogitationes, conscientiaque animi terrent. « Hæ sunt impiis assidue, domesticæque curæ. » Quid hi agent hoc tam gravi incertamine? Exaudientne has justissimas castigaciones? sequenturne religionis lumina, incœptumque pessimè vivendi modum derelinquent? Ille minister est iniquis modis præclarum adeptus honorem, cujus incrementa omnia, resque secundæ poetæ Epicuræ (Horatii lib. 1, sat. 5, v. 98) axiomati nituntur :

Atque ipsa utilitas justî propè mater et æqui.

Jam animos sumpsit ad immolandam libidinibus suis imbellem innocentiam; jam fides, et juramenta confirmandæ veritati, et fraudi æquè inserviunt; justitiâ propriis commodis regitur; ex religionis exercitiò non purior ejus animus efficitur, sed ea nequitia velamen est. Quid ergo faciet, ut à conscientia moribus, et pavoribus, quibus vexatur, se eximat? Conatur mentem convenire cum corde, ut illa quin perhorrescat, videat id quod amore tanto amplectitur. Sibi persuadere studet, verum esse id quod cupit, falsumque prorsus quod abhorret. Agendi juxta Machiavelli præcepta ratio summa lex fit, et ad theoriam redigitur; religionis dogmata arroganter ad examen vocantur. De alterius vitæ poenis, et de supremi judicis existentia primùm quidem dubius habetur sermo: tum quibusdam blasphemis et sophismatibus libertinorum memoriæ mandatis per summam impudentiam deridentur. Demùm per conatum, cui natura quidem tota repugnat, at vehementissima cupiditas rapit, oculi veritati clauduntur prorsus, asseriturque, nihil huic vitæ superesse, purâ putaque automata nos esse; alteram vitam non existere nisi in pusillorum mentibus, solumque Lucretium rectè sensisse (lib. 5, v. 37) :

(1) Quos conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbera cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
(Joven. sat. 45, v. 195.)
Utriusque sedent in lumine Divæ.
(Virg. Æn. IV, v. 47.)

Et metus illo foras præceps Acheruntis agendus.

Hic ministri illius impietatis fons est, cui utilitas præcipuo argumento fuit, ut à veritate discederet; quem fortuna suis illecebris, non aliqua sublimis metaphysica contemplatio permovet, ut à Deo decideret. Hoc idem de juvene illo voluptatibus unicè addicto dicatur, qui jandiù est

Captivus vilis vini, thalamî, atque ciborum.

Hoc idem de homine illo offero, impotenti, superbo, pietatis contemptore, sui que iudicii, voluntatisque pedissequo; hi, aliqui omnes, qui libertini dicuntur, aut atheistæ sunt (sequar Baylium testem) « quocumque vitiorum « genere contaminati, atrociora crimina patrare parati, qui animadvertentes inferni « timorem interdùm suam quietem perturbare, « videntesque commodum sibi esse, Deum « non esse, student id sibi persuadere (1). » Et paulò post : « Ex quo homo induxit animum, esse atheistam, et omnia suscipere « ut hunc finem consequatur, quâ maximâ « nequitia fedari homo potest, inquinatur, « et nisi Deus prodigia patret ut ad bonam « frugem eum reducat, licet omnia scelera « committet, quamvis ad verum atheismum « nunquàm perveniet (2). » Habemus ex rei factis verbis libertinorum nostrorum indolem. Habemus systematis horum *hominum spiritus*, ethicæque horum *hominum honestorum fontem*

Verum quidem est Baylium eò loci dno atheorum genera distinguere, *hoc est eorum* (3),

(1) « Ce sont des âmes souillées de toutes « sortes de vices, et capables des plus noires « méchancetés, qui s'apercevoient que la crainte « des enfers vient quelquefois troubler leur « repos, et comprenant qu'il est de leur intérêt qu'il n'y ait point de Dieu, tâchent « de se le persuader. » Pens. divers. § 477.

(2) « Dès qu'un homme est capable de vouloir être athée, et de faire des efforts pour « cela, il est de la plus effroyable malice qui « puisse tomber dans une âme, et si Dieu ne « fait des miracles pour le convertir, c'est un « homme qui fera tous les crimes qui seront « en son pouvoir quoiqu'il ne puisse venir à « bout de passer dans l'athéisme. » Ibid.

(3) « Les athées, qui commencent par douter, d'avec ceux qui finissent par douter. « Ceux-là sont pour l'ordinaire de faux savants, qui se piquent de raison et de mépriser les voluptés corporelles... Or, parce que ceux qui étonnent, ou qui tâchent d'étonner dans leur âme par belle malice la connaissance de Dieu, sont les plus insignes débauchés, et les plus déterminés pécheurs qui soient au monde, on se persuade que « tous les athées indifféremment sont des « scélérats. » Ibid.

qui à dubitatione incipiunt, et in dubitationem desinunt; et quanquam in his cognoscat fontem modò descriptum, tamen de primis dicit, « ut plurimum esse doctos falsos, qui ostentant se ratiocinari, et corporeas voluptates contemnere... sed quoniam accidit, eos, qui suffocant, aut suffocare nituntur in sua mente malitiosè Dei notitiam, esse in primis dissolutos, contumacioresque criminosos, ideò vulgus, omnes atheos indiscriminatum scelestos esse opinatur. » Quod illi persuadere cupienti, esse quoddam « atheorum genus (Dict. Critic. artic. *Desbarreaux*, Rem. F) hominum gravium à voluptatibus, et illecebris alienorum... quos longa contemplationum profundarum series, sed malè deductarum in atheismum impulerit, » minus arridet. At quis non videt in hac atheorum distinctione artem, quã clarus hic sophista conatur horrorem illum imminuere, quo mortales persequuntur homines ejusmodi? *Homines ergo graves à voluptatibus et ab illecebris carnis*, addimus nos, nati, aliique in religionis sinu, possunt seriò in dubium Dei existentiam revocare? Homines ergo sanæ mentis, quod significare videntur illa verba, *homines graves*, cupiditatum impotentiã non obcæcati, aut pertracti evidentie illi, quæ invictè orbem totum ad hujus veritatis confessionem perpulit, resistent? Utrùm opinio nem hanc paradoxum dicam, an insasiam nescio. Hoc tamen theorema Baylio arridet, pluribus in locis susè pertractatur, quodque atheistarum patroni nomen, nemini quod ego quidem sciam, adscriptum, illi peperit. Fateor, esse varios libertinorum nequitie gradus, neque omnes iisdem vitiis laborare; fateor etiam, nonnullos in impietatem prolabi per ratiocinia fallacia, quæ alii increduli vulgò ignorant. Concedo etiam hos foediores et majori horrore dignos primis esse; at effutire, *eos esse homines graves, à voluptatibus et illecebris alienos*, hoc est, probis ornatos moribus, cupiditatibus non assentientes, non elatos, ut modò dicebam, aut paradoxum censeo, aut insaniam. Etiamsi autem res per seipsam loquitur, eam à principis suis repetere placeat, et inquirere, num nisi homo moribus apprime pravus possit atheismum amplecti. Fingamus hominem hominis moribus natum, aliumque à religione illustratum; næ hic nullam utilitatem, nullamque curam habet, ut hæc religio vera non sit. Moralia præcepta approbat, et exequitur, videtque, nihil vetari sibi ab eã, nisi quod

genitor filio suo vetaret. Dogmata considerat, quæ sunt Dei existentia, animæ immortalitas, divina revelatio, eaque tam evidenter vera detegit, intellectumque ita persuasum videt, ut sophismata omnia à libertinis inventa delirantium somnia, quibus nihil movetur, sibi videantur. Cæterum videt, cognoscitque veritatem hanc certissimam, etiamsi religionem sequens deciperetur, non ideò atheismum malum ullum sibi intentare, neque, si à religione deficiens illum amplectatur, sibi bonum ullum polliceri, nisi fortassè more brutorum animalium vivendi libertatem, persuasionemque more belluarum moriendi. At verò religio, quam sequitur, amatque, vera est, eum in spem erigit, ut æterna bona consecuturus sit, et si præ illà atheismum sequatur, infinita, æternaque minuitur supplicia. Qui fieri ergo poterit, ut homo gravis et honestus eam partem deserat, in quã, quin malum ullum subeat, sperare potest infinitum bonum, eamque eligat, in quã, quin aliquid verum promittatur bonum, infiniti, æterni mali periculum est (1)? Quis potest inter hæc hæreere anceps, inò ad impietatem prolabi? Nemo, mehercule, nisi ille, in quo voluptatum illecebræ, præsentiumque cupidinum jucunditas, aut immodicus gloriæ sensus, quo ingenium suum admiratur, magis possint, quam infinitorum bonorum spes, infinitorumque futurorum malorum timor. Jam hic est profectò homo corruptus, malusque; corruptio ergo cordis primus est impietatis fons.

At de hoc atheorum genere secundo in Baylium loqui supersedeamus; de quibus alibi jam mentionem facturi sumus, transeamusque ad aliam observationem, quæ nisi universè æquè ac proximè antecedens, pari tamen claritate nobis demonstrabit, non seriam meditationem, sed cupiditatum-impotentiam maximè libertinorum parti argumento esse, ut impietatem sequantur. Et sanè quot ex iis sunt, qui, ut Baylius loquitur, *alieni à voluptatibus illece-*

(1) Hoc est argumentum quod illustrat Pascalius cap. 6. *Pensées sur la Religion*. Ejus prima semina reperio in sermone habito à Socrate in vineulis paulò ante mortem, relatoque à Platone in Phædone tom. 4, pag. 91 edit. Serran. Item reperitur apud Arnobium lib. 4 adver. Gent. Dignum quod præcipuè advertatur est, quòd Baylius tom. 13 Diction., ubi loquitur de Pascasio, refert idem argumentum Rem. 1, et noscit vim; allatq; objectionem in illud factà à quodam adversario illius magni viri ait: *Cette confutation est faible, et ne merite pas d'être examinée.*

brisque, altæ huic et diurnæ meditationi (quæ certè diurna profundaquæ multùm esse debet, ut evidentiâ tot veritatum refellatur, et ut ratiociniorum vi quævis religionis notio de mente deleatur) se totos dedant, et nutentur ex systemate in atheos? Solum contemplationis nomen nimis triste est austerrumque genti quæ nihil aliud cogitat, quàm voluptatibus immergi, genti quæ nihil post mortem opperiens, quamlibet vitæ partem, quæ voluptatibus careat, amissam credit. Quandonam et præstat, et vacat hos metaphysicæ in studium incumbere, quale ostendendum esset, si vellent athei spiritus, non autem cordis credi; si per diem totum noctemque in ludis, in cœtibus, in voluptatibus, in comessationibus unis post alias videmus? Theatrumne, an ludi abacus est eorum studiorum gymnasium? Saltatricesne, an amicæ sunt eorum studiorum moderatrices, à quibus theorematâ, quibus æternum Deum è cœlo detrudant, addiscunt? Tamen eruditionem, doctrinamque jactitant, librique vel ultra maria, vel ultra montes compositi magnâ ex parte etiam mulierum penetralium ornameto sunt. Vultu fero et impudenti in cœtibus sermonem habent, et sententiam ferunt in quidquid usque locorum est sancti, augustique. Totum autem studium, doctrinaque horum hominum est, ut plurimum aliquod impium, obscœnumque dictionarium versasse; aliquam epistolarum cum audacium, et impudentium, tum bonorum morum corruptorum collectionem; aliquem romanensem librum, et sacrilega, et turpissima narrantem facinora; hæc enim nota est, quâ insigniri debent libri, quibus vacare debent, ut novas eorum doctrinas combibant. Quod mirum quantum propositionem nostram confirmat, hoc est cordis corruptionem, quod hujusmodi cibus pascitur, eos exstimulare, ut contra veritatem arma ferant. Et sanè Petrus Baylius, qui quotquot fuerunt, maximè horum hominum ingenium callebat, iis ad satietatem usque inseriuit, ita ut de hoc auctore mihi visus sim posse dicere id, quod de Petronio Arbitro Epicureo poetâ, scripsit Huetius (1), « majorem suæ famæ partem eum debere turpitudinibus; eum minis

(1) « J'ai dit ailleurs, et je le répète encore, « qu'il doit la meilleure partie de sa réputation à ses obscénités; et qu'il aurait été « moins lu et moins estimé, s'il avait été « plus modeste. » Huetiana § 86. De Baylii obscœnitate inter alios legatur Bernard. Nouvelles de la Rép. Janv. 1707, art. 1.

« fuisse legendum, minorisque faciendum, si « castior fuisset. » Roterodamensem scriptorem præcesserat proximè elapso seculo Franciscus de la Mothe le Vayer insignis Pyrrhonicus, et, ut ait Baylius ipse, turpissimus scriptor, signifer proinde libertinorum. Hunc antecesserat seculo præcedenti Michael à Montanéâ, cujus specimina non solum impietatis semina continent, sed etiam cynicam impudentiam præ se ferunt, ita ut Baylius scripta tueatur sua, eò quòd turpitudines et Pyrrhœnismum Montanéâ non contineant. His veneribus etiam opera domini à Sancto-Evremonio initio hujus seculi Londini mortui, et atheisticis clarissimi ornantur. Idem de Epistolis Persicis, de Epistolis Judaicis, et hujus generis liberulis plurimis impudentiæ et impietati nuncupatis est impudentum. Horum autem nulli, licet ætate posterior locum principem cedit Helvetii liber inscriptus *de l'Esprit*, de quo alibi sumus locuti.

Ex his ergo fontibus athei nostri scientiam suam in religionem hauriunt. Ex iis enim satyrarum, ludiarum narrationum, jocosum, turpium eventuum, quibus religionis ministri deridentur, et etiam despiciuntur augustissima, et sacrosancta mysteria, desumunt. Harum narrationum una audenti fronte, verbis ad artem conquistis leviculo risu prolatis, iis est demonstrationis metaphysicæ loco, ex quo religionem omnem fabulam, artemque sacerdotum esse concludant. Hoc argumentorum genere ex ridiculo et satyrâ deductorum, quorum prudens quisque, cum de religione agatur, non solum impietatem (1), sed etiam infirmitatem videt, valde usus est in suis Dialogis Lucianus (2), ut non solum gentiles

(1) Petrus Baylius Dict. Crit., art. *Garasse*, damnat multum auctorem catholicum, qui in atheos scribens *sæpè ab illâ gravitate discedit, quæ in hac materiâ servanda est*; utitur satyris, *jocos effundit, facetia multa narrat*. Quid dicendum erit de iis, qui nutunt his armis in religionem, et derident quidquid sancti ubique est?

(2) Placet afferre iudicium, quod de Luciano post Suidam, et alios plures clarus Tillemontius fecit; cum quia valde ejus naturæ convenit, tum quia in eo imago plurium nuperorum spirituum fortium cernitur; qui sicut illum deliriis adæquant, tum ab elegantia, eruditione, et acumine distant in immensum græci auctoris.

« Il fait une profession ouverte d'impïété, « se moquant également de la véritable religion, dont il a parlé en divers endroits, et « des superstitions païennes, qu'il montre « être vraiment ridicules. C'est ce qui lui a « fait donner le surnom de blasphemateur et

superstitiones, sed etiam religionem ludibrio haberet; Lucianus, inquam, incredulorum decicæ, et corculum (1). Hujus ejusdem argumenti partes suscepit in Angliâ celebris Mylordus Shaftsburius, coque non sine lectorum stomacho auctor Epistolarum Judaicarum, Voltairius, aliique libertini minutuli utuntur; quod nimirum demonstrat id quod hic affirmamus, hoc est, nonnisi cordis corruptelam hujus impietatis, quam profitentur, causam esse. Quis enim nisi perversus, perditusque ideò tantùm, quia potest ab aliquo petulanti homine derideri, potest systema rejicere? Ex hujusmodi libris præterea in aliquod præcipuum religionis caput aliquod sophisma, quod eorum ignorantiae novum accidit et invictum, licet fortassè pluribus abhinc seculis ab auctoribus pluribus solutum, diffusumque addiscunt, hoc obtrudunt amicis, videnturque sibi hoc jaculo armati, quo de religioe putant se triumphaturos, Hercule fortiores esse. Quamvis autem hujusmodi sophismata ab eorum animis nimis altè jactas Divinitatis, religionisque notiones radicibus evellere, et atheismi evidentiam introducere non possint, iis tamen imponunt, esse in terrarum orbe mortales qui eam in aperto habeant, mortales qui sibi ita persuadeant, mortales demùm qui illius argumenti, cujus ipsi veritatem non concipiunt, vim sentiant. Credunt Spinosam, etiamsi ab iis minùs intelligatur, *pantheismum demonstrare*; Tolandum fuisse invictumatheum; Hobbesium verò demonstrare *in unâ utilitate jus consistere*; licet aut nunquàm hos auctores legerint, aut nunquàm argumenta illa in iis repererint, quæ ad tutam, tranquillamque impietatem deducant. Persuasionem ergo suam alienâ, certâ creditâ, persuasionem fulciunt; sæpiùsque hujusmodi insanias repetendo curant phantasiâ sibi perturbare et pervertere, veritatemque è corde exerentem caput reprimere; easque in cœcibus retinendo non tam alios, quàm se decipere student, imò non

« d'athée. Aussi il suivait la philosophie d'Épicure, qui n'est guère éloignée de l'athéisme; ou plutôt il n'avait ni religion, ni dogme fixe et constant, regardant tout comme incertain et problématique, et voulant se rire de tout... Ce qui rend encore ses écrits dangereux à lire, c'est que souvent on y voit aussi peu de respect pour la pudeur que pour la religion. » Tillem. tom. 2 Histoire des Emper. part. 2, art. 29.

(1) *Essai sur la liberté de l'esprit, et de la raillerie*. Vid. Burnet, *Défense de la religion*, tom. 5, p. 23.

aliâ de causâ, nisi ut ipsi decipiantur, alios decipi exoptant (Vid. Murati *Lettre sur l'esprit fort*). Quicumque quibusdam ex his infelicissimis hominibus usus est familiariter, et præcipuè quicumque cum iis certamen iniiit, novit me à veritate non aberrare. Hinc nihil illi magis reformidant quàm colligatam continuatamque ratiociniorum seriem; primis enim argumentationis jactis telis succumbunt, risuque acie exsiliunt; cùm quia, ut diximus, theses tantùm et theoremata salutârunt, tùm quia videmus eos ratiocinandi arte tanquàm propriâ notâ non insigniri. Requiro nunc à quovis prudente viro, num hujus generis athei alii ducendi sint, quàm corruptus grex; in quibus effrenes cupiditates prima causa sunt, cur obæccentur; eosque ad facinus hoc injustum, et execrandum impellant, hoc est, ad religionem deserendam in alienâ persuasionem, quam non vident, et in aliquo sophismate, cujus vim ignorant, solùm nivos? Hujus tamen ingenii est maxima eorum pars, qui nostris temporibus increduli videri volunt. Denique, si argumentorum vis quibus tueantur defendantque impietatem, iis deest, non deest tamen audacia, quâ in medium errorem quemcumque turpissimum proferant, et gravissimas veritates contemnunt. Itaque petulantiam etiam à memoratis libris, in quibus illa argumentorum vicibus fungitur, libertini nostri addiscunt, quæ quò minor est scriptorum doctrina, eò major est, inscientiamque æquat.

Judaicæ Epistolæ, exempli causâ, sunt ex iis maximè contemnendis libris, qui religionem atate nostrâ aggressi sunt; earum tamen auctor in fortissimorum ducum habetur numero. Impiè dicta pleno cornu effunduntur, defendunturque altâ distinctâque voce, eos qui illas carperent, *viles invadasque animas* vocitandò. Calumnice, satyræ, quibus veræ religionis ministri proscribuntur, sunt ut plurimum argumenta illa, quibus religio impugnatur: quasi verò mali ministrorum mores, qui homines certè sunt, possint illius religionis, quæ divina demonstratur, veritatem infirmare. Ita autem earum meritum, et vim extollit auctor ipse, ut ab initio usquè exclamet: *Quid interest eruditulorum, indoctorum, monachorum, hypocritarumque gregei displicere? Num quod isti damnant est minoris faciendum* (1)? — Respon-

(1) « Qu'importe-t-il de déplaire à un tas de grimands, d'ignorants, de moines, de faux dévots? Ce qu'ils condamnent, eux vaut il moins? » tom. 1, Præf.

deo, non opus esse monacho, aut pio viro, sed sanæ meritis decorisque unciolam sufficere, et hujusmodi scribendi ratio fastidium pariat. Et sanè quis pati potest hominem, natum educatumque christianum, quin rationes afferat, quin eruditionem, doctrinamque solidam, et veram ostendat, ut cuique patet, ex livore solùm, venenoque identidem religionem hanc, ab illo *Nazarenam* appellatam, cum Judaicâ superstitione, Turcarumque lege conferre, et derisam, et contemptam, ex certamine victam, et exhibitam educere? Religionem, inquam, per tot secula ubique terrarum exultam, tot argumentis veram confirmatam, ut cætera silentio prætermittam, edoctam à tot præstantibus ingenio viris cum veteribus, tum recentibus, quibuscum comparatus, nescio, quantus auctor noster videri possit? Quis ferre potest, quin indignetur, dolum malum, quo plures scribuntur Epistolæ, editurque in lucem in sermones duos versa narratio pluribus blasphemis quàm verbis contexta in divinum legislatorem, in sanctitatem, decusque Matris suæ? Quæ quidem narratio à Rabbiniis conficta dicitur, tamen editur, nullâ aliâ de causâ, nisi ut ab incautis lectoribus, sicut cæteræ ridiculæ, mordacesque narratiunculæ, degustetur? Quis legere potest ritus angustiores sanctioresque tanquàm comicos prorsus traduci? Quis hujus in religionis veritates gravissimas jaci sophismata sæpius repulsa Caritæ alicujus, aut alterius infidelis (quod harum Epistolarum in fine legitur), et in subdolo certamine ex ignorantia, vel ex scriptoris astu reticere responsa, et fingere illas victas, depressasque? Quis ferre potest sublimia ingenia, præceptoresque magno semper in honore habitos despici, argui, reprehendique audientibus doctissimis conventibus, imò nationibus à quodam scriptore, qui in lucem prodit infarcinatus quibusdam Epistolis (1), *veteribus, recetis que narratiunculis, adnotationibus à trivio petitis, et extractis ab exploratore Turcâ, è paraphrasis Rousseau, aliorumque auctorum conflatis; in quibus si quid est, quod ferendum sit, jam millies in aliis libris fuit editum?* Ne-

(1) Legatur Epistola missa ad auctorem illius *ἰσχυροδία*, præmissaque tom. 7 Epistol. Judaicar. Edt. Lausanæ, et Genevæ 1759: « Que signifient ces contes usés et rebattus, ces réflexions triviales, ces extraits de l'espion Turc, ces paraphrases de Rousseau et des autres auteurs, dont ce livre est rempli? à quel bon le donner au public, si ce qu'il contient de meilleur a déjà été imprimé tant de fois dans d'autres ouvrages? »

que verò reponatur, induci Hebræum loquentem, qui, ut susseptam personam sustineat, pro suæ religionis præjudiciis loquitur. Quid infelicis, magisque puerile reponi potest? Alibi jam dixi, honesto homini, nisi audeat elato vultu contra religionem in aciem prodire, erubescendum esse, quòd eam deridendam præbet, quòd Rabbiniū fingit eam aggredi, aut impium, ut in eam illa evomant dicteria, quæ jam pluries novit esse confutata, quæque ille nescit refellere (1).

Hæ itaque sunt, ut modò dicebam, demonstrationes, quibus libertini se inscruant, et quas recinunt in concionibus ut credunt spiritus fortes, et se formidandos præbeant. Jactantia, contemptus, et satyræ contra religionem, ejusque cultores, eorum est farrago libellorum. « Valdè probable est (inquit Baylus hos describens) eos qui in cœtibus veritates religionis notiores impugnare cupiunt, plura dicere, quàm cogitent. Jactantia majorem in his disputationibus partem occupat, quàm persuasio. Sperant illi, sententiis inauditis, et audacibus, quas tuerentur, spirituum fortium famam sibi pariteros. Paulatim ergo sermones perversos facere consueverunt, et si eorum vivendi ratio voluptatibus addicta conjungitur cum eorum superbiâ, actum de illis est. Malus hic habitus hinc superbiâ, hinc libidine acquisitus, educationis præcepta corrumpit, hoc est, extinguit veritatum lumen, quas de Divinitate, de paradiso et inferno ab infantia didicerant. » Paulòque post inquit: « Quædam objecta didicerunt, ea sem-

(1) Crederem, me abuti lectorum patientiâ, si vellem doctorum testimonium proferre omnium ætatum, qui hanc rationem improbant. Scimus quid omnes senserint de Luciano nuper memorato, qui nomine alicujus scurræ impietates suas evomebat. Scimus quid scripserit Nazianzenus orat. 5 de Juliano Apostatâ, dum simulabat se Christianum, et disputantem defendebat idolatriam, et impugnabat Evangelium. Scimus, quid dixerit Photius (cod. 106) contra Theognostum, qui purgabat errores in quodam suo opere, quasi non ex se enuntiatis, sed ex alio. Scimus (ut prætermittamus plura exempla, et afferamus huic *litterato judaizanti* exemplum quasi domesticum, aptumque valdè) quòd scribit Joannes Gersonius (lib. cont. romaniam à Rosâ) de eo qui Parisiis derisit et impugnavit illâ ætate christianam fidem. Citatus hic ante archiepiscopum Parisiensem, convictusque à cancellario Academiae Parisiensis, se purgavit aliens, se ea dixisse sub Hebræi personâ. « Ita sanè, inquit cancellarius, si tunc locutus es ut Judæus, nunc retrahere ut Christianus. »

« per obtrudunt, et ex jactantiâ de iis loquuntur » (Dict. Crit., art. *Desbarreaux*, Rem. F'). Quid ergo amplius requirimus ut dicamus, hujusmodi libertinorum rationis luctuosissimam cordis corruptionem fontem esse? quæ, fota, speransque libertatem pacemque, jactando impietatis systema, non rationibus ducta, sed aliquo sophismate intellecto malè, et audaciâ et superbiâ impulsâ, hoc amplectitur.

(Ex eodem Valsecchi, *ibid.*, lib. 3, part. 1, cap. 1.)

De eodem primo impietatis fonte continuatio.

Nihil fortassè magis libertinis displicet, quàm non ex persuasione et systemate, sed ex cordis impuri corruptique æstu tales haberi. Putant ii, genus impietatis primum cum hominis honesti ratione conjungi posse, quòd et iis litterati famam conciliet, qui ex vulgo hominum cogitationibus suis liberis eximatur; secundum verò (etiam Baylio ipso acerrimo atheistarum propugnatore) hominis mali, perversitate turpissimarum cupiditatum pertracti, notionem exhibet, qui eò usque progressus est, ut cupiat, quin sibi persuadere possit, feris agri belluis sine æternitate, sine Deo similis esse.

Tamen hoc nimirùm esse incredulorum ingenium, hoc est, eorum impietatem è corrupti cordis cupiditatibus proficisci, non autem à solidis, evidentibusque principiis derivari, rationes capite antecedenti allatæ meo quidem judicio satis confirmant. Injucundum tamen non erit id reipsâ ab iis demonstratum videre. Non semel ergo, neque in uno tantùm, sed in omnibus, et quovis tempore animadversum est, hos Divinitatis contemptores, hos alterius vitæ derisores in aliquod periculum prolapsos, potissimùmque morti proximos cadere animis, obmutescere, jactantiam deponere, reformidare, pallere, loca esse infera credere, religionem amplecti, Deum invocare, et nuncupare illi vota, imò non rarò ab impietate ad superstitionem transire.

Locupletissimum, et penè libertinos omni exceptione majorem hujusce rei testem habeo Lucretium, qui ita loquitur (lib. 3 vers. 41) :

Nam quòd sæpè homines morbos magis esse timendos,
Infamemque ferunt vitam, quàm Tartara lethi,
Et se seire animi naturam sanguinis esse,
Nec proripium quidquam nostræ rationis egere :
Hic licet advertas animum, magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Jactari causâ, quàm quòd res ipsa prohibetur ;

Extorres fidem patriâ, longèque fugati
Conspectu ex hominum, fœdâ crimine turpi,
Omnibus ærurnis affecti denique vivunt :
Et quòcumque tamen miseri venêre, parentant,
Et nigras mactant pecudes, et Manibus divinis
Inferias mittunt : multòque in rebus acerbis
Acriùs advertunt animos ad religionem .

Hactenus Lucretius : neque esset magni laboris ad hoc confirmandum plura hujus generis exempla proferre. Quis hæc quod de Tullio Hostilio tertio Romanorum rege, spiritu reverà forti ferocique, memoriâ prodidit Livius (Dec. 4, lib. 4, cap. 31) ? Gravi illi afflictato morbo « tunc adeò fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus esset minùs regium, quàm sacriscedere animum, repente omnibus magnis, parvisque superstitionibus obnoxius degeret, religionibusque etiam populum implet. » Ferocè principi addamus audacissimum philosophum, Bionem Borysthenitem, de quo loquitur Laertius lib. 4, et Horatius lib. 2, Ep. 2, v. 59, ubi mentionem de illius nigro sale facit (1). Neque hominibus enim parcebat, neque diis, quos omnes in festivis, satyricisque sermonibus suis ludibrio habebat. Cùm clari Theodori athei discipulus fuisset, impudenter quamlibet divinitatem de medio tollebat, omnemque religionem pessumdabat, et sophismatibus alios etiam ad impietatem, et pravos mores impellere satagebat. Sed cùm morbo laborasset spiritus ille fortis et imperterritus, ita abjectus fuit, ut non solùm à Deo veniam precatus, sed etiam anilibus superstitionibus animum dedens, demonstrârit, ostentatum atheismum non aliunde initium habuisse suum, quàm ab jactatione et à perversâ voluntate, quæ periculis territa ea projecit tela, quæ audaciâ tantâ in Divinitatem fuerat jaculatus. Idem Diogenes Laertius, vitâ ejus breviter enarratâ, de hujus spiritus fortis mutatione urbanam, rectamque simul censuram fert, quæ aptè in rem nostram facit, dignaque est, quæ excribatur. Ita ergo inquit lib. 4, segment. 55 (2) :

Bionem Borysthenitem, quem Scythica tellus produxit,

(1) Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis.
Illo Bionem sermionibus, et sale nigro.

(2) Hæc lepidissima satyra in omnibus antiquis Diogenis Laertii editionibus legebatur ut soluta oratio cùm in græco textu, tum in versione latinâ Ambrosii Casaubulensis, et in itala Rositini à Prato Athoino. At Melibomius in præstanti Westeiminâ editione 1692, metrum in textu græci historici advertit, quare ita excribitur, et e regione est versio latina.

Dixisse audivimus reverà nihil esse deos.

Ac si quidem id dogma tueri perstitisset, meritò dicendus esset

Fensisse ut visum fuisset, etsi malò visum esset.

At nunc cùm in longum morbum incidisset, ac mori pertimesceret,

Qui deos non esse dixerat, qui fanum non viderat,

Mortalibus qui illuserat dùm diis immolarent;

Non pro foco solum, arisque ac mensà

Nidore, adipe, thurequo deorum nares implevit:

Nec solum: Peccavi, dixit, delictus parcite;

Sed et anxi collum facillè porrexit excantandum:

Brachiaque loris persuasos devinxit.

Rhamnumque et lauri ramum janæ imposuit,

Cuncta administrare magis, quàm mori paratus.

Stultus, qui mercede voluit deos esse:

Quasi tunc essent, cùm illos Bion demùm esse arbitraretur.

Ergo nequiquàm sapiens, cùm lembus erat carbo totus (1),

Tendens manum: Salve, inquit, Pluto, salve.

Imago est hæc satis vivida ejus ingenii, quod in recentibus incredulòs quò audacioribus in religione irridendà, cùm corporis vires spiritus farorem adæquant, eò abjectioribus in quovis objecto periculo, quotidie videmus. Memento temporis tota quanta est eorum metaphysica perit: nec Spinoza, nec Hobbesius menti occurrunt; creditæ in supremum nomen demonstrationes evanescent; nihil demùm aliud cogitant, nisi ut veniam consequantur, non rarò, ut diximus, superstitiones etiam sectantes. Baylius idem non gravatè concedit, hanc esse comædiam, quam (Dict. Critic. art. *Bion*, Rem. E) omnes penè impij agunt: et inter cætera refert, « præclarum spiritum indo-
« luisse, neminem suæ sectæ hominum per-
« severantiæ donum habere; eam detestari
« mortì proximòs; eos sibi probro esse, et
« semetipsos refellere, » quod pluribus exem-
plis passim in suo dictionario confirmat. (Art. *Bion*, *Desbarreaux*, *Hénault*, et alibi.) Neque difficile nobis esset, etiam recentiora addere. Dominus de la *Mettre*, auctor impij libelli inscripti *L'Homme-Machine*, creditus meritò fuit acerrimus materialista, qui, ut Baylius loquitur, dici potuisset *impicus è systemate*; at jam moriturus animo illo forti defecit, et ad bonum libritem redire studuit. Constat, quantum libritinis auctoris Epistolarum Persicarum nomen in deliciis esset, et quantà jactatione eum extollerent; at mortem prospiciens jam-jam impendentem (quod alibi etiam diximus)

(1) Vid. not. ad hunc locum in edit. cit.

ferociam abjecit, et ut Christianum decet, mori curavit.

Ratio hæc penè universa spirituum fortium, qui in periculis et jam morituri, impietatis systema abjiciunt, quid, quæso, significat? esse procul dubio eorum impietatis fontem non metaphysicam, sed mentis corruptionem; eorum systema non argumentis superstrui, sed illusionibus, quæ Dei, atque æternitatis notionibus altè animo infixis tenebras quidem offundere possunt; sed persuasionem, quæ ex recto ratiocinio habetur, nunquàm delere. Et sanè, si evidenter credunt, quod semper dicunt, mortem non esse nisi æternum somnum, cujuslibet sensus expertem; judicium supremi moderatoris, quod per mortem futurum dicitur, non nisi poeticum inventum; locum æternorum suppliciorum in malos paratum esse aniles fabellas, pavoremque puerilem (1); quare dùm hæc omnia propè impendent, non excutiant demonstrationes suas, irridentes his obviam eunt; sed animo fortis vir in cubiculo noctu ingreditur, in quo scit nihil inesse aliud quàm tenebras, quas solum pueri reformidant? Cur in contrariam abeunt sententiam, imitanturque Persas, cùm à Græcis victi, marisque fluctibus jactati feroces illi ceci milites hujusmodi infortunii afflicti

. Qui deos

Non esse credebant priùs, fundebant preces,
Cælum atque terram adorantes?

(Æschil. in. Pers.)

Dicet fortassè quispiam, eos id agere, ut tutiores sint, et eo tempore illos argumento illo uti, quod appellatur *ab eo quod est tutius*, à nobis superiùs indicato; sequuntur proinde tunc religionem, quæ si vera est, iis somnum pollicetur bonum; si falsa, nullum malum inde percipiunt.

At respondeo, argumentum *ab eo quod est tutius*, non habere locum contra evidentiam, hoc est partem, quæ videtur tutior, non esse eligendam nisi ab animo nimium imbecillo et melancholico, tum cùm sibi persuadeat evidenter, sententiam ejusmodi falsam esse, et systema illi contrarium certum esse, verum que. Qui fieri ergo posset, ut libritini, hoc est, spiritus $\alpha\alpha\alpha$ $\alpha\alpha\alpha\alpha$ fortes, et impavidi mortì proximi majoris securitatis nomine religionem amplecterentur, si certò scirent reli-

(1) Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis in tenebris metuant, sic nos in luce timemus Interdùm, nihil quæ sunt metuenda magis, quàm Quæ pueri in tenebris pavitant, linguaque futura,
(Lucret. lib. 6, v. 54.)

gionem esse deliramentum et insaniam, et atheismum esse certò sentirent?

Reponetur ergo, libertinos nunquam hanc evidentiam contra religionem et contra Deum assequi, sed tantum dubitare (vid. Epist. Murrali sur l'Esprit fort): quæ quidem dubitatio locum dat parti tutiori. Ita eorum Patronus maximus respondet (Bayle Dict. crit., art. *Bion*, Rem. E). En ejus verba: « Penè omnes irreligiosi incerti hærent et ancipites; nunquam evidenter sciunt. Cum ergo ægrotent, cum jam impietas nihil iis prosit, tutiorem amplectuntur sententiam illam quæ pollicetur, si vera est, æternam beatitatem, quæque nullum affert periculum, si est falsa.»

Verum cur, inquit, id incolumes non agunt? cur eam sententiam, quæ tantam utilitatis et securitatis affert, cum contra nonnisi dubii sint, amplectuntur? Nullà alià de causâ certè nisi quòd sanis impietas alicui est illis usui, hoc est, quin eos mordeat, permittit, eos sequi cupiditates suas, quod agere propediem morituri non possunt. Ilinc videt quisque, eos fateri, quod nunc inquirimus, id est, principium illud, quod eos impios efficit, esse cordis corruptionem. De religione semper dubitat; in hujusmodi dubiis, religio certè esset eligenda, quæ utilior et tutior sententia est, ut illi ipsi in morte ostendunt, ipsa enim ambiguitas eadem est ac impietas *κατ' ἔργον*, aiebat Pascal. Nisi ergo id agunt valentes, demonstrant, se immodicè cupiditate rapi, quæ puris putisque dubiis in impietate potest eos retinere, à quâ, quamvis systema verum esset, nullum aliud emolumentum percipiunt, nisi ut brutorum animantium rita vivant; et quod si esset falsum, in discrimen eos adducit, ut quovis temporis puncto amittere bonum infinitum, et infinitum malum subire possint. Omnes ergo hi spiritus fortes et libertini sunt ejusmodi, quia audaces esse volunt, et nequam.

Baylius tamen, licet interdum veritatem sincerè fateri videatur, quedam tamen perfugia habet, in quibus spem omnem victoriæ eum collocasse quisque intelligit. Pluribus in locis concedit, maximam libertinorum partem hoc est, adolescentes illos dissolutos, hos aulicos avaros, hos venales ministros, hos tumidos nebulones, totumque hujus generis gregem, qui spirituum fortium nomine, Europam inficit, nihil aliud sanè esse, nisi gentem, cum perditam tum et plurimum imperitam, aut tantum leviter doctam. Fate-

mur esse homines, qui, quamvis petulantia tantà in congressibus contra religionem loquantur, vel nesciant quid dicant, vel dicunt plura cogitatis; homines demùm, quibus cupiditatum impetus est demonstrationis loco, quæ in impietate eos detinet. Jam hos, fateatur Baylius, esse imbecillos eos homines, eos comicos heroes, qui citò ex humanis decessuri mutantur; quod quidem demonstrat, obrutam cupiditatum caligine, non verò ratiociniis delectam prorsus religionem in eorum animis esse. Indigitat tamen criticus hic extra turbam hanc, cujus causam deserit, indigitat, inquam, qui sibi gratiosi sint, hi que sunt « homines (loco modo citato) illi graves, alieni à voluptatibus, et à terrestribus deliramentis, qui in cælibus, ut impietatem suadeant, non vitiligant; qui sententias suas reconditas habent (gemmas summi pretii), aut cum iis tantum viris eas communicant, qui illis abuti nequeunt.» Illos ille appellat, « atheos systematicos, neque turpitudinibus, neque jaculatione corruptos, quos principium quoddam nimis evidens, deductumque per rectas illusiones infeliciter victos in hanc sententiam pertraxit.» Possuntne hæc humani generis monstra mitius pingi? De his interea quid Baylius ait? « Dei gratia morte ante oculos propositâ potest hos (ex hac certâ persuasione) deducere: sine illâ tamen morbos inter ærumnasque in suâ sententiâ permanent: quòd si ad Ecclesiæ ceremonias, quas in morte adhibet, se conformant, eò ab illis id fit, ut propinqui iis liberentur incommodis, quibus ex neglectis ecclesiasticis ritibus affligerentur.» Illi enim verò sunt atheismi duces veri. Hi sunt viri illi, animo tanto, ut ne in morte quidem inferos sibi timeant, sed propinquis incommoda ex ritualis contemptu derivanda timent. Hi Baylii plausus merentur, non scituli illi (Dict. crit. art. *Desbarreaux*, Rem. F) « qui disputationum capita non examinarunt, qui aliquam oppositionem didicerunt, quæ mortales exsurdant, qui ex ostentatione loquantur, at in periculis deficient.» Sed Pyrrhonicè verborum circuitu ne nos vinci patiamur, ambigua verba explicemus, videbimusque nostram propositionem esse verissimam. Baylii opinio falso principio nititur. Ita ergo ei respondeamus: 1º Esse quosdam libertinos alitis mintis corruptos, parumque in libidinum luto volutatos, concessimus supra, et nunc quoque libenter concedimus: at *homines graves*, in religione alios, nullo modo *corru-*

ptos aut jactatione aut voluptatibus, hoc est, homines integro puroque corde atheos fieri, putamus incredibile esse, opinamurque id à nobis satis probatum. 2° Esse libertinos studii amantes, litteratos, doctos, qui in impietatem incidunt, non stupidarum belluarum more alienæ fidei vestigiis inhærentes, sed studio, sophismatibus ductos, dedimus supra, et damus nunc etiam. At hos ita persuaderi, ita convinci, esse bonâ fide atheos, eum potius quædam deliria, quamdam idearum confusionem habeant, hoc est, quod negamus, credimusque ex rebus dictis, moxque dicendis jure nos posse id affirmare. 5° Gratiam Dei, eos ex hæc impietate morte iis propositâ posse eruere, fidei dogma est; at quosdam ex hæc vitâ decedentes quin mutationem ullam præ se ferant, demonstrare, se pacatos et de atheismo certos vixisse, hoc pernegamus.

Et sanè spirituum fortium mutatio, et animi abjectio ad mortem propositam, indicio quidem est, et Baylius ipse fatetur, hos semper dubitasse. Nonnullorum tamen indolentia et stupiditas argumento eorum evidentiæ non est, spiritus sopor, aut voluntatis desperatio ex malis præcedentibus affectionibus, Deique justâ desertione, non jam systematicâ persuasione mentis orta funestissimæ hujus indolentiæ, et stupiditatis, quâ ex hæc vitâ migrant, causa esse potest. Nonne quotidie vigemus Christianos jamjam morituros nolle precibus minisque flecti, quibus excitantur ad suorum criminum poenitentiam, et ad se præparandos ad transitum ab hæc vitâ, sed obstinatos qui nullum doloris indicium dent, hinc migrare? quid, aguntne isti hæc persuasione moti, nullam dari æternitatem, non Deum, aut sine dolore se posse salvari? Nihil minus: nullum enim horum errorem se imbibisse, unquam significarunt. Spiritus cæcitas, obstinatioque cordis, quâ stupidi defixique sunt in cæno antiquo, et etiam funesta desperatio, ex quâ fit, ut nullam sperent suorum criminum veniam, efficit ut hoc modo moriantur. Hæc sunt libertinorum etiam affectiones, qui in morbis, et in subitis rerum nullo dolore percussi videntur, et quin poenitentia exterius signum præ se ferant, moriuntur. Non est hæc philosophica quies, sed brutorum animantium stupiditas, per quam ne animum quidem advertunt ad eum transitum, quem propediem sunt facturi. Aut si impendentem migrationem vident, et præterita crimina, suorumque dubiorum labens fundamentum cognoscunt, certum tamen est, ut quis

ad Deum convertatur, requiri, quod fatetur Baylius ipse, Dei gratiam. Jam gratiâ hæc jure carent, imò se illam habituros desperant; hocce autem modo non spiritus fortes, et imperturbati, sed furentes, desperatique transeunt. Opportunè Bernardi Nieuventyti (*l'Existence de Dieu, discours préliminaire*), viri cum in philosophicis rebus versati, tum ingenui, gravisque narratio accidit. De quodam horum spirituum fortium loquens ita ait: « Novi ab adolescentiâ quemdam ex Spinosæ necessariis, qui ejus discipulus fuerat, qui ejus sententias fuerat semper secutus, et quotiescumque occasio sese ferebat, ejus opiniones acutè defendebat, quandoquidem ingenio præstabat. Cum in morbum incidisset, diu pacatus exemplum magistri sui secutus permansit; demum in hæc verba erupit: *Crederet se tunc id quod prius negaverat, sed serum esse, ut veniam speraret.* » Litteratus vir amicus meus infelicissimam hæc mortem cum adjunctis omnibus mihi narravit. Si quisquam censendus esset ex iis, quos Baylius atheos systematicos appellat, qui principiis, et illationibus ducti religionem rejiciunt, hic procul dubio discipulus, et pedissequus ita studiosus ejus, qui atheismum ad systema redegerat, futurus fuisse videtur. Ejus tamen in morte confessio non persuasionem, sed laudis cupiditatem, ostentationemque in causâ fuisse, cur defenderet impietatem, ostendit; et si contrito corde ad Deum, quem læserat et negaverat, non confugiebat, non ex eo fieri, quòd ejus existentiam non crederet, sed quòd veniam desperabat. Cur non igitur dicendum nobis erit, eo tempore, quamvis id non indicent, ita esse affectos eos, qui minus acri ingenio præditi, minusque impietatis mysteriis initiati, dum in vivis erant, religionem oppugnarunt?

Ex eo autem quòd Nieuventytus de desperato discipuli sine loquens magistri pacem narrat, posset fortassè quis credere, atheistarum heroem illum in lethifero morbo animi firmitatem, constantiamque imperterritam, quæ pedissequis suis, etiamsi eam exoptent, solet deesse, ostendisse. Sed quamquam varia de Spinosæ morte referuntur ab auctoribus, penès neminem tamen hæc constantia legitur Scriptor modò memoratus, cui plurimam habendam esse fidem reor, eum ob animi candorem, tum quòd in iis ipsis locis vixit, familiarissimèque cum iis vixit, qui inipium illum apprime noverant, ita loquitur (*Exist. de Dieu, discours prélim.*): « Certum est, Spinosam,

« ut quamlibet perturbationem angoremque
 « præverteret, noluisse, dum ægrotabat, dum
 « morti luctabatur, quemquam de statu homi-
 « nis post vitam hanc, et de veritate aut fal-
 « sitate suarum sententiarum audire, quod
 « certè non ostendit hominem ex verâ philo-
 « sopiâ certum. Quamvis enim ejus spiritus
 « ita fuisset infirmatus morbo, ut respondere
 « non potuisset, ut optâset, omnibus argu-
 « mentis, nihilo tamen minùs verum erat ju-
 « xta ejus principia, se non futurum ideò mi-
 « serabiliorem post mortem, sed tantùm se ca-
 « riturum gloriâ, spiritum aliis fortiorem se
 « fuisse. » Joannes Christophorus Wolfius (*Bi-
 « blioth. Hébraïc.* part. 1, p. 240) ait quid ampli-
 « us: « Morti proximum nullum admisit, sæ-
 « pèque in hæc verba prorupit: *O Deus! esto*
 « *mihi peccatori propitius*; quod à celeberrimo
 « viro se accepisse testatur Franciscus Halma
 « in Præfat. quam præmisit vitæ Spinosæ. »
 Ex his apparet, hanc insignem impium non
 modò extremo vitæ tempore constantem in
 atheismo à se redacto, ut ille jactitat, ad *sy-*
stema, fuisse, sed etiam didicisse et geome-
 triam, et systemata, et quod libertini cæteri
 faciunt, vel tunc, se declamata sua repro-
 bâsse, vel perfidâ obstinatione, qui ex errore
 eum deducere poterant, audire noluisse.
 Quamquàm Jacobus Bruckerus (1), ultimus
 Historiæ philosophicæ scriptor, Joannis Cole-
 ri, unius ex iis qui illius vitam in lucem edi-
 dit, quæ tenebris potius obtogenda erat, au-
 ctoritatem secutus, credit, quidquid narra-
 tum fuit aut de ejus exclamationibus, aut de
 interdicto hospiti facto admittendi ministros,
 à quibus inviseretur, aut ebibisse, ut quidam
 opinantur cicutam, fabulam redolere. Scribit,
 Spinosa mortem, ut accidere solet tabidis,
 quo morbo jamdiu laborabat, omninò repenti-
 nam et inopinatam evenisse; cum illo ipso die
 è cubiculo esset egressus, solusque cum illo
 esset eo momento medicus quidam Amsteloda-
 mensis, qui cum visitatum venerat. Sed licet
 narrationem hanc sequi velimus, Spinosaque
 mors repenti et inopinatò contigerit; nisi soli-
 tam libertinorum mutationem nobis ostendit,
 neque ullam animi confidentiam in eo nos
 detegere sinit, solumque reformidandum illius

(1) « Hoc fatum ultimum nec ipse, nec fa-
 « miliares proximum esse, ut in hoc morbi
 « genere fieri solet, senserunt; iis enim ni-
 « hil tale expectantibus solo medico L. M., qui
 « Amstelodamo accesserat præsentè 11 kal.
 « martii 1677, expiravit. » T. 4, p. 2, l. 2,
 c. 3 § 8.

Dei, qui momento temporis suos contemp-
 tores, hostesque ad æternas suæ indignationis
 derisæ pœnas ferendas dejecit, judicium vi-
 demus.

Hæc etiam fuit Petri Baylii funestissima
 mors, qui cum in republicâ literariâ tot per-
 sonas egisset, tempus ei defuit, quo nobis
 sensa animi sui in morte aperiret, num pyr-
 rhonismum, manichæismum, et atheismum
 per jocum, aut per ostentationem professus
 fuisset, eligens tunc tutiorem partem; an ita
 strenuè *ex systemate, et ex illationibus unis ex*
aliis deductis, impietati patrociniatus fuerit im-
 pavidè, constanterque advenientem mortem
 intuens. Ille enim etiam repenti omninò mor-
 tuus est, quin suorum amicorum quisquam
 adesset, à quibus lecto suo stratus indutus,
 vitâque defunctus fuit repertus (1).

Cæterum ut ad Spinosam redeamus, etiamsi
 dicatur mors ejus repentina fuisse, ut Cole-
 rus alique scribunt, tamen non est præter-
 eundum silentio, quod Nieuwentijf narrat,
 quomodò se ad mortem præparaverit, munie-
 ritque; « ut quamvis perturbationem, angorem-
 « que præverteret, noluerit, dum ægrotabat,
 « dum morti luctabatur, quemquam de statu ho-
 « minis post vitam hanc, et de veritate aut falsi-
 « tatesuarum sententiarum audire; non possu-
 « mus, inquam, narrationem hanc rejicere, im-
 « mum quidem quia auctor hic, qui poterat eam
 omninò scire, certam esse affirmat; deinde verò,
 quia narrationi Nieuwentijf consonans est id
 quod Baylus scribit, atque, se ab auctoribus
 fide dignis accepisse (2). Demùm quia id omne

(1) Vide *Vie de M. Bayle, par M. des Mai-
 zeur.* Le P. Niceron, *Mémoir. des hommes il-
 lust.*, tom. 6.

(2) « La chose est de fraîche date, et je la
 « tiens d'un grand homme, qui lasat de bonne
 « part. C'était le plus grand athée qui ait ja-
 « mais été, et qui s'était tellement infatué de
 « certains principes de philosophie, que pour
 « les mieux méditer, il se mit comme en re-
 « traite, renonçant à tout ce qu'on appelle
 « plaisirs et vanités du monde, et ne s'occu-
 « pant que de ces abstruses méditations. Se
 « sentant près de sa fin, il fit venir son hô-
 « tesse, et la pria d'empêcher qu'aucun mi-
 « nistre ne le vint voir en cet état. Sa raison
 « était, comme on l'a su de ses amis, qu'il
 « voulait mourir sans dispute, et qu'il crai-
 « gnait de tomber dans quelque faiblesse de
 « sens, qui lui fit dire quelque chose dont on
 « tirât avantage contre ses principes. C'est-à-
 « dire qu'il craignait que l'on ne doutât dans
 « le monde, qu'à la vue de la mort sa con-
 « science s'était réveillée, l'avait fait démen-
 « tir de sa bravoure, et renoncer à ses senti-
 « mens. » Pens. divers. § 181.

convenit cum animi Spinosæ affectionibus, quas ille ipse in quiddam epistolâ ad Blyemburgium relatâ à Nieuwenyto, nobis detegit; in quâ postquam fassus est, se non intelligere sacram Scripturam, ac idcirco de suis opinionibus id sentire, quod intellectus suus sibi suggererat: « Quòd si cognitio (1), quam naturaliter ex intellectu habeo fortassè falsa est, per eam tamen stat, ut sim felix, dum lætor, vivoque non in mœrore et luctu, sed in tranquillitate, gaudio et voluptatibus. » Ex quo loco multa notata digna colliguntur, 1^o quàm infirma esset persuasio, quam etiam *positis methodis geometricis et atheismo systematico* de opinione suâ habebat, quam non ambigebat posse esse falsam; 2^o quàm mala ejus cordis affectio esset, cum in re tanti momenti, in quâ et argumenta, et innumeras illationes veri systematis ignorare non poterat, quin ulterius quiddam quæreret, contentus erat perversâ opinione, quam esse falsam posse credebat (neque verò erat magni negotii id nôsse, legentique ejus Ethicam præcipuè incredibile videtur, cum non vidisset verba ambigua, quibus totus *pantheismus* innititur), idcirco, quia ejusmodi opinio eum felicem reddēbat, afflictebatque gaudio, ut non in luctu, sed in *alacritate et voluptatibus* vitam transigeret. « Sententia (ait optimè Nieuwenytus loc. cit.) doctorum hominum relinque, num verba hæc philosophum, qui veritatem inquirat, aut obstinatum atheum denotent, qui ne gaudium suum perturbaret, nolebat sermonem de hæc persuasionem sibi fieri. » 3^o Quantum cum hujusmodi Spinosæ et intellectus et cordis affectionibus conveniret, quod supra de ejusdem morbi, decessusque tempore narravimus, hoc est eum noluisse de suis sententiis, et de alterâ vitâ disputantem quemquam audire! Prævidebat fore ut sua pax turbaretur, et ut aiebat ille apud Horatium (lib. 2, Epist. 2, v. 158), mentis gratissimus error sibi demeretur, de quo certus non erat, sed quem obstinatè defendebat; atque hoc modo potuisset illa infirmitatis indicia præbere, quæ in impiis solemus inspicere, sed quæ hominem non solum in Fœderato Belgio,

sed in Galliâ, in Angliâ famâ nolentem spirituum fortium principem deducebant (Baylius, Dict. erit art. *Spinosæ*.) 4^o Sensa hæc illius valentis, cautiones hæc illius agrotantis lethoque proximi, demonstrant id sensisse Spinosam, quod nobis probandum proposuimus, hoc est, non argumentorum evidentiam, sed cordis incredibili superbâ transversum acti corruptionem, desideriumque vitæ liberæ à mœrore, et luctu (qui ex conscientia vulneratâ nascuntur), et fucitissimâ gaudens pace, principium fuisse, quod eum pertraxit in impietatem, et in eâ detinuit. Quod ex dictis in hoc capite certò affirmare etiam de aliis libertinis jure ac merito nobis posse videmur, qui cum ibidem sunt, ut moriantur, impias jactatas opiniones deponunt, religionemque proflentes, aperte ostendunt, non vim ratiocinii, quo fuerint convicti, sed cupiditatum impetum, quibus fuerint impulsæ, causam fuisse, cur in impiorum album referrentur, et proinde non quòd fuerint acuti metaphysici, sed spiritus impuri corruptique, athei esse factos. (Valsecchi, *ibid.*, lib. 5, c. 2.)

2^o RATIONIS PERTURBATIO.

Licet fons primus, unde in homines religionis contemptus dimanat, sit cordis corruptio, ut hæcenus probavimus satis superque, tamen cum error tanquam in sede suâ in intellectu resideat, opus est investigare, qui facultas hæc, ut impuri cordis pravis cupiditatibus morem gerat, neglectis luminibus iis veritatis vividissimis, quæ illi primùm supremum Ens, aliaque præcipua religionis cum naturalis, tum revelatæ capita patefaciunt, eò progredi possit, ut impietatem, id est mendaciorum errorumque acervum, complectatur. Hæc inquisitio, ad probè impiorum ingenium internoscendum juvabit. Sicut enim ex primo fonte comperto in iis perversitatem cordis summam vidimus, ita ex hoc secundo rationis perturbationem singularem et luctuosissimam detegemus. Color sanè hic omninò alius est ab eo quem illi se præferre dicunt, se reputantes, volentesque sapientissimos prudentissimosque mortalem omnium haberi, utpote qui præjudiciis et fide soluti nõrunt ratione uti, et acumine vique ratiocinandi omnium errorem vident, et deliramenta comperiunt esse illa, quæ humanum genus ceu veritates colit. Ideòque liberos cogitantes et spiritus fortes « τὴν ἐξουσίαν » se dicunt. Ego autem ad ostendendum me paro, eos esse ingenia perversa et insana, in quibus summa cæcitas incest, maxima rerum nature inscitia

(1) « Et si la connaissance que j'ai déjà de l'entendement naturel, se trouve jamais fausse, elle ne laisse pas de me rendre heureux, pendant que j'en jouis, et que je passe ma vie, non dans les larmes et les soupirs, mais dans la tranquillité, la joie, et les plaisirs. » Lett. 34, apud Nieuwenytum loc cit.

« spiritus, qui communis sensûs notions per-
vertit, qui sibi ratiocinandi modum rationi
rectæ adversum effingit. Quapropter non spiri-
tus fortes, sed recordes appellandi sunt, ut
eos nimirum Aristoteles vocat illustri illo in
magnis Moralibus effato, alibi recitato à nobis :
« Si quis adeò temerarius sit, ut deos etiam
« contemnat, non erit hic vir fortis, sed fatuus. »

Atque ut initio statim de maximâ parte, seu
de libertinis generatim loquamur, illud constat,
non longam theoriarum, et sophismatum
seriem, per quæ veluti totidem gradus ad impietatem
pervenerint, esse in illis inquirendam. Atheismus,
aut deismus magis suis cupiditatibus, quàm religio
et Evangelium, inventus consentaneus, demonstratio
fuit quâ fuere convicti. Accidit in his, quod recens
auctor nihil romanæ Ecclesiæ favens verissimè dicit
accidisse de creditâ novorum reformatione :
« Si nos, inquit ille, reformationis progressus
« ad principia simplicia redigere velimus (1),
« perspicimus, utilitate eam fuisse inventam
« in Germaniam, cupidine in Angliam, novitate
« et fortassè cantiuclâ in Galliam. » Hoc idem
de impietate dicatur; in ministros, in politicos,
in aulicos, in aulicos e avaritiâ proficiscitur.
Exemplum piscis ingentis, cui jus est parvum
edendi, est iis argumentis quâvis exceptione
systema sequendum sibi arbitrentur, et tanquàm
falsum quod Salomon, quod Evangelium docuit,
repudient. Libido et fortassè cantiuclâ in
hominibus rebus veneris addictis eam peperit,
sufficiunt quibusdam ii versiculi :

Si peccare adeò est suave, verùm
Non peccare adeò necesse, heu!
Natura aspera, quæ legi repugnans,
Heu! lex aspera, quæ nimis gravas nos!

Hæc, inquam, sunt argumenta illa, quæ primum
quidem efficiunt ut illi dubitent, tum ut placita
Epicuri, Petronique omnino amplectantur. Demùm
in ardelionibus et in ambitiosis impictis oritur ex
cupiditate nomen ingeniorum acutorum et præjudiciis
liberorum in cæteris sibi comparandi. « Putant hi,
« inquit Baylius (2), qui eos probè nôrat, è

(1) « Si donc on veut réduire les causes des
« progrès de la réforme à des principes simples,
« on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage
« de l'intérêt, en Angleterre celui de l'amour,
« et en France celui de la nouveauté, ou peut être
« d'une chanson. » Mémoire pour servir à l'Hist. de
« Brandburg., p. 27, part. 1.

(2) « Ils s'imaginent que la singularité et la
« hardiesse des sentimens qu'ils soutiendront, leur
« procurera la réputation de grands es-

« singularibus audacibusque quibusdam sententiis
« se famam magnorum virorum sibi esse conciliaturos...
« Itaque paulatim in eam consuetudinem abeunt, ut
« impios sermones habeant; quòd si etiam libidò ad hanc
« gloriæ cupiditatem accedat, velocius iter conficiunt;
« paulòque post : « Doctrinarum capita non versarunt,
« quædam tantùm objecta didicerunt, obstrepuntque
« in conventibus, loquunturque ex ostentatione. »
« Quænam autem ratio magis à sanâ mente abhorrens dari
« potest? Postulo enim: vel hi modis his omnino ex
« animo religionem delent, et athei aut deiste reverè
« fiunt, quia ita sibi persuadent, aut cupiunt quidem
« esse, conanturque id sermonibus demonstrare,
« improbèque agunt, quasi crederent neque æternitatem
« neque Deum esse; sed hæsitant, dubitantque tantùm
« de his capitibus. Si verè athei sunt, qui homines
« unquàm magis illis insipiunt, qui rationibus tam
« infirmis moti, systema illud deserunt, quòd, ut
« ignorent nequeunt, fundamentis adeò firmis nititur,
« ut ea concutere nequeant, aliudque amplectuntur,
« quod plura habet, quæ inter se repugnant, quin in ea
« possint componere? Si verò tales esse avertant,
« quinam ergo homines iis sunt infeliciores, si
« dubitatione æstuantes eam eligunt sententiam, è
« quâ certò sciunt æterna et funestissima consequentia
« esse profectura; contrariamque deserunt, cujus
« evidentiam ex animo suo removere prorsus nequeunt,
« et summa ex eâ emolumenta redundantia cognoscunt?
« Ergo quòcumque libertini, de quibus loquimur,
« suntque maxima hujusce scholæ pars, se vertant,
« se homines sanâ mente carentes produunt. Quoniam
« pars secunda dilemmatis à nobis allati verior est,
« vulgaresque hi athæi, deistæque, nonnisi dubitant,
« vel cæcillant, vel malitiosè ignorant, placet
« apertius hanc infelicem stupiditatem in quam
« incidunt, coloribus quibusdam illam præclarus
« Blasius Pascalius in primo suarum sublimium
« Cogitationum de religionis pingit, oculis subjicere.
« Ilorum tranquillitas in suâ ignorantia est quid
« monstris, et cujus opus est insolentiam stupiditatemque

« prits.... Ils se font donc peu à peu une habitude
« de tenir des discours impies, et si la vie voluptueuse
« se joint à leur vanité, ils marchent encore plus vite
« dans ce chemin... Ils n'ont guère examiné, ils ont
« appris quelques objections, ils en étourdissent le
« monde, ils partent par un principe de fanfaronnerie. »
« Dict. crit., art. Desbarreaux, Rem. F.

e iis ipsis ostendere qui ita vivunt, objicien-
 do eorum oculis, quod in ipsis accidit, ut
 e suæ infirmitatis conspectu erubescant. En
 e enim quomodò ratiocinentur homines, cum
 e in hæc sui ipsius ignorantia vivere consti-
 tuunt (dictumque intelligatur id de quovis
 e dubio, et cæcitate de præcipuis religionis
 e capitibus), quin quærant, ut illuminentur:

e Ignoro, quis me creârit, inquit hi, et
 e quid sit mundus, et quid ego, in omnium
 e rerum ignorantia summâ versor. Nescio
 e quid sit meum corpus, quid mei sensus,
 e quid anima mea, et hæc ipsa meæ portio
 e quæ cogitat quod dico, quæ advertit quod
 e libet, et seipsam quoque nihilò magis se
 e cognoscit quàm reliqua entia. Video immen-
 e sum hoc universi spâtiùm, quod me com-
 e plectitur, meque adhærentem comperio parti
 e uni lujus latissimæ quoqueversum extensio-
 e nis, quin sciam, cur potiùs hoc in loco,
 e quàm in alio collocatus fuerim; quin sciam
 e cur exiguum hujus vitæ spatium datum
 e mihi fuerit hoc potiùs tempore, quàm ullo
 e alio totius æternitatis quæ præterit, aut
 e quæ futura est. Quocumque oculos convertò,
 e nonnisi infinita conspicio, quæ me ut ato-
 e mum, aut umbram absorbent, quæ mo-
 e mento temporis perdurat, nec revertitur.
 e Quod novi, hoc est, citò moriendum mihi
 e esse; at quod mitis novi, est mors hæc
 e eadem, quam nequeo effugere; sicut autem
 e me laetè unde venerim, ita me laetè quò
 e iturus sim; et hoc unum scio, me ex hæc
 e vitâ decedentem aut in nihilum casurum,
 e aut in manus Dei irati, quin tamen nôrim,
 e ultra harum conditionum æternùm obven-
 e tura mihi sit. En meus status, miseriarum,
 e infirmitatis, inscitiaque plenus. Et ex hoc
 e colligo, ita, donec vixero, mihi vivendum
 e esse, ut nihil cogitem id quod accidere
 e mihi debet; mihi obsequendum esse cupi-
 e ditatibus meis, quin quidquam advertam,
 e quin quidquam perturber, omnia peragens,
 e ut æternùm peream, si quod (à religione) di-
 e citur, verum sit. Forsitan possem has tene-
 e bras discutere; at nolo tantùm mihi incom-
 e modi sumere, et ne latum quidem unguem
 e progredi, ut lumen inquiram; contemnen-
 e tique eos, qui hoc sibi negotium comparant,
 e mihi in animo est, obviam ire, quin conside-
 e rem, aut pavescam, casui tam ingenti, et
 e æquo animo mortem subire incertum de
 e futuri mei statu æternitate. » Hactenus
 Pascalius. Ludus erit lectori non hebeti detor-

quere id quod ille ait, ad omnes hos ardelionæ
 libertinos, qui mortales contagione inficiunt,
 quique nihil intentatum relinquunt, ut eò tan-
 dem deveniant, ut de religione dubitent. Si
 de impietate, aut deismo iis persuasum non
 est, ut reverà non est, sed tantùm dubitant,
 ambigunt, suspensi sunt, anxique jam; illi
 ita pergentes vivere homines omnium, qui
 usquàm sint, mortalium insanissimi, et maxi-
 mè efferi sunt. Et audebunt adhuc sibi plau-
 dere, se spiritus fortes dicere, et non potiùs
 imbecillos et furentes!

Alium tamen horum insanæ colorem nobis
 auctor modò laudatus in oculis ponit, illa
 eadem vestigia indigitans, quibus hi, ut famam
 spirituum magnorum sapientiumque sibi con-
 ciliant, insistent; scilicet cum diligentiam
 affectant, ut in cœtibus verè impietatem pro-
 fiteri criminosas in religionem orationes ha-
 bentes videantur, ostendentesque ut philoso-
 phos acutos, subilesque se illam parvi facere,
 longèque aliter ac vulgus, quod illam plurimi
 ducit, sentire. Hic quoque ejus verba recite-
 mus:

* e Audierunt hi, elegantes seculi mores in
 e hoc esse positos, ut ostentetur impietas.
 e Hoc est id, quod illi dicunt jugum excus-
 e sisse, eorumque pars maxima nisi ut alios
 e imitetur, id facit. At si in his restat adhuc
 e communis sensûs unciola, difficile non erit
 e iis ostendere, quàm parùm sapiant, dum hoc
 e modo existimationem sibi comparare stu-
 e dent. Eam sibi conciliandi ratio hæc non est,
 e ne ab iis, qui nôrunt rationem unam, quâ
 e fama acquiratur, esse hanc, honestatem,
 e fidem, æquitatem colere, commoda amicis
 e præstare; quandoquidem homines ut pluri-
 e mùm nonnisi propter utilitatem alios amant.
 e Jam quod emolumentum possumus percipere
 e ab homine, qui gloriatur se excus-isse ju-
 e gum, se non credere Deum esse, qui opera
 e nostra scrutetur, se suorum factorum esse
 e dominum, eorumque sibi tantùm se reddi-
 e turum esse rationem? Putatne fortassè hic
 e hujusmodi sermonibus se efficere, ut sibi
 e fidem habeamus, ut ab se auxilium, consi-
 e lium, opemque in calamitatibus speremus?
 e Arbitraturne, gratissima se nobis nuntiasse,
 e cum dicit se dubitare, num anima nostra
 e sit quidquam aliud quàm fumus, vaporque,
 e idque elatâ fronte, tumidoque ore dicit?
 e Estne hoc lætè dicendum, annon potiùs
 e mœstâ fronte, dimissisque oculis ceu om-

et nium luctuosissimum? Si attentè id hi considerent, videbunt esse hoc ita turpe, ad eam rationi absonum, sic honesti infestum, et tamque ab eà famà, quam accupari student, remotum, ut nihil magis iis contemptum, odiumque hominum conciliare, eoque ignorantes insipientesque magis ostendere possit. Et sanè si interrogentur, cur ita impiè sentiant, cur de religione dubitent, rationes tam infirmas, tam ineptas afferent, ut potius contrarium sint probaturæ. Hoc est, quod iis quodam die satis aptè quidam dicebat: *Si vos, aiebat hic, pergitis hoc modo loqui, eninverò me ad sanitatem restituetis.* Et meritò quidem. Quis enim non horresceret, se illa sentire, quæ homines ita contemnendi, abjectique sentiunt? » Hæc doctus Gallus (1).

Si ergo libertinorum pars maxima consideretur aut in impietatem prolapsorum ineptissimis motorum causis, aut ita in suâ obstinatione permanentium dubiorum, anxiorum, accipitulumque, aut putantium se auram famæ decorisque captaturos, quin fortassè quidquam aliud habeant ex se, nisi ut veluti servile pecus alicujus insignis libertini sermones imitentur, ex his omnibus, inquam, si eos consideremus, quotquot in terris sunt mortuum insanissimi omnium detegentur.

At poterint fortassè hoc idem de atheis, aut deïstis è systemate dici, qui se doctos jactant, scriptisque religionem oppugnant? Nihil sanè illi magis ingratum audire possunt, sed nihil æquius potest illis adscribi. Nihil pluries in eorum scriptis offenditur, quàm verba *rationis rectique sensûs*; nihilque magis ab iis abest, quàm ratio, rectusque sensus. His telis se unos instructos credunt, hisque rentur, se tot relatuos triumphos, quot ore rotundo sophismata expromunt. Eorum ratione omnia edomita, victaque corruere debent. Objiciturne iis suâ cum auctoritate religio? commentum est; cum suis operibus Patres? superstitioni sunt; suis cum argumentis philosophi? minùs sapient; suo cum vivendi modo boni? fanatico morbo laborant; cum suo universo consensu genus mortalium totum? lævum est. Ipsi, ipsi soli, rectè prospiciunt rationes suâ, suoque sensu. His in lancibus divinâ humanâque, historiam, scientias, theologiam, politicam, sacerdotium

(1) Vid. supra, part. 4, sect. 4, hujus voluminis, ubi de confutatione atheismi. Plura ibi reperire est ejusdem inelyti Pæculii, idem argumentum gallicè suo modo versantis.

et imperium suspendunt. Idque unum debet esse verum, aut justum, existit, aut existere nequit, quod iis videtur. (Valsecchi, *ibid.*, lib. 3, part. 2, cap. 1.)

3º SYSTEMA NOVATORUM.

Quamvis innumera sunt argumenta, quæ hæreticos nostrorum temporum et eorum ab Ecclesiâ catholicâ separationem injustam, et eorum sententiarum hujus dogmatibus adversantium falsitatem, eorumque jactate reformationis vitia ostendere possunt, ex maximis tamen, gravissimisque ad eos è mortifero, quo opprimuntur, somno excutiendos esse deberet illud (estque sanè in quibusdam, si Deo placet), ad pestiferas hæreses, imò ad eam ipsam impietatem, cujus fontes investigamus, eos viam munivisse. Effractis turgidi fluminis arginibus, mirum non est, si undequaque effluit, et dissita etiam loca inundat, devastatque. Jam hæc repagula scilicet humanis ingeniis per novatorum systema fuerunt avulsa, hæc nempe causa est una, cur tot errores in dies erumpant, neque intra Europæ limites contenti, maria trajiciant, inficiantque miserriam etiam novi orbis incolas. Hoc est caput illud ingens, maximumque, quod exponendum, demonstrandumque suscipimus.

Primum ergo constat, Catholicos *in Dei verbo* suæ fidei regulam, suarumque actionum normam et agnoscere et semper agnovisse. At hoc *Dei verbum* illi à parente suâ, quæ Ecclesia est, suscipiunt, ad quam eùm Christus Spiritum sanctum se missurum pollicitus fuerit, miseritque, à quo illustraretur, regereturque usque ad seculorum consummationem, illa proinde et fallere et falli nescia, hujus divini verbi veras significationes explicat, imprimensque in filiorum suorum mentibus intellectum ejus, finem controversiis imponit, erroresque indigitat, damnatque. Hæc methodus repudiata in causâ fuit, cur tot fideles ab illâ desciscerent; repudiumque hoc est adhuc nota præcipua eorum reformationis. Licet de pluribus dissentientes, omnes tamen et Calvinistæ, et Lutherani in hoc conveniunt, *Scripturam sacram esse solam Christianorum fidei regulam; nullumque in terris esse ejusdem sacre Scripturæ interpretem, qui falli non possit.* Ex quo sequitur, à quolibet Christiano legendam esse sacram Scripturam, eam illum explicare posse secundùm sententiam suam, eumque tanquàm Spiritus sancti verum sensum credere, quem ille intellexerit. Hinc eùm minister,

verbi gratiâ, Genève, ex cathedrâ magno verborum apparatu ostendere nititur, institutionis verba, *hoc est corpus meum*, accipienda esse in sensu figurato, si sutor sibi persuadet, intelligenda esse sensu obvio et litterali, hunc potest, debetque sequi : neque auctoritas ministri, aut totius Genevensis, Calvinianæque Ecclesiæ potest illum cogere, ut aliter sentiat. Cùm hoc certo certius sit, et in hoc consistat, ut diximus, Reformatorum ingenium, qui propterea sequendum in rebus ad religionem spectantibus examen esse tanquam peculiarem notam suam jactitant, ut differant à Catholicis, qui auctoritatem esse sequendam sentiunt ; en originem vis illius admirandæ sectarum, in quas à separatione ab Ecclesiâ catholicâ factâ Protestantes diversi abierunt. Hic fons est earum varietatum, quas de dogmatibus gravissimis in eadem sectâ exortas vidimus. Hic demum fons illius inconstantiæ credendi in singulis sectariis, ejusque religionis variæ, libidinosæque, quæ viam ad impietatem sternit. In hanc talem, tantamque perturbacionem hæretici ministri declament, ut libet : at principium reprimens, sive remedium præsens ad has turbas coercendas è systemate nullum habent.

Res per se ipsa patet. Tamen grave non sit lectori materiam hanc tractatam non à Catholico, sed à Costio litterato Belgico audire, qui cùm in gallicum sermonem *Christianismum rationabilem* Lockii, de quo alibi mentionem fecimus, vertisset, editioni quartæ dissertationem suam addidit, in quâ ex Lockii *opere principii* putat, *se statuere verum, solumque modum vivendi Christianos omnes, utcumque aliter sentiant* (1). Costii ergo propositio talis est : « Omnes eos (2), qui Jesum Christum « patronum, dominum, regemque suum agnoscent, neque quidquam credunt, quod non « credant ex animo, Christum, aut ejus Apostolos in sacris litteris docuisse, huic divino

(1) *Dissertation, où l'on établit le vrai et l'unique moyen de réunir tous les Chrétiens, malgré la différence de leurs sentimens.*

(2) N. VIII. — « Tous ceux qui, reconnaissant Jésus Christ pour leur maître, leur seigneur et leur roi, ne sentent rien qu'ils ne croient sincèrement avoir été enseigné par J.-C. ou par ses Apôtres dans les saintes Écritures, sont tous sujets de ce divin Seigneur, tous membres de son Eglise, et ainsi ils n'ont aucun droit de s'athématiser les uns les autres, et de s'exclure mutuellement du salut, malgré ce grand nombre de sentimens qui les partagent en tant de sectes, ou communions différentes. »

« Domino subijci, et omnes esse membra ejus « Ecclesiæ, ac proinde nullum jus eos habere « sese invicem anathematizandi, aut excludendi « à salute, licet diversas sententias habeant, « per quas in tot sectas, aut communiones « diversas abierunt. » Videt sapiens lector, quæ immensa errorum seges hinc exoriatur. Est qui colat Trinitatem, est qui irridet ; qui fatetur Christum Dei Filium, qui eum purum hominem facit ; qui admittit sacramenta, qui rejicit : qui credit mysteria, qui deridet. Summatim et Ariani, et Nestoriani, et Pelagiani, et Albigenes, et Sociniani, et Lutherani, et quotquot fuerunt, aut esse possunt unquam hæretici, omnes in unum coeunt, omnibusque concedenda salus est, si in sacris Litteris pestiferos, quos imbibent, errores reperire, aut in iisdem Scripturis locum nullum, qui illos coarguat, offendere sibi videatur. Horret Catholicus infandum hoc tantum audiens ; et sanè Costius ipse in decus nostrum ait, *Catholicos romanos secundum sua principia hoc posse rejicere* (licet arbitretur, hæc nostra principia non satis stabilia esse : de quâ re loquimur postea). Sed quod ad Protestantes attinet, suo quidem judicio id ex eorum systemate, et ita ex naturâ suâ, et tam rectè consequitur, ut patet *nilhil jure illi objici posse* (1). Et sanè audiamus ejus orationis unum, alterumve locum : « Quomodo (2), inquiet aliquis Prote-

(1) N. X. — « Plus j'examine cette conséquence, plus elle me paraît bien fondée et à l'abri de toute objection raisonnable de la part des Protestans. Car pour les Catholiques romains, ils peuvent la rejeter selon leurs principes. »

(2) Ibid. : « Comment, s'écriera quelque Protestant zélé pour son parti, et qui se fait un article de foi de damner tous ceux qui rejettent les dogmes de son Eglise, comment est-il possible qu'on s'avise jamais de recevoir un principe qui remplirait l'Eglise chrétienne de toutes sortes d'hérésies? Point de passion, je vous en prie ; l'emportement n'a jamais terminé aucune question. N'est-il pas vrai que l'Ecriture Sainte doit être l'unique règle de la foi des Chrétiens, et qu'il n'y a présentement sur la terre aucun interprète infallible de l'Ecriture-Sainte? Tous les Protestans conviennent de ces deux principes. Or, s'ils les admettent sincèrement, comme ils l'ont déclaré mille et mille fois dans leurs sermons, dans leurs confessions de foi, et dans les livres qu'ils ont écrits contre les Catholiques romains, il faut qu'ils reconnaissent que chaque Chrétien a un égal droit d'interpréter l'Ecriture par lui-même, et qu'une doctrine qui est article de foi pour un Chrétien, parce qu'il la voit dans l'Ecriture, ne l'est pas pour un autre, qui ne peut

« stans suæ ecclæ fides propugnator , qui que
 « fidei articulum putat eos omnes damnatos
 « credere , qui suæ Ecclesiæ dogmata rejicit :
 « *Quid fieri potest ut admittatur dogma , quod
 « christianam Ecclesiam quovis hæresum genere
 « inficeret ?* Quæso , inquit Costius , mitius , ne
 « surgat tibi vitrea bilis : bilis nullam controver-
 « siam dijudicavit. Nonne verum est , sacra Scri-
 « ptura , oportere , ut sit Christianorum fidei
 « regula una ? Nullumque nunc in terris esse
 « sacræ Scripturæ interpretem , qui falli , et
 « fallere non possit ? Omnes Protestantes de
 « his duobus capitibus idem sentiunt. Jam si
 « illi hæc ex animo credunt , ut millies fassi

« *l'y trouver. Et , par conséquent , nul Protes-
 « tant n'a droit de diffamer , d'anathématiser
 « et de traiter d'hérétiques ceux qui , après
 « avoir étudié l'Écriture Sainte avec tout le
 « soin dont ils sont capables , y voient tout
 « autre chose , que ce que sont les dogmes de la
 « consubstantiation , de l'ubiquité du corps de
 « J. C. et de la prédestination absolue ; vous
 « devez les croire ; vous ne sauriez vous en
 « dispenser , j'en conviens , puisque vous re-
 « gardez l'Écriture comme la règle infaillible
 « de votre foi. Mais si je rejette ces mêmes
 « dogmes , parce que je ne saurais les dé-
 « couvrir dans l'Écriture , je ne vois pas que
 « vous puissiez vous en porter contre moi , me
 « décrier et me damner comme un hérétique
 « abominable , dévoué au diable et à ses anges.
 « C'est là , dis-je , ce que je ne saurais com-
 « prendre : à moins que vous ne prétendiez
 « que pour être sauvé , je sois obligé de croire
 « que toutes les doctrines que vous voyez
 « dans l'Écriture , y sont effectivement , quoique
 « je ne puisse les y découvrir moi-même. Mais
 « si cela est , pourquoi me recommandez-vous
 « de lire l'Écriture Sainte , d'examiner toutes
 « choses , et de retenir ce qui est bon , comme
 « saint Paul nous l'ordonne expressément ?
 « Que ne me donnez-vous plutôt une liste de
 « toutes les doctrines que vous croyez renfer-
 « mées dans ce sacré livre , afin que je me dé-
 « pêche de les croire , comme disait le comte
 « de Grammont ? Qu'est-il besoin que je les aille
 « chercher dans l'Écriture , où je ne les trou-
 « verai peut-être point , puisque je suis égale-
 « ment obligé de les croire , que je les y trouve
 « ou non ?*

« Mais encore , sur quoi fondé voulez-vous
 « que je croie qu'un certain dogme est dans
 « l'Écriture , si je ne puis l'y voir moi-même ?
 « Ce n'est pas sur votre pure autorité. Car ,
 « que vous soyez docteur , professeur , prédica-
 « teur ; que vous sachiez de l'arabe , du grec ,
 « de l'hébreu , du latin et du syriaque ; que
 « vous ayez même composé de gros livres sur
 « les plus importantes questions de la théolo-
 « gie , vous êtes pourtant homme , c'est-à-dire ,
 « sujet à vous tromper , et par conséquent vous
 « n'avez aucun droit de m'imposer la néces-
 « sité de croire , sur votre parole , que telles
 « et telles doctrines sont contenues dans l'E-
 « criture-Sainte , si je ne puis les y voir moi-
 « même. »

« sunt in suis sermonibus , in suis fidei con-
 « fessionibus , in libris ab iis in Catholicos
 « romanos scriptis , oportet , ut confiteantur ,
 « cuilibet Christiano interpretandi sacram
 « Scripturam æquam esse potestatem , doctri-
 « namque , quæ est fidei dogma huic Christia-
 « no , quia in sacris Litteris eam invenit ,
 « alteri eam ibidem comperire nesciunt non
 « esse hujusmodi. Ac proinde nulli Protestanti
 « jus est detrahendi , anathematizandi , tradu-
 « cendique hæreticos eos , qui cum Scripturam
 « versarint quam maximâ possunt diligentia ,
 « in eâ aliud reperiunt , ac ille hausit. Inve-
 « nisne , exempli causâ , in sacris Litteris de
 « consubstantiatione , de ubiuitate corporis
 « Christi , de prædestinatione absoluta do-
 « gmata ? Ea sunt tibi credenda , neque aliter
 « facere debes , hoc tibi do lubens , quan-
 « doquidem tu Scripturam certissimam tuâ
 « fidei normam ducis. At si ego hæc eadem
 « dogmata rejicio , quia in sacris Litteris ea re-
 « perire nequeo , non video , quænam tibi
 « necum irascendi causa sit , me traducendi ,
 « me ut hæreticum fugiendum , tradendum-
 « que diabolo et angelis ejus dammandi. Hoc
 « est , inquam , quod me non intelligere aio.
 « Saltemne postules , ut ad salutem conse-
 « quendam credere tenear , omnes doctrinas ,
 « quas in Scripturâ vides , reapsè in illâ esse »
 « etiamsi ego in illâ videre non possim ? At si id
 « est , cur me sacram Scripturam legere , om-
 « nia examinare , et tenere id quod bonum est
 « jubes , ut D. Paulus apertè docet ? Cur po-
 « tius earum doctrinarum , quæ in sacro vo-
 « lumine continentur , elenchum mihi non
 « contexis ut sciam quid credendum sit , ut
 « aiebat comes Grammontii ? Quid opus est ,
 « ut eas in Scripturâ perquiram , ubi fortassè
 « eas non reperiam , cum cæteroquin inventæ ,
 « vel non inventæ æquè credende mihi sunt ?
 « Quanquam quâ ratione vis me credere , hu-
 « jusmodi dogma in sacris Litteris reperiri , si
 « ego Martè meo illud detegere nescio ? Id
 « potest auctoritate tuâ solâ fieri. Quamvis
 « enim doctor , professor , prædicansque sis ;
 « licet plura volumina de gravissimis theolo-
 « gicæ controversiis composueris , homo tamen
 « es , hoc est , falli potes ; ac proinde nullum
 « tibi jus est me necessarîo cogendi , ut verbis
 « tuis motus credam hæc , aliâque dogmata in
 « sacris Libris inesse , si ego ea per me agno-
 « scere non possum. » Ilactenus Costius , qui
 « diversis sub aspectibus hoc idem argumentum
 « æquè semper validè Protestantibus objicit , ut ,

è systemate concedendam esse ab iis hujusmodi immodicam cogitandi libertatem, ostendat.

Ita sarè se res habet, et præter rationem etiam experientia ipsa potest nos docere, hominem per hanc stratam viam usque ad impietatem pervenire. Socinianus sit nobis exemplo. Klata fronte negat hic divinarum Personarum Trinitatem (1), negat Jesu Christi divinitatem, omnia mysteria negat, quæ humanâ ratione superiora in revelatione continentur. Neque verò id satis est: divinam præscientiam, æternasque pœnas de medio tollit. Quid plura? cum suæ sectæ ducibus (2) ait, materiam esse æternam, ac proinde Deum ex nihilo mundum non condidisse; additque demùm, in hæc rerum universitate nihil aliud esse nisi corpora. Quid ampliùs requirimus, ut hominem ad naturalissimum, ad deismum, et propè ad atheismum progressum videamus? Infremit Protestans, eumque damnat: Socinianusque respondet mihi, se hùc pervenisse ejus impressa vestigia secutum. Respondet, se ab eo didicisse legere per se sacras Litteras, repudiatoque quovis duce (siquidem Protestantium sententiâ nullus in terris est, qui falli non possit), oraculisque sacri Voluminis eum intellectum subicere, quem ipse potissimùm vult. Quare pergit dicere, se arbitrari, posse se explicare sensu allegorico omnia mysteria, sicut Calvinista opinatur, sensu figurato *Institutionis* verba esse accipienda: sibi que videri jure se posse rejicere omnes modò recensitas doctrinas, quia aut in Scripturis eas non reperit, aut sibi aliter ac Protestantes sentiunt, cœtus quidem, honore dignus, at qui falli, et fallere potest,

(1) Legi possunt hujusmodi errores collecti, confutatique à nostris theologis catholicis. E Protestantibus occurrit mihi Stegmannus, qui circiter medium præteritum seculum edidit librum inscriptum: *Photinianismus, hoc est, succincta confutatio errorum Photinianorum*. Amstel. 1658.

(2) Cudworth system. Intel. cap. 4, § 6: Postremo recentiores quasdam inter Christianos sectas adhuc pro materiâ pugnare æternitate, neminem temerè fugi eruditorem. Verùm hi simul, quod olim fecisse Stoicos diximus, nihil esse in hæc universitate, si à corporibus discesseris, reliqui contendunt.

Ad quem locum hæc adnotat Mosheimius: Socinianos inprimis intelligit, quorum præcipuos negare notum est, Deum ex nihilo terrarum orbem construxisse. Sed nec inter reliquas Christianorum familias desunt, quibus idem placet. Ex civibus Cudworthi, ut de aliis taceam, Thomas Burnetus non ita pridem hanc opinionem professus est. Vide ejus *Archeologiæ philos.*, l. 2, c. 9, p. 520.

illæ intelligendæ videntur. Quid respondero possit huic impio Calvinista aut Lutheranus, qui ea principia, per quæ à nobis descivit, deserere nolit, equidem ignoro.

Verùm audire placet, quomodò hæc Socinianorum methodus, veluti illatio è Protestantium systemate deducta ab immortalis Bossuetio demonstretur (*Histoire des Variet.* lib. 15, n. 123). Ita scribit: Advertit Jurianus (et post illum Franciscus Buddæus, aliique novatores) Socinianos ab Ecclesiâ romanâ diù post Reformationem fuisse egressos. Quid mirum? Lutherus, Calvinusque quoque ab illâ desciverant. Quæritur hic, num Ecclesiæ romanæ constitutio, an nova forma, quâ Reformati Ecclesiam induere voluerunt, his innovationibus locum dederit. Sed facillè Socinianismi historia controversiâ definiri potest. Anno 1545 sequentibusque, annos viginti postquam Lutherus terminos à majoribus nostris statutos transgressus est, cum omnium animi perturbarentur, concutereturque tellus ejus semper quid novi afferentis disputationibus, Lælius Socinus, ejusque socii, clandestinos cœtus in divinitatem Filii Dei in Italiâ habuerunt. Georgius Blandratius, et Faustus Socinus, Lælii nepos, doctrinam defenderunt an. 1553 et 1575, sectæque fundamenta jecerunt. Eodem modo, quo usus est Zuvinglius, ut abuteretur illis verbis: *Hoc est Corpus meum*, interpretati sunt illa, quibus Christus appellatur Deus. Sociniani eorumque gregarii. Si Zuvinglius arbitratus est, se cogi, eò quòd non poterat percipere integrum humanum corpus, cum Eucharistia distribuebatur, ad confugiendum ad interpretationem figuratam; Unitarii crediderunt, eodem modo sibi agendum quoad omnia alia mysteria, quæ comprehendì non possunt. Postquàm autem hanc statuerunt inter se regulam, figuratè omnia Scripture loca, in quibus intelligendis ratio vim patiebatur, interpretandi, magis magisque eam produxerunt, quotiescumque intellectus hujusmodi vis erat perferenda. Huic perverse voluntati à Reformatione inductæ generalia fundamenta, quæ jecerat addamus. Auctoritate Ecclesiæ neglectâ, pastorum successione nauci factâ, seculis præteritis erroris insinulatis, sanctis Patribus per contemptum habitis, repagulis pudoris omnibus effractis, ratione humanâ omninò se contentâ, eequid aliud consequi poterat, nisi quod vidimus, nempe de omnibus religionis capitibus quid

« quid libido ferret, dicendi, sentiendique ? » Hactenus Bossuetius, qui copiam magnam verborum, argumentorumque quovis genere caput hoc in *Monitiis ad Protestantis* tractat, ostenditque contra supradictum ministrum Juricum infelicem immortalis *Historiæ variationum* oppugnatorem principia, statumque impietatis Socinianæ sub auspiciis prætensæ Reformationis.

Erit tamen operæ pretium animadvertere, quomodo theologus Lutheranus minus reverè turbulentus, minusque Juræo fanaticus, nempe Franciscus Budeus, ingressus ipse quoque in hanc arenam hunc lethalem ictum repellere se posse crediderit, qui eandem sectam suam et dedecorat, et labefaciat. In lucem edidit Dissertationem inscriptam de *Origine Socinianismi, quæ non est tribuenda emendationi* (dicendum potius erat *corruptioni*) *Ecclesiæ à Luthero et à Calvino factæ*. Relatis itaque duorum Socinianorum historicorum sententiis (1), qui scribunt, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Memnorem rebus novis fuisse *candidam auroram montiam illius clarissimi diei*, qui terrarum orbi Socinum protulit; indignatur theologus noster de hæc laude, et ad eam confutandam velut falsum commentum ab iis inventum in sua impietatis defensionem se accingit. Ita igitur scribit : « Esto arriperint isti (Sociniani) ex Ecclesiæ emendatione occasionem eò usque progrediendi (quod tamen nec probatum est, nec probari unquam potest), non magis inde exortæ impietatis istius culpa in nos transferri potest, quam in Apostolos, virosque apostolicos, quod eodem, quo ipsi Evangelii doctrinam propagarunt tempore, Simoniani, Cerinthiani, Gnostici, alique hæretici enati sunt; quorum nunquam audita fuissent nomina, nisi extulissent, qui veritatis divinæ lucem per universum diffundere orbem suarum duxissent esse partium. » Hactenus Budeus, qui suæ sectæ, suorumque capitum amore abreptus doctrinam valde communem, quam ille, ut theologiæ professor, nullo modo ignorare poterat, non videt; quæ est, duo occasionis genera esse: una talis est suprà naturam, quia illa reipsa per se ad aliquem finem ducit et impellit, altera è sua natura cum indifferens sit solum ex alieno usu aut pravo, aut bono alienjus effectus occasio fit. Jesu Christi verba (quis dubitet?) erant omnia

(1) Andreas Wisowatius in *Narratione compendiosa quomodo in Polonia à Trinitariis reformationis separati sint Christiani unitarii*. Stanislaus Lubieniecus in *Hist. Reformationis Polon.*

divina; Judæis tamen propter eorum perfidiam offensiori erant (1). Evangelica doctrina quondam ab Apostolis per orbem prædicata, et ad nostram ætatem usque ab Apostolorum successoribus in orthodoxâ Ecclesiâ conservata est *veritatis* verbum; non aliunde ergo, quam ex humanâ pravitate aut apostolicis, aut nostris temporibus in Ecclesiâ sinu error nasci poterat. Clarissimè igitur patet, natarum hæresum causam non posse in Evangelii prædicationem, aut in religionis orthodoxæ systema refundi, quæ è suo instituto tantum abest, ut iis aut faveat, aut illas patiatur, ut etiam eas damnet. Sed cum vobis Sociniani dicunt, *jactatam Reformationem fuisse candidam auroram, cujus sunt ipsi meridies*, cumque nos dicimus, vestras fatales novas res occasionem tantæ impietati dedisse, occasio intelligitur, quæ è sua natura talis est, id est, quæ per seipsam huc usque ducit. Etenim præcipuum vestrarum Ecclesiarum caput est, regulam fallere et falli nesciam christianæ fidei de medio tollere, et religionem ejuscumque libidini permittere; quod simul ac constitutum fuit, patuit aditus, quæ ad hæc tam gravia, tamque intolerabilia Sociniani pervenerunt. Desipit ergo qui Apostolorum prædicationem, turbasque à Luthero et à Calvino concitatas, hæreses primis seculis exortas, et Socinianismum sub vestrorum patrum auspiciis extremis his temporibus disseminatam ex æquo componit, ac proinde opus maxime arduum aggredieris, imò quod nullo modo fieri potest, cum vis excusatione hæc te à crimine purgare, quo systema tuum quoad essentialium notamque suam te damnat.

Non cadit animis Lutheranus theologus: repellere ictum, et respondere accusationi nititur, quæ ab auctore *Historiæ Socinianismi* illi fuerat objecta. Eò libentius ejus sententias assero, quò magis, cum sit ille et ingenio et eruditione clarus, lector ineptas tenuesque eas videns, colliget per seipsum, argumento nostro nullo posse pacto responderi. Inquit ille: « Nec ratio illa, quæ probare voluit (auctor anonymus *Historiæ Gallicæ Socinianismi*) cur ex Ecclesiæ emendatione non potuerint non Socinianorum aut progigni, aut promoveri errores, nullius momenti est. Non alium utique aut quæstionum, aut controversiarum

(1) Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens ait... Simite illos: cæci sunt, et duces cæcorum. *Matth. 13.*

« rum admittimus judicem, quàm Scripturam
 « sacram, aut Spiritum sanctum per Scriptu-
 « ram sacram ad nos loquentem. Neque alium
 « admittere judicem possumus. Ad interpreta-
 « tionem autem Scripturæ sacræ quod atinet,
 « tantùm abest, ut omnes ingenio suo pro lu-
 « bitu indulgendi potestatem faciamus, ut po-
 « tiùs secundùm regulas certissimas, eviden-
 « tissimasque, quarum præcipuas ipsa Scri-
 « ptura sacra supponit, eam explicandam
 « contendamus. Et hæc qui ingreditur viam,
 « eam quoque inveniet religionem, non quam
 « quisque ingenio suo convenire putat, sed
 « quam unicè veram esse Scriptura sacra lucu-
 « lenter demonstrat. »

Pulchra enim verba, at in Protestantis ore nihil significant. Semper eòdem redit, Catholicorumque argumentum semper est invictum. Requiritur enim à Buddæo, ad quemnam statuere in suâ Ecclesiâ has *regulas certissimas* Scripturam interpretandi spectet? Non ad auctoritatem aut synodorum, aut pastorum (nulla siquidem in iis inesse potest), sed ad studium, ad inquisitionem, ad privatam cujuscumque sententiam. Illæ ergo interpretandi regulæ, quæ quibusdam claræ, evidentes et signatæ in Scripturâ videbuntur, ejusmodi non erunt alii, et contra quædam aliæ videbuntur claræ, et in Scripturâ contentæ, quas illi non detegent. Jam aut illos, aut hos procul dubio erraturos esse; neque his tamen, neque illis jus erit suas veras, certasque venditandi, reprobandi que aliorum *leges*. Cùm ergo *leges* interpretandi penès Protestantes sint ad libitum cujusque, dubiæ omninò sunt, et incertæ. Verùm hoc non est satis; fingamus omnes convenire de his legibus statuendis; componique inter vos, quod fieri non potest, canonum *eremeneuticarum*, aut criticorum, disputationi, aut varietati minimè obnoxiorum corpus: quid tum? Oportet, hos canones ad Scripturæ loca aptari, ut inde sensus eruatur, statuaturque hoc modo doctrinæ et dogmata. At hoc opus, cùm constet, inter vos nullam esse auctoritatem falli et fallere nesciam, ad quam spectet, cujusque privato judicio est permittendum; jam in idem malum relabimur, siquidem sicut variæ sunt sententiæ, tot etiam erunt locorum interpretationes, tot dogmata, tot proinde religiones. Apertior ratiocinatio nostra esse nequit. At experientia ipa quavis ratiocinatione major id confirmat. Buddæi theorema ac regulis è Scripturâ deductis ad ipsius interpretationem Lutheranis, Calvinistis et Socinia-

nis (ut alios heterodoxos à nobis divisos silentio præteream) est commune: jam hoc theorema in mente et præ oculis habentes legunt Scripturam primi, et in illâ, exempli causâ, præsentiam realem inveniunt; eam legunt alteri, neque se illam reperire, jam legunt testantur: eam perolunt tertii, ibique judicio suo nec præsentiam realem, nec Trinitatem, nec mysteria reperiunt. Theorema igitur tuum per se unum non potest efficere, ut omnes lectores de eadem re conveniant, ut statuatur verus Scripturarum sensus, ut in illis ea religio, quæ sola vera est, reperiat. Ergo novorum systema, quod auctoritatem fallere et falli nesciam à Christo Ecclesiæ relictam (1), ut explicet Scripturas, unamque puramque in filiis suis fidei veritatem conservet, de medio tollit; hoc systema, quod privato cuique Scripturâ interpretandi jus permittit, hoc, inquam, vestigia signavit, quæ Sociniani ad impietatis terminos progressi sunt, sibi que plaudentes scribunt, Calvinum, Lutherumque *candidam fuisse auroram illius diei*, vel potius ejus errorum farraginis, quos in orbem intulerant, inò illius impietatis, quæ homines inficit, cujus fontes indigitantur.

Quamquam ut ulterius sub auspiciis hujus systematis impietatem progressam videamus, post Socinianum, qui putat licere sibi detorque et perturbare tam turpiter Scripturarum sensum, amicum impi Collinsii, qui canonem ipsum eorum divinorum voluminum ludibrio habet, animo concipiamus. Cur, inquit ille, S. Jacobi Epistola à Luthero repudiatur? Cur Machabæorum, Sapientiæ, Ecclesiasticique libri à Protestantibus omnibus? Contra verò Cantica, liber Jobi, Pentateuchus tan-

(1) Placet exscribere aliquot verba Bossueti, desumpta ex Monito 6 ad Protestantés, tom. 4, pag. 590 edit. Venet., quibus doctus ille theologus breviter exponit Ecclesiæ orthodoxæ systema in interpretandis Scripturis, indigitatque contra novorum criminationes divinum fontem, unde illa sua lumina desumit ad hoc opus, prosperumque eventum, quo illis utitur.
 « Pour éviter ces extrémités si visiblement
 « pernicieuses (des Protestants), l'Église ca-
 « tholique, toujours assurée de l'esprit qui l'a-
 « nime et la dirige, n'a aussi jamais hésité à
 « donner, dès les premiers temps, comme
 « authentiques ces interprétations unanimes:
 « en quoi, loin de croire qu'elle eût dérogé
 « à l'autorité des livres saints, elle a, au con-
 « traire, toujours regardé ses explications
 « comme étant le pur esprit de l'Écriture;
 « et ses traditions constantes et universelles,
 « comme faisant avec l'Écriture un seul et
 « même corps de révélation. »

quàm divini et à Deo dictati recipiunt? Id secundùm eorum doctrinam, proficisci non potest, quòd aliquis in terris falli nescius iudex hujusmodi distinctionem eos docuerit, sed quòd privata lectio in quibusdam libris spiritum Dei eis prodit, quem in aliis non prodit. Eia, scilote, inquit impius hic, quo jure vos contra Catholicos rejiciis libros primos, eodem me contra vos repudiare alteros, in quorum privatà lectione hunc Dei Spiritum me non sentire castè sanctèque affirmo. Quid novator respondebit? An ad auctoritatem Ecclesiæ fugiet? Atqui tunc dissidium suum à Catholicis schismaticum diceret. An examinabit, et sedulò eos libros meditabitur? At vincetur à libertino, qui aens, se hác diligentia uti, postulat, ut sibi jus detur eos rejiciendi. Ergo impiorum hominum libidini, quin ab ullo duce falli nescio coercantur, sensu Scripturarum, tum etiam canone relicto, quid de religione revelatà fiet? Ilæc joco habebitur, et derisui, quod in summum seculi nostri dedecus fieri videmus: imò præter illam etiam naturalis religio nihili fiet. Revocet, quæso, prudens lector in memoriam ea loca in quibus probavimus divinæ revelationis necessitatem, etiam propter eas veritates, quæ rationis lumine cognosci possunt, quæque scilicet religionem naturalem constituunt. Nos argumentis et à jure et à facto petitis eò loci ostendimus, imbecillitatem libidinemque humanorum ingeniorum esse hujusmodi, hujusmodi externa internaque obstacula, quæ harum veritatum integram cognitionem impediunt, ut nonnisi pauci, et serò, et multis erroribus permixtum aliquod religionis naturalis systema conficere potuissent. Quod exemplis excellentissimorum ingeniorum philosophorumque præstantissimorum confirmavimus, qui evanuerunt in cogitationibus suis, plurimisque erroribus cum theoreticis, tum practicis scholas suas fœdârunt. Ex quibus necessariam esse auctoritatem supremam fallique nesciam, quæ deliramenta dissiparet, humanosque intellectus veritatum ad religionem pertinentium cognitione confirmaret, intulimus. Jam auctoritas hæc suprema, quæ est Dei verbum, ob novatorum systema, qui vivam vocem falli nesciam de medio tollunt, per quam hujusmodi verbum porrigatur explaneturque, nihil omninò præstat. Illud siquidem libidini, ludibriisque libertinorum permittunt. Novatorum ergo systema, quod inutilem religionem revelatam efficit, ad illa prisca deliramenta omnia, in quibus ethnici eâ

carentes macularunt, corrueruntque religionis naturalis præcipua capita, viam quàm brevissimam sternit.

Non sum nescius, ut turbas cohererent, habere synodos suas nationales, arguere, anathematizare hæreticos, contumacesque, Protestantes finxisse. Celebris est Dordrectensis synodus in Arminianos seu Remonstrantes coacta. Quantùm eos miseris persecuta est, quod in exilium expulit, quibus suppliciorum generibus eos affecit gens illa, quæ in Catholicos tanquàm feros, immanesque et eruentos invchitur, discitur ex illorum temporum historia, et præcipuè ex Epistolis ipsius Arminii, aliorumque, collectis à Philippo Limborchio (præstantiss. et erudit. virorum Epistol. ecclesiast. et theolog., Amstel. 1704). Ab ipsis postulabatur, ut revocarent errores suos peculiare, et ut illius concilii canonibus parent. At incassum omnia; adversabantur enim præcipuis Reformationis capitibus, quibus se muniebant Arminiani, et à quibus ita agendo discedentes Protestantes se ipsos ab Ecclesiâ romanâ perfigas, hæreticosque arguebant. Gratum erit, opinor, lectori, hæc quædam legere loca Witembogardi Arminiani ministri Epistolæ ad Ludovicam Coliniam, viduam principis Auriaci, quæ est 525 è collectis à Limborchio, misse, quæ illum hortabatur, ut magnæ synodi Dordrectensis auctoritati obtemperaret: « Omnes (1) singule lique, inquit ille, doctores reformati, inter quos Calvinus et Beza principes hærentur, concedunt in hoc gravissimo capite omnia concilia et synodos, utcumque sanctæ, venerandæque sint, in iis quæ ad fidem spectant, errare posse. » Proinde ex hæc propositione ita infert: « Veræ Reformationis fundamentum exigit, ut nec possit, nec debeat

(1) « En un mot, tout autant qu'il y a de docteurs réformés, y comprenant Calvin et de Bèze comme les principaux, s'accordent en ce thème général, que tous conciles et synodes, pour saints et vénérables qu'ils soient, peuvent errer en ce qui touche la Foi... Le fondement de la vraie Réformation... porte qu'on ne peut et ne se doit soumettre, ni souscrire à aucun synode qu'avec cette condition, si après avoir bien examiné ses décrets à la touche de la parole de Dieu (laquelle seule sert de loi en matière de foi), on les trouve conformes à cette parole. »

« Mais s'ils changent de maxime, et veulent qu'on se soumette à leurs synodes absolument, ils ne sauraient répondre aux papistes rien qui vaille, lorsqu'ils refusent de se soumettre aux conciles papistiques; mais il faudra qu'ils leur donnent cause gagnée. »

« cuiquam synodo se quisquam submittere,
 « nisi hæc lege, postquam sedulò ejus decreta
 « cum verbo Dei (quod unum est regula in
 « rebus fidei) collata eidem divino verbo con-
 « sona reperiantur. » Post quæ, aliaque his
 similia ad Dordrectensis synodi ministros, Pro-
 testantesque omnes remonstrans conversus,
 dicere pergît : « Verùm si illi rationem mutant,
 « voluntque, ut quisque eorum synodis obtem-
 « peret, quin examinentur, nihil tunc illi ha-
 « bent, quod papistis respondeant solidi, cum
 « recusant (Protestantes) concilia papistica
 « admittere; sed opus erit, ut causâ cadant. »
 Huic loquendi modo, à Clerico etiã aliisque
 libèrtaem cogitandi tueantur, nihil profectò
 Protestantes habent, quod reponant. Respon-
 sã autem illa, quæ invenire synodi Dordrecten-
 sis ministri studebant, nihil efficiebant aliud,
 ut advertit magnus Bossuetius, nisi ut magis
 magisque eos refellerent, ostenderentque
 objectum argumentum vehementius, quod aut
 eorum à nobis separationem ut schismaticam
 contumacemque arguit, aut immodicam de
 quocumque religionis dogmate opinandi
 libidinem esse concedendam, demonstrat.

Hoc est argumentum illud ingens, quod, ut
 alibi diximus, præclarum Papinum ministrum
 protestantem gallum, quondãmq; acerrimum
tolerantiæ propugnatorem, quam fundamentum,
 notamque præcipuam Reformationis esse
 sciebat, feliciter edomuit. Cùm hujus systematis
 consequentia ille examinasset, essetque mediatus,
 vidit se per cã paulatim deduci ad quodcumque
 errantium genus, etiã deistarum, ipsorumque
 atheorum, si modò athei bonã fide essent,
 referendum. Inhorruit ad hæc, voluit
 referre pedem, limitesque immodicæ huic
 tolerantix præfinire, et quosdam errantes non
 perferre. At vidit ex alterâ parte, se manus
 dare Catholicis, hoc modo in eam auctoritatis
 viam ingredientem, quæ ut schismaticam hæ-
 reticamque ejus majorum à romanâ Ecclesiã
 fugam damnat. Cessit Papinus, Deo benè adju-
 vante, veritati : Catholicus evasit, exposuitque,
 et præclarè egit de hoc argumento in
 opere cui titulus : *Les deux Voies opposées en
 matière de Religion*, vide supra, lib. 3, part. 1,
 cap. 16 (1), ostenditque, à Protestantibus vi

(1) Porrò in loco ad quem ibi remittit clarissimus
 Valsecchi, in notã sic inducitur loquens Papinus :
 « Je me trouvai ainsi convaincu que si les
 Protestants quittaient le moins du monde
 le parti de la tolerance, ils étaient pris par les
 Catholiques, et que s'ils ne le quittaient point,

sui systematis humanis ingeniis ad impietatem
 usque progrediendi munitam esse viam; nec
 posse ab iis hujusmodi cursum retineri, quia
 sua principia oppugnent. Quapropter inter
 alia egregiè advertit Protestantes per examen
 originem habuisse, at per auctoritatem syno-
 dos habendo, sancientiisque legibus, ut has
 turbas coerceant, modum investigare, ut subsi-
 stant. Si tamen hæc auctoritas, inquit ille
 quã utuntur, legitima est, et innoxia, eorum
 origo damnatur, in quã Ecclesiæ auctoritati
 noluerunt obsequi; sin autem examen, quod
 in suã origine instituerunt, justum fuit, re-
 ctumque, auctoritatem, quã utuntur, ut turbas
 tollant, damnant; ac proinde usque ad impietatem
 illi viam sternunt, quin remedium ullum
 possiut afferre. (Valsecchi, *ibid.*, lib. 3,
 part. 3, cap. 1.)

De eodem tertio impietatis fonte continuatio.

Inquisita veritas argumentorum vi clarissimo
 in lumine posita mihi videtur; experientia ta-
 men eam illustriorem evidentiorumque ostendit.
 Quid enim? Fuisse etiã ante Reformationem
 deistas, atheosque, et evjuscumque generis
 impios in catholicis regionibus, nemo inficias
 iverit. Tamen, ut verè dicam, opinor maximam
 eorum partem, quibus hæc nota inusta fuit,
 præcipuè postquam litteræ humaniores in
 Italian redierunt, fuisse tales indicatos ob
 pravos mores, et nefanda scripta, quæ ostendunt
 eos nihil hominum pudorem, timoremque Dei,
 æternæque vitæ supplicia pensi habuisse,
 ac proinde impios fuisse creditos, et erant
 fortassè athei, sed magis corde quàm mente,
 hoc est, magis moribus quàm meditatione
 et systemate. Sed utcumque res fuerit, constat,
 quomocumque augeatur (ut arridet

« ils étaient pris par les hérétiques et par les
 « infidèles, à qui ils fournissent des armes
 « défensives. Ils ne pourront se dispenser de
 « les sauver tous, et de leur accorder à tous
 « une entière liberté de croire et d'enseigner
 « publiquement ce qu'il leur plaira. Les raisons
 « par lesquelles les tolérants veulent prouver
 « que l'on doit supporter tous ceux qui pren-
 « nent la sainte Ecriture pour règle, quelque
 « explication qu'on lui donne, ne sont pas
 « moins fortes pour obliger à supporter tous
 « les infidèles, et généralement tous ceux qui
 « pourront se vanter d'être de bonne foi, lis-
 « sent-ils profession d'aîthéisme. Et les raisons
 « par lesquelles ils veulent exclure de leur to-
 « lérance les ennemis du Christianisme, ren-
 « dent indignes de support tous ceux à qui
 « ils voudraient qu'on l'accordât. » (*Les deux
 Voies opposées en matière de religion*, seconde
 partie, sect. 1, n. 13.)

quibusdam Protestantibus id agere) eorum impiorum numerus, ne conferendum quidem eorum numerum esse cum agmine immenso impiorum, qui et elapso, et presenti seculo protestantes regiones infecerunt, inficiuntque, et in iis liberè loquuntur, scribunt, et inde pestiferum virus per orbem totum diffundunt. Horum duces præcipui, Hobbesius, Spinosa, Tolandus, Baylus, Collinsius, Tindalus, Woolstonus, alique hujus generis aut in Angliâ, aut in Belgio nati sunt, ibique, ut ita dicam, publicum contra religionem naturalem et revelatam gymnasium aperuerunt. Videre est quomodo unum Londinum nobis prospiciendum exhibent Woodwartus, et ejusdem civitatis episcopus Gibsonus, qui inter alia dicit *illud publicam impietatis plateam videri, omnes alias urbes hoc commercii genere ab eo superari*. Ibi ii, eorumque impii discipuli impurè, et sæpius et iis typographiis (præcipuè in Belgio) impios libros suos in lucem edi magnâ cum voluptate vident; et iis qui illos impugnant, protestantis tolerantæ jam supra expositæ clypeum obijciunt. Woolstonis infortunia fuerunt, dici potest, nunquam aliâ visum ostentum. Jamque alibi advertimus, penè dixerim, apologiam pro omnibus libertinis fieri ab iis Protestantibus, qui docent eos puniendos non esse, etiamsi publicè impietatem prædicent. Quid ampliùs requirimus, ut agnoscamus factamurque, talibus sub auspiciis, et per licentiam à novatoribus introductam, *naturâ suâ*, ut aiebat Woodwartus, *in iis miseris regionibus deismum, atheismumque, et quamvis infandam impietatem grassari?* Ac proinde quid ampliùs opus est, ut propositionem nostram, hoc est, rationem à Protestantibus de religione opinandâ inventam recentis impietatis fontem esse agnoscamus?

Odiùm, quod ex hac horrendâ consequentiâ in jactatam Reformationem dimanat, evitandi opportunior cuidam visus modus est, si non directè responderet, quod fieri nequit, sed si eandem criminationem in Ecclesiam romanam converteret. Anonymus protestans auctor, nisi in eo agnoscendo erro, operis philosophici valdè acuti, virque sanè doctus, cum videt Reformationem ab abbate Pradesio, multoque magis ab invicto ejus oppugnatore episcopo Antisiodorensi objici, eam Ecclesiæ auctoritatem tollendo, omnibus erroribus et delictamentis viam aperire, probare nititur infallibilitatem, quam nos in nostrâ Ecclesiâ agnosimus, nullam habere vim, ut impietatem

sese superfludentem coerceat. Placet excrere ejus integram oppositionem, ex quâ intelligitur quot sint præjudicia, et quàm desperata nostrorum adversariorum causa. Ita ergo loquitur (1): « Catholici de hoc uno idem sentiunt, esse Ecclesiam falli nesciam, et hanc esse romanam; dissentiunt autem, cum quæritur ubi ejus hoc munus resideat, et quodnam sit sacrum illud tribunal, è quo exeant ejus oracula. Alii in pontifice uno esse illud dicunt, alii in concilio, alii demùm in pontifice concilioque simul conjunctis. Si verò quos vos hæreticos appellatis, sibi persuadentes nullam in terris infallibilitatem esse, nullibi eam quarunt. Præterea ex hac sen-

(1) Liber memoratus hunc titulum præ se fert: *Court examen de la thèse de M. l'abbé de Prades*. Amster. 1753. Nisi conjecturæ nostræ errant, auctor est Boullierus, eujus habemus opus valdè ingeniosum, inscriptum: *Essai philosophique sur l'âme des bêtes*. Res deploranda quidem est, sectæ præjudicia efficere, ut tam malè sentiat, loquaturque de religione vir in rebus metaphysicis adeò versatus. En ejus, verba pag. 19: « Les Catholiques, uniquement d'accord sur ce point, qu'il y a une Eglise infallible, et que cette Eglise, c'est la romaine, se partagent bientôt de sentiments, lorsqu'il s'agit de savoir où réside son infallibilité, et quel est le sacré tribunal d'où émanent ses oracles. Les uns le cherchent dans le pape seul, les autres dans le concile, les autres enfin dans le concile et dans le pape réunis ensemble. Ceux, au contraire, que vous appelez hérétiques, bien persuadés qu'il n'y a point d'infaillibilité sur la terre, ne l'y cherchent nulle part. Bien plus, de ce partage d'opinions qui vous divise au sujet du siège de l'infaillibilité, ils en concluent hardiment que votre Eglise ne saurait être infallible, puisque, si elle l'étoit, il y a long-temps que par une décision infallible elle aurait fait cesser un partage si embarrassant, ou que, pour mieux dire, posé son infallibilité, et il n'aurait jamais pu avoir lieu. Remarquez ici deux choses: 1° Que cette controverse, qui dans le sein de votre Eglise prétendue infallible demeure indéciée jusqu'à ce jour, est la plus importante de toutes, puisque de sa décision dépend celle de toutes les autres. Car il faut connaître le tribunal infallible, avant que de pouvoir se soumettre à ses arrêts. En second lieu, des trois partis qui divisent sur ce point capital l'Eglise romaine, deux sont nécessairement dans l'erreur, et le troisième n'a pu trouver jusqu'ici le secret de dé tromper les deux autres. Par conséquent sa prétendue infallibilité ne lui sert de rien, et tant ceux auxquels appartient ce droit d'infaillibilité, que ceux auxquels il n'appartient pas, en perdent également le fruit. Ce n'est point simplement M. l'abbé de Prades, c'est la Sorbonne entière, c'est l'Eglise romaine en corps, que l'on ôte de répondre à cet argument. »

tentiarum varietate, quibus in diversa ab-
 itis, de infallibilitatis sede, ipsi audacter col-
 ligunt Ecclesiam vestram falli posse; si enim
 falli non posset, jamdiu certissimam sententi-
 am hoc dissidium composuisset; quod est ita
 grave, aut quod, ejus infallibilitate positâ,
 nunquam locum habuisset. Atque hic ad duo
 animum advertite, primùm quidem contro-
 versiam hanc, quæ in vestræ Ecclesiæ sinu,
 falli nesciæ creditæ, versans nondum dijudi-
 cata fuit, esse omnium gravissimam; ex ejus
 enim decisione aliarum decisio pendet, cum
 tribunal falli nescium cognosci oporteat,
 priusquam ejus sententiis quis se subjiciat;
 deinde verò ex tribus partibus, quæ de hoc
 dogmate Ecclesiam romanam scindunt, duas
 necessariò errare; tertiam autem nondum
 invenire potuisse modum, quo duas alias ex
 errore revocaret. Proinde ejus credita in-
 fallibilitas nihil omninò illi prodest, quando-
 quidem tam illi, ad quos hujusmodi infalli-
 bilitatis jus pertinet, quam illi ad quos non
 pertinet, æquè fructum nullum percipiunt.
 Non solum abbas Pradesius, sed Sorbona
 tota, imò Ecclesia ipsa romana, quanta
 quanta est, ad huc argumento responden-
 dum læcessitur. Hactenus Protestans, de
 quo lector videt, num jure dixerim, nihil aliud
 illum hoc argumento quàm snorum præjudi-
 ciorum magnitudinem, desperatamque causam
 suam ostendere. Respondeo igitur non opus
 esse Sorbonâ, multoque minùs Ecclesiâ romanâ
 totâ, ut ejus argumentum solvatur. In sacrâ
 theologiâ novitiis, imò fidelis quisque suæ re-
 ligionis peritus illud dissolvit. Et sanè dicit
 ille huic provocanti ita formidando *sacrum tri-
 bunal, in quo infallibilitas residet, à quo oracula*
*accipimus, esse Ecclesiam, quo nomine pasto-
 rum omnium cum suo capite, quod est romanus*
pontifex, idem sententium cæsus intelligitur.
 Hæc est fuitque semper à temporibus apostoli-
 cis usque omnium Catholicorum una constans-
 que vox. Patres, catechismi, theologi nostri ob-
 sides, vadesque sunt. Quapropter cum Protes-
 tans varias sententias recenset, quæ suo judicio
 inter nos sunt de hoc capite, dicitque
nonnullos hoc falli nescium tribunal in pontifice
quærere, alios in concilio, quosdam demùm in
pontifice concilioque simul conjunctis, aut in hoc
imperitiam suam prodit, aut malam fidem.
 Prætermittis enim nunc duabus primis senti-
 entis, quæ ad hanc materiam, de quâ loquimur,
 minimè faciunt, aio, tertiam non esse *opinio-
 nem quorundam, ut se credere hæreticus simu-*

lat, sed omnium Catholicorum vulgatam esse
 sententiam. Atque hujusmodi sententia non
 est in ipsis quædam speculatio mera, neque so-
 lum libris eam tradunt, sed ostendunt,
 ostenderuntque reapse à Tridentino concilio
 usque ad Nicænum, et ab hoc usque ad
 Apostolicum progredientes. In quibus quidem
 conciliis, quæ œumenica appellantur, quia
 Ecclesiæ universæ Jesu Christi speciem gerunt,
esse Jesum Christum simul cum Spiritu sancto,
*juxta ejus pollicitationes, ut eos omnem verita-
 tem doceat, erroremque quemlibet discutiat,*
 Catholici credunt, semperque crediderunt.
 Proinde receperunt, recipiuntque ut oracula
 certissima omnes canones quos hoc tribunal de
 rebus fidei hactenus edidit. Credunt credide-
 runtque omnes controversias ad fidem spe-
 ctantes, quin ulla appellatio interponenda sit,
 ab hoc tribunali definiri; et ducunt duxerunt-
 que ut hæreticos, hoc est, ut membra et hoc
 corpore recisa, eos omnes qui noluerunt ejus
 sententiis obtemperare, quales Ariani à Nicænsi
 concilio damnati fuerunt; et hinc etiam recen-
 tes novatores, quos anathematibus suis concilio
 Tridentinum confixit. Jam cum hoc li-
 quidò constet, omnia superiùs hæretici con-
 viciâ recensita per se corrunt, appareatque
 falsum esse, quod ait, nos in hoc tantum con-
 venire, quòd Ecclesiam falli nesciam credi-
 mus, at nescire nos quâ in sede hujusmodi sit
infallibilitas. Falsum est in Ecclesiâ catholicâ
 hanc controversiam non esse definitam; falsum
 proinde est creditam nostram *infallibilitatem*
 nihil valere ad errores removendos, et ad
 definiendas controversias. Id, inquam, omne
 falsum est, factoque ipso refellitur, de quo
 nullus Catholicus est qui dissentiat; neque
 erit qui audaciam adversarii non admiretur in
 aciem. prodeuntis triumphantis instar *Sorbo-
 nam, Ecclesiamque universam* argumento fallaci
 læcessentis, cujus falsitatem è non paucis suæ
 sectæ hominum scriptis discere poterat. Hoc
 idem à nobis supra memorato Costio dicamus,
 qui licet fateatur, nos Ecclesiam nostram falli
 nesciam credentes jure ac meritò à fidelibus
 exposcere, ut ejus sententiis sese submittant
 (quod ut ille invictè demonstrat, *systemate* suo
 agere nequeunt Protestantes) putat tamen, li-
 tem adhuc inter nos esse, cuius hanc *infalli-
 bilitatem* sit adscribenda. Ille, ut modò ostendi-
 mus, errat toto cælo, quandoquidem constanter
 omnes Catholici credunt tribunal hoc falli
 nescium esse Ecclesiam. hoc est episcoporum
 cœtum cum capite suo, quod est romanus pon-

tifex, conjunctum, sive in concilio generale cogantur, sive per orbem dispersi de aliquo fidei capite statuendo, aut de aliquo errore damnando simul conveniant. Quod verò ad aliquam aliam difficultatem spectat, quam ibidem Costius objicit, ut fundamenta concutiatur, quibus nos innixi oportere aliquid in terris tribunal falli nescium esse, probamus, non vacat nunc, nec præstat eam refellere. Sufficit modò argumentum unum, quod hoc capite pertractavimus, nimirum hoc tribunali falli nescio de medio sublato, ut illud Protestantes auferunt, Deum frustra nobis Scripturas dedisse; nam earumdem intellectu, imò discrimine earum *adversariz*; privatis hominibus permisso, nullus esset controversiis finis, nihil in fide certum esset, religio revelata caderet, et in impietatem decideretur. Quod quidem in hæretico systemate accidere vidimus; ac proinde veluti impietatis horum temporum fontem esse, jure diximus.

Sed argumentum, quod contra nos jactum in hæreticorum libris sæpè offenditur, præterire tacitus nolo; deductumque est à numero ingenti Atheorum, Deistarumque, qui eorum sententias simulatâ Religionis specie in regionibus nostris, præcipuè in Italiâ, ubi sedem suam primam Religio fixit, delitescunt. Hinc deducunt, ad impietatem impediendam, tollendamque inutile prorsus esse illud infallibilitatis decus, quod nostræ Ecclesiæ adscribimus.

Hoc argumentum contra nos à claro Jurisconsulto tortorium refellit Baylius (*Diet. Histor. Crit. Artic. Mainbourg Ren. D*) consequentiam negans, aiensque, *infirum, qui non convalescit è quòd nihil eorum, quæ medicus jubet, sumere vult, testem esse non posse, medici remedia nullam vim habere. Infallibilitatis dogma, quæ in Ecclesiâ nostrâ est, potest per se constantes in fide reddere animos, dubia ex iis removere, et controversias definire. Hæretici impiique, qui inter nos nati sunt et fortassè vivunt nobiscum, sunt ejusmodi nullâ aliâ de causâ, nisi quia huic dogmati contradicunt, nostrique systematis præcepta negligunt; cupiditatum enim impetu obcæcati oculos claudunt, ne lucem illam intueantur, quæ posset efficere, ut errores suos viderent, et eos depellerent. In Protestantium systemate hoc reprimens principium, quod animos confirmat, controversiasque dirimit, non est: imò quodlibet repagulum effringitur, licentiaque, ut ostendimus, errori datur. Errantium ergo inter nos numerus contra systematis vim nihil probat, à*

quo hi ut in impietate vivant, se subtrahunt; at errantium inter eos numerus omninò cum systemate convenit: illa enim eadem vestigia, quæ iis illud indigitat, sequentes impii sunt.

Quamquam Protestantes hæc immensa atheorum deistarumque nobiscum videntium agmina crepantes, quis dubitare potest, quin id dicant potiùs illo, quo in nos feruntur, amore moti, per quem fit, ut nobiscum semper sic agant, potiùs quàm recto judicio è factis deducto? Haud ii sumus, qui negare velimus, esse his præcipuè temporibus frumento electo permixta et zizania hujusmodi; sunt, fatemur; at scimus Protestantes nimirum homines nobis inimicos ea supereminâsse. Impii enim libri ab illis editi, luctuosoque malo nostro per regiones nostras diffusi, nobis sunt, ut modò dicemus, impietatis contagionisque pestiferæ terribilissimi fontes. Tamen constat, morbum hunc neque esse ita universum, neque ita ingentem, ut plenis buccis adversarii effluant. Quis enim honestus vir Italiam, imò multas catholicas regiones audebit cum unâ Angliâ in hæc re conferre? Ii profectò, qui inter nos palam impietatem profitentur, nisi ad meliorem frugem redire volunt, per ea remedia, quæ moderatores reip. porrigunt, solum mutare coguntur, et in regionibus Protestantibus benigniori fruuntur cælo, in quo vivunt, et ad libitum venenatos fructus edant. Marchio d'Argens et Voltarius sunt hujusce rei testes locupletissimi.

At Protestantes dicere pergunt, latere quidem inter nos impios, sed tamen esse, et frequentes etiam esse. Et Hermannus Conringius quin montes trajiceret, veniretque in regiones nostras, ut de hoc certior fieret, putabat se hoc ostendere posse argumento valdè peculiari à se Joanni Boineburgio, illustri Germano litterato viro, proposito. Inquit ergo Conringius, sæpissimè hoc animadversum fuisse in Germaniâ, juvenes regressos ex peragrata Italiâ omni Religione carere, et atheismo infectos esse. Jam, inquit ille, non aliunde id oritur, nisi quòd illi in iis regionibus tot tamque impietatis excellentes præceptores reperiant, qui colloquiis exemplisque eos vertunt, corrumpuntque. Ergo Italia (Conringius ita concludit) gymnasium est atheismi celeberrimum et frequentissimum. Ne grave sit lectori ejusdem Boineburgii responsum audire, qui Catholicus quidem erat, at oculatus testis habendus est eorum quæ ad eas regiones spectant, in quibus vixerat.

« Quòd autem multi ex Italiâ reduces tædio
 quodam religionis laborant, ejus sanè non
 e alia fuerit causa, quàm quòd Protestantes
 e peregrè illuc profecti jùngè alia vident et
 e audiunt, quàm quæ ac pontifice, de cardi-
 e nalibus et universo clero antea è suis, sive
 e in academiis, sive in scholis, sive ex sugges-
 e tu intellexerunt. Observant ibi multa, quæ
 e placeant, ctsi non omnia promiscuè pro-
 e bent; atque sensim, dùm in veritatem fidei,
 e quam tenent, et ejus primordia inquirunt,
 e nauseam, et fastidium suæ religionis con-
 e cipiant, et alteram, *romanam* quam vocatis
 e præferre incipiunt. Quia tamen non sunt eà
 e eruditione, ut omnia capiant, aut eà judici-
 e limpitudine, ut justè omnium determinatio-
 e nem instituunt; neque eà animi constantiâ,
 e ut parentes, bonâ et commoda hujus vita-
 e malint seponere; neque illâ pietate, ut se-
 e qui contendant romanâ innocentiam, quam à
 e permultis in romanâ Ecclesiâ maximâ cum
 e admiratione sincerè colli vident; ut solentur
 e anxium animum, sæpè etiam deserri à Deo
 e justo ejus judicio, eò delabuntur, ut aut
 e perinde esse existiment cui parti inter
 e Christianos adhæreas, aut sciam tantùm na-
 e turalem de Deo notitiam veram esse stantur,
 e quidquid præterea traditur cum Hobbio,
 e Herberto, idque genus cæteris philautiæ, et
 e licentiæ, ac religionum adiphoriæ magistris,
 e ingenio hominum tribuant, eœ inventum ad
 e continendos in officio et sub sequeio popu-
 e los: aut denique, quò ultra non datur, de
 e ipsâ animæ nostræ immortalitate ambigere
 e occipiant. Non igitur Italiæ impunitum
 e videtur, quòd tot ex eâ domum redeunt athei,
 e ut scribis, sed pertinaciæ illorum, qui relu-
 e ctantes veritati quærunt subterfugia, quibus
 e expleant animum sollicitum. Ita enim se rem
 e habere vel inde cognoveris, quòd demùm si
 e qui ex illis seriò religionem quendam am-
 e plectuntur, non aliam nisi catholicam, et
 e magno sæpè cum famæ et fortunarum sua-
 e ram dispendio suscipiant. Non negabis, nus-
 e quàm hodiè plures esse omnis religionis con-
 e temptores, quàm in Angliâ. Id Angli ipsimet
 e palàm profitentur. Quæ verò hujus rei causa
 e est? Non alia utique, quàm quòd eos tædet
 e et sectarum aliarum, et ejus quæ hodiè prin-
 e cipem tenet locum. Catholicam probant qui-
 e dem, sed timidè, quia premitur, et quia eam
 e sectantibus non tantùm via omnis ad hono-
 e res et reipublicæ munia præclusa est, sed
 e etiam damna et gravia iis imminent discrimi-

« na. Horum metu homines delicati malunt
 e nihil credere, sectæ principis nomen, et elo-
 e gium tamen præ se ferentes, quàm catholi-
 e cam profiteri. Agnosces ergo deinceps, to-
 e Italiæ fuisse paulò iniquiorem, fierique om-
 e ninò per accidens, cum ex eâ aliqui redeunt
 e religionis incurrit, qui probi esse visi fuerant,
 e et suæ fidei retinentes, antequàm illuc
 e irent.» Hætenus Boineburgius, de cujus singu-
 e lulari eruditione, honoribus conspicuis, mun-
 e nis et famâ cognitio haberi potest ex præfa-
 e tione, quæ tomo I Commerci literarii Leib-
 e nitziani præfigitur. Jam quanquàm nolumus
 e vades esse, causam universam impietatis per
 e Italiam Protestantium itinerantium esse eam
 e quam scriptor hic profert, scientes probè, quot
 e sint et quàm variè conjungi possint causæ illæ,
 e quæ cor hominum, mentemque pervertunt;
 e certum tamen est, cum factum verissimum
 e innuere, cum ait, Protestantes ad nostras re-
 e giones progressos videre et audire res longè
 e alias ab iis quas de dogmatibus, de cultu, de
 e Ecclesiæ nostræ moribus petulanter, sictèque
 e Protestantes ministri scribunt, prædicantque.
 e Oppositam sententiam mordicè tenere, quod
 e in responsione ad Boineburgium Conringius
 e facit, nihil aliud est, quàm mendacium de-
 e fendere, quod librorum Protestantium ex un-
 e da parte lectio, levisque nostræ Ecclesiæ notitia
 e ex alterâ satis superque refellit. Hanc autem
 e erroris cognitionem tam claram perspicuam
 e que in causâ esse debere, cur hi adolescentes
 e itinerantes de suâ religione, quæ ex hujusmo-
 e di mendacis præsidia quærit, dubitent, res
 e per se ipsa loquitur. Ex hæc autem dubitatione,
 e in quâ hærent, mihi non est, si hi adoles-
 e centes ei veritati, quæ inter nos effulget,
 e quam tamen sequi non audent, lumina clau-
 e dentes in impietatem prolabantur. Jam quantò
 e æquior sit hæc ratiocinandi de hujusmodi
 e mutatione ratio, quàm in Italiâ quasdam atheo-
 e rum societates esse comparatas ad perverten-
 e tes itinerantes adolescentes, comminisci, præ-
 e dens quilibet novit, et quisque honestus
 e Protestans fatcatur oportet. Hoc ergo argumen-
 e tum concludamus, dicamusque, quanquàm
 e negare nefas ducimus, inter nos quoque esse
 e miseros quosdam, qui aut ex ignorantia, aut
 e ex cupiditate minus in fide stant, imò in im-
 e pietate jacent, horum numerum procul dubio
 e tantum non esse, quantum Protestantes
 e dicunt; et præterea Ecclesiæ catholicæ syste-
 e ma non solum iis aditum ullum aperire ad
 e impietatem, sed eos ab impietate revocare.

Contra verò inter Reformatos, impiorum, hoc est quovis in genere hæreticorum, naturalistarum, deistarum, atheorum numerum, ipsis fatentibus, esse quàm maximum; et præterea systema ab iis admissum, hoc est, examen cui-libet tribunali in controversiis de religione falli nescio infensum, sùapte naturâ ad omnia inanissima et maximè perniciosa deliramenta viam sternere. Fatendum ergo est, nuperæ impietatis eum è fontibus unum esse; quod demonstrandum hoc loco sponderamus. (Valseechi, *ibid.*, cap. 3.)

4º LIBRI PERNICIOSI.

Diximus supra modò, libros religioni infensos, qui tam facilè ex Angliæ, Belgii, aliarumque regionum, in quibus licentia debacchatur, typographis eduntur, pelago trajecto, montibusque, in nostram Italiam devectos, luctuosissimæ contagionis causam esse. Me facturum operæ pretium reor, si hoc argumentum paucis hic pertractavero, tanquàm ultimum eorum impietatis fontium, de quibus me disputaturum pollicitus fueram. Sermo hic noster qualiscumque cautos innocentes faciet, ab imperiis errores demet, eos petulantis coarguet, qui hujusmodi mercimonio aperendum aditum esse arbitrantur.

Christiana religio adeò stabilis est, ut impetum nullum, hostilemque aggressiorem reformidet. Omnia volumina, quæ in lucem contra illam usque ad nostra tempora sunt edita, nedum eam concuterent, magis magisque ejus veritatem illustrârunt. Non lacessiri, non examinari, non confligere renuit, quidquid in contrarium libertini dicant. Castis sermonibus Domini *probat*, *examinatisque septies igne*, innititur, à quo probatioris exquisitioresque exierunt. Nullus vir honestus erit, qui aliquid sophisma aut à veteribus, aut ab nuperis impus allatum ostendere possit, quod nostrorum dogmatum ullum vel tantillum infirmâre, quod non semel, sed millies solutum non fuerit. Qui secus diceret, aut impudenter mentiretur, aut in his controversiis peregrinum prorsus se proderet.

Si stabilis tamen, invictaque est in se ipsa religio, ejusmodi æquè non est in iis, qui illam profitentur. Quot è Christianis ii sunt, qui perspicuè ejus dogmata nôrint, calleantque fundamenta, rationesque? Paulisper in femineum sexum oculos convertamus, juvenes consideremus, eos denum qui maximam populi partem constituunt, observemus; illi ipsi fate-

buntur, gloriabuntur etiam, se theologos non esse; cùm hæc dicentes hoc sibi velint, se suæ religionis eam habere notitiam, quæ sufficiat, ut Christiani sint, et quam fortassè quondam è catechismis didicerunt, non jam scientiam illam, per quam penitèns dogmata addiscuntur, systema comprehenditur, potestque ejus veritas defendi, ejusque jura contra eadem negantem, impugnantemve propugnari. Jam huic uni facto immoror, quod certissimum est, illustrissimumque, requiroque à quocumque sanæ mentis homine, quid prudenter cogitet, futurum esse de his hominibus, cùm aut ex inani studio, aut ex ostentatione, aut ex voluptate eorum librorum lectioni se dabunt, qui exquisitissimâ arte acutissimorum argumetorum examen suscipiunt, imò quocumque modo impugnant, irridentque religionem? Non est hoc problema ejusmodi, cujus solutio acumen magnum requirat. Diu imprudentes virus haurient, laud interioscentes, quippe qui imperii sunt, inter veritatem mendaciumque terminos; tum sensim profanis sermonibus assuescentes, subdolisque assentientes sophismatibus, quæ facillimè eorum animum occupant, repente evadent materialistæ, deistæ, libertini, quin hujusmodi suam mutationem advertant. Scio (neque enim negabo) præoccupatam illam bonam opinionem, quam de suâ religione simul cum lacte hauserunt, aliquandiu eos posse in fide confirmare; quamvis fortassè contrariis argumentis quibus satisfacere nequeant, se constrictos sentiant. Certum tamen est fore ut fides hæc paulatim deficiat, conceptuque de suâ religione sententiâ contrariarum rationum specie victâ, ut infantia præjudicia, consideretur, abjiciaturque denum et irrideatur. Pergamus porrò: Cùm non habeant illi, ut diximus, eam, quæ *religionis scientia* dicitur, ut sophismata, quæ in his libris offendunt, feliciter solvant, quod eos stabiles, firmosque in religione tenere posset, esset religionis ejusdem *amor*, qui etiam *pius credulitatis affectus* nominatur. At qui sperari potest, amorem hunc in iis permansurum, qui horum librorum lectione delectantur, quibus hæc religio quocumque modo irridetur, intestinoque odio ejus auctor divinus læditur, et proscinditur? Neque verò quis mihi dicat, eos dicendi elegantia, cognitionumque acumine, quibus liberos suos consarciunt libertini, oblectari: quis enim erit amans filius, qui patienter, imò libenter audire possit de suæ matris decore detrahi, etiamsi convicia, quibus de illâ

detrahitur, elegantissimè efferrant? Cùm igitur lectores de quibus agimus, eâ scientiâ careant, quâ errores, quibus impugnatur religio, refellant; cùm amore in eam ejusque auctorem nullo ferantur; rursus requiro, quid hanc inconsultam, cæcâ cupiditanque lectionem consequetur? Illud enim verò, quod experientia, heu nimium fatalis! in dies ostendit, hoc est, primum de fide dubitabunt, tum circum negotium hoc tam grave indifferentes erunt, demùm libertini impudentes stabilesque evadent.

Ita autem res se habere debet, etiam lectorum ingenio tantùm animadverso, qui ignari, parùmque benè in religionem animati horum librorum lectioni vacant, quibus illa oppugnatur, luditurque. At quid erit, si scriptorum libertinorum color consideretur, qui artibus omnibus maximè subdolis valfrisque utuntur plerùmque, ut tenebras menti offundant, corque legentium pervertant? Harum artium quædam offeramus exempla.

Haud illi apertè pugnaturi in aciem descendunt, neque classico indicunt, velle se Deo, Providentiâ, Evangelio, disciplinæ morum bellum inferre. Nimio horrore id legentes perfrunderet. Plerùmque honestatem ostentant, aiunt, imò castè sanctèque testantur, se hæc omnia pronos venerari, quæ jam nôrunt mortales obsequio prosequi. Postquàm autem prelexerunt, inescâruntque initio operis ita incautum lectorem, avidusque eos sequitur, vafre illi errores diffundunt; simulatisque præmissis pollicitationibus obsequii, cultusque in religionem, Evangeliumque, venenata dictoria, argumenta utrumque impugnantia, quæ liguriti insipiens lector, quibus denum pervertitur, audaces subjiciunt. Rousseau, exempli causâ, in limine sui celebris operis inscripti: *Discours sur l'origine et les fondemens de l'inégalité parmi les hommes*, nominat magno cum honore libros Moysis, atque, « illis eâ fide præstitâ, quæ à quocumque christiano philosopho iis præstanda est, dicendum homines nunquàm in eo fuisse statu, qui naturæ puræ status dicitur. » Addit etiam, « religionem velle, ut credamus, cùm Deus ipse eduxerit homines à naturæ statu, esse eos inæquales, quia ille voluit, ut essent (1): » at hanc religionem haud nobis vetare conjecturas facere è solâ hominis, entiumque,

(1) Religio nos jubet credere, inæqualitatem quam cernimus (ut etiam mala omnia) hominum non à primâ eorum creatoris dispositione proficisci, sed habere suam originem ab eorum parentis peccato.

« quæ illum circumstant, naturâ erunt, qualis « homo sibimetipsi permixtus potuisset esse « futurus (1)... » Optimè. Quid tum? Postquàm hæc tam castè testatus est, ut bonâ fide certiorum reddere ignarum lectorem videatur, penitiùs in argumentum ingreditur, depositaque venerandâ specie, conjectoris colore, ita vocem effert, asseritque: « En, homo, quocumque ex loco sis, aut cujuscumque generis « sint sententiæ tuæ, en tuâ historiam, quam « me legere credidi non in tuâ similibus libris, « qui mendaces sunt, sed in naturâ, quæ nunquam « mentitur (2). » Jam quænam erit unquam hæc hominis historia ex illius naturæ consideratione deducta? Ille eum pingit in primo ejus statu solum sylvestremque, sub quercu aut ad fluminis ripam recubantem, nudum, inermem, perpetuèque iratis feris belluis reluctantem. Elinguis est, sine notionibus, sine societate, exlex, sine religione, sine Deo. In eo non sunt nisi sensationes, corporeique motus iis respondentes. Sola mala quæ pavet, sunt fames, dolorque; et una bona cupita sunt cibus, somnus, coitusque cum mulieribus quas casus offert, quasque statim derelinquit, quin eas aut prolem quidquam curet; hæc nata, maternoque è sinu evulsa in nemus projicitur imitatura brutorum animalium instinctum, à quibus distinguitur hoc uno, quòd libera est, potestque rationis usum explicare. Hæc est primæ hominis conditionis historia, lecta in naturâ, quæ nunquàm mentitur, descriptaque seriò, graviterque à christiano philosopho, qui sacres Moysis libros venerari se dicit, et id de primo hominis statu credere, quod jubet religio. Qui mirandus contentus? Paulisper etiam eum sequamur. Fuit hæc, Rousseau iudice, aurea hominis ætas, in quâ,

(1) « En ajoutant aux écrits de Moïse la foi « que leur doit tout philosophe chrétien, il « faut nier que même avant le déluge les « hommes se soient jamais trouvés dans le pur « état de la nature. » Pag. 5. « La religion « nous ordonne de croire que Dieu lui-même « ayant tiré les hommes de l'état de nature, « ils sont inégaux, parce qu'il a voulu qu'ils le « fussent; mais elle ne nous défend pas de « former des conjectures tirées de la seule « nature de l'homme et des êtres qui l'environnent, sur ce qu'aurait pu devenir le genre « humain, s'il fut resté abandonné à lui-même. » lb. p. 6.

(2) « O homme! de quelque contrée que tu sois, quelles que soient tes opinions, écoute. « Voici ton histoire, telle que j'ai cru la lire, non « dans les livres de tes semblables, qui sont « menteurs, mais dans la nature, qui ne ment « jamais. » Ibid. p. 7.

Hæc tempus certum definire non possit, tamen per longum seculorum spatium majores nostri permanserunt. Jam luctuosissimo suo fato incipit homo hic aliquidulūm erudiri, imitansque belluarum cavernas, quamdam tecti speciem sibi construit, sub quo simul cum feminā filiisque jacet. Hinc quoddam commercii genus nullibus stridoribusque servatum inter similes enascitur. Hæc prima sunt societatis semina (ad quam secundū hanc *historiam* à naturā factus homo non erat, sed potius ad sylvestrem vitam) quæ, migrante animali, de quo loquimur, per mirandam mutationem à sensationibus ad rationem, artium (funestis) inventis, loquendi (quod comprehendi nullo modo potest) invento, mutū conversatione aucta fuit et confirmata. Cū ad hanc conditionem homo pervenisset, deposuissetque *augustam* illam *cælestem simplicitatem*, quā, ut brutum animal eum belluis versans, gavisus fuerat, citō ab ejus corde cupiditates eruperunt: hinc mutua dissidia, impetus, bella orta; jamque supremum rerum universitati exitium imminet. Quid tum? Tunc scilicet factum est, ut homines alii potentiores, vafrioresque et quasdam repererint regulas, quæ servatæ utiles societati fuissent. Collectionique autem harum regularum, inquit Rousseau, impositum legis naturæ nomen est, quin aliud experimentum haberetur, quā utilitas, quæ ex iis servatis in societatem esset dimanatura. » (Préface pag. 63.) Ita homo naturalem libertatem amisit, captivus legum factus fuit, subjectusque ei vinculo quod jus naturæ dicitur, officiaque personalia, socialia et religiosa complectitur; omnia (judice hoc eximio historico) à versipellis hominibus excogitata ad libidinem, nullo alio duce, quā officis commentitiis, eaque utilitate, quæ ex iis sperari poterat in humanam societatem dimanatura. Hæc est summam hominis historia ab origine suā usque ad nostra tempora, à Rousseau in *naturā lectā, quæ nunquā mentitur*, exquisitissimā elegantia descripta, episodiis, animadversionibusque monstrosissimis et maximè admirandis ornata.

Quicumque prima theologia naturalis et revelatæ limina salutavit, hunc romanensem librum, non solum aperte veræ hominis historię, quam nobis Moyses antiquissimus, verissimusque omnium scriptorum auctor nobis exhibet, adversari videt, sed etiam omnes notions, quas de Deo et de homine ipso, æquè fides ratioque in nobis excitant, eversas cernit; conspiciat religionis societatisque fundamenta

omnia labefactata. Inspicit hypothesim non solum ad libidinem confictam, sed repugnantem, picturam quæ conveniens cum naturā dicitur, sed naturæ omninō adversans; ut summam dicam, hominem videt,

Qui studet, ut ratione insaniat.

quod nos alibi copiosè demonstravimus, et quicumque opus hoc nostrum legit, probare potest. At non ita profectō accidit iis omnibus, qui Rousseau librum legunt. Credere me juvat, neminem esse tam inhumanum, qui videns se rectè descendere è genitoribus brutis animalibus sylvestribusque, suamque speciem per tot secula deformatam, horrore non perfundatur; at alii errores putidissimi, quibus *sermo* ille scatet, non æquè omnes horrore afficiunt; nempe audien'es initio statim ab hoc philosopho, suas conjecturas non prohiberi à religione, seque venerantem Moysis libros illud opus aggredi, aut errores eos non credunt, aut ad summum pro libitu confictam hypothesim putant, opinionosque *adiaphoras* illas judicant, quæ omnem veritatem omneraque legem impugnant.

Multò tamen magis perniciosa hæc Genevensis philosophi ars in libro *Æmilius*, seu *de Educatione* inscripto apparet. Postquā in eo de religione naturali, quam se sequi ait, locutus est, et pyrrhonismi tenebras religioni revelatæ offudit, præter opinionem de Evangelio ad loquendum descendit, illudque ita laudat, ut neque nobilius, neque elegantius id fieri possit. Quasdam afferam períodos: « Fateor, me Seripturarum majestate, obstupefieri. Evangelii sanctitas ad cor meum loquitur... (Quæ pietas!) Legite philosophorum libros: licet tantam pompam præ se ferant, ut sunt præ hoc tenues! Qui fieri potest, ut liber ita sublimis simul, simplexque sit hominum opus? qui fiat, ut ille, de quo (in Evangelio) narratur historia, non fuerit nisi purus putusque homo? Estne hæc vox fanatici, an superbi sectarii? Quæ lenitas! quæ morum integritas! quæ sese insinuans suarum allocutionum gratia! quæ majestas suis in præceptis! quæ solida scientia suis in sermonibus!... Quis est homo ille, quis ille sapiens, qui agere, pati et mori sciat, quin deficiat, quin sese jactitet?... Si vita morsque Socratis sunt sapientis, vita morsque Christi sunt Dei. An dicemus Evangelii historiam ad libidinem esse confictam? Nequaquam: haud hæc est ratio, quā fingitur; Socratis gesta, de quibus nemo dubitat, non tam confirmantur vera, quā Jesu Christi gesta.... Difficilius concipi posset plures

« hommes ex composito hunc librum compo-
 « suisse, quàm unum materiam illam scribendi
 « dedisse. Nunquàm scriptores Judæi ejusmodi
 « stylum, aut hujusmodi morum disciplinam
 « reperissent : Evangelium tam magna, tam
 « perspicua, tam difficilia quæ imitemur, ve-
 « ritatis argumenta habet, ut admirabilior in-
 « ventor quàm heros ipse esset (1). » Hactenus
 Rousseau. Quanta est veritatis vis, quæ ex illo
 auctore testimonium hujusmodi potuit extor-
 quere ! At etiam quanta est aut hominis ver-
 sulia, aut infirmitas ! Postquàm tam copiosè
 Evangelium ut divinum (quandoquidem si ait
 non posse illud opus hominum esse, consequitur
 esse Dei) celebravit ; statim hæc subdit : *Tamen hoc ipsum Evangelium incredibilia narrat, repugnantiaque rationi, quæque nullus sanæ mentis homo concipere, et credere potest* (2). Quis major saltus ? Sed nimirum quivis cordatus vir ubi legit locum hunc satís admirari non potest, aut non hæsitare vel de acumine, vel de honestate hujus philosophi. Aut enim ille verè credit, Evangelium librum esse divinum, aut non credit, nihil medium. Si divinum credit, atque nihilominus, illud adversantia rationi continere, perinde facit, ac si diceret, Deum

(1) « J'avoue que la majesté des Écritures
 « m'étonne; la sainteté de l'Évangile parle à
 « mon cœur. Voyez les livres des philosophes,
 « avec toute leur pompe; qu'ils sont petits
 « près de celui-là ! Se peut-il qu'un livre, à la
 « fois si sublime et si simple, soit l'ouvrage
 « des hommes ? Se peut-il que celui dont il fait
 « l'histoire ne soit qu'un homme lui-même ?
 « Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un
 « ambitieux sectaire ? Quelle douceur ! quelle
 « pureté dans ses mœurs ! Quelle grâce tou-
 « chante dans ses instructions ! Quelle élévation
 « dans ses maximes ! quelle profonde sagesse
 « dans ses discours !... Où est l'homme, où est
 « le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans
 « faiblesse et sans ostentation ?... Si la vie et
 « la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et
 « la mort de Jésus sont d'un Dieu. Disons-
 « nous que l'histoire de l'Évangile est inventée
 « à plaisir ? Non, ce n'est pas ainsi qu'on in-
 « vente, et les faits de Socrate, dont personne
 « ne doute, sont moins attestés que ceux de
 « Jésus-Christ... Il serait plus inconcevable
 « que plusieurs hommes d'accord eussent fa-
 « briqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait
 « fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eus-
 « sent trouvé ni ce ton, ni cette morale, et
 « l'Évangile a des caractères de vérité si grands,
 « si frappants, si parfaitement inimitables que
 « l'inventeur en serait plus étonnant que le
 « héros. » Emil., tom. 3, p. 179.

(2) « Avec tout cela, ce même Évangile est
 « plein de choses incroyables, de choses qui
 « répugnent à la raison, et qu'il est impossible
 « à tout homme sensé de concevoir ni d'ad-
 « mettre. » Ibid.

mendacii auctorem esse, cum mendacium sit id quod rationi repugnat. Quid ? si divinum illud credit, et inquit illud *incredibilia* continere, et quæ *nullo modo admitti possunt* à viro prudenti, aut sapientiâ, aut veritate, aut auctoritate Deum spoliât, ita ut indignus sit, cujus verbis prudens vir fidem præstet. Hæc tam perspicuæ, tam certæ demonstrationes sunt, quàm fortassè Euclidæ. Ergo nullo pacto credi potest, eas Rousseau latere, quin eodem tempore de ejus exquisito cæteroquin acumine dubitetur. Sin autem philosophus noster Evangelium non esse divinum putaret, cum illud ita ubertim tanquam divinum laudat, hæc enimverò esset præter impietatem turpissima simulatio, quam, cane pejus et angue, honestus homo odisse debet. Hoc est dilemma, cui quid respondere possit, non video.

Interea tamen, ut ad propositum redeamus, quamvis ita reverà se res habeat, major tamen, imò maxima eorum pars, qui *Emilium* legunt, aut hoc ignorat, aut non advertit. Magnifica laus Evangelio ab illo data ita eos decipit, ut incauti venenum eadem manu porroctum hauriant. Quare cautum valdè consilium, quod statim addit, iis videtur, hoc est, ut *in his contradictionibus modesti sint, cautique ; ut silentio venerentur id quod neque rejici, neque comprehendere possent, ut se magno Enti, quod solum veritatem novit, subjiciant* (1). Qui quidem nimirum est scepticismus ille, quem amplecti se cogi dicit. Hoc, inquam, ignavis lectoribus sapiens videtur consilium, neque incauti prævident, hanc esse metam, ad quam eos perducere animo libertinus scriptor intendebat, ut *κατ' ἐξουσίαν* eos impios efficiat. Quùm constat Deum esse locutum, nullum habet scepticismus locum ; et qui dubitat de ejus verbis, idem facit, ac si esset impius. Illud neque rejicere, neque suscipere non est prudentia, sed incredulitas : incredulitas autem à magno Ente, quod non solum veritatem novit, sed etiam veritatem enuntiat, impietas maxima habetur.

Verùm cum de primâ arte dixerimus, quâ libertini scriptores incautos decipiunt, hoc est, simulando se religionem venerari, quam postea sibi non constantes perfrictâ fronte ag-grediuntur, cujus quidem artis non solum Rousseau, sed cæteri omnes ejusdem farinae

(1) « Que faire au milieu de toutes ces contradictions ? Être toujours modeste et circospect, mon enfant ; respecter en silence ce qu'on ne saurait ni rejeter, ni comprendre, et s'humilier devant le grand Être qui seul sait la vérité. » Tom. 3, p. 180.

scriptores plurima exempla nobis præbent; ad dicendum de alterâ eorum technâ, quam ut plurimum legentes non animadvertunt, gradum faciamus. Hæc est methodus alia prorsus ab eâ quam in gravissimâ de religione disputatione quilibet honestus veritatisque cupidus vir sequi debet. Caput summum, unumque à quo quævis alia quæstio dependet, in hoc versatur, num Deus locutus sit, vel num christiana religio sit à Deo revelata. Jam nos caput hoc, quod quidem præcipuum est, post alios omnes catholicos scriptores, ubi (1) quovis argumentorum genere omni exceptione majorum nos probâsse credimus. Ex quo geometrica evidentia collegimus; ergo omnia religionis dogmata, quamvis humanum captum exasperant, esse verissima, omnes leges ejus divinis libris indictas esse æquissimas; omnes historias in iisdem relatas certissimas esse. Ac proinde jure ac merito credimus, omnia argumenta contra nostra dogmata allata esse sophismata; omnes exceptiones in nostras leges inventas esse injustas; omnia reperta monumenta, quæque reperire possunt scriptores testimonia in id quod in nostris Scripturis habemus, esse mendacium; erigimusque tanquam nostrum insigne, nostræque fidei epilogum illa verba: *Deus unus verax est, et omnis homo mendax.* Hoc uno clypeo protecti omnes adversariorum impetum repellimus, neque jure possunt ii à nobis postulare suorum argumentorum peculiarem solutionem, nisi aliquam geometricam demonstrationem efferrent, quâ mysteria nostra dari non posse, aut dogmata nostra esse falsa ostenderent; quod nec hactenus fecerunt, nec facient unquam. Aliæ eorum rationes, quibus nituntur demonstrare, mysteria nostra, et dogmata difficilia esse captu, coherere simul non posse, neque comprehendî, esse absurda, et aliæ tales millies repulsæ, et labefactatæ despicatui habendæ sunt; cum ne æquiparare quidem possint, nedum superare demonstrationis à priori nostrorum dogmatum ex verbo Dei fallere nesciî deductæ pondus, cujus revelationem invictè probavimus. En methodum nostram cum nitidam perspicuamque, tum firmam stabilemque, quâ nos quamvis aggressionem confuturos esse confidimus. Et sanè eam norunt, infremuntque libertini scriptores: quare non coram nos aggrediuntur, neque argumentis nostris de divinâ revelatione respondent, plerumque hoc argumentum levissimè

(1) Vid. P. Valsecchi, eodem opere de Fundamentis religionis toto libro 2.

attingunt, tanquam super accensis carbonibus incedentes, vizque audentes iis pedem figere, ut utar nonnullius ex iis dicendi modo, hoc est, plerumque quædam in dubium revocant, aut difficultatem amplificanc, quod factitâsse Rousseau observavimus. Cæterum hoc præcipuè curant, ut ab hoc capite, quod est quæstionis præcipuum, lectores avertant, eosque detinent rebus cum longinquis, tum quæ possint eos allicere, et in fraudem pertrahere. Alii, ut quoddam afferant exemplum, modò historias Sinenses et Ægypticas antiquitates in aciem producant, ut nostram de creatione mundi epocham dubiam reddant, aut diluvii universitatem negent; modò Diodori, Taciti, alteriusve veteris scriptoris testimonia afferunt, ut historias à Moyse scriptas falsitate coarguant. Hoc primum auctor *Philosophiæ boni sensus* intendit. Alii satyras acerrimas in monachos, in sacros ministros, in nostros ritus proferunt, ut ita contemnendam irridendamque religionem ostendant. Hoc est unum ex præcipuis *Epistolarum Judaicarum*, imò omnium recentium liberulorum argumentum. Nonnulli nostram morum disciplinam aut de matrimonio, aut de cœlibatu, aut de injuriarum veniâ ad examen revocant; et per calculos, per politica aphorismata eam despiciendam præbere satagunt. Ita auctor *Morum*, Helvétius, Rousseau, aliique libertini. Hi nostrorum mysteriorum, ut ea repugnantia rationi demonstrent, difficultatem amplificanc. In hoc autem argumento Petrus Baylius excellit, ejusque pedissequi, imitatoresque, servum pecus. Non desunt tandem, qui stylo serio gravique seposito, qualis argumenti magnitudinem decet, in quælibet angusta et sacrosancta mysteria audacter probra conviciaque jaciunt, rati se veritatem evertisse, si risum de iis lectoribus moverint. Atque in hoc arguendi genere Voltairius fortassè cæteros omnes antecedit. Adolescentes ergo nostri, doctæ mulieres, aliique voluptatibus dediti homines scripta hæc legunt, perturbati, commoti, involuntique his validis argumentis jam de fide dubitant. Quid ita? quia religionem suam ignorant. Si enim eam scirent, infirmitatem eorum sophismatum viderent; nossent, singula millies examinata ea fuisse dissolutaque; sed potissimum scirent (quod præcipuum est) omnia argumenta hæc futilia esse, quia nec divisa, nec simul conjuncta controversiæ caput, quod est revelatio, ne leviter quidem attingunt, quæ cum firmissimè invictis demonstrationibus innitatur, omnia

libertinorum dicitur diffat. Si enim est locus Deus, auctorque religionis christianæ est, ergo omnia (quod modò diximus) convicia in ejus dogmata blasphemiam sunt; argumenta contra ejus mysteria sophismata, calculi, politicaque præcepta ejus ethicæ opposita, commenta, satyræ in ejus ritus, ministrosque falsæ criminationes; omnesque historia, monumentaque Sinensia, Ægyptia, Romana, Græca ejus libris abscondita mendacia sunt. Sed quia id latet homines, qui aliis studiis fortassè operam navarunt, præter religionis studium, ideò artibus hostilibus succumbunt, et in impietatem prolabantur eâ perversâ disputandi methodo abrepti, quæ cuiquam prudenti, sapientique viro eorum liberculorum imbecillitatem, desperationemque eorum, qui methodo illâ utuntur, causam demonstrant.

Non minùs tamen subdola ac perniciose incautis lectoribus est alia fraus libertinis valde familiaris, audaciam intelligo errores suos enuntiandi, affigendique falsas criminationes. Vox hæc elata, tutaque, minime hæsitans, frons hæc imperterrita mentibus infirmis imponit, efficitque ut suspiciatur scriptor hominum genere universo major, coram quo nefas sit mutire, nedùm contradici, aut responderi ejus dictis possit. Innumera in hoc genere exempla afferre possem; aliqua tantummodò brevissimè attingam. Voltairius, postquam ut supersticiosos traduxit philosophos doctoresque, qui tanquam gravissimum religionis revelatæ et naturalis dogma, substantiam cogitantem spiritalem propugnant, ita dictatoriam vocem effert: « Quid hi dicerent, si ipsi impietatis rei sunt? Et sanè quis erit, qui dicere sine summâ impietate audeat, fieri non posse, et ut Creator cum materiâ cogitationem, sensumque comunnicet (1)? » Potestne majori hiatu error tam decumanus effutiri? Nos eum esse hujusmodi alibi ostendimus, ubi jam diximus non *essentias*, sed *existentias* rerum esse divinæ omnipotentis *objecta*: et, sicut non solum sine impietate, sed meritò prudenterque dicitur, Deum efficere non posse, ut triangulum sit rotundum; ita dicitur, Deum materiæ cogitationem imperfriri non posse, aut ut aptius dicamus, materiam hujus affectionis capaceam

(1) « Mais que diraient-ils, si c'étaient eux-mêmes qui fussent coupables d'irréligion? En effet, quel est l'homme qui osera assurer sans une impiété absurde, qu'il est impossible au Créateur de donner à la matière la pensée et le sentiment? » Lett. 13 sur M. Locke.

non esse. At quot ex hujus poetæ operum lectoribus sunt, quibus hujusmodi doctrina nota sit, quâ audaciâ tantâ allatum sophismâ refellant? Vox ipsa eorum ignorantiæ omnino opprimit; Voltairiusque illorum judicio recte sentit. En aliud ejusdem comici exemplum. Recitatis innumeris auctorum philosophorum, theologorumque et veteris, et mediæ ætatis nominibus, in quibus latissimam eruditionem suam nobis patefacit, hoc oraculum enuntiat: *Quoad Ecclesiæ Patres, multi primis seculis, multi, inquam (advertatur animus ad hanc repetitionem), crediderunt, Deum esse corporeum* (1). Quî fieri potest, ut hoc tam asseveranter dictum, tamque impavidè incauti, bonique lectoris, qui fortassè nullius Patris scripta legerunt, non credant verissimè dictum? Cæterùm non agitur de re levis momenti, sed de errato, quod mysteria, imò fundamenta religionis omnia evertisset. Si *multi, multique Ecclesiæ Patres primis seculis* impietatem hanc docuissent, quid de populo à Patribus edocto, quid de traditione, de Ecclesiâ sentiendum esset? Ita tamen Voltairius pronuntiat: at impudentissimè mentitur, quandoquidem, quod alibi ostendimus, error de *Deo corporeo*, ut ex veterum monumentorum exquisito examine discimus, seculis iis Melitoni Sardicensi episcopo tribuitur; de Tertulliani sententiâ de hoc capite adhuc sub iudice lis est; et in Lactantio dicendi modî reperitur admodum ambiguus. Omnes et doctores, et populus christianus semper confessi, veneratique sunt Deum ut *spiritum immortalem et invisibilem*, detestatique sunt summopere Anthropomorphitarum errorem, qui in Asiæ angulo in lucem prodit, Theodosio regnante. Ili sunt ii *multi, multique Ecclesiæ primorum seculorum Patres*, qui Voltairii sententiâ Deum corporeum crediderunt. Nonne vel magna audaciâ, vel summa inscitia requiritur, ut hæc scribantur?

At Voltairius hujusce notæ, quæ in ejus naturam versa videtur, clariora argumenta in duobus postremis liberulis inscriptis *Dictionnaire philosophique portatif, et la Philosophie de l'histoire*, dedit, quos, quanquam ejus nomen non præ se ferant, vox tamen omnium una illi adscribit, quippe qui ejus nativos colores gerunt; nihilque reverâ sunt nisi rapsodia, seu verius rudis indigestaque moles sophismatum et diceriorum in religionem. (Sperare juvat,

(1) « Quant aux Pères de l'Eglise, plusieurs, dans les premiers siècles, plusieurs, dis-je ont cru... Dieu corporel. » Ibid.

hos esse postremos ejus extremæ senectutis impios abortus, et ut Rousseau verbis utar (Epist. 5 scriptâ ex Monte *scurriles jocos ejus veterum aunorum.*) Multi sanè mirantur fanaticum hunc poetam, qui hoc argumentum semper pertractat, et in sua ferè omnia scripta vel poetica, vel historica, vel philosophica unco veluti impacto religionem pertrahit. Undenam, inquit quidam, impetus hic in illo? Ni fallor, Montesquæus suorum oraculorum uno nobis hoc ænigma solvit. Inquit ille: *Homo pius et atheus de religione semper loquuntur : ille loquitur de eo quod amat, hic de eo quod timet* (1). Equidem crederem, me nullâ contumeliâ Voltairium afficere; imò ne illi displicere quidem, si è primâ harum classium illum excipio. Is ergo est ex iis unus, qui de religione semper loquuntur, ut de re quam reformidant. Scilicet, sentit ille istius omnipotentis hostis pondus; ejus sermones vellent illud excutere. Non idcirco tamen aut aliquo connexo systemate, aut aliquo inaudito argumentorum apparatu utitur. Haud est vir ejusmodi. Jam inde cùm contra Cartesium scripsit, animam nostram *non semper cogitare*, fuit qui in eum scripsit, Voltairii animam *cogitare nunquam*, et Joannes Jacobus Rousseau nuper eum inducit jure verèque fatentem, se contra religionem securititates profanas et impias evomuisse, sed simul semel iterùmque testantem, *se nihil omninò ratiocinari* (2). Omnes ejus libri hoc confirmant; duo postremi id geometricè demonstrant. Hi quoque duobus sub titulis eandem crambem repetunt, hoc est, eandem congeriem sophismatum et objectorum ex liberulorum voluminibus hinc inde corrasorum, dispositorum in *Dictionario* alphabetico ordine; in *Philosophiâ historiæ* per capita, refartorum in utroque liberulo ridiculis jocis, et felle, maliiosèque in quidquid augusti sanctique est, jactorum. Fateor, hos liberulos primùm legenti mihi memoriam subisse, quod scribit anonymus Gallus, de his pestiferis *semidoctis*, qui impietate suâ nostris temporibus orbem inficiunt. Horum scientia, inquit ille, hæc est, *didicerunt in quâlibet questione objecta usque ad responsiones exclusivè* (3). En Voltairii libros.

(1) *De l'Esprit des lois*, lib. 23, chap. 4 : « L'homme pieux et l'athée parlent toujours de religion; l'un parle de ce qu'il aime, et l'autre de ce qu'il craint. »

(2) « Je ne raisonne pas, moi, cela est vrai. » Lett. 5, écrite de la Montagne.

(3) « Le demi-savant... de toutes les questions il étudie l'objection jusqu'à la réponse

Hic quæstionis status candidè non proponitur, hic ea fundamenta, quibus innititur veritas, non exponuntur; hic nihil aliud de quâlibet quæstione reperitur, nisi *objecta usque ad responsiones exclusivè*. Vah! excellentia volumina! vah! eximium scriptorem! quantum proficiunt discipuli discipulæque hujus præceptoris! scilicet excedent *semidocti* ab anonymo Gallo descripti, qui quidem eò infeliciores contemptioresque indoctis sunt, quò pejus est malè scire, quàm nihil scire.

Si tamen auctor noster responsis objecta à se allata non solvit, nolo ego ita imperitum eum existimare, ut ne sciat quidem hæc responsa reverè esse. Qui fiat, ut ille ignoret, quidquid scribit aut contra nostra mysteria, aut contra ritus, aut in divinas Scripturas, aut in alia gravissima religionis naturalis et revelatæ capita (cùm fuerit milles ab impiis repetitum, recoctumque) ab ejusdem religionis propugnatoribus examinatum solutumque ingenti studio fuisse? Fateor, cùm interdum quædam habere, quæ sua sunt, quæ in nullo scriptore me legisse memini, neque sanè infelicia. At quod ad objecta à se prolata atinet, ignorare, inquam, non potest gravissimè à pluribus auctoribus, pluribusque in libris edemonstrata fuisse inepta et mendacia. Si tantùm advertisset animum eorum multa sibi invicem opponi destruique (quod accidit scribenti, vel ut verius dicam, raptim exscribenti), poterat ad sanam mentem reduci. At hæc veritatis lumina ille odit; gandet in suis objectionibus *usque ad responsa exclusivè* immorari, ne gratum errorem animo detrahat, quæ quidem res *impiorum* propria à Scripturis judicata fuit, qui supernæ luci, qui *Deus est*, dicunt: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum volumus* (Job. 21, 14). Itaque, ut omnia summatim dicam, cursim hujus poetæ opera legentes, et hæc postrema præcipuè versantes hominem videmus, qui *semper de religione loquitur, ut de re quam perhorrescit*, quæ secundùm Montesquæum est athei nota. Hominem videmus, qui ejusque quæstionis *objecta usque ad responsa exclusivè* didicit, quæ, anonymi Galli judicio, est *semidocti* nota. Hominem videmus, qui *lumen odit*, quo agnoscere veritatem posset, quæ Scripturæ sententiâ est *impij* nota. Num hæc tres notæ sint *ingredientia*, ut nostri poetæ verbo utar, quæ simul conjuncta admirandum illud phænomenum, quod Voltairius appellatur, « exclusivè. » Lettres philosophiques, où l'on réfute le Déisme, etc. l. cit. 41.

componant, non dicam; non enim gestio gravior quid concludere in quemquam, sed suam, ipsum se excutere, et lectorem sapientem, prudentemque judicare.

Pergamus nunc dicere de audaciâ, quâ libertim errores suos in vulgus spargunt. Hæc præsertim cum de aliquo sacrae eruditionis capite agitur, est ferè in omnibus eadem.

Jacobus Rousseau in suâ Epistolâ ad archiepiscopum Parisiensem omnes ingenii sui nervos intendens, ut *scepticismum*, sicut eum appellat, de *coexistentiâ duorum principiorum* teutarum sophismatibus omnium dualistarum communibus, in paginæ calce doctissimam hanc adnotationem ponit, quam exscribere placet: « Opportunum est advertere (1) quæstionem de æternitate materiæ, quæ ad eò nostros theologos torquet, nihil sollicitos habuisse Ecclesiæ Patres non valdè à Platonis sententiâ alienos. Ut prætermittamus Justinum Martyrem, Origenem aliosque, Clemens Alexandrinus tam mordicus affirmantem sententiam in suis Hypotyposibus propugnat, ut Photius hæc de causâ arbitretur, librum hunc fuisse corruptum. Sed hæc eadem opinio in Stromatibus legitur, in quibus refert Clemens Heracliti sententiam, quia eam improbet. Illic Pater nititur quidem principium unum statuere; at id fit, quia hujusmodi nomen materiæ denegat, etiamsi ejus æternitatem agnoscat. » Vah! scribendi audaciam! Qui hunc philosophum suspiciunt, quæ recondita eruditio! quæ inaudita inventa! exclamant.

Enimverò sunt inaudita inventa: qui enim ita scribit, vel nunquam hoc argumentum sedulo examinavit, vel se habiturum tam bibulis auribus lectores esse putat, ut credituri sint, neque quidquam sint examinaturi. Rei magnitudo, occasioque, quæ sese mihi offert, magis magisque incautis lectoribus perfrictam horum philosophorum frontem aperiendi, ad perpen-

(1) « Il est bon de remarquer que cette question de l'éternité de la matière, qui effarouche si fort nos théologiens, effrayoit assez peu les Pères de l'Eglise moins éloignés des sentimens de Platon. Sans parler de Justin le Martyr, d'Origène, et d'autres, Clément d'Alexandrie prend si bien l'affirmative dans ses Hypotyposes, que Photius veut, à cause de cela, que ce livre ait été falsifié. Mais le même sentiment reparoit encore dans les Stromates, où Clément rapporte celui d'Héraclite sans l'improver. Ce Père, livre 5, tâche, à la vérité, d'établir un seul principe, mais c'est parce qu'il refuse ce nom à la matière, même en admettant son éternité. » Not. 27, pag. 53.

dendum locum hunc me impellit, in quo penè tot mendacia (cogor enim nomina sua dare rebus) quot sunt verba, reperimus.

Tu ergo, Rousseau, inquis, *hanc de æternitate materiæ quæstionem, quæ ad eò nostros theologos torquet, Ecclesiæ Patres non valdè remotos à Platonis sententiâ minimum sollicitos habuisse.* Sed factum benè, quòd Patrum opera, aut fragmenta scripta linguis, quæ intelliguntur, adhuc supersunt, ita ut oculi tantùm controversiam hanc diducere possint. Tibi ergo aio, Ecclesiæ Patres materiæ æternitatem tanquam pestiferum Platonis errorem, religionisque fundamentis prorsus contrarium duxisse; ac proinde non minùs quàm theologi nostri faciunt, vehementer eos illum impugnasse et proscriptisse. Nos tantummodò recensebo: Tertullianum (in lib. adv. Hermogenem), Theophilum Antiochenum (lib. 2 ad Autol.), Eusebium Cæsariensem (de Præpar. evang. lib. 7, cap. 19), Dionysium Alexandrinum (advers. Sabell. ab Eusebio loco citato relatum), Maximum (in lib. de Materiâ apud Eusebium ibid.), Lactantium (divin. Instit. lib. 2, cap. 9), Irenæum (lib. 2 advers. Hæret. cap. 19), Ambrosium (lib. 1 in Hexam.), Athanasium (de Incarnat. Verbi Dei), Basilium (Homil. 1), Chrysostomum (Homiliâ 58 in Acta Apostol.), et Augustinum (cont. Faust. lib. 20, cap. 14; cont. advers. Leg. et Proph. lib. 1, cap. 8; de Gen. cont. Manich. lib. 1, cap. 6, et alibi). Sufficiuntne hi? Habe et hos: Theodoretum (serm. 2 advers. Græcos de Materiâ et Mundo), Methodicum (apud Photium cod. 256), Petrum Chrysologum (serm. 46), Æneam Gazensem (in Theophrasto, sive de animor. Immortalit.), et Zachariam Mitylenum (de mundi Opificio contra philosophos). Nondùm satis habes? Illic adde eos omnes cum græcos, tum latinos, qui vel Genesim interpretantes, aut alio modo de hoc argumento loquendi aut ex proposito, aut datâ occasione ansam arripuerunt. Eos lege locis à me citatis, intelliges quo hanc materiam Deo *coæternam* et increatam eos fuisse detestatos; eos illam ut errorem insanum corruptæ philosophiæ ab hominibus impiis disseminatam ad inficiendam religionem semper duxisse. Intelliges, impios hos homines, Marcionem, Hermiam, Hermogenemque supra cæteros (qui ex hoc errore appellati fuere hæretici *Materiarii*), ut hæreticos nimirum fuisse ab Ecclesiâ damnatos. Imò intelliges, argumenta fortissima, quibus Patres eam impugnant, nobis significare, eos hujusmodi sententiam, non

modò ut meram hæresim, sed ut impietatem, quæ supremam auctoritatem, unitatem, *independentiam*, omnipotentiam, ac proinde essentialiam ipsius Dei læderet, respexisse; quæ cum materiæ æternitatem et *independentiam* adscriberet, naturam abjectam, informem, mutabilem, æqualem Deo faciebat; quæ quidem impietates omnium quæ dici excogitarique possunt, sunt maximè horribiles. Intelliges demùm ea ipsa sophismata, quibus tueri *coexistentiam duorum principiorum* videris, illudque præcipue ab origine mali deductum, examinari à Patribus, et ut ineptissima rejici. Solus Tertulliani liler in Hermogenem te satis superque edocebit (1). Quædam ex capite 1 decerpam, quæ tibi stimulum addent, ut totum opus perlegas. Afferre tantùm aliquot Theophili Antiocheni in libro 2 ad Autolicum, num. 4, periodos contentus ero, ut videas num Patres *pariùm alieni à Platone fuerint*, et num hanc sententiam parvi penderent. « Plato, inquit ille, ejusque asseclæ fatentur quidem, Deum esse ingenitum, et Patrem Auctoremque rerum omnium; at sentiunt etiam, Deum et materiam esse ingenta, et hanc esse Deo cœternam. At si Deus est ingenitus, et ingenta materia, non est ampliùs rerum omnium Creator Deus secundùm Platonicos; nec ampliùs est Dei regnum secundùm eorum principia. Præterea, sicut Deus, cum sit ingenitus, est etiam immutabilis, ita si materia erat ingenta, erat ipsa etiam immutabilis, Deoque æqualis. Quod enim creatum est verti potest, mutarique; sed quod est increatum neque verti, neque mutari potest. Quid mirum, si Deus è subjecta materiâ mundum faceret? Etenim etiam artifex humanus ex materiâ ab alio accepta efficit quod vult. Dei tamen potentia in hoc elucet, quòd ex eo quod non est, efficit quod vult; sicut etiam impertiri animam, motumque nullius est præter Deum. Siquidem etiam homo imaginem effingit, at rationem, respirationem, aut sensum opifi-

(1) « Hermogenis autem doctrina tam nova est, demique ad hodiernum homo in seculo, et naturâ quoque hæreticus turbulentus, qui loquacitatem faciendam existimet, et impudentiam constantiam deputet, et maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicet.... A Christianis enim conversus ad philosophos de Ecclesiâ in Academicam et Porticum, inde suspisit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ et ipsa semper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, nec finem, ex qua Dominus omnia postea fecerit. » Sub

« cis suis dare nequit. At Deus hoc hominem superat, quòd facit opus suum ratione, respiratione, motuque præditum. Sicut ergo Deus potentior homine est, in his rebus omnibus potentior est quòd creat ex eo quod non est, et quòd entia creârit quæ vult, utque voluit. » Locus hic unus sufficiat tanquàm leve argumentum, quomodò de hac re Patres cogitarent, et quantum hallucineris, cum eos non longè aliter à Platone in hac controversiâ sensisse dicis. Theophili argumentis utuntur et alii; imò alia non minùs valida addunt modò ex Deo, modò ex illâ materiâ desumpta, quæ quin maximæ contradictiones dicantur, increata et æterna dici nequit. Quisque opportunè ea legere poterit, et intelligere, te injuriâ scripsisse, evidentiamque facti impugnâsse, cum dicis, *quæstionem de materiâ æternâ, quæ ita nostros theologos torquet, minimùm sollicitos habuisse Ecclesiæ Patres minùs à Platonis opinione remotos*. At sentio, te habere triarios tuos auxiliares, quos contra Patres modò à nobis memoratos in aciem producas. Expecto quid dicas. At, inquis, *quin de Justino Martyre, Origenem, aliisque loquamur, Clemens Alexandrinus affirmantem sententiam tuetur*.... Hic, quæso, paulisper subsiste. Tu ergo hæc præteritione vis obtrudere proselytis tuis ut rem extra controversiam positam, *Justinum Martyrem et Origenem cum Platone de materiâ æternâ et increatâ sensisse?* Rousseau mi, si ego tecum hujusmodi ratione agere vellem, quâ tu audes, ne dicam per summam impudentiam, cum Parisiensi archiepiscopo uti, dicerem, jam apparere vel ex ipso citandi modo confuso, astutoque, te *incedere velut super candentibus carbonibus, ubi vix audes pedem figere*; dicerem, *me à te cogi, ut parumper in molestâ hâc controversiâ te detineam; at me curaturum, ut quàm citissimè te expediam*. Tibi tamen tam urbanos scribendi modos totos relinquo. Tu tamen, quæso, vel æquo animo, vel patienti, ut tibi libererit, me audi. D. Justinus Martyr non modò materiam increatam et æternam Platonis non defendit, sed etiam eo demonstrationis genere confutat, quæ una opprobrio maximo afficit quotquot fuerunt cruntque unquam *Materia-rios*, cum evidenter ostendat, in illâ hypothesi geometricè fieri non potuisse mundi creationem. « *Materia, inquit ille, Exhort. ad gent. num. 23, increata, cœterna, et æqualis artificiali, qualem eam facit Plato, viribus suis sui artificis voluntati resistere debet. Ille*

« enim qui non creavit, nullam vim habet in id
 « quod est increatum; et nequit in eam ullam
 « vim exercere, cum sit libera, exemptaque
 « ab omni externâ necessitate. Hinc Plato ex
 « his principiis, quæ probè nôrat, scripsit, ne-
 « cessariò concedendum esse, in Deum (eò
 « quòd est increatum et æternum) nullam vim
 « adhiberi posse. » Ita loquitur, ratiocinatur-
 que Justinus (1), quem tu (axiomatis instar)
 in materiæ æternæ Platonis defensorum album
 refers. Locus ita clarus est, ita etiam vehemens,
 ut interpretem respuat. Transeamus ad Ori-
 genem, alterum duceum tuum, cujus sententia
 judicio tuo est adeò clara, ut dubitari de illâ
 non possit. Itane res erit? Tu, rogo, adverte
 animum ad hanc animadversionem, quæ quidem
 exigua est, Eusebii lib. 7, cap. 19 et sequen-
 tibus Præparationis evangelicæ, aggressus ner-
 vis ingenii sui omnibus, de materiâ increatâ
 æternâque errorem impugnare, testimoniis
 quatuor scriptorum à se acerrimorum credito-
 rum in hæc controversiâ utitur. Scis, quinam
 hi sunt? Dionysius Alexandrinus, Philo, Maxi-
 mus et Origenes, ille ipse, quem tu laudas.
 Nolo, erubescas, si ejus verba attulero, quæ
 legere apud Cæsariensem poteris. Ex Com-
 mentario ipsius Origenis in Genesim desumpta
 sunt, continenque in Platonem invictissima
 argumenta. Imò cum ea legeris, leges non sine
 magno emolumento etiam quæ idem græcus
 Pater in hanc rem in Commentariis ad S. Joan-
 nem scripsit; et sperare me juvat, te tuam
 criticam miseram enimverò emendaturum. Et
 sanè perflugium omne tuum, ut hanc proposi-
 tionem defendas, Ecclesiæ Patres de materiâ
 increatâ et æternâ idem cum Platone sensisse
 ad unum Clementem Alexandrinum redigitur,
 quem, licet opinatus fuerit, ut dicis, tamen
 vides à te, iis animadversis quæ attulimus, non
 posse in campum produci, contra Patrum cho-
 rum ad personam omnium Ecclesiæ Patrum
 sustinendam, quin à sapientibus lectoribus
 irridearis. Sed tamen hoc certissimè constat,
 neque Clementem hujus fuisse sententiæ. Exa-
 minemus tua verba: *Clemens Alexandrinus tam
 aperte affirmantem sententiam in suis Hypotyposi-
 bus tuetur, ut Photius ideò nimis crediderit, eum*

(1) Multa alia loca non minùs clara S. Jus-
 tini in hanc rem proferri possent. Legere pos-
 test qui vult collecta in præfatione clarissimi
 monachi Prudentii Marani hujus Patris operum
 editoris, ubi etiam nitidè explicantur duo Apo-
 logiæ S. martyris loca, quæ aliquam difficul-
 tatem minùs in lectione Patrum versatis afferre
 possent.

librum corruptum fuisse. Non solum Photius, ego
 dico, sed quicumque sapit quidquam, fateri
 debet *Hypotyposes* (opus jamdiù deperditum)
 ut lectæ fuerant à Photio, ab audacibus homi-
 nibus adulteratas fuisse. Neque tantùm (ut no-
 bis imponere vis) ob materiam increatam et
 æternam, sed ob *sexcentas blasphemias, imò
 blasphemiarum monstra*, quibus insanus, furens-
 que corruptor eas *sparsim confusèque* infecerat.
 Hæc sunt Photii verba, cod. 119, qui præterea
 ibidem harum pestiferarum blasphemiarum
 Clementis doctrinæ omninò adversantium,
 quæ in ejus intactis operibus reperitur, speci-
 men præbet. Hinc idem Photius de tribus Libris
 Pædagogi (quos quidem procul dubio est Cle-
 mentis opus)-loquens ita scribit cod. 110:
 « Nihil simile Hypotyposum habent hi libri; ca-
 « rent enim iis stolidis, blasphemisque senten-
 « tiis: est stylus ipse floridior, suavique, ju-
 « cundâque gravitate temperatus; et in noti-
 « tiarum, quæ in his continentur, varietate,
 « nihil est, quod non verè castèque dicatur. »
 An ergo potest criticæ tuæ, opus impollutum
 Clementis Alexandrini Hypotyposes ducere?
 An potest honestas tuæ ignaris lectoribus di-
 cere, Photium hæc unâ politicâ animad-
 versione motum, ne Clemens omnium opi-
 nioni de materiâ increatâ adversus videre-
 tur scripsisse opus illud fuisse corruptum?
 Quanquàm volo de hæc *corruptione Hypotyposum*
 temerario ausu factâ certissimum fias. Eusebius,
 qui annos quinquaginta ante Photium Clemen-
 tis Hypotyposes legerat, earum epilogum libro
 6, capite 11, Historiæ ecclesiasticæ nobis dat:
 eas cum honore nominat, et ne verbum qui-
 dem *de iis blasphemiarum monstis*, quæ invenit
 in iis postea Photius, facit. Eusebius, inquam,
 qui præterquam quòd exquisito præstabat acu-
 mine, strenuè, ut modò dixi, audistiquè, con-
 tra materiam æternam increatamque pugnavit.
 Qui fingi potest eum impium errorem dissimu-
 lasse, si eum reperisset, neque eum damnare
 voluisse? Est quidem (haud inficias ibo) hoc
 negativum argumentum, at simul cum iis quæ
 diximus sumptum, prospectumque suâ in luce
 magnum apud te, qui tantâ arte criticâ polles,
 pondus habere debet. Quare tu quoque non
 gravatè fateberis, audaces impiosque homines
 (quod etiam Ruffinus nobis indicat) post Euse-
 bii ætatem opus illud corrupisse corruptumque
 in manus Photii devenisse; ac proinde indignam
 à te rem fieri, qui illud profers, ut lectores tui
 credant, Clementem materiæ increatæ propu-
 gnatorem fuisse. Tu tamen adhuc instas et

urges : *Eadem sententia etiam in Stromatibus legitur, ubi Clemens Heracliti opinionem refert, quin eam confutet.* Hæc quidem est sententia, et penè verba ipsa Joannis Clerici in Epistolâ 1 criticâ (quæ est ad archiep. Cantuar.), ubi nimirum audet Clementem tanquam increatâ æternæque materiæ patronum traducere validissimo hoc argumento : *In eodem libro minimè improbat sententiam Heracliti Ephesii, quam hisce verbis describit, etc.* Scito tamen, criticum hunc, quem fortassè nimis credulus secutus es, in putidissimum errorem te pertrahere. Silentio prætereo Heracliti textum ab Alexandrino relatum, præcipuè in fonte græco esse valdè obscurum involutumque, ita ut ex verbis philosophi (jure *tenebricosi* nuncupati) criminationem tanti ponderis affigere, hoc est, Clementem putâsse materiam æternam, res non adeò tuta esse videatur (1). Quamquam fingamus Heracliti locum esse perspicuum ; ergo Clemens eum referens, eumque non improbens illum approbat ? Quid mendosius colligere potes ? Scisne, quot, quamque absurdas sententias, non solum Heracliti, sed Empedoclis, Stoicorum, Platonis, Aristotelis, Epicuri, aliorum, quem cum philosophorum, tum poetarum eo in libro Clemens refert quin eas improbet ? An ideò dicendum erit, eas omnes illum approbare et sequi ? Enimverò, Rousseau hoc argumento, vel hæc ratiocinandi methodo hic Ecclesiæ Pater esset Proteus ex monstruosissimis, qui unquam in literariâ republicâ visi fuerint. At quidnam sibi probandum

(1) Textus Heracliti à Clemente relatus lib. 5 Stromat. est hic : Κόσμον τὸν αὐτὸν ἀπάντων, οὗτε τις θεῶν, οὗτε ἀνθρώπων ἰσχύσαν· ἀλλ' ἦν καὶ ἔστιν, καὶ ἔσται πῦρ ἀεί ζῶον, ἀπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσθενόμενον μέτρα, hoc est : *Nullus Deorum, nec hominum mundum, aut universitatem rerum fecit : at erat, est, eritque ignis semper vivens, qui modo certo accenditur, et modo certo extinguitur.* Videat lector sapiens, num ex eo quòd Clemens hunc Heracliti locum tantum retulerit, dici possit, eum æternitatem materiæ approbare. Clemens non intendit hoc loco loqui aut de origine, aut de æternitate mundi, sed ostendere, ethnicos philosophos perturbatam quamjam novitiam habuisse de futurâ rerum restauratione post mundi hæm. Quare proximè ante inquit : Οὐ παρατίπτουμαι καὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα, ὃς φυσικῶς οὕτως τῆς τῶν πάντων ἀναλλήθεως μίγνεται, ὡς ἰσομετρὶς ποτὲ εἰς τὴν τοῦ πυρὸς εὐσίαν μεταβολῆς· ἀσφίστατα Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ταύτης ἐστὶ τῆς δοξῆς, id est : *Non prætereo etiam Empedoclem, qui physicè hoc modo mentionem facit de rerum instauratione, eas demum mentiondas esse in ignis substantiam. Heraclitus Ephesius apertè hanc sententiam tuetur.* Et hinc transit ad afferenda verba τὸ αὐτὸ relata.

eò loci Clemens suscipit ? Num agit de creatione mundi, num de materiæ æternitate ? Nihil sanè minùs. Hoc probandum proponit, *philosophos græcos divinas litteras expulsi, et magnam eorum opinionum partem originem suam ex sacris litteris malè intellectis habere*, lib. 5, Stromat. In hanc rem multos errores profert et Stoicorum, et Platonis, et Epicuri, et Aristotelis, et aliorum, ea sacrorum librorum indignans loca, quæ ejus judicio hæc opinionibus contingendis ansam præbere poterint. Inter has ergo philosophicas sententias eam quoque de materiâ æternâ recenset, ex quâ philosophi Deum creâsse mundum rebantur, putatque (sicut etiam arbitrati sunt Justinus Martyr et Origenes) *ea Genesios verba : Terra autem erat inanis et vacua, hanc materialem substantiam confingendi iis occasionem dâdisse*, ibid. Hoc consilio Clemens refert Platonis, tum Heracliti opinionem (si modò ejus loci hæc est sententia.) Jam quibus è criticis principis dici poterit, Clementem, quòd eo loco hanc impietatem non refellit, ejus esse propugnatores ? Non intenderat eò loci questionem de materiâ increatâ pendere. Quo itaque modo hujus dogmatis facit mentionem, indigitatque malè à philosophis Scripturæ oraculum intellectum, à quo illud sumptum putat, recenset continuò casus Epicuri dogma desumptum ex verbis illis : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, perperam acceptis ; tum Aristotelis opinionem putantis, Providentiam non extendi ultra lunæ cœlum, quæ quidem opinio illi eruta videtur ex iis psalmi verbis : *Miseri-cordia tua, Domine, est in cælo, et veritas tua usque ad nubes.* Sicut igitur esset injuria summa, imò aperta insania hujusmodi errorum aut Aristotelis, aut Epicuri, quòd eos retulerit, neque confutaverit, Clementem insimulare ; ita die, quæso, quo erit appellanda nomine critice tuæ, aut illius, quem imprudens secutus es, quæ patronum æternæ materiæ eum Patrem dicit, quòd eodem consilio sententias Platonis et Heracliti protulit, neque eas retudit ? Lege librum, loca considera, erratumque agnosces tuum. Quòd si ita est, si ne Clemens quidem Alexandrinus tibi favet, neque locum ullum in omnibus ejus operibus ostendere potes, ubi materiam æternam increatamque dicat, imò attentè eum legens (licet ille de hæc questione non disputet), contrarium colliges ; ergo illa tua adnotatio : *Ecclesiæ Patres, ut minùs remotos à Platonis sententiâ nostris theologis parum fuisse sollicitos de questione*

de materiâ increatâ, nominatimque Justinum, Originem, et Clementem Alexandrinum eam docuisse, tota, quantum est, falsa est, continetque penè tot mendacia quot verba.

Sit bona cum lectoribus venia, si diutius fortassè in refellendâ hæc adnotatione sum immeratus. Argumenti gravitas, Genevensis philosophiaudacia, me ut id facerem coegerunt. Quærebatur hic, num Ecclesiæ Patres jure recusarentur impietatis, quæ funditus religionem evertit, errorisque tam ingentis iis afflicti auct dubiè, haud hæsitanter, ac dictatoriâ voce, supercilioque. Cæterùm quot ex ejus mendacis audacisque Epistolæ lectoribus opera Patrum examinandi, veritatemque suis è fontibus hauriendi negotium sibi sumpsissent? Hactenus dicta efficient saltem, ut bona fides, candorque, veritatisque amor, quibus hi libertini scriptores aguntur, ab omnibus agnoscantur. Non tam facilè credi posset, ignorasse Rousseau tot errores, quorum sua erat referta adnotatio: nimis est eruditus (est enim dicendum quod res est) nimisque acutus, ut eos non prospiceret. At ut aliquo modo veritas impugnetur, nonnisi hujus generis tela adhiberi poterant, quæ jacta eâ licentiâ audaciâque, quæ tota Rousseau est, incautos, ignarosque lectores non poterant non maximè commovere.

Et sanè, ut eò, unde digressi sumus, revertatur sermo noster, advertat animum per se sapiens lector, quanto jure à nobis fons horum temporum impietatis horum librorum infelicissimorum, quibus Italia nostra opprimitur, lectio fuerit statuta. Qui unquam integram, stabilemque religionem servabit suam contra tot aggressiones, tam fallaces, qui eas repellere, et illas detegere nequit? Bonâ fide legere perget deceptus iis promissis obsequi reverentiæque in religionem, qui primus scriptorum libertinorum astus est, quo incautos alluciant. Progressus porrò irretitum, constrictumque gravissimis difficultatum nodis se sentiet, quarum vis ex perversâ disputandi methodo derivatur, quæ est fraus altera ab his philosophis adhibita, at ab imprudentibus lectoribus neque animadversa, neque cognita. Vincetur tandem eo tenore vocis libero audacique, quo impia enuntiantur, falsaque sparguntur, ita ut bonus lector de fraude ne suspicari quidem audeat, nedum ad eam eos errores revocet, qui ut veritatè oracula edicuntur. (Valsecchi, *ibid.*, cap. 5.)

De eodem quarto impietatis fonte continuatio.

Quoniam hactenus memoratæ fraudes, qua-

rum plena sunt libertinorum volumina, per se ipsas incauto lectori tenebras offundere, sensimque in impietatem pertrahere possint, omne tamen horum miserorum librorum virus in iis non inest. Recensitæ fraudes intellectui veluti retia tenduntur; alia est quæ corrumpitur. Nihil sanè repetitur aliud his in libris, quàm virtutis, honestatis, ethicæque nomen, verùm plerùmque hæc voces intellectus expertes sunt, aut elegantes descriptiones, vi, verâque significatione carentes. Satis jam superius examinata et explicita fuit libertinorum ethica. Narrationes inhonestæ, imagines turpes, quæ plerùmque eorum eruditionem, eorumque operum decus efficiunt, imbecillitatem incauti lectoris vividius pellicunt. Sed hujusmodi venenum, quod his libris cum omnibus poetis et narrationum turpium scriptoribus commune est, remedium quodvis respuit propter theorias quibus iniquitas defenditur et licentiæ cuivis impunitas conceditur. Non solum naturæ horror vincitur, quod quidem exemplum facit, sed etiam religionis timor eliminatur è corde, quod perniciose documenta præstant. Lectorem defatigarem, fedaremque librum hunc, si luctuosissimæ hujus veritatis nimia testimonia afferre vellem. Utinam vel nomina ipsa Montaneæ, Baylii, Helvetii, aliorumque hujus generis scriptorum ignorarem, qui à multis leguntur viris mulieribusque, suæ cordis perversitatis pari cupiditate. Hæc est ars illa, quæ probè norunt hodierni philosophi, lectorum vulgo allata sophismata demonstrationis loco esse. Quod aliecit, convincit; errorque, qui quodlibet vitium impunè vult, magis quàm veritas, quæ illud vetat, persuadet. At consideret mecum prudens quisque vir, num mortales ulli sint, nescio an dicam veniâ digniores, an contemptu, his impietatis proselytis. Hi per horum librorum lectionem à religione desciscunt, causamque nesciunt; cum eniam versati non sint in controversiis, fundamenta nostrorum dogmatum ignorent, veram methodum non agnoscat, quæ hujusmodi argumenta sunt pertractanda, iis sophismatibus vincuntur, quæ primum vis momentum ex eorum intellectus ignorantia, alterum autem ex eorum cordis corruptione habent.

Itaque hæc miserima ex malorum librorum lectione contagio eorum, qui bonum societatis curant, studium, laboresque excitavit. Longius provehetur oratio mea, si afferre vellem quicquid ad hanc materiam græca romanaque monumenta nobis suppeditant. Celebre est.

quod Athenienses de Protagoræ libris egerunt igne absumendis, eorumque auctore in exilium pulso. Nota sunt S. C. C. relata à Varro-
rone, à Livio et ab aliis, etiam contra libros peregrinæ aut nullius religionis. Loquitur Cyprianus, l. 4, ff. *Famil. erciscund.*, de libris eprobate lectionis, legibus iubentibus eos rterminari. In celebri Diocletiani rescripto contra Manichæos non solum contra eas pestes invehitur, sed etiam contra earum libros. Emulari curam christiani principes veræ religionis propugnatores non minùs debebant. Constat apud Socratem lib. 1, cap. 9, Constantinum Magnum, sicut suis impensis exemplaria sacrorum librorum in persecutionum æstu laceratorum combustorumque multiplicari jussit, ita voluisse ut inquisita et apud quemcumque essent, auferrentur comburenturque Porphyrii et omnia contra religionem christianam scripta volumina. Theodosius Magnus, ut habemus in Actis concilii Ephesini, eam legem renovavit, hanc sui jussi rationem afferens, scripta omnia, quæ ad iram Deum provocant, suntque hominibus nocumento, haud sinendum esse, ad aures hominum pervenire. Non absimilia decreta Marciani et Justiniani habemus, et nostrâ etiam ætate innovata summâ cum laude à principibus christianis videmus, qui sui solii stabile fundamentum religionem unam agnoscentes, hos pravos libros de medio tollendi, qui religionem ex subditorum sibi populorum animo procul amandant, curam susceperunt. Novissima Parisiensia edicta in libros *de l'Esprit et Emile*, auctoremque ipsum indicta, non minùs recentia quàm clara sunt testimonia. Ecclesia tamen, cui Christus fidei suæ depositum reliquit, et ad quam pertinet examen, judiciumque falli et fallere nescium de doctrinâ, à temporibus apostolicis (1) usque cùm hæsi tot superstitionosa volumina combusta fuerunt, hos errantium ingeniorum fœtus persecuta semper est, filisque suis severissimis legibus lectionem vetuit. Jam quid aliud constans hæc agendi ratio imperii sacerdotique significat, nisi hoc, sapientes omnes semper censuisse, horum librorum lectionem esse impietatis esse lunestissimum fontem? Quid aliud in Christianorum mentibus deberent suæ Matris leges imprimere, nisi

summum horrorem, quo ne auderent quidem hujusmodi pestes respicere?

Quantum aut maximæ lectorum parti librorum, de quibus loquimur, lectio inhibeat, haud opus est, iis principum Ecclesiæque leges, recitare, cùm ad hoc câ lege naturali divinæque, quæ neque mutationibus, neque exemptionibus exceptionibusque est obnoxia, teneantur. Hæc lex, quæ sequi veritatem, erroremque vitare, religionem colere, et impietatem effugere jubet, severissimo interdicto vetat periculo aut de fide, aut de moribus dubitandi semet exponere. Jam quis neget hujusmodi discrimini subjacere tot mulieres, tot adolescentes, homines tot in nihilo occupatos, qui expertes ejus, quæ religionis scientia dicitur, eorum librorum lectioni se totos dedunt, qui fraudibus omnibus, artibusque vaferrimis eam impugnant?

Neque verò ii dicant, aut styli elegantia, aut cogitationum veneribus, aut multiplici eruditione, quibus opera libertinorum ornantur, ad hanc lectionem se rapi. Ineptissima defensio hæc est. Etenim, etiamsi omnia hæc decora libertinorum libri habent, ratio tamen suadere deberet, ne tanto cum periculo, cuiusmodi est, aut fidem aut mores corrumpendi, eos legeremus. *Melius est* (aiebat D. Hieronymus in Epist. ad Eustoch. de Custod. virgin.) *aliquid nescire securè, quàm cum periculo discere.* Deinde verò, me affirmare verè posse reor, nullum nostrorum libertinorum opus esse eruditione, stylo, cogitationibus, ita præclarum, cujus aliud sani scriptoris sapientisque in eodem genere aut par, aut etiam melius non invenitur. Quid ergo? Rousseau *Emilius* critice Fenelonis *Telmacho* venustior? historicumne Voltairii opus cum *Historiâ universâ* Bossuetii comparari poterit? Quis unquam illius poeta: *Mahomedem* cum Racini *Athaliâ* conferet? quantum *Cogitationes* Pascal's ejus censoris *Cogitationes* verè *falsas margaritas* antecedunt! Quæ comparatio inter *Librum de Moribus*, et inter *Specimina moralia* Nicolai esse potest? An potest ratiocinandi vi, methodo, claritate Helvetii liber *de Spiritu* cum Lamyi libro *de Cognitione sui ipsius* componi? Quodnam demùm philosophiæ, criticæ, eruditionis caput in Petri Baylii operibus pertractatum reperitur, quod non purum tot erroribus, et veriùs, et solidiùs perpensum, examinatumque pluribus in voluminibus præstantis simis habeamus? Dicamus ergo, qui fallamur, quod ait de Petronio Huettius, omnium li-

(1) Act. 19, 19: Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt eorum omnibus; et computatis pretus illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta militum.

bertinorum scriptorum famam magis ab impietate, quàm ab eorum merito prohibeisci; neminemque eos lecturum fore, si essent minis turpes impique.

Quæ hæcenus à nobis dicta sunt, ut in lectione librorum religioni infestorum recentis impietatis fontem indigaretemus, satis quidem superque sufficiunt ad refellendam anonymi libertini audaciam, qui vocem in sanctuarium soliumque, in fidem et rationem efferens, arbitratur, hujusmodi impiis libris impunitatem esse concedendam, facultatemque cuique dandam scribendi, edendique quidquid in mentem buccasque sibi venerit. Libri titulus est hic : Specimen de libertate animi sui sensa evulgandi (1). Nuncupatur Anglæ nationi, quæ ut una inter omnes orbis totius populos, quæ omninò hæc libertate gaudeat, commendatur (in Dedicatione). Mihi tamen persuadeo, illustrem nationem illam laudibus his scriptoris hujus minimè oblectari posse, neque oblatum opus, quod suapte naturâ religionem, mores, imperium, societatem, urbes in sylvas commutare studet, æquo animo accipere. Permittit Providentiæ, libertinos in hos errores prolabi, ut iis quos parùm Dei honor tangeat, saltem, suorum liberorumque, urbis regni que utilitate, et otio tacti expergiscant; videant quò religio deserta ducat, nôrintque eos qui bellum Deo indicunt, reipublicæ suæ fideles esse non posse; et cum quidquid sancti sacri que est concutatum fuit, rebellionem in solium parari. Hæc pestifera horrendaque consequentia illa sunt, ad quæ lectores rapiunt sophismata, quæ in libereulo, de quo habetur sermo, continentur. Et tempore et patientiâ lectorum plus æquo abuterer, si in eo confutatio tempus terere vellem. Non est mihi tanti. Scriptor ipse negare nequit, esse eum abortum informem, imò monstruosum. Tenuè dabo specimen, ut auctoris consilium ejusque cogitandi rationem lector habeat : « Non est opus, inquit ille (2), Newtoniano ingenio,

(1) *Essai sur la liberté de produire ses sentiments; au pays libre, pour le bien public, 1749. Avec privilège de tous les véritables philosophes.*

(2) « Il ne faut pas un génie Newtonien pour voir que sans une pleine liberté de produire ses sentiments, la recherche de la vérité est impossible, puisqu'une proposition ne peut être dite vraie ou démontrée, tant qu'il y a des arguments qui la combattent, ou qu'il y en a de solides pour son opposée... Or, puisque, sans la liberté de produire ses sentiments, on ne peut pas se flatter d'a-

« ut quis sibi persuadeat, nisi facultas omnimoda sensa animi sui edenâ detur, veritatis inquisitionem fieri non posse, quandoquidem propositio demonstrata dici nequit, donec argumenta sunt, quæ illam impugnant, aut solida contra illam sunt.... Jam quoniam nisi adsit potestas sensa sua profertendi, nemini putandum est se omnia obiecta vidisse, necessariò consequitur, hæc libertate sublatâ, neminem jure posse de aliquâ propositione convinci. » Putat ille exemplo, quod auctoris impietatem juxta ac insaniam patefacit, se rationem hanc probare. A Dei existentia desumitur, quam ille arbitratur, nondùm satis demonstratam dici posse, donec impiis omnibus facultas scribendi, edendique in lucem concedatur quidquid contra hujusmodi theorema iis in mentem venerit. « Quæ potestas, inquit ille (1), non datur nisi in Angliâ, quæ fortassè est una regio, in quâ non puniuntur ii qui in hæc materia secus ac alii omninò sentiunt. » Adè verum est, quod aiebat Baylius, cum impietate semper gradum quemdam fanatici furoris conjungi. Non est enim verò opus ingenio Newtoniano, aut Leibnitiano ad hujus rationis falsitatem agnoscendam. Videt, vel me tacente lector, similitudinem quæ intercedit inter sententiam hujus anonymi auctoris, et opinionem Rousseau, quam supra examinavimus et refellimus. Rousseau aiebat, veram religionem inveniri non posse, nisi lingue omnes addiscerentur, nisi inquirerentur bibliothecæ omnes, nisi per omnes terrarum partes lincera susciperentur, nisi ad calculos reducerentur, ponderarenturque omnia problemata; imò, his curis omnibus adhibitis, patabat, prius moriturum fuisse hominem, quàm religionem, quæ sibi fuisset excolenda, reperisset. Haud secus libertinus noster opinatur, antequàm certi scimus de Dei existentia, esse permittendum, ut in lucem proferantur, tum examinentur omnia sophismata, quæ invenire possunt ingenia omnium mortalium perversissima. At, ego inquit, sicut horum sophismatum inventio, editio que ante nostram ex hæc vitâ mi-

« voir vu toutes les objections, il suit tout naturellement, que sans cette liberté on ne peut pas être rigoureusement convaincu d'aucune proposition. » Chap. 2, pag. 47.

(1) « Il y a bien des pays où il est défendu d'exposer librement ses pensées sur la Divinité. L'Angleterre est peut-être le seul où on ne poursuit pas ceux qui à cet égard ont de fort extraordinaires. » Ibid. pag. 48.

grationem non desinet, imò ne ante mundi quidem consummationem (quandoquidem nunquam insani deerunt, à quibus nova deliramenta concipi et edi possint); ita non solum nos decedemus, at prius desinet mundus, quam homines scire certò possint, num Deus existat. Hæc est ingentis illius argumenti vis, quo existimat anonymus, à supremis moderatoribus summam facultatem concedendam esse quilibetque *sententias* suas evulgandi contra religionem, societatem, morum disciplinam, nunquam suo iudicio certas, donec inter mortales possit esse aliquis, qui in illas aliquid sophisma afferre possit. Sint tamen Superis grates, quòd pyrrhonismum, à quo hæc argumenta derivantur, omnes aperitissimam insaniam agnoscunt. Nos certò cognoscere possumus, cognoscimusque esse demonstrationis fructum veritates ejusque generis ex iis argumentis, quæ earum naturæ conveniunt. Inter has veritates nobis notas, et evidenter notas, sunt dogmata præcipua religionis naturalis, et existentia religionis revelatæ. Et quantum veritati nunquam veritas adversetur, evidentia illà, quæ theoremata cognoscimus, intelligimus etiam, iis opponi non posse nisi sophismata, quæ religionem expugnare non possunt, at mentes tantum infirmas pervertere, et ad defectionem à religione licentiamque malos inducere possunt. Supremis moderatoribus ergo, ad quos religionem tueri, servare, imò commoda societatis amplificare pertinet, horum audacium hominum, qui suis scriptis utramque lædere et perturbare audent, insolens petulantia est coercenda. Inter hos libros etiam recensitus libellus haberi debet, qui cum aliorum omnium patrocinium suscipiat, omnium primus dignus est, qui flammis ustuletur.

§ 2. — DE RELIGIONE NATURALI.

1° Religio naturalis dici potest sensu multiplici: ratione propensionis naturalis, quæ homines spontè ad Deum quoquo modo colendum inclinat; ratione objecti, quod esset dogmatum officiorumque complexio, captum naturale non prætergrediens: ratione mediæ quo innotesceret, quodque non esset aliud quam naturale rationis lumen.

2° Religionem naturalem existere et necessariò admittendam esse vulgò statuitur apud religionis patronos; ex alterà parte, deistis exprobratur quòd religionem naturalem plus

æquò extollant. Verum igitur à falso secer-namus.

3° Falsum est unquam extitisse religionem ratione objecti merè naturalem, seu quod vocare amant naturalismum et purum deismum. Conficiemus enim, in decursu, nullam effluxisse generis humani ætatem quæ revelatione dogmatum, supra naturalem rationis nostræ captum positorum, caruerit; hominem fuisse ab initio conditum ad finem supernaturalem, cui proinde necesse fuerit hanc suam destinationem et media ipsi assequendæ paria declarari; non fuisset enim supra naturam positus ordo rerum, quem naturæ viribus homo cognoscere et assequi potuisset. Falsum est pariter unquam extitisse religionem ratione mediæ merè naturalem, seu rationem unquam extitisse solam hominis præcepticem, etiam in iis quæ captum ejus non superant: Deus nimirum, revelatione primis hominibus concessâ, veritates etiam ordinis naturalis complexus est; atque, si alicubi servatæ fuerint incorruptæ, primigeniæ traditioni potius quam investigationi rationis acceptæ referri debent.

4° Religionem igitur naturalem dicimus eo sensu, quòd, etiamsi fingeretur non adesse revelatio, tamen ex relationibus quas Deus inter et hominem natura instituit, quasque ratio naturalis satis percipit, necessariò flueret religionis officium; quod sit immutabile et essentialia omnis revelationis positivæ, quam Deus ei superstruere vellet, fundamentum (1).

(1) Aliqua controversia existit de religione naturali inter Catholicos, quos sic Theol. Tolosanus tentat, nec infelicè conatu, conciliare: « Pervulgata est apud theologos religionis divisio in naturalem et revelatam: hæc distinctio à pluribus magni nominis philosophis repudiatur, eò quòd opinentur hominem, suæ rationi permissum, id est, revelatione destitutum, nullam veritatem, nec ipsum quidem sermonem (*le langage*) invenire potuisse: unde inferunt solam existere posse revelationem religionem.

« Verum, quamvis admitteretur ista opinio, non ideo religionis naturalis nomen absolutè rejiciendum censemus, modo rectè exponatur quid per illud sit intelligendum. Itaque per religionem naturalem intelligimus *complexionem dogmatum et officiorum que, licet solâ revelatione innotescere possent, ipsa ratio agnoscit in rerum naturâ suadavi, liberaque à præjudiciis et cupiditatibus approbat*. Hoc sensu intellecta, religio naturalis admittenda est. Etenim negari nequit, inter varia dogmata et officia nonnulla esse quæ ratio ipsa percipit in naturâ et constitutione hominis originem habere, v. g., Deum colendum esse, parentes honore prosequendos, discrimen inesse inter bonum et malum, etc.; alia verò, quæ vel ex liberâ, et

5° Varii sunt incredulorum errores. Alii omnem penitus cultum Deo exhibendum pernegant: « Satis est, inquit, Deum non odisse; eum colit, ut par est, quisquis naturæ legem servat in cæteris. » Alii cultum exteriorem insectantur, quibus videtur Deum solis animi affectibus delectari, externas autem corporis actiones minimè curare. Volunt nonnulli cultum privatim, non verò palàm et aliorum in conspectu Deo exhibendum, inficianturque illum esse debere societatis in quâ versamur proprium. Plurimi tandem, *tolerantes* vel *indifferentes* dicti, affirmant minimè referre quo pacto quibusve ritibus cultum Deo exhibeamus; unicuique liberum esse quam voluerit formam sequatur, paganus sit apud paganos, Malumctanus apud Turcas, etc. Contra quos sit

ASSERTIO PRIMA. — *Existit religio naturalis, eo sensu quòd ratio dicat cultum tum internum tum externum Deo deberi.*

PROB. 1° generatim ex populorum consensu. Hoc enim argumentum invictè demonstrat veritatem existentie Dei; atqui non minùs valet ad probandam illius colendi necessitatem; nullus enim, si Epicureos exceperis, Deum confessus est, quem negaverit aliquo cultu prosequendum. Hinc nulla civitas, nulla societas, nulla hominum ad communem vitam instructorum turba, hactenus inventa est, quæ religioso cultu careret; ipsi etiam homines sylvatici, ab omni ferè humano commercio alieni, quos in asperis desertisque locis, in insulis ipsis fortuitò disjectos reperire fuit, noverant ad cælum tendere manus supplices, et Entis superioris opem ac beneficia efflagitare. Deum ergo colendum conelamat sensus hominum communis et ingenitus, vox ipsa

positivâ Dei voluntate oriuntur, vel pertinent ad ordinem superiorem, et rationis captum superant, ut mysteria. Porrò quid vetat quominus complexio dogmatum et officiorum prioris ordinis religio naturalis appelletur; complexio verò officiorum positivorum vel dogmatum quæ rationi sunt impervia, dicatur religio positivâ aut supernaturalis? Cæterum fatemur, quod res est, nunquam de facto existisse religionem mere naturalem. Hujus ope explanationis, amicè conciliantur theologi cum recentioribus philosophis: existit religio naturalis, ratione objecti, quatenus scilicet existit essentialiter Deum inter et hominem relatio immediatè fluens ex naturâ hominis; eadem religio naturalis revelata dici potest, ratione mediæ quo primitus homini innotuit. » (Ex Theolog. Tolos. de Relig. in Proœnio.)

naturæ, cujus non potest esse melior interpretis quàm consensio omnium qui sunt humanitatis participes.

PROB. 2°: Ille cultus admittendus est quem postulat nativa hominis conditio; atqui, etc.; animâ enim constamus et corpore; atqui ratione animæ Deo debemus cultum internum, ratione corporis cultum externum.

1° Quidem, etc. Deus quippe animam duplici facultate donavit, intellectu nimirum et voluntate; atqui utraque illa facultas pro virâ parte erga suum auctorem exerceri debet. Primò intellectus: nam ratio jubet mentem veris imbui sententiis circa ea potissimum objecta quibuscumque arctior nobis est necessitudo, et quàm maximam sibi comparare rerum excellentiorum scientiam; atqui supremo Numine nihil est præstantius, nihil cui per mutuas relationes conjunctiores sinus: ergo omni studio enitendum est ut dignas de Deo sententias concipiamus... Hinc Deum tenemur agnoscere Ens naturæ necessitate existens, omni perfectionum genere cumulatum, omniscium, omnipotens, generis humani Creatorem, Dominum et benefactorem, etc... Tenemur eximiam ejus naturam attentè meditatione contemplari, opinionem omnem vel impiam vel superstitiosam procul à mentibus arcere... Tenemur (idque officium maximi momenti est, et sedulò notandum), tenemur ejus Revelationi (si quando homines aliqui dignatus fuerit, et aliquam sui cultûs formam præscribere), aurem attentam et devotum obsequium præbere. Secundò ratio pariter jubet ut voluntas affectus, quorum capax est condita, ad objecta honestiora diligentius dirigat; atqui Deo, qualem ipsum modò descripsimus, nihil est dignius... Nihil cogitari potest eo perfectius, superius, potentius; hinc ipsi debetur admiratio, reverentia, timor, dependentiæ sensus, adoratio... Nihil ipso melius, nemo tam pater; hinc efflorescet animus memor et amor gratuitus... Est adhuc ad beneficiendum propensus, mala præsentia aut imminencia potest avertire; hinc fiducia in ipso reponenda, hinc precibus ad illum confugiendum, ita tamen ut illius providentiæ nos permittamus, sinamusque Deum decernere quid nobis reipsâ oportunum sit. Ergo, etc. Etverò adversarij plerique non diligentur hominem à naturâ conditum fuisse ad inveniendam societatem; ergo à fortiori fateri debent eum esse natum ad religionem; quæ quoddam est Deum inter et hominem societatis genus.

Nimirum vincula quæ hominem societati mancipant, sunt vitæ necessitates et commoda, timor, gratitudo, benevolentia, amicitia; atqui sine Deo, creatore et conservatore perpetuo, quid possumus? Quis alius ab ipso potest majores utilitates afferre? Quis ampliora contulit beneficia? Quis iratus potest graviora mala infligere? Nonne tandem in ipso reconditur fons totius amabilitatis? Ergo, etc.

2º Ratione corporis Deo rependi debet cultus externus; ille enim, etc., qui est cultus interni pars et appendix fermè necessaria; atqui, etc. Tum quia primò licet Divinitas sit nostris sensibus inaccessa, attamen, et hæc ipsa de causâ, indiget naturæ nostræ infirma conditio præsentia ejus admoneri signis sensibilibus: homines enim sumus, non puro spiritu, sed etiam corpore constantes; quorum proinde cogitationes et affectus intimi ministerio sensuum incitari et foveri debeant. Hinc invaluit imaginum, symbolorum, allegoriarum, aliorumque hujusmodi usus; hinc necesse fuit aras, templa, sacerdotes, cæremonias instituere, quibus mentes ad divinarum rerum meditationem assurgerent. Secundò tum quia ita sumus à naturâ comparati, ut affectus quibus vividè commovemur, intra mentem continere se nequeant, sed foris erumpere gestiant organo vocis, corporis motibus et gestuum significantiâ. Unde sequitur fieri vix posse ut Deum toto corde diligamus, quin sensus illos similibus signis exterius manifestemus. Tertio tum quia quisquis ardet charitate Dei, totus est ut cæteros exemplis et sermonibus ad ejus amorem alliciat, atque ad pietatem erudiat. Tandem æquum videtur ut corpus quod Deus animæ conjunxit intimo nexu, varisq; ejus habilitates quæ totidem sunt Dei beneficia, in partem religionis pro modulo suo veniant; venire autem non possunt nisi anima, cujus est dominium in corpus, externos gestus cliciat quibus suam in Deum pietatem significet. Ergo, etc.

Hinc conficitur cultum illum non secretis in penetralibus, sed palmè et patenter esse rependum; homines enim nostri consimiles religione informandi sunt; testes fuere tum beneficiorum quæ Deus in nos contulit, tum offensarum quas in ipsum admisimus: ergo debent esse nostræ gratitudinis et satisfactionis conscii; et religio mera interna, non aliam quàm cæcorum ac surdorum gentem, aut merè solitaria, non nisi segregatos homines deceret.

Obj. contra primam partem: 1º Deus est incomprehensibilis cogitatu, neque limitatus mentibus licet aliquam sibi ejus ideam effingere, quæ vera naturæque consentanea sit, quæ proinde cultus illius aut officii fundamentum esse queat; hoc unum ratio dicitat, quandoquidem Deus nobis nihil debet, et nos ipsi nihil debere. 2º Ut defenderetur cultus necessitas, opus fuit Deum fingere iracundum simul et placabilem, dominandi cupidum, oblationibus inhiantem, etc.; uno verbo miseris mortalibus simillimum, isdemque cupiditatibus obnoxium: atqui ab hæc, ut ita loquar, *theanthropiâ* quantum abhorret sana ratio! 3º Cultus hominis, quicumque sit, erit necessariò finitus et imperfectus; atqui cultus hujusmodi Deo indignus est. 4º Religio quoddam esset Deum inter et hominem commercium; atqui repugnat inter entia quæ infinito separantur intervallo. 5º Rideretur princeps, qui de singulis imperii animalculis sollicitè inquireret, cultum et honorem sibi rependi vellet, ipsis, nisi parentem, succensens et graves minas intentans; at longè magis homines supereminet Deus, quàm formicas princeps. Ergo, etc.

Resp. 1º generalim: Adversus nativæ expansionis imperium, rationis dictamen, totius humanitatis vocem, quam levia, quam imbecilla sunt hæc sophismata! Sileant cupiditates; nemo tam absurdus erit qui similibus nugis decipi se patiat. — Resp. 2º: Ad primum, licet nobis affulgere non possit completa Dei notio, datur tamen mentibus, spontè non obcæcatis, eum concipere ut primam omnium causam, vitæ nostræ auctorem, sortis arbitrum, supremum legislatorem; atqui hinc ratio dicitat ei multum à nobis deberi, quia multum præstitit; et quamvis nihil præstitisset, nihilominus deberi. Ad secundum, Dei notions, sanas licet et ex Entis necessariò existentis ideâ evidenter deductas, alio tamen quàm humano sermone exprimere non valemus; quippe hominum more cogitamus et loquimur; neque verba suppetunt rebus ordinis merè spiritualis, multò minùs ordinis infiniti adæquata: sed accommodata tantum per quamdam similitudinem, quantam videlicet patitur spiritus infiniti à nobis disparitas; sicque fit ut, licet nostram de humanis loquendi rationem ad divina transferamus, omnis error exulet. Ad tertium, hinc commendatur, et (si vera sit objectio) demonstratur religio christiana, quæ sola suppetit unde possit exhiberi Deo cultus ipso

dignus, per Christum, Deum simul et hominem..... Deinde sequeretur mundum à Deo creari non potuisse, quippe qui sit quoque finitus et imperfectus. Dicendum ergo à Deo diligi, et quidem amore infinito (cùm nullus actus in Deo sit finitus), quidquid ordini et legi æternæ consonum est; atqui cultum ab homine Deo persolvi ordini consentaneum est. Ergo, etc. Ad quartum, commercium non perfectam æqualitatem instituit, sed tantùm mutuas relationes, quales inter ens finitum et infinitum, inter creaturam et creatorem, existere minimè repugnat. Numquid enim non potest Deus aliquas sui perfectiones homini manifestare, et vicissim homo eas percipere ac venerari? Quod additur de infinità distantia potius favet: quò enim Deus homini superior est, eò magis amandus, admirandus, etc. Ad quintum, nulla paritas. Rex formicas non creavit, ad imaginem suam non effinxit, eis non dedit rationem et conscientiam quarum ope suæ auctoritatis agnoscendæ, eique præstandi obsequii, sint capaces; at homo, etsi entium sensibilium minimum fingeretur, aliis tamen suâ mente præstaret: dignus proinde speciali providentiâ, non physicâ illâ quâ administrantur corpora, sed morali, quæ morali ejus naturæ congruat.

Instabis: Si Deus exigeret cultum, vel propter utilitatem, vel propter gloriam; atqui neutrum: non prius; quid enim ad utilitatem Dei conferre possunt homines? non posterius; aut enim Deus ambiret gloriam essentialem, aut accidentalem; atqui non essentialem, quæ in summâ ejus perfectione consistit, nec augeri vel minui potest; non accidentalem, quæ ex divinarum perfectionum manifestatione oritur, siquidem de eâ minimè curat Deus; ergo hominum pietatem et obsequium nihil facit. Resp. 1^o: Argumentum illud omnem providentiam subvertit, siquidem de verbo ad verbum sic disputare licebit: Si Deus curaret res humanas, vel propter utilitatem, vel propter gloriam; atqui, etc. 2^o Fatemur ex nostro cultu nullam in Deo redundare posse beatitudinem, idèque utilitatis appetitum ei non esse cultus imperandi motivum. Quod autem spectat ad gloriam, dist.: Cultum non imperat propter gloriam tanquàm propter finem quem ex cultu obtinere cupiat. conc.: propter gloriam, tanquàm causam et rationem evigendi illius cultus, nego. Itaque vox *propter* est ambigua; vel enim indicat finem obtinendum, ut in istâ propositione: *Propter santitatem accipitur medi-*

cina; quo sensu implium foret asserere Deum propter gloriam essentialem velle ab hominibus coli; quasi is foret finis operantis, quo sublato imminueretur ejus felicitas et perfectio. At eadem vox etiam significat rationem à priori, seu causam ex quâ aliquid sequitur, v. g.: *Dies est propter ortum solis*; atqui hic est sensus quo dici potest Deus sui cultum imperare propter gloriam; summa quippe Dei sanctitas et rectitudo quæ ad gloriam ejus essentialem pertinet, non sinunt violari æternum rerum ordinem: atqui negligi Dei cultum intrinsicè malum est; ergo gloria essentialis ad ipsum præcipiendum Deum movet.

Quod additur, Deum de gloriâ accidentali sollicitum non esse, ex allatâ modò ratione falsum est: cùm enim ordo postulet ab hominibus promoveri gloriam Dei accidentalem, Deus id curat, non ut illius gloriæ indigus, sed ut vindex ordinis.

Obj. 2^o cum philosopho Genevensi: In partem cultus divini preces venire non debent. Quod enim à Deo flagitaremus ad ordinem physicum vel moralem pertineret: atqui neutrius generis hona precari debemus. Non priora, cùm sine miraculo concedi nequeant, et temerarium sit ac Providentiæ ordini adversum, optare ut in nostri gratiam fiat miraculum. Non posteriora: vel enim postularem vires benè agendo pares, vel voluntatem is viribus benè utendi; sed alterum inutile est, cùm nobis præstò sint conscientia, lex et libertas; alterum Deo injuriosum, hoc enim ipsum est quod à nobis Deus exigit, nedùm prestare debeat. Ergo, etc. — Resp. 1^o: Ea objectio refellitur omnium populorum consensu, cùm nulla unquàm gens fuerit, quæ Deum precibus moveri non crediderit; repugnat sensui innato, quo quisque inclinatur ad supremum eventuum moderatorem deprecandum; quo fit ut, in ærumnis ac periculis, omnes id habeant in ore: *Deus meus! bone Deus!* De quo Tertullianus exclamat: *O testimonium animæ naturaliter christianæ!* 2^o Nego utranque partem. Primò, temerariæ non sunt preces quibus temporale aliquod beneficium postulamus: nam, præter miraculum, Deo media suppetunt quibus rem optatam nobis largiri queat; v. g., ut coalescat ægrotus qui sanitati à Deo simplex exorat, necesse non est mutari naturæ leges, medicamen omne negligi, et vires longâ inediâ deperditas statim restitui; satis est Deum, omnis bonæ cogitationis auctorem, medici mentem novis ideis illustrare, eique

suggestere remedium quo morbus naturaliter depelli possit. Quo exemplo patet pluribus in circumstantiis preces humanas, absque legum mechanicarum interruptione, optatum effectum consequi posse. Deinde, licet Deus mundum administret legibus generalibus, non idcirco regit entia particularia, præsertim moralia, per voluntates generales; sed, quod speciali voluntate decernit, hoc legibus generalibus exequitur. Hinc, v. g., speciatim velle potest hanc regionem pluviis irrigare, idque juxta leges generales efficere. Ratio ulterior ea est, quòd summè intelligens rerum omnium provisor ordinem moralem ac physicum, ita secum invicem composuerit, ut exceptiones nostris necessitatibus ac votis, ejusque bonitati consentaneas complecteretur; atque, citra miraculum, plerùmque posset exaudire pias hominum supplicationes quas ab initio prævidit, ac voluit esse quorundam eventuum causas morales. Et verò ex finitâ hominum prudentiâ infinitam Dei providentiam augurari licet; atqui videmus hominem ipsum voluntates singulares ex legibus generalibus exequi; videmus sua consilia aptare, non modò ad eventus certò futuros, sed etiam ad merè possibili- ac contrarios: opifex, v. g., horologium ita componit, ut, permanente rotularum omnium inter se connexarum motu, possit illud accelerare vel retardare. Ergo à fortiori, etc. Denique non peccaret in Providentiâ qui, debità cum submissione, miraculum humiliter postularet, quo divina gloria magis promoveretur: Deum hujusmodi precibus aurem benignam non semel accommodasse exempla quamplurima demonstrant.

2° Bona ordinis moralis postulare etiam licet et expedit. Homo quippe, suæ infirmitatis fragilitatisque conscius, ad Deum auctorem omnis boni recurrit, ut peccandi pericula arceat, tenebras intellectus discutiat, voluntatis propensiones emendet; idque magis elucescit, positâ revelatione christianâ, quæ gratiæ necessitatem præcipuis dogmatibus accenset. Atque (ut nos in ordine naturâ contineamus) sæpè videre est hominem, licet alicui oneri ferendo omninò non imparem, alterius opem implorare, et nihilominus impigros ad onus sollevandum exercere conatus; quidni similem hinc diceremus eum qui preces ad Deum dirigit?

Obj. contra secundam part. : 1° Deus spiritus est; ergo cultum merè spiritalem postulat. 2° Per cultum internum homo se suaque etiam corporea Deo subjicit ac devovet; ergo nihil

amplius requiritur. 3° Corpus est meritò vel demeritò incapax; ergo nihil prodest ejus obsequium. 4° Quid est cultus externus nisi cultus interni manifestatio? Sed hæc inutilis est: *Dominus autem intuetur cor.* 5° Cultus exterior immensitatem divinam templi limitibus circumscribit; atqui hoc Deo injuriosum est. 6° Cultus divini præceptum implet quisquis Deum diligit; sed amor est quid internum. Ergo, etc. — Resp. ad primum: Equidem Deus spiritus est; at homo constat spiritu et corpore, atque, ratione corporis Deus cultum externum exigit. Ad secundum: Nego suppositum antecedentis, nempe fieri posse ut homo per amorem et ad rationem se totum Deo offerat ac devoveat, quin ullum ad extra signum prodeat: quod quidem falsum esse jam probavimus. Ad tertium: Corpus unitur substantiæ intelligenti ac liberæ à quâ pendet, adeoque fit instrumentum, cujus ope tota persona meritum sibi comparat, et nemo sanus negaverit corporis actiones ab animâ imperatas esse meritorias. Ad quartum: Non adhibetur cultus exterior, quasi Deus cultum internum alioqui non discerneret, sed ut aliis hominibus pateat, ut nobis ipsis altius inculcetur, ut etiam corpore Deus adoretur. Ad quintum: Templum erigendo, mens non est Dei majestatem parietibus includere, sed ei locum speciale ad usus profanis secretum dicare, quasi palatium in quo vota subditorum benigniùs excipiat. Ad sextum, jam diximus cultum exteriorem ab interno fluere, si verus sit.

ASSERTIO II. — *Cultus exterior solemnissimus esse debet ac publicus, id est, nomine societatis exhibitus.*

Prob.: Id admittendum quod postulat religionis dignitas, societatis gratitudo et utilitas, confirmatque populorum consensus: atqui, etc.; 1°, etc. Naturâ enim homines impelluntur ad officiorum reciprocactionem, et sociale commercium ineundum in iis quæ ad vitam temporalem pertinent; ergo à fortiori decet ut idem agant in religionis negotio seque mutuis exemplis adjuvent; præsertim cum humanis divinis præsent, et in re tanti momenti deficiere, ac necessariis auxiliis carere, longè exitiosius foret. 2°, etc. Cum Deus sit communis hominum parens, eosque in societatem, velut in familiam cujus dux esset, coadunaverit, multa quæ extra societatem locum non haberent, beneficia largitur: cujusmodi est, erga confederationem ipsam, v. g., victoriæ

reportatio, belli cessatio, principis incolunitas; erga privatos, bonorum ac vitæ securitas, officiorum communio, etc.; uno verbo societas politica personam quandam moralem efficit propriis suis erga Deum adstricta officis. Ergo, si privatus quisque cultum internum et externum Deo persolvere debeat, eodem officio tenetur societas. 3° Religio firmissimum est societatis fundamentum; atqui brevi omnes religionis sensus in subditorum animis depraventur, si unicuique liberum esset, vel quas vellet de religione opiniones tenere, vel religionem suam quibus vellet ritibus significare; hinc porro quanta confusio, quæ discordia nasceretur! (Unde per transennam advertimus, dubium non esse quin magistratus omni ope curare ac providere debeat, ne quid detrimenti capiat religio.) Contra verò nullum est vinculum quo arctius religioni adhæreant, et inter se coadjuventur homines, quàm cultûs divini communiōne; ergo societatis interest vigere cultum communem, uniformem, quod nunquàm continget, nisi aliquis sit totius societatis proprius. 4° Accedit populorum universalis consensus, et modò dicta luculentè confirmat. Quippe nulla unquàm societas omni cultûs apparatus, publicis cæremoniis, sacerdotum ministris, templis et altaribus caruit. Celebratis ab antiquissimâ ætate sacrificiis subsequētibûsque conviviis, quorum simul participes erant herus et servus, significabatur omnia naturæ dona Deo accepta referenda esse, hospitibus et indigentibus communicanda; ablutiones et expiationes hominem agendæ pœnitentiæ, et servandæ sedulò innocentie, admonent; eadem documenta, simul cum Dei laudibus et virtutis encomiis, canticis personabant. Hinc lætitiæ et humanitatis sensus; hinc in promissis et fœderibus invocatio Divinitatis et sacra juramenti fides; hinc inviolabile jus hospitalitatis, ejusdem sacrificii participatione nixum, eoque pretiosius quod priscis temporibus nullum pateret viatoribus asylum; hinc continuo labore fessis certis feriarum et quietis dies. Deinde, cùm inter se conventus et festa celebrarent, Deo debita præstituri, fiebat ut communi vitæ et convictui magis ac magis assuescerent; fraternitatis memoriam, vagis cursibus, iugurionum distantia, possessionum distinctione ferè deletam, exuscitarent; ut unius solertioris inventa ad aliorum utilitatem diffunderentur; ut astrorum speculatores docerent quis esset in agrorum cultu tempestatum ordo servandus, etc. Etiamnum agricola

nostri, solis diebus festivis, aut publicis conventibus et nundinis (quæ aliquid religionis ferè semper admixtum habent, aut ab eâ saltem fluxère), operum suorum et vitæ ordinem distinguunt. Ergo verum est semper extitisse cultum societatis proprium, et societatem hominum inter se, ipsorum societate cum Deo, evadere firmiorem.

De cætero (cùm hominem spectamus solâ religione naturali instructum), ritus omnis, modò vanus ac turpis non sit, sed ad amoris et reverentiæ significationem accommodatus, Deo acceptus erit. Habebit tamen eò plures utilitatis ac perfectionis gradus, quò erit 1° clarior expressio veræ fidei de summo Numine tenendæ, eique incorruptè servandæ aptior; 2° documentum homini suorum officiorum sensum altius imprimens; 3° vinculum arctiorem religionis cum tranquillitate publicâ necessitudinem instituens. Quis autem dubitet hæc impleri per genuflexiones, prostrationes, manuum protensiones in cælum, aliaque supra memorata, ac generatim per eadem signa quibus homo homini reverentiam, dependentiam, gratitudinem, aliasque animi affectiones testificatur?

Obj. : Quilibet privatim Deo grates rependere potest, etiam pro beneficiis in se, ut est societatis membrum, collatis. Ergo, etc. — Resp. 1°: Aliàs protulimus rationes. 2° Eæ gratiarum actiones non satisfacerent; nulla enim societas est quæ, si ab aliquo beneficium acceperit, ei sive per legatos, sive per primores gratias non referat. Num privatim hominem Deo honorificentius habendum esse ratio dicitaret?

ASSERTIO III. — *Indifferentia religionum cum vero Dei cultu consistere non potest.*

Nota. Indifferentes in religionis negotio dici possunt, sive quibus videtur res levioris momenti, quàm ut de ipsâ curandum sit, et ii quodam vicio cordis et torpore peccant; sive qui nullam prorsus religionem amplectendam pronuntiant, eò quòd omnes æqualiter falsæ sint (illorum errorem jam confutavimus, et magis magisque refellemus); sive qui censent omnem, quæcumque sit, admitti posse, quia, salvâ semel rei essentiâ, nempe Dei adoratione et cultu, rituum varietas est quid adventitium et indifferens; unde concludunt religionis formam, in regione quam incolis receptam, ad summum vim gentilitiæ legis obtinere, ad eò-

que pro locorum varietate fieri mutabilem. Hæc est indifferentia de qua nunc agitur, quæ alio nomine dicitur *tolerantismus*, theologicus, scilicet, et ex parte Dei spectatus, multum dispar à tolerantismo civili seu politico, qui nihil aliud est quam potestas à principe civili facta quarumlibet religionum sectatoribus eas adimere et liberè excolendi ac docendi. Adverte etiam possumus hunc deistarum tolerantismum non esse nisi illius quem Protestantes profitentur amplificationem. Hi enim salutem omnibus qui in articulis fundamentalibus non errant, impertiuntur, quæcumque sit aliunde eorum fides; deistæ verò cunctis religionem naturalem amplectentibus, quidquid sit de aditamentis ipsi per institutiones positivas superstructis. Et eò accuratior est paritas quòd sicuti consentire nequeunt Protestantes in quo præcisè consistat id quod vocant fidei fundamentum, ita nec deistæ definire quid sit ea religio quam naturalem vocant. His præmissis,

Prob.: Vel admittitur alicujus revelationis existentia, vel non; atqui, quæcumque instituitur hypothesis, Deo promiscuè placere non possunt omnes religiones.

1° Si concedatur Deum, revelatione hominibus factâ, modum sui cultus eis præscripsisse, repugnat indifferentes dici varias cultus divini formas; tunc enim licentia daretur vel omnem respuendi revelationem, vel inter varias religiones quæ sese revelatas assererent amplectendi quam liberet; atqui neutrum. Non prius: qui enim Dei revelantis vocem auscultare renuerent, nollentque ad præceptorum ejus normam sensus moresque componere forent in illum rebelles et injuriosi, quod sanè non est indifferentens, nec æquis oculis à Deo videri potest. Non posterius; nam Deus errore non delectatur, imò falsitati essentialiter repugnat; atqui inter varias revelationes quæ à se invicem multis in capitibus dissentiunt, liquet alias minus, alias plus, alias secus agere quam à Deo jussum est, ideoque multiplicem esse falsam. Ergo, etc. in sequenti vanitate impuritate, inhumanitate rituum quibus cœdari possunt prætensæ religiones revelatæ, constat omnes in Deum honorificas censerij non posse. Uno verbo, positâ religionum indifferentiâ,posito quòd omnis religio debeat esse localis, et lex meræ politiæ, apud Christianos credendum erit Jesum Christum esse Filium Dei, apud Judæos esse impostorem, apud Turcas esse tantum Mahometis præcur-

sorem, quod insulsum est, neque enim mutatâ regione mutatur veritas. Aut, si soli cultus externi defendatur indifferentia, saltem statuendum est, eadem remanente interiori opinione, Christum Romæ adorari debere, Constantinopoli abjurari, in Synagogâ conviciis proscindi. Quis porrò talem hypocritism non horreat, credatque Deo displicere non posse? Ergo 1°, admissâ revelationis existentia, etc.

2° Si fingatur non existere revelationem (et reipsâ figmentum est) nefas, etc. Hæc enim indifferentia et libertas, quam propugnari adversarii, circa cultum internum, vel externum versaretur; atqui neutrum licet. Non prius: ex dictis enim interior Dei cultus continetur, tum veris notionibus quas de ipso ejusque attributis concipere debemus, tum pietatis officii quæ ex illis notionibus fluunt; et ratio nobis potissimum concessa est, ut in tantum momenti negotio verum à falso secernamus; atqui, si quævis indiscriminatim de Deo tenerentur opiniones, si diversa pro illis opinionibus officia persolverentur, multa forent à veritate et recto rationis exercitio aliena. quæ entî æquo et provido non possunt ex æquo probari. Ergo, etc. Et verò quisquis unam hodiè, cras alteram religionem profiteretur, eam pro loco et tempore mutare paratus, aut unius præ alterâ veritatem persuasam habet, vel non; si posterius, nihil credit: si prius, conscientiæ dictamen violat, religionem sectando quam falsam esse persentit. Jam verò utrumque impium est. — Adde hinc latum iter ad irreligionem pandi: quippe, si liceat unicuique quod voluerit de Deo et religione sentire, hic Deum corporeum, hic multiplicem aut vitiosum aut inertem finget; nec poterunt assignari limites quos intra consistere debeat opinandi libido; tandemque non deerunt qui, cæteris paulò audaciores, Deum ipsum penitus tollant, atqui nemo non sentit quantum inde detrimenti patiantur tum religio tum societas. Ergo, etc. — Non posterius: nam cultus externus, ex dictis, est interni significatio, et testificatio sensuum quibus erga Deum afficiuntur: atqui hinc sequitur, etc. Tunc enim opinionibus et affectibus intimis dissentiret publica religionis professio; admittereturque mendacium, eò gravius quòd cum supremi Numinis ac religionis contumeliâ conjunctum foret; præberetur etiam cæteris pravum exemplum, quo in periculosissimum errorem pertraherentur. Et verò plures olim apud varios populos viguerunt, hodièque vigent rites, impii, obsceni,

inhumani; atqui certè nefas erat hujusmodi religionum fieri participes. Ergo, etc. Hinc redarguitur illud oraculi Delphici responsum, *aeos ex instituto civitatum colendos esse*; quod tamen probavit exemplo confirmavit Socrates, dum morti proximus gallum quem voverat Æsculapio sacrari curavit, quod post Socratem amplexi sunt veteres plerique philosophi, minus tamen indifferentiæ religionum persuasionem ducti, quàm humano respectu, ne, cultum publicum improbando, in odium plebis et magistratum offensionem incurrerent, de quibus ait meritò S. Paulus ad Rom. 1, 20: *Ita ut sint inexcusabiles, quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt* (1).

Obj. 1^o: Si Deus religionum varietate non delectaretur, cur tot in orbe pateretur diversa rituum instituta? Cur omnes in uno eodemque cultu non conjunxit? 2^o A patriis institutis recedere nemini licitum est: atqui religio quævis spectari potest velut institutum quoddam nationale, quod in circumstantiis physicis aut moralibus genti propriis fundamentum habet, 3^o Imperatoris parvi refert quâ moneta subditi tributum sibi persolvant. Ergo à fortiori id parùm curat Deus.

Resp. ad primum: 1^o Nostrum non est Deum ad rationis nostræ tribunal in jus vocare; de his et similibus satius est cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* 2^o Nimis probaret, sequeretur enim libidinem et impietatem Deo non displicere, cum patiatnr eas in orbem grassari. 3^o Itaque dicendum est Deum tot cultuum discrepantias tolerare, non approbare; hominibus auxilia sufficientia obtulisse, quibus ad religionem unicam quam instituerat, devenirent; at simul permisisse ut in cæ officiorum parte, sicut in cæteris, libertate suâ abuterentur.

Ad secundum: Si (ut Philosophastri volunt) religio sit institutum quoddam politicum, religionibus ac populis accommodatum, ergo ipsi violati ordinis rei sunt, dum religionem catholicam scriptis verbisque publicè adoriantur.

(1) Fatendum tamen, extra hypothesim revelationis quæ formam cultus exhibendi determinavit, jus illud ab unâquâque societate evenendum fuisse; ritus civili politia præscriptos, modò fuissent innoxii et pietatem sprantes, crues observare debuissent, varios proinde pro variis locis; et valuisset adagium:

Cum Romæ factis, romano vivito more.

2^o Nemini licet eam religionis formam tenere, quam cum superstitione aut gravissimo errore sciat esse conjunctam; et, quanquàm publicum religionis patriæ cultum perturbare non debeat, ab illis ritibus quos divinæ perfectioni repugnare sentit, abstinere eum oportet, futurum alioquin mendacii et hypocrisis reum.

Ad tertium: Imperator meritò curat an genuina vel falsa sit moneta quâ tributum sibi solvitur; porro respectu Dei cultus omnis rationi, vel positivæ ejus voluntati, dissentiens, est moneta adulterata. Ergo, etc. (Ex Theol. Rotomagensi, de verâ Religione, pat. 1, p. 19 et seqq.)

§ 5.—DE POSSIBILITATE, ET NECESSITATE REVELATIONIS.

SECTIO PRIMA.

Necessitas revelationis.

Revelationis nomine hic intelligimus manifestationem supra naturam à Deo factam hominibus quarumdam veritatum. Ad duo genera autem reduci possunt hæ veritates, ita ut aliæ sint naturales, aliæ supra naturam. Primæ sunt illæ, quæ intellectus innatis viribus detegi possunt, absolute loquendo. Hæ quoque sunt duorum generum: aliæ dicuntur theoreticæ, ut existentia, providentia, aliæque Dei attributa tam ontologica, quàm moralia, præterea spiritualitas, immortalitas, libertasque animæ humanæ; aliæ practicæ, et sunt eæ quæ spectant ad regulam morum, dicunturque etiam præcepta naturæ. Veritates autem supra naturam sunt illæ quæ nullo modo ab humano intellectu viribus suis innatis possunt detegi; ejusmodique sunt divinæ proprietates illæ, quæ nullam conjunctionem cum rebus creatis habent, ut est Trinitas divinarum personarum in unitate essentiæ; omniaque illa quæ pendent à Dei prævidentiâ, aut ab ejus liberâ voluntate.

Itaque primo loco dico necessariam fuisse humano generi naturalium veritatum ad religionem spectantium revelationem. Paradoxum putant hoc naturalistæ in eo toti occupati ut laudibus extollant vim, ratiocinium, acumenque humanæ rationis. Ac propterea (quod videra possumus præcipuè in prolivâ præfatione præmissâ tractatui de Ratione humana, referunt et inventa antiquorum philosophorum de religione naturali, et auctoritates scriptorum ethnicorum, hebræorum et christianorum, qui laudant mentem humanam, ut hæc colit,

gant esse ipsam *evidentem et tutam; puram et justam, et etiam divinam, eamque directè perficere naturam nostram, nosque ad beatam immortalitatem ducere* (1). Quas notiones cum quisque mortalis habeat, iis videtur, divinæ revelationis necessitas, saltem quoad naturales veritates, esse signum et delirium. At quantum hi fallantur, jam his extremis temporibus plures clari scriptores planum fecerunt. Nosque ostensuri sumus, duce D. Thomâ, qui jam more suo statim prospexit ea vera principia, quæ directè propositionem nostram probant, et ad quæ reducuntur quæcumque scripta sunt post illum. Ita ergo ait: « Ad ea etiam, quæ de Deo ratione humanâ investigari possunt, necessarium fuit, hominem instrui revelatione divinâ, quia veritas de Deo per rationem investigata à paucis, et post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum homini proveniret, à cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est » (1 p. qu. 1, art. 1). Alii (2) idem S. doctor explicat fusiùs tres su-

(1) Préface au traité de la *Raison humaine*. « Les plus accrédités et les plus vénérables pères ni les païens, les Juifs et les Chrétiens demeurent unanimement d'accord que la droite raison est la première loi fondamentale, à laquelle nous sommes naturellement et indispensablement tenus d'obéir; qu'elle est évidente et assurée, qu'elle est pure et juste, qu'elle est même divine, et qu'elle tend directement à perfectionner notre nature, et à nous conduire à une immortalité bienheureuse. »

(2) 1 cont. Gent. c. 4: « Paucis hominibus Dei cognitio messet. A fructu enim studiosæ inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem propter complexionis indispositionem, ex quâ multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum; unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanæ cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam verò impediuntur necessitate rei familiaris; oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativæ inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingerent. Quidam autem impediuntur pigritiâ: ad cognitionem enim eorum, quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet, cum ferè totius philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur.... Sic ergo nonnisi cum magno labore studii ad prædictæ veritatis inquisitionem perveniri potest; quæ quidem laborem pauci subire volunt.... Secundum inconveniens est, quòd illi, qui ad prædictæ veritatis cognitionem, vel inventionem perveniunt, vix post longum tempus pertinge-

prædictos fontes, ex quibus deducit necessitatem hujus revelationis naturalium veritatum, aiens, 1^o fore ut illæ detegerentur à paucis, quandoquidem multi ex hominibus inepti sunt ad has contemplationes, et inquisitiones propter complexionis indispositionem, tarditatemque ingenii; multi in eas non incumbunt, quia impediuntur necessitate rei familiaris aut publicæ; multi demùm impediuntur pigritiâ et non solite, infensâ studio et labori, qui requiretur ut veritates tot theoricæ et practicæ comperirentur. In primâ harum trium classium ponendæ essent mulieres, innumerique viri æquè ac illæ debiles tardique. In secundâ omnes aulici, milites, mercatores, patres familiarum, alique, qui ut se aut alios alant, toto die occupantur. In tertiâ tot molles effeminatique, qui ingenium quidem et potestatem et commodam habent, at idcirco scilicet sibi videntur debere otium fovere et ferriari. Pauci ergo ex hominibus sunt, qui hæc tam gravia sedulò inquirere niterentur. 2^o Hi tam pauci, pergit sanctus doctor dicere, *vix post longum tempus pertingerent ad cognitionem et inventionem veritatum naturalium ad religionem spectantium. Idque primò, quòd nonnisi per diuturnas naturæ contemplationes, per assiduas*

rent, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam ratiocinis nonnisi post longum exercitium, intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quæ præcoguntur, ut dictum est; tum propter hoc, quòd tempore juvenutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem.... Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantia tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret. Tertium inconveniens est, quòd investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admisceatur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permutationem. Et idcirco apud multos in dubitatione remanent ea quæ sunt verissimè etiam denonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et præcipuè cum videant à diversis, qui facti dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam via, quæ demonstrantur, immisceatur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliquò probabili, vel sophistico ratione assentur.... Et idcirco oportuit per viam fidei, fixâ certitudine ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Satisfacit ergo divina providentia elementia, ut etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præcipiatur, ut sic omnes de facti possent divinæ cognitionis participes esse. »

meditationes suorum ipsorum, per longam ratiocinationum seriem pervenire possent ad rectas tutasque Dei naturæ, ejusque attributorum, essentialis, visque animæ humanæ, fundamentorum juris discriminis turpitudinis ab honestate, honorum, improborumque sortis, aliarumque veritatum his similium cum necessariarum quæ sciuntur, tum ab homine qui superiori lumine non illustretur, difficilium, quæ comperiantur, notiones componendas. Deinde quia, inquit S. doctor, *tempore juvenutis anima humana diversis passionum motibus fluctuat, ideòque ut plurimum videmus, si tunc ætatis apti sunt ad studia litterarum amœniorum, scientiarumque naturalium, ægrè in severis inquisitionibus divinæ moralisque philosophiæ, quæ exigit et constantiam et firmitatem cogitationum, quæ consueverunt gigni ætate virili et propectâ, homines proficere. Remaneret igitur (ita ait S. doctor) humanum genus, si sola ratiōis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantia tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maximè perfectos et bonos facit, non nisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.* 5^o Denique hi rari homines post tam diuturnas laboriosasque inquisitiones nunquam perfectum religionis naturalis systema, quin pluribus gravibusque erroribus scateret, possent consecrere: idque primum propter debilitatem intellectus humani, qui non omnes relationes quæ sunt inter notiones videt, nec videre potest; qui suis judiciis ratiocinusque, præcipuè prolixis et compositis, aut ex defectu methodi, aut ex defectu ingenii acuminis, aut vi præjudiciorum, errat decipiturque, et inter veras demonstratasque propositiones facillimè aliquem latentem paralogismum non advertit, quo ratiocinium fit falsum, illationesque inde deductæ distortæ sunt, non rectæ; secundò autem varietas, et contrarietas opinionum, quas de his rebus sapientes habent, efficit ut sæpè rejiciamus eorum auctoritate moti nostra lumina, ut fallacia, amplectamurque alienos errores, aut semper accipites hæreamus et incerti. Quam ad errorem propensionem, et impedimenta ad detegendam veritatem amplificavit etiam ubertim, descripsitque eleganter Cicerō verbis his (Tuscul. lib. 5, c. 1): « Nunc parvulus natura nobis dedit igniculos, quos celeriter malis motibus, opinionibusque depravatis restringimus, ut nusquam naturæ lumen appareat.... Simul atque editi in lucem, atque suscepti sumus, in omni continuo pravitate

et in summâ omnium opinionum perversitate versamur, ut penè cum lacte nutriti errorem suavis videamur. Cum verò parentibus redditi, deinde verò magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmata natura ipsa cedat.... Cum verò accedit eodem quasi maximus quida magister, potulus, atque omnis undique ad vitia consentiens, multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate, à naturæ ipsâ desciscimus. Evidens igitur est ex omnibus causis, quas D. Thomas affert probatque, hoc est, paucos ex hominibus, et vix post longum tempus, et non sine permittione errorum perventuros ad detegendas veritates naturales ad religionem spectantes, nisi duce alium, quàm rationem haberent. Et ideò oportuit (concludit S. doctor) per viam fidei, fixâ certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præcipret, ut sic omnes de facili, et quin dubitent, et errent, possent divinæ cognitionis participes esse. Scriptores tunc, ut innumi supra, his postremis temporibus contra defensores religionis naturalis necessitatem revelationis etiam quoad veritates naturales ostendere sunt conati. Quosdam horum reperies in collectione Burneti (*Défense de la religion tant naturelle que révélée*); alios in compendium, rededit Stackousius (*le Sens littéral de l'Écriture-Sainte*, t. 2, chap. 23). Hos omnes et vi cogitandi, et methodi brevitate antecedit Samuel Clarkius (*de l'Existence, et des Attributs de Dieu*, t. 2, chap. 9 et seq.). Tamen quidquid grave in hæc materia dici potest, ad illam D. Thomæ demonstrationem reducitur, ejus clarior etiam evidentiorque vis apparebit, cum naturalistarum objectiones refellemus.

Non constare à nobis ostensa revelationis necessitas quoad veritates naturales cum iis quæ supra exposuimus, posset primum cupiam videri. Vidimus eò loci, etiam nationes barbaras capita præcipua religionis naturalis cognovisse; nosque ipsos eà invictè solâ rationis vi ostendisse nobis persuademus. Præterea quotus est quisque qui nesciat, quam præstantes sublimisque doctrinas habuerint, et in propatelo posuerint de hoc argumento veteres philosophi? Cicerō, et Epictetus (ait recens naturalista, nempe auctor Præfationis præmissæ au *traité de la Raison humaine* jam supra memoratus) clarissimè principia prima, quibus religio tota.

maistit, nobis obijciunt. Socratem Platonemque suspiciunt secula cuncta ob ea quæ de divinitate, de animâ, de alterâ vitâ rectissimè senserunt. Ethica Tullii, imperatoris Antonini, Plutarchi, Senecæ, Cebetis Tabulæ, omnium Stoicorum demùm vulgo adeò excellit, ut præ illâ quidam christiani casuistæ, qui de morali disciplinâ scripserunt, debeant pudore suffundi. Politica et Ethica Aristotelis, etiam post illa infortunia quæ ejus Physica subiit, servant adhuc antiquum decus. Jam hi omnes, aliique innumeri, quorum *auræ sententiæ* legi possunt à quibusdam scriptoribus collectæ, et ab iis præmissæ christianis dogmatibus, omnes, inquam, hi philosophi solâ ratione duce has veritates detexerunt; câ ratione (inquit supradictus naturalista ibid.) quæ ex sententiâ imperatoris Antonini, *est emanatio Dei, fonsque bonorum omnium inexhaustus; quàm qui sequitur, ut sentit Cicero, ferri non potest, ut in errores incidat; et illa est, ut opinantur hi, aliique philosophi præstantissimi, quæ docet quantilibet prorsus virtutem, à cujus præceptorum obedientiâ nostra derivatur felicitas.* Hæ, aliæque plurimæ sunt laudæ illæ, quibus antiquorum scriptorum verbis naturalista hic humanam rationem commendat; idemque agunt alii ejusdem scholæ asseclæ, quorum libri quò magis rationis causam perorant, eò etiam magis ejus infirmitatem ostendunt, et quantò magis divinam revelationem supervacaneam demonstrare satagunt, tantò ejus necessitatem evidentius probant. Id singula allati contrarii argumenti membra refellendo planum faciamus.

Ostendimus ergo omnium gentium consensum de præcipuis religionis capitibus, hoc est, de existentia divinæ naturæ hujus mundi creatricis et moderatricis, et de alterius vitæ expectatione. Ita sanè. At primùm quidem quis nescit (ne quidquam dicamus de eorum ignorantia vel erroribus in aliis gravissimis ejusdem naturalis religionis theoreticis, practicisque capitibus), quis nescit, inquam, quot quàmque falsis, perversisque notionibus, quot fabulis absurdissimis infectæ fuerint hæ veritates eadem, illa præcipua præsertim, quæ divinam naturam respicit? En ergo tertium D. Thomæ demonstrationis caput evidenter confirmatum, hoc est, *errorum multorum admixtionem*, ex quo inferimus, necessariam divinam revelationem fuisse. Deinde verò hujus universi consensus fontem primum esse traditionem à filio ad patrem usque ad parentem primum totius humani generis ascendentem ostendimus. Hunc au-

tem parentem primum, qui fuit Adamus, dicimus, non ab angelo *Raziele*, aut ab homine nomine *Jambusan*, vel *Somboscher*, ut videtur clarus recens scriptor (Defensio quarundam Epistolarum cujusdam Peruvianæ) somnari unâ cum Rabbiniis et Sabæis, sed à Deo ipso fuisse edoctum, qui eùm hominem hunc creârit, inquit D. Thomas (1), ut esset aliorum omnium principium non solum quoad corpoream propagationem, sed etiam quoad doctrinam et regimen, ideò, sicut illum perfectum corpore fecit, ut posset statim suos sibi similes generare, ita perfectiorem animâ per veritatum naturalium, et etiam earum, quæ sunt supra naturam, revelationem, ut eos statim easdem docere posset, creavit. Atque hinc tanquàm ab origine, à divinâ revelatione Adamo factâ, gentium cognitio de veritatibus naturalibus dimanat; quavis autem seculorum decursu ob hominum infirmitatem petulantiamque harum veritatum puritas pluribus erroribus inficeretur; cui malo renovata identidem, scriptis etiam, quæ sacra dicimus, quod Moyses primus fecit, traditio novum attulit remedium.

Non eò progredimur autem, ut dicamus, omninò solo naturæ lumine naturales veritates ad religionem spectantes detegi et demonstrari non posse. Imò dicimus, arctissimam earum junctionem cum primis rationis principiis causam fuisse, cur hic consensus perpetuus constansque permanserit. Sed (præterquam quòd non omnes homines vim ratiociniorum, præcipuè si composita sint et abstracta, quod est membrum allatæ D. Thomæ demonstrationis, assequi possunt), fatendum candidè nobis est, notitiam et certitudinem quam per revelationem harum veritatum habemus, esse lumen illud, quod nos in viam ducit; et illud, ut ita dicam, illud quo dirigimur, ne ratiocinantes erre-

(1) Sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere et gubernare. Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam; et ideò primus homo sic institutus est à Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui... Ad gubernationem autem vitæ propriæ et aliorum non solum requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter scripsi possunt, sed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt; unde et de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundum illum statum. 1^o p., q. 94, art. 3.

mus; id est, cum nobis à teneris usque unguiculis impressa fuerint hæc theorematà, nos intellectu nostro ad examen illa revocamus, meditamur, comperimus conjunctionem quam inter se habent, et cum primis ratiociniis principiis; atque hinc elicimus demonstrationes, eaque colligimus systemate ratione elaborato unoque, quod nunquam facere potuissemus, saltem unitate tantà et veritate, nisi illa prius habuissemus cognita. Ut summam dicam, demonstrationes nostræ non ducunt nos ad detegendas veritates occultas, sed veritatum jam manifestarum junctionem nobis indignant. Quod ita perspicuè ob oculos ponit præstantissimus ratiocinator, qualis Joannes Lockius fuit, his verbis: « Qui nunc longa itinera conficit (1), vim suam commendat, quâ tam brevi temporis spatio viam tantam est metit; causam tantæ celeritatis corporis sui robori adscribit: nec considerat quantum debeat iis qui memora deciderunt, exsiccârunt paludes, constituerunt pontes, viam straverunt, quæ si facta non fuissent, jamdiu itinere defatigatus non nisi paululum processisset. Multa sunt, quæ ab infantia usque didicimus, ita ut cum jam eorum notiones insitæ nobis sint, et quasi congenitæ nobiscum sub Evangelio, nos eas ut veritates, quæ impugnari nequeant, ducamus faciles, quæ detegantur, faciles, quæ evidentissimè probentur, non advertentes, nos de iis dubituros, aut ignoraturos fuisse diu, nisi revelatio ea nobis patefecisset. Atque ita valdè revelationi adstringimur etiam inscientes. » Ejusmodi nimirum naturalistæ sunt, qui proclinentur, velle se haurire omnes eas tractatio-

(1) « Celui qui voyage présentement par de grands chemins s'applaudit sur la vigueur de ses jambes, qui l'ont porté si loin dans un si petit espace de temps: il attribue toute la cause de sa diligence aux forces de son tempérament, ne considérant pas combien il est redevable au travail de ceux qui ont coupé les bois, séché les marais, bâti les ponts, et rendu les chemins praticables, sans quoi il se serait extrêmement fatigué, et il n'aurait avancé que fort peu. Il y a quantité de choses dont la créance nous a été inculquée dès le berceau, de sorte que les idées nous en étant devenues familières, et pour ainsi dire sous l'Evangile, nous les regardons comme des vérités incontestables, qu'il est aisé de voir et de prouver avec la dernière évidence, sans considérer que nous aurions pu douter, ou les ignorer pendant longtemps, si la révélation n'en eût rien dit. Ainsi plusieurs sont redevables à la révélation sans s'en apercevoir. » Locke, le Christianisme raisonnable, chap. 14.

nes, aut specimina, quæ de ethicâ alisque religionis capitibus in dies scriptitant è solâ ratione. Si vellent hi earum notionum, quas cum catechesi didicerunt, oblivisci, fortassè ne prima quidem honestè vivendi, rectè de Deo opinandi elementa glutinare scirent. Illi, illi ipsi probabentes in errores tam turpes, rationi et communi sensui tam absonos, in eas apertissimas contradictiones, quoties illos libido incessit solos ambulandi, et aliquam viam suis audacibus ratiociniis aperiendi, id nobis ostendunt. Quæ res quò magis dilucidetur, cursum quosdam supradictorum librorum veluti, *Mores, Epistolas de essentiali Religione, Philosophum rectæ rationis, Continuationem defensionis Spiritûs legum, tractatum de humanâ Ratione*, opus Helvetii inscriptum *de Spiritu*, aliosque misellos recentiorum libertinorum fortis examinemus, comperimusque, nullum ad ostendam infirmitatem, debilitatemque humanæ rationis fortius argumentum esse, quàm hos eosdem libros, ut ejus vim, roburque compreharent, conflatos (1).

SECTIO II.

Philosophorum religio.

Sed veniamus ad philosophos, quorum inventa doctrinæque tanquam valdissima probatio rationis virium nobis opponuntur. Latissimè patet argumentum, redigere in artium sub quædam capita, quod mihi videbitur redigendum, curabo.

1° Advertendum est, omnes philosophos natos educatosque fuisse in religionis gremio, quæ constantis traditionis ope semper, etiamsi deformata et perturbata, ubique terrarum viguit.

2° Gravissima est cum antiquorum, tum recentium scriptorum opinio, præclariore philosophos, Trismegistum, Thaletem, Pythagoram, Platonem, Aristotelem notitiam sacrorum librorum, qui penes Hebræos erant, habuisse, et ex iis hausisse scientiam suam. Quòd si cum aliis dicere malimus, non potuissent philosophos, saltem vetustiores sacras litteras legere, primum in græcum sermonem versas sub Ptolomæo Philadelpho (vid. S. August. de Civit. Dei lib. 8, cap. 2), hoc est, post olympiadem CXXXII, certò tamen dicendum est, potuisse eosdem philosophos addiscere capita doctrinæ præcipua, quæ servabant Hebræi; vel quòd illi ipsi longis itineribus eò se contulerint illa inquisituri; quod scimus fecisse Py-

(1) Vid. supra appendic. de quarto impietatis fonte, nempe de libris perniciosis.

thagoram et Platonem (1), qui idcirco in Ægyptum sunt profecti, vel quòd Hebræi ipsi aliquid disseminaverint, qui sæpius in eas regiones migrabant. An est quisquam, qui ignoret, Salomonis matrimonium cum filiâ regis Ægypti initum ante Alexandrum annos sexcentos, commercia ab eodem Salomone cum rege Tyrio exercita innumeros Hebræos in illa loca pertraxisse? Quis ignorat, Deum ipsum misisse prophetas ut prædicarent verbum suum inter ethnicos, quod fecit Jonas Ninive? Quis nescit, ex diuturnâ Hebræorum captivitate Babylone per orientales plagas Hebræorum religionem doctrinasque potuisse diffundi? Quis denique nescit, quod advertunt et antiqui, et recentiores christiani Apologistæ (vid. Stackoussium tom. 2, c. 23), etiam in theologiâ fabulosâ, et in ritibus ethnicorum quendam vestigia historiæ religionisque populi Dei reperiri? Quod tamen puto non ita latè sumendum esse, ut fluctus fecit (in Demonstr. evangelicâ), qui in totâ mythologiâ Moysæ, Sephoram ejas uxorem, sororemque Mariam intropiciat, multoque verò minis opposita Marshamii (in Canon. Chronico ægyptiac. hebraic. græco) Spencericque (de Legibus Hebræor. ritualibus) sententia approbanda est, qui ob hæc similitudinibus vestigia leges Hebræorum, et quasdam doctrinas ad religiones spectantes è gentibus haustas volunt.

His ergo aviliis, hoc est, religionis, quam, quamvis superstitiosam cum lacte matris suxerunt, cognitionumque verarum rectorumque, quas de divinitate, de alterâ vitâ, de naturali jure haurire ab Hebræis potuerunt, quod facilius, magisque naturæ consensum poterat philosophis esse, quàm luminibus rationis eorum ipsorum præceptorum adeò cum naturâ convenientium veritatem ostendere, et in Academiâ, et in Porticibus has sublimes theorias docere, quas tamen non suis meditationibus quasi fructus perceperant, sed ex divinâ acceperant revelatione? Tamen his muniti præsidis quos fecerunt progressus, quæ de theologiâ naturali docuerunt?

3º Opinati sunt quidam, omnes, aut præstantissimos saltem ex veteribus philosophis atheos, et Spinosistas, seu pantheistas fuisse. Ita vult Tolandus (*Απεσθαιρισμος* sive Tit. Liv. à superstit. vindicat. et Orig. Judaic.) et Collinsius (*de la Liberté de penser*) et ut plurimum

ostendunt se credere omnes isti nostrorum temporum homunciones atheiste, qui in suis conventiculis blasphemantes, ebrigue pantheisticum canentes (vid. Bibliot. Anglais. tom. 8, part. 2, art. 4) seu *formulam celebrandi socraticam societatem* (cantiunculam à Tolando ipso compositam) recitant nomina hominum doctæ antiquitatis clarissimorum, suæ impietatis prædecessorum. At quid mirum, hos Socrati, Platoni, Aristoteli, Plutarcho, Varroni, Tullio, et amplissimis demum è Latinis et Græcis hanc notam inurere, si Tolandus (Origin. Judaic. p. 155 et seq.) eò impudentiæ progressus est, ut inter pantheistas et Moysæ, et Scripturam totam divinam recenseret? et Collinsius (1) in numero liberè cogitantium (ita ille eos, qui, ut libertini, cogitant, vocat) Salomonem, prophetæque collocaret? Eò, non dicam impietatis, sed amentię devenitur, cum veritati bellum, indictum sint. Non solùm tamen hi duo impii, sed etiam scriptores alii nimium creduli et faciles, quod advertit, queriturque jure Fabricius (2), in atheorum album philosophos, et totius antiquitatis celeberrimos viros retulerunt. Dicere est opus, in hujusmodi hominibus aut atrâ bili laborantibus, aut nimis vehementibus, cum de impietate, et hæresi agitur, inesse speciem quandam furoris, qui iis præter modum objecta amplificet. Pater Mersennus (vid. Mémoires des hommes illustres par le P. Niceron, tom. 33, p. 146 et 147), seculo proximè elapso, et hoc, quo vivimus, Harduinus, id satis confirmant; ille in suo Commentario ad Genesim, ubi loquitur de atheis ætate suâ viventibus; hic in celebri tractatu, *Athei*

(1) *Liberté de penser*, p. 218 et seq. Eruditissimus Fabricius de Verit. relig. christ. Elenchum bonæ partis operum in hos duos impios scriptorum confecit; eorum contra Tolandum cap. 22, p. 480, et inter ea eminent Jacobi Fayi Defensio religionis, necnon et Moysis, et gentis Judaicæ, et Melange de remarques contre M. Toland, par Elias Benoit; eorum contra Collinsium c. 23, p. 488; ex his eruditissimum est illud Bentleu: La Friponnerie laïque... de Phileleuthère de Leipsich; acutius tamen nobis videtur illud Petri Croxæ: Examen du traité de la Liberté de penser.

(2) Biblioth. græcæ lib. 3, c. 6, pag. 178: « Omnis dicere, quod infelix fortassè, religioni certè, et humano generi parùm utilis, nec honorificus labor est, principes ingeniorum, et præstantissimos tunc antiquitatis viros invitò trahere in societatem atheorum, et universum ethnicismum confundere cum Spinosismo atque atheismo. » Vid. Joan. Christoph. Wolffii dissert. de atheismo falsò suspectis, et idem Fabricius de Verit. relig. christ. c. 8.

(1) « Ut colloquendo, quid contineret Scripturæ, quantum capere possent, adhiberet » S. August. de Civit. Dei, lib. 8, cap. 2.

detecti, in quo atheos traducit excellentes scriptores, quibus certò nulla nota minùs, quàm atheismi iniuri poterat. At constat, hunc admirabilem literatum virum in omnibus Patrum operibus horrendum hoc atheismi monstrum comperire consuevisse, et proinde illa ut ficta et supposititia furorè misericordià digno rejecisse (1). Ingenium ejusmodi (ne de Baylio satis superque noto quidquam dicam) mihi videor videre in Rheiseri dissertatione (de Origine, progressu et incremento atheismi) ad Spizelum missà, qui ut capere suarum inquisitionum quàm longissimum initium posset, Canticum atheorum primum facit. Franciscus Buddæus in tractatu de atheismo et superstitione (2) testatur se non duci prurigne per vim quemquam athicismi insinulandi; putatamen quicumque ejus opus leget, facilitè detecturum hâc prurigne cum non caruisse omninò; is enim criteris utitur, et in ea principia incumbit, quibus pauci philosophi ab atheismo eximi possunt. Et sanè distinguit atheismum in scepticum et dogmaticum. Primi generis erant athei illi cuncti, qui de omnibus dubitabant. « Secundum autem differt (inquit ille) pro philosophicorum systematum diversitate, hoc est, Aristotelis, Stoicorum, Epicuri, et Spinozæ.... Fundamentum atheismi sceptici est, nos nullius rei esse certos,

(1) Ad vivum expressus est Harduini foror in quâdam Epist. quæ referuntur Biblioth. raison. tom. 1, part. 1, art. 6, inscripta: *Lettre d'un ex-jésuite... touchant les ouvrages fausement attribués aux Pères de l'Eglise, et le fameux système du Père Hardouin sur ce sujet*. At ergo, cum adhuc in societate esset, quodam die ita Harduini se allocutum fuisse. « Mon enfant, l'abomination de la désolation est dans le lieu saint. Je l'ai vue (me dit il en levant les yeux) au ciel d'un air enchérimé et plein d'enthousiasme), le Seigneur Dieu m'a ouvert les yeux pour l'apercevoir en répandant sa bénédiction sur mon travail.... Un livre, où l'athéisme est établi, où l'idée de Dieu est renversée... et où la foi est contredite en tous ses points, ne fut jamais un livre fait par un saint que l'Eglise a canonisé. Il sera le mappe de la pensée; n'est il pas vrai? Or, l'athéisme est établi, et l'idée du vrai Dieu est renversée (dans les ouvrages des Pères), et par conséquent ils n'en ont jamais été les auteurs. » Dicit etiam quædam essent hæc eversiones notionis Dei, quas Harduinus repererat in Patribus, eos non nosse alium Deum, « que ce Dieu *per mentem*, qui est appelé par ceux-ci: « Raison universelle des esprits; l'Être en général; l'Être sans restriction; l'Être tout court »

(2) In versione gallicâ, quam auctor habet p. 2, in not.: « Ce n'est pas mon humeur que de faire quelqu'un athée malgré lui »

« et judicium nunquam esse ferendum; Dogmaticorum generatim est, materiam semper extitisse, et existentiam esse de necessitate illius essentia. Fundamentum Aristotelici atheismi est mundum ab æterno fuisse ut nunc est; Stoicorum atheismi, Deum a recta junctio esse cum mundo conjunctum; atheismi Epicuri, et Stratonis, fuisse mundum conditum fortuito atomorum concursu; Spinozæ atheismi demum, nisi unam substantiam esse. His classibus quot philosophi comprehendantur, quisque per se intelligit. Addantur his Sabæi et Chaldæi, qui Buddæi sententiâ (ibid. chap. 1, § 7, 8) *crediderunt pantheismum*, imò omnes idololatria assecuti, quæ, ut ille sentit, non valdè à *Pantheismo distat*. Jam juxta auctoris hujus opinionem en atheismum penè universum. Scio, eum ex hâc notâ quosdam antiquos philosophos eximere, et profiteri, se interdum dubitanter loqui; tamen nimis proclivis ad inurendam notam hanc cuique videri potest, hujusque sententiæ etiam alii fuerunt, qui omnes antiquos philosophos atheos, materialistas, et in præcipuis naturalis religionis capitibus, præsertim alterius vitæ, vulgò errasse putarunt.

4^o Oppositam alii omninò opinionem amplectuntur, et postquam collecta à Grotio (de Veritate relig. christ.), ab Huetio (de Concord. ration. et f. d.), à Vossio (de Theologiâ gentil. et Physiolog. christ.) à Giraldo (*de Diis gentium*), à Pfannero (*Systema theolog. gentil. prioris*), sed præcipuè à multis eorum cultorum platonicismi, qui, sub medicorum auspiciis græcis litteris florentibus, in Italiâ et in Galjiâ vixerunt; postquam, inquam, ab his aliisque scriptoribus (vid. Fabricium de Verit. relig. cap. 8 et 52), loca multa pulcherrima antiquorum philosophorum de naturâ, de Dei attributis, de animæ dotibus, de virtute, vitio, legibus, præmiis, suppliciis collecta viderunt, omnes antiquos philosophos veluti religionis naturalis testes inter se consonos, imò penè christianos producent. Neque dissimulari potest, hic quoque furorem fuisse, cum in eorum scriptis mysteria augustissima revelatis religionis, et Scripturam sacram propè omnem se introspicere putarint, quod objicit A. Steno Eugubano (de perenni Philosophiâ), Petavio (Theolog. dogm. de Angelis), Hieronymo Floravanti (lib. 3 de Beatiss. Trinitate), Vossius (Epistolâ 78), Daciero (Vie de Platon), Pater Baltus (Parallele de la philosophie); et Mosheimius, et Cleffelus (dissert. critic. de Interp. N. Testam. ex scriptor. profanis), aliique (vid.

Six. Sen. Bibliot. sacr. lib. 3) multis intemperantibus auctoribus, qui ut eruditionem ostentent suam, pertrahunt unco inpacto inter oracula prophetarum veluti æqualia effata sententias antiquorum philosophorum aut omninò impias, aut à Scripturarum sensu toto cælo remotiores. His tamen laudibus omnibus, licet præter modum ethnicis datis, utuntur religionis naturalis propugnatores (1), et eas suis in libris memorant, ut hinc deducant, posse animam humanam per se veritates præcipuas detegere, ac proinde supervacaneam revelationem esse.

5^o Crederem, sapientem lectorem utriusque allatæ opinionis falsitatem vidisse. Nec omnes athei philosophi fuerunt, quod athei vellent; nec fuerunt ejus puræ religionis magistri, ut jactitant naturaliste. Vulgò eos atheos non fuisse, mihi videtur id ex antiquis illis monumentis inferri posse, quæ, cum nobis quosdam, et quidem paucos, philosophos atheos nominatum significant, dilucidè ostendunt, alios nec atheos traductos, nec creditos ejusmodi fuisse. Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypothe. lib. 3), ejus ingenium satis est cognitum: « Plerique hominum, inquit, credunt deorum existentiam; quidam tamen, ut Diagoras Miletensis, Theodorus, et Critias Atheniensis eam non credunt. » Alibi sanè ait (advers. Physic. n. 51), plurimos alios hanc imbibisse opinionem, sed tribus supradictis nonnisi Evemerum et Prodicum annumerat; hyperbolicè proinde, ut advertit ibi Fabricius (2), est id ab eo dictum. Et sanè aut hi tantùm, aut alii quidem, paucissimi tamen, recensentur à Cicerone, Laerto, Plutarcho, Maximo Tyrio, Clemente Alexandrino, Theodoro: neque inter hos certè sectarum duces, nisi fortassè Epicurum unum, reperies. Quòd si populus interdùm hoc atheismi nomen aliis philosophis imposuit (quos omnes Fabricius nominat, scimus, id ut plurimùm evenisse, quia ipsi se suæ urbis superstitionibus infensos præbebant, non quòd divinitatem omnem rejicerent. Non me latet, quosdam gravi voce dicere, quicumque quibusdam sententiis, quæ in antiquis philosophis re-

(1) Préface au traité de la Raison humaine : « Il est constant que plusieurs de ces philosophes n'ont pas été fort éloignés de la véritable idee que saint Jean nous donne de la raison divine au commencement de son Évangile, etc.

(2) « Hyperbolicè dictum; nam velut monstra ex totà antiquitate pauci fuerunt, et paucissimi commemorantur atheni dogmatici. » In Annotat. ad locum Sexti Empir.

periuntur, collectis jam nimimè contentus funditùs philosophorum antiquorum de Dei essentia, et de animæ naturâ systemata inquirat, et necessariâ consecutione eum hinc debere deducere, eos omnes atheos, Spinosistas, materialistas fuisse; et futuram vitam negasse omninò. At horum pace dictum velim, existimo hos à recto tramite valdè aberrare, et hanc eorum methodum, quâ putant se posse detegere et statuere, quid reverà philosophi senserint, incertam esse, fallacemque. Jacobus Brukerus, qui maximè materiam hanc calluit, licet interdùm hallucinetur, sapiens repetit, nullam esse magis breviorè rationem sus de que philosophiam vertendi, quàm consecutionibus inniti. Et sanè advertatur primùm, quò attentius versatur id quod ab antiquis accepimus, eò claritùs intelligi, esse difficillimum, ne dicam fieri penè non posse, ut eorum principiorum et systematum veræ notiones certò statuuntur, de quibus vel ipsi illorum discipuli nobis iis præceptoribus viciniore inter se digladiabantur, ut ait Origenes (1), ut præteream alios, de Platone. Dicam quid amplius, ne ipsos quidem magistros systemata sua comprehendisse, ideas claras et distinctas non habuisse, non prævidisse relationes, causas, consecutiones. « Sed diversi philosophi (inquit Laëtantius divin. Inst. lib. 7, cap. 7) ac diversè illa omnia protulerunt, non annectentes nec causas rerum, nec consequentias, nec rationes, ut summam illam, quæ continet universa, et compangerent et compleverunt. » Quòd si ita est, quomodò ergo audebunt hi asserere, veras esse has, illasque antiquorum opiniones, consecutiones deductas à principis aut non intellectis prorsùs, aut explicatis alter omninò ac philosophi volebant? Quanquam etiam clara certa que essent hæc systemata, quis non videt inconstantiam esse notam certissimam non solum à Christianis, sed ab ethnicis etiam in eorum magistrorum scriptis adversam? Qui ergo decemus, illationes ab his non deductas, ab his non visas, ab his oppositis opinionibus clarissimè impugnatas fuisse illorum sententias? Nonne quotidie videmus, quosdam interdùm habere opiniones omninò contrarias consecutionibus, quæ à suis systematibus derivantur, et quæ proinde nonnisi

(1) « Nec audebit (Celsus) profiteri se nosse Platonis omnia, cum tantoperè inter se discrepent etiam scriptorum ejus interpretes. » Lib. 1 contra Celsum. Quod advertit et Leibnizius in Theodiceâ, ejus illud est celebre effatum: *Cave à consequentariis.*

injuriâ possent illis adscribi? Quis putavit unquam, Melitonem, episcopum Sardicensem, et Tertullianum ipsum cum cæteris anthropomorphitis fuisse atheos? Ex eorum tamen systemate in proclivi esset eorum atheismum arguere. Quis unquam Petrum Gasserdum e Newtonem sensisse malè de Divinitate accusat? Tamen à notionibus quas de spatii naturâ habuisse videntur, iis sententias has poss. attribui nonnulli conjeiciunt. Falluntur ergo qui statuunt, quædam sententias, quæ ab eorum systematibus inferri possunt, esse scriptorum opiniones, præcipue cum aut aliis, aut contrariis opinionibus id negetur. Injuriâ itaque, minusque rectè ratiocinantur ii, qui, nihil pensis antiquorum testimoniis, perspicuisque sententiis, quas de Divinitate, de alterâ vitâ, hi philosophi habuerunt, eos atheos, Spinostas, materialistas fuisse judicant, eò quod putant, hujusmodi impiis consecutiones à quibusdam illorum principiis (fortassè obscuris aut perperam intellectis) posse proficisci (1).

(1) In hujus nostræ sententiæ confirmationem de capite hæc nostrâ ætate magni ponderis afferam locum illustrem Joannis Alberti Fabricii, non minus veritatem quam eruditionem præ se ferentem. « Novi, esse viros doctos et ingeniosos, quibus ludus et jocus est viros omni antiquitate celeberrimos, Platonem, Hippocratem, Aristotelem, Heraclitum, omnes Eleaticorum ac Stoicorum scholam atheis audacter adscribere; sed exploratum quoque est mihi neutiquam nisi firmis argumentis eorum sententiam; sed ejuscemodi conclusionibus, ex quibus fuisse sit, omnes etiam Christianos subtilius de Deo et rerum naturâ disputantes, causasque rerum dinarum, et phænomenorum naturalium, et quomodo produxerit mundum Deus, quomodo illi intersit, suoque ingenio expedire conatos, irreligiosis accensere. Sic nostrâ ætate quis nescit, quam dicam aliqui scriperint philosophiæ illustris Theodiceæ auctoris, vel Malbrancheii? quos tamen qui propius norunt, sciunt fuisse alienissimos ab atheis. Putehrè notavit Samuel Parherus (in Cogitatione de Deo et Provid. dissert. 1) veteres ante Anaxagoram philosophos, qui primus in Physicâ suâ disertam mentis infinitæ diviniæ mentionem fecisse traditur, non ideò habendos pro atheis, sed pro his qui studium suum in causis secundis rerum naturalium explicandis posuerunt, causâ primâ minimè negatâ, sed præsuppositâ. Similiter Radulphus Cudworthius (de vero System. intellectuali universi cap. 4) probat, philosophos multos, qui ante Democritum et Epicurum omnia ex atomis, et minimis moleculis, et corpusculis composuerunt, non tamen ideò Deum motorem, aut Providentiæ diviniæ imperium negasse, vel in dubium vocasse. Ita Xenophanes, Parmenides, Plotinus longè abfuerunt à Spinostismo, ut ab Epicuri impietate Carte-

6º Philosophi veteres ergo, ut ex hæcenus dictis colligitur, asseritque D. Paulus, Deum cognoverunt; simul enim cum gentibus omnibus unâ cum lacte nutricis notitiam suxerunt, et à contemplatione rerum visibilium ad cognitionem invisibilis ejus naturæ, sempiternæ virtutis, divinitatisque ejus ascenderunt. At evanuerunt ipsi in suis cogitationibus, ut ait idem Apostolus (ad Rom. cap. 1). *Obscuratum est cor eorum, et dicentes se sapientes, stulti facti sunt.* Nihil, quod magis hunc D. Pauli locum illustret et confirmet innumeris testimoniis, legi potest, quam liber 5 Strom. (pag. 590 et seq. edit. Paris.) Clementis Alexandrini, in quo cum ostenderit, cognitionem Dei communem philosophis cum gentibus fuisse, eorum commenta, quibus illam corruperunt, et tenebris offuderunt, pergit explicare. Verum ante Patrem hunc opera Ciceronis, et nominatim libri de Naturâ deorum hujus veritatis clarissimo sunt argumento. Quæ opinionum, ferèque omnium falsarum et absurdarum de naturâ et divinis attributis, de origine et regimine rerum, de essentiâ dotibusque animæ humanæ, de jure, officiis, religione, præcipueque ultimo hominis fine varietas? Excellentissimi, celeberrimique eorum dum eas meditari volunt, clariùs exponere, curiosius eas rimari, easdem veritates dubias reddebant, quæ ignorari non poterant. Magnus ille Socrates, cum jam generatim statuisset, se nihil scire nisi hoc solum, se nihil scire, morti jam proximus, habitis jam præstantibus illis sermonibus, quos ut referret, eloquentiam suam Plato exeruit totam, ita allocutus amicos est, ut de immortalitate animæ, aut de ejus interitu dubitare visus fuerit (1). Divinus Plato cum de primo Ente, de mente divinâ, de divinis ideis, divinoque amore tam magnifica dixisset, et polytheismi, et supersti-

sus et Cassendus... Quotidiè videmus homines contra principia dogmatum suorum agere, aliisve dogmatibus ea refellere; itaque nec conclusionum quarumcumque impietas, quæ ex sententiis quibusdam elici posse videtur, auctoribus illicò tota ducetur impunita... Sic nec ob *εὐσεβήματα* quædam abstrusiora Platonem aut Stoicos arguam *ἀθεῖταις*, in quorum scriptis tam pulchra, tam expressa reperio pietatis vestigia. » De Verit. relig. christ. c. 8, n. 1. 11. Vid. præterea dissertat. Christophori Wolfii de atheismo falso Suspectis.

(1) Vid. in Apologiâ Socratis, et in Phædone. Et Cicero lib. 1 cap. 41 Tuscul. : « Sed tempus est, inquit (Socrates), jam hinc abire me, ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrùm autem sit melius, dii immortales sciunt; hominem quidem scire arbitror neminem. »

tionis in suspitionem incidit (Pater Baltus, *Dé-
fense des SS. Pères accusés de platonisme*, liv. 3,
chap. 1), quum sensisset, diis inferioribus, dæ-
monibus heroibusque esse litandum (1). Hæc
sacrificia idololatrica (ut addiscimus à Xeno-
phonte Memorabiliū Socratis lib. 1) fecit sapientissimus licet Socrates, docuitque esse faci-
enda, qui impiè hæc dissimulatione discipli-
nam morum turpiter fœdavit, cujus præceptor
primus habebatur (Laert. in Socrate). Sicut
eam turpissimè maculavit Plato et doctrinà de
uxoribus in communi habendis (de Rep. lib. 4
et alibi), et amoribus naturæ contrariis, quibus,
ut ait Philo (2) convivium suum apparavit. Mos
adorandi deos patrios, et sese accommodandi
cæremoniis, libationibus, sacrificiis, quæ su-
perstitione gentiliū adhibebantur, à Cicerone
(3), et ab Epicteto (4), disciplinæ morum
integræ, severæque magistris summis approbat-
ur. Quid plura? unà cum philosophico pallio
etiā partium studium induebant, quo nihil
curabant aliud, quàm ut suas sententias propu-
gnarent, impugnarentque opiniones aliorum.
« Dùm contradicendi (inquit Lactantius divin.
« Instit. lib. 7, cap. 7), studio insaniant, dùm
« suâ etiā falsa defendunt, aliorum etiā
« vera subvertunt, non tantùm elapsa illis ve-
« ritas est, quam se quærere simulabant, sed
« ipsi eam potissimùm suo vitio perdidit. »
Div. Augustinus, quod alii multi fecerunt, ad
vivum exprimit pugnam hanc acerrimam dis-
putationum, et ethnicorum philosophandi

(1) Aug. de Civit. lib. 3, cap. 12 : « Hi om-
« nes... et ipse Plato diis plurimis esse sacra
« faciendâ putaverunt. » Ad quem locum ita
Vives : « In Timæo deus numerat Saturnum,
« Opem, Junonem, reliquosque inter se fratres,
« agnatosque. In lib. de Repub. et de Legibus,
« diis, dæmonibusque, et heroibus sacra, et
« cæremonias fieri jubet. In octavo verò de
« Legib. et duodecimo illos nominat, quibus
« civitatis status, et felicitas votis, comprec-
« tionibusque commendanda est. »

(2) De vitâ contemplative : τὸ δὲ πλατωνικὸν
ἐλόν, etc. Quæ ita veritè Grotius : « Platonicum
« autem convivium totum ferè in amoribus
« consumitur; non virorum modò in mulie-
« res, et mulierum in viros insanientium : tales
« enim cupiditates lege naturæ explentur; sed
« virorum in sexûs ejusdem solâ ætate dispa-
« res : nam si quid tibi de Venere, et amore
« cœlesti speciosè dici auditur, id honestu ob-
« tentis causâ dicitur. »

(3) 2 de Legib. cap. 10 : « A patribus ac-
« ceptos placet deos coli. »

(4) Epict. cap. 38 : ἐπὶ δὲ καὶ ἑστίν, etc.
« Litandum autem, et sacrificandum, et offe-
« rendæ primitiæ sunt, unicuique ritu pa-
« trio. »

morem nos docet (1) : « Nonne florebant (in-
quit lib. 18, cap. 41, de Civit.) Athenis Epicu-
rei, qui negabant rerum humanarum curam
deos gerere; et Stoici, qui contra sentientes
tuebantur eas à divinâ providentiâ regi? Quare
miror, reum habitum fuisse Anaxagoram, quòd
dixerit, solem esse lapidem ardentem, cum
Deum negaret; cum in illâ urbe et laudatus, et
tutus vivebat Epicurus, qui non solùm nega-
bat, solem, aut quodlibet aliud astrum esse
deum, sed ne credebat quidem esse in rerum
naturâ Jovem, aut aliud nomen, ad quod pre-
ces, cultusque hominum esset referendus. An
non erat Athenis Aristippus, qui in voluptati-
bus corporum summum bonum ponebat, et
simul Antisthenes, qui ob virtutem animi di-
cebat hominem beatum? Uterque philosophus
nobilis, uterque Socraticus, et tamen in rebus
tam diversis ultimum finem collocabant; et
quorum unus aiebat, debere virum sapientem
Rempub. administrare, alter, evitare; cum
unus et alter euraurent asseclas suæ sectæ ha-
bere. Palam enim in celebri Porticu, in gym-
nasiis, in hortis, in publicis, privatisque locis
pro suâ sententiâ certabant. Alius aiebat, unum
esse universum, alius innumera; hic mundum
incœpisse; ille negabat : unus eum desitutum,
alter duraturum semper; hic regi cum mente
divinâ, ille casu : animas immortales unus cre-
debat, mortales alius; quidam ex primis puta-
bant, eas in bruta animantia migrare, alii, ne-
quaquam; secundorum alii putabant, eas in-
terire unâ cum corpore, alii eas futuras su-
perstites magis, minùsve, at non semper; sum-
mum bonum constituiebant alii in corpore, alii
in animo, in neutro alii; alii et animo, et cor-
pori bona externa adjungebant. Quidam puta-
bant, sensibus corporis semper credendum,
quidam non semper; nonnulli nunquam. Hæc,
aliæque penè innumerae dissensiones philoso-
phorum, quis unquam populus, quis senatus,
quæ potestas publica, aut dignitas hujus impie
urbis curavit, ut examinarentur, ut quisque
sciret quasnam amplecteretur, quasnam rejici-
ret? imò indiscriminatum continuit in suo-
sino tot controversias hominum inter se dissi-

(1) Præter Laertium, Ciceronem, Plutar-
chum, è nostris legantur Justinus Martyr Co-
hort. ad Græcos, Tullianus Orat. ad Græc. Sed
præcipuè legi meretur Hermia philosophi gen-
tilium philosophorum Iriis, quæ est inter
opera S. Justini G-L. ultimæ Paris. editionis.
Ita etiā Theophilus Antiochenus lib. 11 ad
Autolye. num. 3, 6, 7, qui pariter est inter
opera ejusdem S. Justini.

dentium, non de campis, domibus, pecuniâ, sed de iis rebus, quarum ope aut beatè vivitur, aut miserè? Et licet quædam vera dicerentur, eadem licentiâ falsa omninò dicebantur, ita ut jure hæc civitas mysticè Babylon fuerit vocata. Neque dæmonis ejus regis valdè intererat, qui, aut quantum opponerent sibi invicem errores illi, de quibus ii certabant; etenim propter eorum multiplices, et multas impietates omnes jam possidebat. » Iactentus D. Augustinus.

7^o Prodeant nunc in campum naturalistæ, qui necessitatem revelationis negantes antiquorum philosophorum de religione inventa ostentant. Nos libenter hos appellamus. Quodnam nostræ propositionis argumentum clarior? Fuerunt illi (quis neget?) præstantissima orbis ingenia, neque audeo dicere, quot ex his minutis philosophis, contra quos certamus, possent cum iis æquiparari. Toti in hoc unum incumbabant, ut veritatem inquirerent populi traditionis præsidia habebant; non mediocriter fortassè illustrati Hebræorum doctrinâ fuerunt; neque præcipuas religionis veritates ignorârunt; tamen secuti *ad inventiones suas, evanuerunt in suis cogitationibus*, scissi sunt, diversa alii ab aliis opinantes, dissenserunt non solum ab aliis, sed à se ipsis, perfuderunt tenebris, dubiasque effecerunt veritates etiam plebeculæ apertissimas, iis et theoreticæ, et practicæ errores crassissimos addiderunt. Quid aliud, nisi contumaciâ summâ, præ argumento tam evidenti universoque tueri audebit, revelationem divinam non esse necessariam, quæ docens clarè, indicensque supremâ, et falli ac fallere nesciâ auctoritate, veritates de quibus loquimur, hominum mentes per se nimium infirmas ad eas, quin errent, cognoscendas, et nimium inconstantes, ut iis, quin mutentur, acquiescant, erigat, confirmetque (1)?

Atque ita ultimam superiùs allati argumenti partem, quâ memorabantur laudes summæ à veteribus et à recentibus, à profanis et à sacris scriptoribus tributæ rationi jactatæ duci satis idoneæ, quæ certissimè ad veritatem agnoscendam ducat, eodem tempore labefactavimus. Pyrrhonicus non sumus, neque ii sumus, qui credamus, hominem aut semper

(1) Ne sit grave naturalistis legere ad hoc propositam auctorem ob quasdam propositiones sibi gratissimum, non superstitiosum, non minus liberum, quam acutum, Joannem Lockium dico, cap. 1^o *du Christian. raisonnable*, ubi fusè tractat probatque veritatem à nobis hactenus examinatam.

errare, aut nihil certi posse cognoscere. Dicimus, rationem lumen esse à Deo nobis datum, ut veritates detegamus. Dicimus, *rectam rationem* (quæ verba, quin ea intelligat adversarius noster (1) à Philone desumit) *esse legem veritatis, quæ errare nequit* (2). Ita sanè. At hoc opus, hic labor, ut hæc ratio sit *ὁρθὸς λόγος*, *recta ratio*, hoc est, ut in suis inquisitionibus et judiciis non sit *πρᾶξις* (qui est fons errorum omnium) ut videat relationes, quæ intersunt inter notiones, ut servet ad amussim methodum in iis conjungendis, ut nihil elabatur illâ imprudenti, ut nihil cupiditibus agatur transversum, omninò ut suos actus regulis æternis veri et honesti conformet; hoc significat *recta ratio*, et hæc ratio ejusmodi nec fallit, nec fallitur (vid. Jacob. Odium Theologiæ natural. part. 1, proposit. 46). At ita fieri non posse ab homine quoad totum veritatum theoreticarum et practicarum religionis naturalis systema, nos Christiani probamus à priori, historiâ lapsus primi parentis, per quem in posteris omnibus ratio jam è perspicaci, clarâ, constantique, hebes, obscura, inconstansque est facta; ita reverà non esse, probamus à *posteriori*, historiâ humani spiritûs, seu opinionum cogitationumque hominum et præcipuè sapientissimorum, quales fuerunt philosophi, qui innumeros in errores prolapsi sunt præcipites. Id tamen modo epidictico et invicto confirmamus, exemplo nimirum eorundem adversariorum nostrorum, qui, licet videant habereque argumenta tam perspicua humanæ rationis imbecillitatis, audent libros contexere, ut ostendant, rationem hanc *supremam et falli nesciam legem esse veritatis*.

SECTIO III.

Revelatio cultûs.

Necessitatem divinæ revelationis, quoad veritates illas ad religionem spectantes, quæ intellectûs vires non exsuperant, ac proinde ab eo detegi possunt et demonstrari, hactenus probavimus. Ulteriùs serpit argumentum; hic enim ipse intellectus necessitatem videt quâ cogimur, ut alias veritates cognoscamus, cum nobis apprimè utiles, tum magnoperè difficiles, prorsùs ejusmodi, ut fieri non possit, ut eas comperiamus, eò quòd nulla relatio intercedat inter eas ex unâ parte, et res

(1) Hoc est, pluries citatus auctor Præfationis præmissæ ad tractatum de Ratione humana.

(2) *Νεὴν εἶναι δὲ ἀφελῶδες ὁ ὁρθὸς λόγος*, Phil. in lib. quòd *ὁ ἀνὴρ πρῶτος est liber*.

nobis cognitæ ex alterâ, cum à liberâ Dei voluntate omnino pendeant.

Et primum quidem, sit insita in homine Dei notio, hoc est Entis immensi, perfectissimi, ipsius hominis, rerumque omnium, quibus circumdatur, creatoris, moderatorisque et Domini, statim comperit, se habere necessariam relationem obedientiæ et subjectionis cum hoc Ente supremo; et ex huiusmodi cognitione sentit, se naturâ ipsâ impelli ad servitutum suam huic supremo Enti cultu et obsequio testandam. En religio. At quis debet esse cultus hic? Quæ proportio inter Deum et hominem, ut possit hic aliquid tantâ majestate dignum illi offerre? Quæ cognitio ejus liberæ voluntatis, ut certus sit, se illi gratum facere? Totum in Deo Deus est, hoc est, æquè infinitus, æquè incomprehensibilis. Cognosco itaque æquè certò necessitatem hunc cultum divinæ naturæ præstandi, quæ sententia in me confirmatur gentium omnium consensu, penes quas semper religio fuit; simul etiam cognosco, non posse me statuere mente meâ, quinam cultus Deo gratus sit futurus; ancepsque hæreo, cum tantam varietatem cultuum in gentibus videam.

Sapientissimorum philosophorum, ethico-rumque prudentissimorum opinio fuit, cultum Deo gratissimum esse integritatem, sive naturæ præceptorum observantiam; quapropter dicere Pythagoras consueverat, « maximum, perfectissimumque sacrificium esse, prohibitam virtutemque amare; deosque non respicere sacrificiorum magnificentiam, sed cor sacrificiantium. » Quam sui magistri sententiam duo illustres legislatores Carondas et Zeleucus, ut observat eruditissimus Huetius (Alnet. Quæst. lib. 3, cap. 9), qui alia etiam plurima gentilis antiquitatis eòdem spectantia testimonia afferit, deinceps inculcârunt. Hinc, ut alibi adnotavimus, *impii, athei, contemptores numinum*, qui indignis facinoribus leges naturæ lædebant, quarum Deus agnoscebatur auctor, custosque, à veteribus, et præcipuè à Græcis appellabantur. Nostri ævi naturalistæ in præclaris habent dicere, rationem ipsis grandia quoad divinitatis cultum indigitare; quare auctor liberculi *les Mœurs* inscripti (part. 1, chap. 2) cum dixisset, « nobis obsequium Turcarum domino, qui est ex potentissimis principibus, non esse præstandum, cum ejus imperio non teneamur, sed præstandum esse Deo, non quòd magnus sit, sed quòd ejus imperio subdimur, isque dominus noster est, » cum.

inquam, doctrina sua: hoc fundamentum jecisset, plurima aurea verba facit « de cultu interiori Deo debito, innixo admirationi, quam in nobis excitat notio ejus magnitudinis infinite, et beneficiorum gratitudo, et ejus domini protestatio; loquitur de admirationis extasi, de amoris impetibus, de gratitudinis attestazione, de subjectione » quæ dicit esse *hymnos, preces, et sacrificia cordis divinâ majestate tantum digna*: sermo hic quem, licet rationi consonum nos quoque esse dicimus, tamen haustus fuit à catechismo, hoc est, à revelatione, quæ cæterquin ab hoc auctore spernitur, sed eam spernentem hic ipse suus sermo redarguit. Obsequium enim primum, quod Deo debetur, consistit in cognitione ejus veritatis fallere nesciæ, fidem ejus verbis habendo, regendoque secundum regulam hanc mores nostros, quod philosophus hic ejusque amici minimè volunt. At cur nolunt? (hoc est alterum eorum præstantis cultûs argumentum). Quia sibi persuadere nequeunt, in infinito Deo perfectiones esse, quas suo intellectu concipere non possint, eum scire, vel posse quid amplius efficere, quod eorum acutus intellectus possit comprehendere. At estne hoc honorem Deo præstare digno tanto Deo obsequio, in quo præcipuè religio consistit? Hoc tamen fundamentum est naturalismi, fidei mysteriorumque hostis; atque hoc proinde est obsequii, cultûsque interioris fundamentum, quem per ea grandia tumidaque verba Deo habent.

Necessarium ergo esse revelationem, ut dignè de Deo sentiamus, quin hallucinemur, utque puris amoris, gratitudinis, laudisque ab impietate et furore remotis affectibus cum colamus, credo, in dubium vocari non posse. Cordis integritas, legum naturalium observantia, ut philosophi dixerunt, grata quidem Deo est; verùm, ut dicam quod res est, hæc religio non est quæ divinum cultum unum debet respicere, et in affectibus modò memoratis est sita. At quinam unquam penes ethnicos affectus hi, hi sensus fuerunt? Nolo revocemus ad examen hymnos, odesque in deorum honorem, quas habemus. Dicent, potias, cum grandia canebant, tum profanè et sacrilegè sensisse; et huiusmodi carmina nedum laudi vituperio numinibus fuisse. Alia monumenta consulamus. Epicurus, ejusque assecræ, qui de medio providentiam tollebant, *evertebant*, ut optimè ait Cicero (de Nat. deor. lib. 1, cap. 41) *aras*. Quæ enim religio, quæ preces, quæ gratiarum actiones, haberi debent Deo qui humana non curat?

Fatalistæ, hoc est, ii qui putabant omnia ineluctabili necessitate aut ab immotâ providentiâ, aut ab astrorum influxu, aut à causarum insolubili connexu orta evenire, eam religionem sustollebant, ut advertit D. Thomas (2-2, quest. 83, art. 2), quæ nos ad Deum omnis boni auctorem venerandum impellit, fatendumque nos illo indigere. Cotta apud Ciceronem (lib. 3 de Nat. deor. cap. 36) labefactam penès gentiles præcipuam saltem hujus debiti cultûs partem ostendit ex communi opinione, quam imbibebant, se non ab illo, sed à semetipsis animi bona habere, atque idèò nullas illi habendas esse gratias. « Atque hoc quidem, ait, omnes sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem, prosperitatemque vitæ à diis se habere. Virtutem autem nemo unquam Deo acceptam retulit. Nimirum rectè: propter virtutem enim jure laudamur, et in virtute idèò gloriamur; quod non contingeret, si eisdè donum à Deo, non à nobis haberemus... Nam quis, quòd bonus vir esset, gratias diis egit unquam? At quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis. Jovemque optimum maximum ob eas res appellent; non quòd nos justos, temperatos, sapientes efficiat; sed quòd salvos, incolumes, opulentos, copiosos... Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium est, fortunam à Deo petendam, à se ipso sumendam esse sapientiam. » Non sum nescius, quid Cotta, quem loquentem Cicero inducit, sentiret; erat Academicus et profanus. Ita sanè. Non est tamen in aperto, cur posset id fingere, et auderet id in propatulo ponere, ut clarum et commune. Quòd si nolimus credere, sententiam hanc quam ille omnes homines habuisse dicit, tam latè sese extendere, nemo tamen inter sapientes est, qui ignoret, sæpissimè in antiquorum operibus aut offendi apertam, aut non obscurè hanc eandem opinionem elucere. Est qui putat, se in Senecæ eam reperire non semel (1), omnesque alios Stoicos philosophos, eos severos morum præceptores hæc de re loquentes

(1) Epist. 53: « Est aliquid, quo sapiens antecedit Deum. Ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. » Epist. 92: « Si cui virtus animusque in corpore præsens, hic deos æquat. » Non negaverim, Senecam ipsum interdum loqui ita ut significet se credere, neminem posse esse probum sine Dei auxilio, et his similes sententiæ reperiuntur in Cicerone, in M. A. Antonino, in Hierocle, et in aliis quorum loca à Lentartio collecta in quâdam Epi-

jecisse veluti suæ ethicæ fundamentum, quædam esse in nostrâ potestate, quædam non esse; et inter ea virtutem posuisse (1). Denique, ut omnia summatim dicam, cum Dei cultus à rectâ sententiâ, quæ habetur de illius naturâ, præstantiâ, nostrâque et rerum omnium illi subjectione oriatur, cum notiones has innumeris deliramentis corruptas perversasque ab hominibus, qui *adinventionibus suis se dederunt, evanueruntque in suis cogitationibus*, vidimus; tum internus Dei cultus, qui est pars religionis præcipua primaque, in iis nec rectus, nec justus esse poterat.

Quòd si superioris revelationis lumine illustranda erat, purgandaque ab erroribus, et stabilienda religio, multò magis hujus lucis quoad externum cultum necessitas arguitur. Ostendit sanè nobis ratio, cum Deo acceptum non spiritum modò, sed etiam corpus referre debeamus, honorem non solum internis actibus, verum etiam externis esse illi præstandum, externoque cultu supremum auctorem, et dominum et nostrum et nostrorum agnoscendum, Experienciâ etiam monemur, hos externos actus et obsequia magis magisque animi nostri sensus affectusque à quo proficiuntur, et in quo præcipuus cultus, hoc est, interior residet, mirum quantum fovere et inflammare. Catholici doctores his rationum momentis permoti statuunt cultum externum à naturæ jure oriri. Et in errorem prolapsam esse ducimus auctorem libri de Moribus, qui putat, si unus in terris esset homo, nullum exterio-rem esse illi exercendum cultum, cum non sit hic quoad Deum institutus, sed ut societatis membra per publicam unius ejusdem religionis professionem conjungerentur. Esse cultum publicum societatis vinculum, concedemus,

stolâ legi possunt in bibliot. German. tom. 1. Hanc disputationem missam facimus, cum satis habeamus dicere, hic quoque, ut alibi vidimus, eam inconstantiâ esse, quæ in philosophorum dogmatibus erat, quæ ut tolleretur, revelatio nempe requirebatur.

(1) Fortasse hoc respiciunt illi Ovidii versus ex Ponto l. Epist. 1, v. 33:

Di tibi dent annos! à te nam cætera sumes;
Sint modò virtuti tempora longa tuæ.

Id etiam significant Horatiani illi lib. 4, Epist. 18, ad Lolium, in fine:

Sed satis est orare Jovem, qui donat et aufert,
Det vitam, det opes; æquum mihi anticum ipse parabo.
Ita etiam intelligi debent illi Juvenalis sat. 10, vers. 363:

Monstro, quid ipse tibi possis dare. Semita certè
Tranquilla per virtutem patet unica vitæ.

Quos tamen Cl. Vulpus in suâ Paraphrasi conatur in bonum sensum detorque-
re.

hoc vinculum esse causam præcipuam, propter quam ratio naturalis in externum cultum nos fert, id adeò est falsum, quàm quod falsissimum. Ac proinde falsum etiam est, si unus homo in terris esset, fore ut nullus cultus illi esset exercendus. Non exercetur quidem cultus quoad Deum, quasi verò ille hujusmodi cultu indigeat, aut ab eo aliquod percipiat emolumentum, sed quoad nos, ut affectus animi cum corpore conjuncti pios foveamus profiteamurque, nos Deo supremo domino subiectos esse. Quæ causæ etiam in homine illo, qui solus in terris degeret, locum haberent (1).

Quamvis autem has generales notiones ratio cognoscere per se potest, et in se, ut ita dicam, hos igniculos primos, qui ad exteriorem cultum eam impellunt, inveniatur, tamen quibus in angustiis, quibus in tenebris luctaretur homo, ut inveniret cultum hunc constitueret-que? Quam relationem quosdam actus motus-que inter, Deumque oculis corporeis non objectum, infinitumque reperiret? Nostrarum facultatum ille dominus est, ita. At quo argumento induceret animum ad credendum, quasdam ex iis igne consumere, aut gladio eas mactare, gratum illi futurum? et oleo saxum perfusum, aut igne combustum thymiana illi honori esse? *Num carnem taurorum manducabo* (inquit Deus ipse) *aut sanguinem hircorum bibam?* Unà ergo cum mundo sacrificiorum usus inveteravit; at si à remoto rationis fonte poterant scaturire (vid. D. Thom. 2-2, quæst. 85, art. 1), motum tamen habebant, impulsumque à revelatione illius, qui volebat, ut homines iis victimis et oblationibus non tam honorem illi impertirentur, quàm fidem, et spem conciperent victimæ perfectissimæ, quæ una vi suâ poterat debebatque Altissimo esse grata, et sui oblatione obsequium illo dignum ei præstare. Ex hoc igitur revelationis vel proximæ, vel ab homine primo per traditionem proficiscentis fonte originem procul dubio patriarcharum sacrificia habuerunt suam, quæ primis mundi sæculis Deo grata fuerunt. Natura-

(1) « Exercetur etiam ab hominibus quædam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos provocent in divinitatem... et Deus affectum mentis, et etiam motum corporis non propter se acceptat, sed propter nos facimus, ut per hæc sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, et affectio accendatur: simul etiam per hoc Deum profiteamur animæ et corporis auctorem, cui et spiritualia, et corporalia obsequia exhibemus. » S. Thomas 3 cont. Gent. cap. 119.

listæ tantùm, nescio utrùm ignorantia dicam, an perviciatæ habent, ut Abellum, Enoecum, Noemum, Lotum, Abrahamum, Melchisedechum, Jobum, quòd ante legem scriptam vixerint, non alio fuisse lumine, quàm rationis ductos, ac proinde non habuisse ullum Religionis systema, nisi naturale, opinentur. At illi ipsi libri, ubi historiam laudesque eorum heroum (quos prædecessores suos appellare audent) hi legunt, eos etiam docent, nonnisi fide illos Deo gratos fuisse, genusque hoc vitæ naturæ puræ, gentisque justæ præsidio uno religionis putidum esse commentum. Non sola ergo ratio, sed revelatio etiam externum cultum docuit mortales primos, quo Deus coli volebat.

Et sanè in gentium divisione, populis ex illà electâ gente, penès quam traditio et revelatio permanserunt, separatis, quid unquam de cultu exteriori factum est? Pro libidine cujuscumque exercitûs avaritiæ, politicæque inserviit, ut sacrilega evaserit superstitio quæ et recta lædebatur ratio, Deusque allicebatur injuriâ. Illud, in ejus honorem exerceri debebat, eratque divinitas sola, immutatum fuit, et in ejus locum vilissima quæque creata fuerunt substituta, temerè tamen fuisse ritus, qui argumenta pii integrique animi esse debebant, obscenique crudelesque fuerunt illi suffecti. Arcana eorum mysteriorum infandas velabant turpitudines, cæremoniarum studium in quibusdam perridiculis observationibus versabatur, pietatis amor etiam humano cruore aras perfundebat.

Jam in hæc tantaque distortorum opinionum varietate, quænam doctissimorum sapientissimorumque virorum um Latii, tum Græciæ sententia fuit? debere unumquemque, quod et supradiximus, religionem patriam sequi. Ita Socrates, qui morti proximus jussit, Æsculapio gallum gallinaceum immolari; ita Cicero, qui fuit ex collegio augurum, et adeò studuit, scripsitque tam multa de iis ridiculis ritibus; ita docuit Plato, ita Epictetus, ita vulgò alii, ut faciliè ex antiquitatis monumentis intelligi potest. Jam quæ hæc magis perversa ratio? Quis dubitare potest, omnes eorum rituum pravitate non cognovisse? Tamen neque ab iis abstinere sunt ausi, nec in eorum locum alios substituere puriores sciverunt.

Naturalistas nostrorum temporum, qui revelatione non indigentes lumina purissima doctissimæ mentis suæ sequuntur, nunc audiamus. Auctor libri de Moribus, qui dici potest eorum casuista, fateatur rationis lumina nihil certi definitique suggerere de modo cultum

« exterium Deo exhibendi; » fatetur tamen, « necesse esse externum cultum Deo præstare (1), » at inquit, « nihil hoc probare, « utrùm hic, an ille cultus sit præstandus. » Ergo, inquit, an opus erit, ut Deus ipse cultum ejusmodi *necessarium* præscribat, definiatque? Nihil verò minùs, ille respondet, quandoquidem « Deo fortassè (2) non minùs arridet « diversitas cultuum, qui sibi exhibentur in « diversis religionibus, quàm ille, quo in roma- « ná Ecclesiâ quidam regulares viri mediâ « nocte matutinas horas recitant, alique manè, « alique canunt, alii legunt. » Ex quo præclaro principio hic præstans magister morum colligit supradictum præceptum, debere prudentem quemque suæ patriæ cultum sequi : « Debet sibi quisque (sunt ejus verba) hanc « legem præscribere, ne illum unquam violet « nec illum perturbando nec abjurando (3). » At ille parumper respondeat : Potestne Deus æquè respicere varias, contrarias falsasque sententias, hoc est, varium internum cultum, qui in diversis religionibus sibi habetur? Opinor, nisi à Deo sapientiam, sanctitatem, providentiam et justitiam auferat, et non concipit Deum omninò hardum, eum non posse errorem hunc effutire. Pergamus porrò. Cultus exterior nihil aliud est nisi publica professio significatioque interioris et à diversis animi in Deum sensibus originem suam trahit, hoc est, ut sit vel rationalis, si sunt justii, aut supersticiosus, si sint erronei. Si Deus quoad diversitatem diversarum religionum interioris cultùs nequit se æquè habere, neque poterit æquè respicere obsequia, seu cultum exteriorem, qui ab illo regitur, et per quem ille significatur exprimiturque. Studuit sanè, ut exceptione philosophus noster vim argumenti eluderet, cùm inquit, quemlibet sequi debere cultum suum, *modò cum religionis naturalis principiis consonet*. At ut quisque videat, quantum in ratiocinando secum constet, satis erit advertere, 1^o hanc exceptionem sumere id quod est

(1) « La nécessité de rendre à Dieu un culte « extérieur ne prouve rien en faveur de tel « culte particulier. » Ibid.

(2) « Peut-être Dieu n'est-il pas plus mécontent « de la diversité des hommages qu'on lui rend « dans les différentes religions, qu'il ne l'est de « ce que dans l'Eglise romaine quelques reli- « gieux récitent les matines à minuit, et d'au- « tres le matin ; de ce que quelques-uns les « chantent et d'autres les psalmodient. » Ibid.

(3) « Et quant au culte extérieur dans lequel « il est... il doit se faire une loi de n'y ja- « mais donner atteinte, ni en le troublant, ni « en l'abjurant. Ibid. »

in quæstione, hoc est, non esse religionem re-
velatam ; si enim hæc esset, non solùm æ-
pienti cultus ille externus, qui convenire cum
religione naturali non potest, esset deserendus,
sed ille etiam, qui errore alicui revelato dog-
mati contrario fulciretur. Jam scriptor noster,
qui testatur in Admonitione (1) suo operi præ-
fixa, se velle, ut liber suus legatur à *Mahume-
dano juxta, atque à Christiano, et se scribere*,
ut doceat quatuor terrarum plagas, non poterat
non complecti exceptione suâ etiam religionem
revelatam creditam in quatuor terrarum plagis,
notamque iis pro quibus scribebat, et à
quibus se legi cupiebat; at si id innuebat, jam
victus erat, corrucebatque per se thesis. 2^o Ve-
rùm id prætermittamus. Si libido nobis est
cognoscendi, quàm præclaras, quàm rectas re-
ligionis naturalis notiones habeat, et quàm fe-
liciter iis ducibus internoscat, qui exterior
cultus sit recipiendus, aut qui rejiciendus; lo-
cum legamus integrum : « Quod pertinet ad
« exteriorem cultum, in quo natus altusque
« prudens est, si potest cum religione naturali
« convenire, debet sibi hanc legem præscri-
« bere, ne illum nunquam violet, nec illum
« perturbando, nec abjurando. » Hinc è vesti-
gio velut per consecutionem inquit (2) : « Ignos-
« co Turcæ, si est Mahumedanus, at non ignos-
« co Christiano, si Turca fiat ; furor est, et
« quidem maximus, perturbare conscientias iis
« de rebus, quas credimus nihil ad Dei glo-
« riam pertinere. » Ita dicitur in hujusmodi li-
bris, ut ratio extollatur. Hæc sunt illa argu-
menta, quibus convincuntur homines, homi-
nem quoad religionem non aliâ indigere luce,
ut rectè ambulet, quàm suâ. Ignosco Turcæ,
si est Mahumedanus. Ergo ne in eâ sectâ omnia
cum religione naturali congruunt? Nempe,
specimen afferamus. Articulus præcipuus,
quem simul cum Dei unitate profiteri debet
Mahumedanus, est credere Mahumedem pro-
phetam Deo afflatum, ejus dicta in Alcorano
contenta singula sint oracula divina. Quis est,
qui non videat, quàm præter rationem silem-
que sint isthæc? Nota ejus missionis (ut silen-
tio plura alia innumera argumenta prætermittantur)
eum nobis ostendit sycophantam, qui

(1) « Je veux qu'un Mahométan puisse me
« lire aussi bien qu'un Chrétien : j'écris pour
« les quatre parties du monde. » Avertis, pag. 8.

(2) « Je pardonne à un Turc d'être Musul-
« man ; mais je ne pardonne pas à un Chrétien
« de le devenir. Il y a pis que du fanatisme
« à alarmer les consciences pour des matières
« qu'on ne juge pas intéresser la gloire de
« Dieu. » Part. 1, art. 2.

dixerit (surâ 35 ver. 47), « Deum ut ho-
 « mini sancto et prophetæ privilegium dedisse
 « sibi habendi abutendique ad libitum, qui-
 « bus et quot uxoriibus, et quot ancillis vel-
 « lect; » quod ipse est executus, habuitque
 mulieres undecim, aut tredecim, aut septem
 et decem, aut, ut alii scribunt, viginti sex di-
 cto sibi audientes, et testatus est, « Deum
 « (Vid. Marac. Prodrom. ad Refut. Alcorani
 « part. 1, cap. 26 et 27) ejus felicitatem in
 « mulieribus, et in odorem suavitate consti-
 « tuisse. » Quid convenientius naturali juri,
 quàm genera flectere huic homini, cultumque
 ut prophetæ, misso allatoque à Deo præstare?
 Progrediamur ulterius. Quis cultus ritusque
 religiosus magis rationi consonus est jejuni-
 o illo, quod Mahumedes suis imperat, quod ante-
 cedere debet nox integra, per quam cibus cuj-
 cumque generis, potuque se ingurgitare debent,
 simulque promiscuis amplexibus sæpius incul-
 catis et pudentissimè jussis dare operam?
 deinde verò lucentes aurorâ per diem totum
 in suis templis divinis vacare debent? Quo-
 nam pulchrius præmium hominibus ratione
 præditis proponi poterat in alterâ vitâ (surâ 2,
 vers. 25), quàm horti amœnissimi, perpetuæ-
 que voluptates, æternæque gaudia cum pul-
 cherrimis mulierculis? Hæc aliæque turpitudi-
 nes innumeræ reperiuntur in Turcarum reli-
 gione permixtæ fabulosis traditionibus pluribus,
 consuetudinibus vitiosis, ritibus ridiculis,
 sanæque menti adversantibus, ut obiter etiam
 Alcoranum legenti, vitam Mahumedis vel le-
 viter pervolventi, intuentique vel per transen-
 nam Turcarum mores innoscit (1). Auctor
 tamen Morum his omnibus posthabitis, ignos-
 cit Turcæ, si est Mahumedanus, sive quod e-
 dem redit, credit nihil in interiori cultu, ac
 proinde in externo, qui ab illo derivatur, ni-
 hil, inquam, esse in Mahumedis religione,
 quod simul cum naturali jure componi non
 possit; quod est præclarum principium illud,
 quo vult hominem prudentem regi, ut vel se-
 quatur, vel deserat patriam religionem. Gratia
 quidem habendæ sunt illi maximæ, quòd ita
 favet christianæ religioni, ut nolit parcere
 Christiano, si Mahumedanæ religioni nomen
 dederit; id tamen non ex eo fit, quòd impro-
 bam et rationi absonam Mahumedanam sectam,
 aut christianam religionem eâ potiore putet,
 sed quia illi videtur migratio hæc habere posse

(1) Præter Thyrsium Gonzalez, Adrianum Re-
 landum, Maraccium et alios, legatum Joan-
 nes Cagnierus, in Mahumedis vitâ,

« aliquid furoris, quod conscientiam perturba-
 « ret iis de rebus, quas credit nihil ad Dei glo-
 « riam pertinere. » Discrimen enim, quod in-
 tercedit inter cultus qui duabus his in religio-
 nibus Deo habentur, non est hujus morum
 præceptoris sententiâ majus illo, quod inter
recitationem horarum matutinarum nocte mediâ,
 et *recitationem* summo mane factam interest;
 quapropter Deus æquè ad hos cultus se debet
 habere. Requiro à prudenti lectore, num qui
 ita cogitat, qui hæc scribit, habeat quædam
 non dicam religionis, sed rationis, sensusque
 communis? Hæc tamen est spiritum fortium
 nostræ ætatis, qui nihil aliud crepant plenis
 buccis, quàm honestatem, quàm rationem,
 nota potissima. Mahumedana secta moribus
 turpis, dogmatibus fabulosa, stulta, et irriden-
 da ritibus panegyricis, orationibus horum ho-
 minum virtute præditorum, acutorum ratioci-
 natorum, philosophorumque boni sensus magis
 magisque in dies ornatur; qui in christianâ
 religione nihil comperitur nisi absurditates
 fictionemque. Præter speciem modò æstatum
 auctoris libri de Moribus, satis erit cursum le-
 gere Epistolas Judaicas, Epistolas Persicas,
 Epistolam Personati medici Arabis, vitam Ma-
 humedis scriptam à Boultenvillero, aliosque
 hujus farinae scriptores recentes, ut de hoc
 convincamur eodem tempore, et stomachemur.
 Furor fanaticus erga Alcoranum et Rabbini-
 mum recentissimus mos est. Quis putasset, se
 hoc auditurum in Europâ, et seculo tam lit-
 terato!

Sed jam redeundum est ad propositum;
 proclive erit ex hactenus dictis arguere, quàm
 necesse fuerit, ut homini cultum illum, quem
 sibi exuberi volebat, Deus revelaret. Delira-
 menta recentium naturalistarum recensui-
 mus, non ut hinc argumentum communis ho-
 minum infirmitatis in propositâ materiâ de-
 duceremus. Secernantur jam ab omnibus ex
 quâdam ipsorum cogitandi ratione propriâ,
 quæ prætergreditur vulgò errandi terminos,
 et quæ delirium verius quàm ratiocinium est
 dicenda. Vidimus tamen, quantum in hæc
 materiâ etiam viri præstantissimi hallucinati
 fuerint, et ex eorum erroribus colligere po-
 tuimus, qui, quàmque vari et monstrii hu-
 manæ mentis essent furores, si ad libitum
 suum homines religionem regerent. Clara
 nimis experimenta habemus etiam in iis con-
 ventibus, qui revelationem morum suorum
 ducent habent; superstitione furorque ex igno-
 rantia et infirmitate, eeu arbore fructus, pro-

ducuntur; qui furor, quæ superstitio identidem, ut zizania electo grano, vigilantia, vocibusque sapientissimorum virorum nihil pensitatis, qui vellent perfectam analogiam inter cultum externum internumque esse, hujusque summam conjunctionem cum ratione et divino verbo permiscerent. Si tamen errores abususque singularium hominum in hac parte ansam libertinis præbere non debent, ut societatem totam accensent, quæ hujusmodi errores abususque in divinum cultum irrepentes damnat, nobis tamen evidenti argumento sunt, revelationem, ut homines regerentur, necessariam fuisse. Si interdum, tanto lumine affulgente, cæcutiunt hi, *cultumque indebitum* illi præstant, puritatemque religionis consuetudinibus indecoris stultisque maculant: si carerent omnino duce, et lumine aut in summam impietatem cultum nullum Deo exhibendo, aut in substitutionem impurum illi habendo prolaberentur.

SECTIO IV.

Reconciliatio peccatoris.

Inquisitio veritatum, quæ à nobis sciuntur, necessarium, et investigatio necessitatis, quæ magis magisque augetur, revelationis, unâ procedunt. Quod usque huc diximus, planum id facit. Quod modò dicturi sumus, evidentissimum elicit argumentum. Ratio, quæ peccator se cum Deo conciliet, adeò est necessaria, quæ à nobis sciatur, ut eâ ignoratâ non possimus nisi in desperationem adduci; ea tamen omnibus humanis investigationibus est adeò occulta, ut sine divinâ revelatione sciri non possit. Hæc ergo divina revelatio est magnoperè hominì necessaria. Propositiones tres demonstrationi, cui naturalistas omnes simul provocamus ad respondendum, viam sternent.

1° Homo habet legem, quæ illi jubet sequi quod rectum est, et declinare ab eo quod est turpe. Hæc lex naturæ dicitur, quòd mortalis quicumque insitam in animo eam habet. Hæc inter quascumque vices corruptosque mores ubique gentium viguit; athei ipsi, quod fatetur Baylius, nòrunt has æternas rectique, honestique regulas, imò ille vult, licet perperam, hinc ducere argumentum eorum virtutis. Naturalistæ, qui Deum et in Deo providentiam agnoscunt, secundum systema suum has leges integras admittere debent; et sanè gloriantur se illas agnoscere; hinc illa eorum ethices specimina, illi morum tractatus, aliaque miscellanea, in quibus censorio superci-

lio ubique honestatis, virtutisque præcepta præscribunt.

2° Hujus legis custos supremus Deus est. Ille ejus observantiæ invigilat, ut cultores præmiis afficiat, et in violatores animadvertat. Hoc etiam gentes omnes scenserunt. Baylius ipse hunc communem consensum fatetur, atque, rempublicam nullam fuisse, quæ inter præcipua præcepta servanda non juberet, credi judicem supremum oculis corporeis non subjectum præmiorum, poenarumque distributorem. Warburtonus in Angliâ, Patuzzius in Italiâ, quantum uterque spectaret aliò, caput hoc perspicuè illustrârunt. Naturalistæ etiam, qui contra atheos et deistas fatentur Deum, et Deum provisorum, sapientem, sanctum, potentem, ex necessariâ consecutione hoc quoque dogma fateri debent; neque illud, quin sibi contradicant, rejicere possunt, ut dilucidè demonstrabimus.

3° Duabus hęc veritatibus, hoc est, legis imperantis, Dei punientis, addenda tertia est, cum luctuosa, tum clara, communique experientiâ comprobata, homines per diem totum legem hanc lædere; atque hinc illi ipsi per eam conscientiam, quæ nihil est aliud, nisi duarum quas supra diximus veritatum verissimarum consecutio, se reos agnoscunt, se reos fatentur æternis suppliciis dignos. Homini ita jacenti quinam alii surgere in animo motus possunt, nisi desperationis, ni rationem nòrit, quâ cum Deo concilietur, evocatis supplicia? Quare ab omnibus revelationis adversariis requiro, num homo per se certò rationem hanc comperire possit?

Gentes sanè cunctæ ostenderunt, se necessitatem hujus cum Deo in gratiam reditùs cognoscere; sed electione modorum non tam variorum, quàm ad libidinem confictorum, ineptorumque, se id consequi per se non posse ostenderunt. Celebres apud antiquos ethnicos, ut maculas purgarent, placarentque numinum iram, lotiones sunt aquis fluminum et maris factæ. Hinc Ajax, ut plurima alia exempla prætermittam, ita loquitur apud Sophoclem (Ajax flagel. vers. 665):

Layaca peto, et pelagus quæ littora
Circumjacent, quæcis ibi criminum
Lotis, acerbam ut effugiam iram deæ.

Alii ritus et sacrificia innumera adhibebantur ad hunc finem quæ idèò à Græcis *ἱερατικά, ἀγαστικά, καθαρτικά*, et à Latinis *placamina, februa, piacula* appellabantur; hoc est, plac-

tionis numinum, purgationis hominum, et expiationis criminum (vid. Joan. Lomejeri de veterum gentil. Lustrationibus). Facile quisque videt ab Hebræis, à quibus derivatæ sunt gentes, religioque, hujusmodi caeremonias ad delenda crimina, ad placandum læsum numen statutas esse profectas, ut inter alios adnotarunt Justinus Martyr (Apol. 11 pro Christ.), et Tertullianus (1). Error namque gravissimus est Marshami et Spencersi (2), qui hos ritus Hebræos ab ethnicis didicisse, putant. At ad gentiles pervenerunt ceu umbræ cuiuslibet substantiæ expertes, ceu corpora sine spiritu, quo informarentur. Erant apud Hebræos illa sacrificia expiatoria, non ex hostiarum quæ immolabantur, vi, sed ex fide quæ offerebantur, quod docet D. Aug. : « In victimis (inquit cont. Faustum lib. 20) peccatum, quas offerebant Deo, sicut re tantum dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit » in temporum plenitudine, quæ sola vi suâ verè peccata delere, pacemque homini peccatori impetrare poterat. Cùm non essent itaque gentilium sacrificia hoc spiritu informata, neque hæc fide oblata, quam humana mens nisi per revelationem concipere non poterat, erant omnia inania elementa, quæ nequibant hominem innocentem efficere, imò caeremoniæ superstitiosæ, quæ illum reum multò magis efficiebant (3). Hinc Arnobius ethnicos alloquens

(1) De Præscr. advers. hæc. c. 40 : « Si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia, et privilegia, si sacrificialia ministeria, et instrumenta, et etasa ipsorum sacrificiorum, et piaculorum, et votorum curiositatem considerare mus, nonne manifestè diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est? »

(2) Leg. Natal. Alex. tom. 1 Histor. V. T. in 4 mundi dissert. 3, art. 4, ubi opinio eorum duorum scriptorum examinatur ex professo, et confutatur.

(3) Multò tamen magis reum, ridiculumque populum gentilem reddebant aliæ caeremoniæ adhibitæ ad expianda crimina, et placanda numina, neque sanè unquam ab Hebræis usurpate, hoc est, spectacula scenica memorata à Livio dec. 4, lib. 7, cap. 44 : « Ludi scenici... inter alia cælestis iræ placamina instituti dicuntur, et lectisteria, » quorum sæpè idem historicus facit mentionem; cruentique gladiatorum ludi Symmacho à Prudentio objecti lib. 4 :

Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infastus fusus gladiator arena,
Heul malè lustratæ Phlegæontia vicina Romæ !

Nempe Caron jugulis miserorum, se duco, dignas
Accipit inferas placatus crimino sacro.

(lib. 7 prop. iuit.) : « Unum (aiebat) præ omnibus quæro, quæ causa est, ut, si ego porcum occidero, Deus mutet affectum animum, et rabiem ponat. Si gallinulam, vitulum sub illius oculis, atque altaribus concremavero, oblivionem ducat injuriæ, et ab sensu penitus offensiois abscedat?... Ergone injurias suas dii vendunt, atque ut parvuli pusiones, quò animosius parcant, abstineantque ploratibus, passeruculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare se possint, ita dii immortales placamenta ista sumunt, quibus iras atque animos ponant, et in gratiam suis cum offensorebus redeant? » Ipsa eadem Justiniana convicia legi possunt apud Justinum Martyrem, S. Augustinum, Lactantium, aliosque Patres. Imò gentiles ipsi, qui erant emunctæ naris, ridebant, et ut alibi etiam dictum est, quam inepta hæc sacrificia, et hæc expiationes, quæ à profanis sacerdotibus credulæ plebi explicabantur, essent ad purganda peccata, et ad deos mitigandos, videbant. Quare aiebat Ovidius (Fast. 11, vers. 45) :

Abi nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Flumineæ tolli posse putatis aquæ !

Et Plautus in Prologo Rudentis :

Atque hoc scelesti illi in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis:
Et operam et sumptum perdunt.

Et Stobæus (Serim. 4) afferens celebre illud Euripidis effatum :

Humana delet mare cuncta crimina,
statim adjungit : « Cadit autem hoc dictum in superstitiosos, qui mari lustrari solent. »

Si ergo ridiculæ ineptæque lotiones, sacrificiaque ad abluenda crimina erant, quem alium modum per se homo reperire poterat, quo in gratiam cum Deo rediret? Eruditissimus Huetius vult, (quæst. Alnet. lib. 2, cap. 20, n. 4) peccata salubri penitentiâ esse eluenda, mores emendandos, animum ad Dei cultum esse revocandos, atque ita placandum Deum, gentium omnium præceptum esse,

Et sacra humanarum victimarum ad placandam coeli iram -

Sanguine placâstis ventos, et virgine cœsâ
Cùm primùm Iliacas, Danaï, venistis ad oras;
Sanguine quærendi redditus, animâque litandum
Argolica est. Virg. Æneid. 2.

Poeta semper servat in fabulis morem; et ἀπορροδοσία, ut dicemus alibi, erat inter gentes penè communis. Ex quibus inferat lector, quò progrediantur homines à Deo deserti.

« quæ Deum agnoscunt. » Nemo tamen est, qui nesciat, quàm diversè, quàm ineptè, quàm libidinosè hæc pœnitentiæ notiones ad actus redigerentur à gentibus, quæ nedùm essent placamina, magis magisque læsum numen ad iram provocabant. Et sanè cùm totus in eo sit auctor, ut, velis nolis, secundùm systema illud, quod sibi effinxerat, ostenderet, penès ethnicos præcipua christianæ religionis capita fuisse, putat plurimos populos per confessionem peccata dimitti credidisse; quare recensitis Hebræis, Mahumedanis, Gauris, Tunchini et Siami gentibus, ad Japonenses gradum facit, et hæc ait: « Homines suspensum dunt in altâ rupe, in præceps dejicere parati, « ni peccatorum omnium publicam edant confessionem. » Enimverò tunc perfectam amarissimamque pœnitentiam eos edituros esse crediderim. At quorundam Indorum admirabilior est pœnitentia. « Antrum, inquit Huetius, esse quoddam apud Indos, narrat Barthesius (apud Porphyrum de Styg.), quo hominum noxæ explorantur. Ostium subeunt, qui probantur; ingrediuntur, si insontes sunt; si affines culpæ, coarctante se ostio, arcentur ingressu, et admissa peccata palàm confiteri coguntur, deorumque veniam precationibus et jeuniis impetrare » (ibid.). Vah! confusionem. Aliquid tamen majus, si auctori doctissimo habenda fides est, videtur esse in quâdam Sinarum sectâ; en auctoris verba (ibid.): « Secta quædam apud Sinas criminum pœnitentiam, absolutiorem et satisfactionem admittit. » Sicut etiam notatu dignum foret, si verum esset, quod scriptor idem ait ibidem, nempe: « In Platonis Phædone observârunt viri docti pœnitentiam, confessionem et satisfactionem, item distinctionem peccatorum gravium et leviorum, sive, « ut theologi de scholâ loquuntur, *mortalium et venialium.* » Verùm neminem latet, quæ scribendi prurigo, quæ certamina præcipuè duobus proximè elapsis seculis inter doctos de hæc re fuerint; quotque Platoni adscripta fuerint, quæ ne per somnium quidem cogitârât. Et sanè locum Justinii Martyris (Cohort. ad Græc. n. 23) habemus, à quo discimus, Platonem damnâsse Homerum, quòd putârât, numina hominum precibus placari posse; quod cùm à Platone negetur, aditus quilibet pœnitentiæ obstruit; « quandoquidem, inquit Justinus, qui credunt, divinum numen flecti non posse, nunquàm peccare desinent, « putantes, nulli emolumento sibi pœnitentiam

« esse. » Cæterùm verum quidem est, Plutarchum (de Superstiti. apud Huet. ibid.) egisse de superstitiosâ criminum confessione, quam quidam infirmitate gravati, edebant, et pendendis superstitionibus contaminatos fuisse ritus eorum Romanorum, qui legem judaicam colebant, dictorum proinde *Judaizantium*, quos vellicat Persius satyrâ 5. Quanquàm nescio, cur in iis poetæ verbis, *labra moves tacitus*, intelligenda sit, ut Huetio placet (1), *peccatorum confessio Hebræorum ritu facta*; et non potius, quod volunt antiqui scholiastæ, mussitare et rodere preces, quod illi ex veterum more faciebant, faciuntque etiam recentes Judæi. Utcumque tamen res se haberet, et quamvis, ut se pœniteret, Romani eos ritus peragerent, superstitionem tamen, ut dicebamus, ridiculam redolebant, quod clarè Persii (2) eodem in loco legitur. Ejusmodi omnes alios *pœnitentiales canones* ab ethnicis, ut noxas diluerent, præscriptos, et ab Huetio ibi exposito: fuisse credimus.

Vulgatior tamen pœnitentia, quam prudentes gentiles adhibebant, nihil aliud, meâ quidem sententiâ, erat, nisi dolor patrii criminis, aut è deformitate peccati naturæ, vel rationi contrarii, aut è funestis effectibus, quos noxa parit, excitatus: vi cuius irâ in crimen et in seipsos commovebantur; se coarcebant, se puniebant, seque diu noctuque domesticis furiis actos aiebant, hoc est, dolore quo affligebantur. Ita eum pœnitebat, qui exclamabat:

Pœnitet, ah! si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, et factio torqueor ipse meo.

(Ovid. 1 de Ponto 1, 59). Alexandri pœnitentia fuit vehementior, de quo Tullius (Tuscul. Quæst. lib. 4, cap. 37) scribit: « Alexandrum regem videnus, qui cùm interemisset Clitum familiarem suum, vix à se manus abstineuit. Tanta vis fuit pœnitendi. » Hæc tamen, aliæque pœnitentiæ, quas apud antiquos legimus, acerbissimæ, cùm non aliunde quàm amore proprio proficiscerentur, neque

(1) « Quò referri etiam possunt illa Persii: « *Labra moves tacitus*, quibus Romanos laecissit peregrinis religionibus addictos, ac eos præcipuè, qui Judaico ritu peccata confitebantur. » Ibid.

(2) Herodis vendere dies, unctæque fenestræ
Dispositæ pinguem nebulam vomere lucernæ:
Portantes violas, rubrumque amplexa catillum
Cauda natat tygni; tumet alba fidelis vino:
Labra moves tacitus, recutitque sabbata palles,
Tunc nigri Lemures, etc.

quidquam aliud spectarent, quàm quid creatum, crimina abstergere, Deumque amicum efficere non poterant.

At operæ pretium est Tyndalum audire, qui ingenii sui acumine hanc antiquorum reconciliationis, ut vidimus, nunquam cognitam rationem se comperire existimat. « Nonne verum est (inquit ille in libro inscripto : « *Religio christiana æquè prisca, atque creatio*, « pag. 359) bonum parentem, dominum bonum, et ut quid amplius dicamus, magnanimum hostem, parcere filiis, familiaribus, hostibus ipsis, cum verà commissorum criminum poenitentiam eos allicitos intuentur ? » Cur ergo poenitenti peccatori hoc idem à Deo non est sperandum ? Non absimili ratione Anglus alius, Joannes Lockius ratiocinatur (in libro suo *le Christianisme raisonnable*, chap. 14) ex naturali cognitione, quam mortales cuncti habent, « Deum esse mitem, patientem, in veniam proclivem, divitem in miserationibus, » deducit, modum, quo cum Deo in gratiam redeant, cognoscere omnes posse, et ab illo eam consequi veniam, quam homo filiis suis, prostratisque hostibus solet concedere ; modus autem hic in eo consistit, ut « fateatur homo peccata sua, ut ea reprobet, ut veniam à Deo petat, proponatque, se posthàc ad rationis regulas mores suos conformaturum. » Duorum Anglorum, unius quidem naturalistæ, alterius verò non admodum probi Christiani, innititur totus hic sermo, ut modò videbimus, parùm stabili fundamento, ac proinde per se collabitur. Tamen fingamus nunc, aliquem Tyndalo Lockioque consecutionem tantum negare, quæ ex bonitate Dei colligitur, Deum in gratiam unius poenitentiam causam dolentem hominem recepturum, quomodò eam probarent ? Inter hominis poenitentiam, Deique veniam possuntne probare necessariam relationem intercedere ? Minimè verò gentium ; hoc enim à solâ Dei voluntate pendet ; ergo, si Deus ipse hæc non revelavit, humana ratio certò non detegit ; imò si causas sperandi habet, habet etiam ambigendi, pavendique. Et primùm quidem quæ proportio Deum inter et hominem ex unâ parte, et patrem et filium, dominum servumque, hostesque duos ex aliâ ? Eò major est culpa, quò læsus est major, Deusque immensum homini præstat ; si ergo pater filio parcit, non ideò ratio argumentum par videt, ut certa fiet, Deum peccatori homini veniam daturum. Deinde Deus bonus est, talemque ratio intuetur : ita sanè ; at etiam sapientem,

justum sanctumque eum prospicit. Cognoscet eum bonum ; at nescit, quousque in læsorem suæ majestatis velit clemens esse. Novit, omnia divina attributa simul ex composito operari, neque unum alterius jura perturbat. Est quidem bonus pater, sed est supremus moderator, æquusque ordinis custos. Jam verò quis esse potest, qui me certiorum faciat, eum hujus ordinis perturbatores, vel suarum legum violatores non esse vindicaturum, iisque gravissimis, plurimisque obstrictis sceleribus (hujusmodi homines videmus non paucos) daturum veniam ? Quænam est respublica, cujus magistratus omnibus viarum grassatoribus, pacisque hostibus, modò se poeniteat suarum nozarum, ignoscat ? Natura (egregè inquit « Clarkius *de l'Existence de Dieu* tom. 2, chap. « 10) non patefacit nobis, num Deus, ut « contemptum suarum legum ulciscatur, ut « decus sui regiminis vindicet, ut ostendat « quousque peccatori iratus sit, exacturus sit « quid majus, quàm poenitentiam, priusquam « denuò det homini amissa privilegia. Nullum « enim Dei attributum est, quo, teneri Deum « ad ignoscendum peccatori dolenti tantùm vi « suæ poenitentiam, evidenter demonstretur. « Una igitur natura hominem sollicitum accipitemque, quo modo Deum læsum placet, « nequit recreare. » Jacobus Odus ultrajecti ad Rhenum, geometricâ methodo cum religionis naturalis vires extulisset quam maxime humana ratio potest, probat, (*Theol. natur. part. 3, prop. 66*) « eam satis non esse, ut « homo salvetur ; » idque ob hanc rationem inter alias, quia cum ex unâ parte sua peccata intueatur homo, « non potest modum ullum « per se reperire, quo iratum mitiget Numen, « et cum illo reconcilietur. » Monstrat autem, « esse probabile, aliquem hujus reconciliationis modum esse » (*ibid. prop. 67*) : sed demùm ad probandum transit, « opus esse, ut « modus hic à Deo ipso reveletur, qui unus « ut sapientissimus eum invenire potest, ut « potentissimus potest exequi, ut optimus cum « homine bonum tantum potest communicare » (*ibid. prop. 68*). Hujus sententiæ est Stackousius, et Burnetus penès illum (*le sens littéral de l'Écriture*, tom. 2, chap. 25). Neque, dubito, alios quamplurimos idem sentire. Ut paulisper opinionis horum auctorum pondus examinare supercedamus, denusque, æquale illud esse momento sententiæ Tyndali et Lockii, si harum sententiarum hominum ad libitum sumum cogitantium diversitas in re tan

gravi consideretur, annon debemus evidenter inferre, humanam rationem per se nullum tutum reditûs in gratiam cum Deo, pacisque modum invenire posse; ac proinde in hujusmodi angustiis ejusdem Dei revelationis se indigere, per quam Deus illi modum significet, quo ille, qui est liber supremusque Dominus, placari velit?

Verùm redeamus ad argumentum. Tyndalus Lockiusque dicunt, Deum veniam daturum homini, quem sincerè suorum criminum pœniteat. Sit ita. At hæc sincera pœnitentia in quo consistit? 1^o In summâ peccati execratione non proprii humanique alicujus emolumentî causâ, sed causâ Dei, ut eum nobis placeamus; 2^o in firmo stabilique proposito nolendi de cætero ejus leges lædere. Quandoquidem ne homo quidem læsus pœnitentiâ, quæ hæc careat conditione, placatur, imò quasi derideatur, magis ad iram commovetur. Requiro nunc à Tyndalo et à Lockio, qui id concedunt, et exigunt ut venia obtineatur, et à cunctis naturalistis, num eorum quisquam possit pœnitentiam ejusmodi polliceri se facturum. Si antiquos gentiles omnes obiter tantùm inspiciamus, imò si intimi sensûs vocem unam audire nobis lubeat, fateri cogemur, somniam hominem, comminisci, et toto celo errare, si putat nullo alio duce, nullâ aliâ vi, quàm naturâ suâ se adjutum posse pœnitentiam hanc elicere. Nihil hic requiritur aliud, quàm vel tantillum bonæ fidei, ut concludamus, hominem voluptatibus ingurgitatum, exempli causâ, si Venus illi arrideat, nunquàm quibus constringitur, effracturum esse vincula; et si parumper caput eximet, statim subiturum jugum, et etiamsi suorum criminum deformitatem turpitudinemque cognoscat, nec voluntatem, nec vires habiturum, ut vitium deserat, multoque minus, ut semper deserat, fassurumque cum illâ Medacâ:

. . . . Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Hinc Celsus apud Origenem (lib. 3 advers. Celsum, sub finem) et Cicero apud Lactantium (lib. 6 divin. Instit. cap. 24), id pro certo affirmabant, non posse homines malâ consuetudine actos corruptosque, pœnitentiâ et permutatione morum se corrigere. Cùm non agnoscat itaque homo naturæ lumine modum, quo veram pœnitentiam eliciat, neque modum, quo cum Deo reconcilietur agnoscere potest,

quamvis certus esse possit, hujusmodi pœnitentiam sufficere, ut hæc reconciliatio fieret. Cujus rei tamen ratio, ut diximus, nullum nobis argumentum certum suppeditare potest, quod nos tutos reddat. De peccatore igitur revelatione carente actum esse concludatur. Veritas hæc satis demonstrata videtur. Eam tamen à naturalistâ, aut deistâ religionis christianæ palàm hoste audire ne pigeat, qui ita scribit (1): « Debet ex naturâ suâ esse melior « homo, cui ratio (dicendum erat perverciacia) « persuaserit religionem catholicam esse falsam, quàm Christianam. Confessio promovet « peccatum, eò quòd certus est, se esse absolutum » (hic aut nescit, aut simulat se nescire, quid Christiani doceant de justificatione) « facilius autem peccatum fit, cujus « speratur venia; contra verò homo oritur, « (ita autem appellat Naturalistam) rationem « non invenit, quâ suorum delictorum veniam « consequatur. » Nunc interrogo scriptorem nostrum, num ipse, omnesque ordinis homines possint dicere, se non prolabi, aut prolapsuros in graves errores? Licet sint frontis adeò perfrectæ, opinor, non ausuros eos id dicere. Ergo, inquit, hi omnes jam desperant; non enim rationem inveniunt, quâ suorum criminum veniam obtineant. An dicent, philosophum hunc joco habere, et contemptui alterius vitæ supplicia, ut habent omnes deistæ, et ex naturalistis non pauci? Ergo, repone, hæc jactata honestas hominis ordinis, quæ ex eo nascitur, quòd modum nullum ille reperiat, quo sua errata sibi ignoscantur, est honestas inanis, ficta ad libidinem; si enim peccat Christianus spe veniæ motus, ejus sententiâ, multò magis homo ordinis spe impunitatis peccabit. Ita ergo nunc urgeamus petulantem hunc philosophum: Aut ais, esse supplicia in alterâ vitâ, aut negas. Si negas, ergo ille tuus ordinis homo ex hoc ipso systemate non solum erit Christianis honestior, sed æquè improbus ac atheus quicumque. Si pœnas in alterâ vitâ esse das, ergo, si homo tuus ordinis peccare potest, desperare debet, siquidem, tuo judicio cùm

(1) « Il doit y avoir naturellement plus de « probité dans une personne persuadée par « raison de la fausseté de la religion catholique que dans un chrétien. La confession « autorise le crime par l'assurance d'en être « absous; on fait facilement un crime, lorsqu'on espère le pardon; au lieu que l'homme d'ordre ne trouve point de ressource pour se pardonner ses fautes. » Examen de la religion, attribué à M. de S.-Ervmond, chap. 2.

modis careat, quibus purget sua crimina, sub oculos supplicium habet, quoniam sperare possit, se impune evasurum. Igitur vel tu in tuis principis tibi metipsi contradicis turpiter, aut propositionem meam invictè confirmas, eamque cum confirmes, fateris simul id, quod liberulus ille tuus dirucere conabatur, nempe divinam revelationem homini fuisse necessariam, nec illi ad ravim usque jactata rationis lumina sufficere.

SECTIO V.

Homo sine revelatione.

Innuimus ad calcem præcedentis sectionis, debere hominem, ut veniam consequatur, suppliciaque effugiat æterni iudicis, firmum, constansque, non violatum se amplius leges eas, quas natura præscribit, propositum servare. Verum diximus etiam, eum divinam revelationem orbatum hujusmodi propositum non servaturum. Age, magis ad vivum materiam hanc rescemus, quæ nobis aliud suppediabit argumentum, ex quo inferemus, quam sit infirma naturalis religio, quantumque indigeat homo divinæ revelationis, ut mala summa evitet, consequaturque finem suum.

Permoveatur igitur *homo ordinis* veræ poenitentiam, ut Tyndalus loquitur, suarum nozarum: ratione suâ injustitiam videat, damna prospiciat, eas abhorreat, eas detestetur. Quid inde? Intus in se aliud impellens principium habet adversans his rationis jussis, quod velut unco impacto ineluctabili vi scientem videntemque rapit in pristina crimina, quæ modò abhorruit, fuitque detestatus. Adolescens Phædria apud Terentium (Eunuchi act. 1, sect. 1) nimirum nobis spectandum exhibet hoc cupiditatum adversarum sibi invicem certamen, cum feminæ illi iratus inquit :

O indignum facinus! nunc ego et video
Illam scelestam esse, et me miserum sentio.
Et tædet, et amore ardeo; et prudens, sciens,
Vivus, vidensque pereo; nec quid agam, scio!

Hoc certamen illud, præliumque acerrimum est, propter quod jure hominem ænigma Pascalius dixit, ænigma, quod nisi præcedat revelationis fax, quæ primam ejus originem detegat, variasque ejus naturæ vices solvi nequaquam potest. Voltairius (*Pensées*, 3) tamen poeta naturalista, hanc cogitationem irridet, respondetque, « hominem non esse ænigma, « ut ille putat, ut sibi sit bellulus, caudamque « jactet, cum illud dissolverit. Homo est (ita « dicere pergat) ut cætera omnia, quæ vide-

mus, malis, bonisque, voluptate, et dolore « temperatus, constansque. Affectus habet, ut « agat; rationem, quæ actus suos moderetur. « Si homo esset perfectus, esset Deus. » (O ingenii acumen! quasi verò inter ens corruptum, imperfectumque, et ens *infiniè perfectum* nihil sit medii.) « Atque hæc creditæ oppositio- « nes, quas contradictiones dicis, sunt partes « hominis componentes necessariæ, qui est « ejusmodi, qualis esse debet. » (*Lett. 23 sur les Pens. de M. Pascal*, 5.) Equidem diducere non ausim, num hoc in loco sint plura verba, an plures errores latente. Ipsi ethnici philosophi ænigma in homine cognoverunt, videntemque, *eum non esse quo esse modo deberet*. Nulla sententia apud eos antiquior et magis usurpata (præcipuè penes Pythagoricos et Platonicos), quam animam humanam in corpore, tanquam in durissimo ergastulo constrictam teneri, ut poenam malefactorum aliâ in vitâ patratorem luat. Præclarum Ciceronis locum in Hortensio ad hanc rem nobis D. Augustinus conservavit, contra Julian. lib. 4, cap. 15 : « Ex quibus hu- « manæ (inquit Cicero) vitæ, et erroribus, et « ærumnis fit, ut interdum veteres illi sive « vates, sive in sacris initiis tradendis divinæ « mentis interpretes qui nos ob aliqua scelera « suscepta in vitâ superiore poenarum luenda- « rum causâ natos esse dixerunt, aliquid vi- « disse videantur; verumque sit illud, quod « est apud Aristotelem, similis nos affectos esse « supplicio, atque eos qui quondam, cum in « prædonum Etruscorum manus incidissent, « crudelitate excoGITATâ necabantur, quorum « corpora viva cum mortuis, adversa adversis « accommodata quam aptissimè colligabantur, « sic nostros animos cum corporibus compru- « tatos ut vivos, cum mortuis esse conjun- « ctos. » Quis ex his testimoniis non colligit, hoc persuasum fuisse veteribus, *hominem non esse id quod naturaliter esse debet; non esse illum in pristina suæ vitæ conditione, et oppositio- nes, quæ in illo sunt, non esse partes componentes illius naturæ?* Quod etiam apertius significat idem Cicero alio in fragmento libri 3 de Repub., quod idem Augustinus nobis servavit, cont. Julian. lib. 4, c. 12 : « Idem Tullius ho- « minem dicit non ut à matre, sed à novercâ « naturâ editum in hanc vitam; corpore nudo, « et fragili, et infirmo: animo autem anxio « ad molestias, humili ad timores, molli ad « labores, prono ad libidines; in quo tamen « inesset tanquam obrutus quidam divinus « ignis ingenii et mentis. » Jam verò si omnia

hæc mala, unde nimirum proficiuntur contradictiones, et ænigma quod in homine cernimus, credidisset Cicero *partes necessarias hominem componentes*, naturam, quæ ita eum efficit, novercam procul dubio non divisset. Legi potest D. Augustinus locis supradictis, ubi quovis argumentorum genere eversa isthæc insana Voltairii sententia, qui negat animæ humanæ corruptionem ex origine, putatque, hominem esse ejusmodi, qualis esse debet, reperitur.

Quare etiam sine revelatione, qui se intus et in cute inspexerunt, excusseruntque turbas pugnasque, quæ sunt in homine *prono ad libidines, humili ad timores, molli ad labores*, cognoverunt; hisque omnibus de causis videlicet, eum nunquam constare secum, viderunt, hoc est, cum jussis *obruiti illius divini ignis ingenii, et mentis, qui in se inerat*, et quo agnoscebat has ipsas affectiones, ut mala; viderunt, inquam, hæc omnia, sed causam ignorabant. « Rem vidit, causam nescivit (inquit idem Augustinus ibid.). Latebat enim cum, cur esset « grave jugum super filios Adam à die exitus « de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium, quia sacris « Litteris non eruditus ignorabat originale peccatum. » Atque hæc una est ænigmatis solutio, et sine hæc cognitione, optimè inquit Pascalius, *magis (1) sibi est incomprehensibile homo, quam hoc mysterium illi sit incomprehensibile*.

Ut hinc in viam redeamus, et in *homine ordinis* hæc pugnâ, hæc rebellionem positâ, cujus causam originemque ille ne agnoscit quidem, quodnam remedium, ut eas naturæ leges adimpleat, quarum est severissimus custos Deus, afferre poterit? Debet, inquit Voltairius, in se ipso illud invenire (*vide supra*). « Affectus enim animi habet, ut agat, rationemque, ut opera sua moderetur. » Optimè; atqui pugna hæc est nimirum rationem inter et affectus. Demonstrandum longo sermone nobis erit, in hoc certamine rationem homini datam, ut regat, extorqueri sibi à manibus lora sentire, aggressionibusque Injusmodi furentis affectus

(1) Pascal, dans les Pens. 3 : « Le néant de notre condition prend ses retours et ses plis dans cet abîme; de sorte que l'homme est « plus inconcevable sans ce mystère, que ce « mystère n'est inconcevable à l'homme. » Diœteria Voltairii ad hunc locum leguntur ubertim confutata in opere gallico, quod præ se fert titulum: *Sentiments de M.... sur la Critique des Pensées de Pascal par M. Voltaire*. Præterea in *Lettres Flamandes*, lett. 40 et 41.

esse illi cedendum, quin aut repellendi, aut in officio eos continendi vim ullam habeat? An demonstrandum nobis erit, tantum abesse, ut ratio hominis luminibus suis affectuum impetus coercere possit, ut hi ipsi, nescio quo luctuosissimo fato fiat, eam subjunct, eam obcæcent, ut aut domita taceat, nec eorum motus improbet, aut errore acta eos etiam defendat, detque vitii ipsis virtutum nomen? Nihil factu facilius esset, quam præstantissimorum cujusque ætatis virorum testimonia ad id confirmandum proferre; at illa prætermittens omnia, Voltairioque ipsi minimè jubens, ut in se descendat, seque excutiat, ut agnoscat, quæ quantaque suorum affectuum vis fuerit, quod et quantum suæ rationis robor, confessionem hanc denique, incassum pluribus contradictionibus subterfugiisque adhibitâ à poetâ, quo usus est familiarissimè, habuitque præceptorem, Popium dico, audiat :

Heu! ratio (1), infirmè nimirum tua jura superba
Defendis. Regina putas præscribere nobis
Jura? infirma fovens quæ semper amantem
Hanc illumve, huic aut illi committere curam
Quamque soles nostri. Ast ubi jactata illa potestas?
Quid præcepta juvant toties repetita severa?
Aliâ voce mones: heus! est vincenda voluptas;
At pugnaturis quæ nobis arma ministras?
Voce tuâ moni jam crimina nostra videmus;
Quid tuæ opes nobis presunt, vitemus ut illa?
Conviciisque tuis frustra nos carpis acerbis:
Non per te probitas, nostra infortunia crescut.
Quod præfers nobis lumen nos urget et angit.
Excusas vitia, et virtutis nomine honestas.

Hactenus Popius, qui paulò ante de affectu dominante verba faciens hæc dixerat :

Cum verò (2) incaluit, non spiritus, ingenii nec
Vis cohibere queunt, irritant sed magis illam.
Quid dicam? ratio nimirum hunc allicit hostem,

(1) Essai sur l'homme, pag. 92 :
Orgueilleuse raison, tu soutiens mal tes droits
Faible reine, crois-tu nous prescrire des lois?
A quelque favori toujours abandonnée
Tu lui laisses le soin de notre destinée.
A quel donc se réduit ton pouvoir si vanté?
De tes dures leçons quelle est l'utilité?
Tu veux que du plaisir nous redoutions les charmes!
Mais pour en triompher nous donnes-tu des armes?
Ta voix sur nos défauts nous force à réfléchir:
De reproches amers en vain tu nous accables:
Sans nous rendre meilleurs, tu nous rends misérables.

Le flambeau, qu'à nos yeux tu viens sans cesse
offrir,
Sert à nous tourmenter, non à nous secourir.
Tu sais justifier nos différents caprices,
Et du nom de vertu tu décores nos vices.

(2) Pag. 91 et 92 :

Lorsque sa force agit, loin de lui résister
L'esprit et les talents ne font que l'irriter.

Atque in corde fovet, flammam additque furenti :
 Haud secus infectas virus magis inficit herbas
 Solaris calor; affectus sit denique quisquis,
 Effervescentem ratio non impè coerces.

Homo igitur *ordinis* nullum aliud præsidium habens, Voltairii sentiendi, nisi rationis, ut actus suos dirigat, erit prorsus ineptus, ut testatur Popius, testarique debet, qui plumbeus omnino non sit, intimique sensûs expers, qui per illam eas leges, quæ affectibus effrenibus adversantur, observet. Ergo, inquit, opus est superiore lumine homini, quod aliam opem, quâ victor hujus pugnae evadat, ei suppeditet; quo si careat, actum de illo est, conclamatumque. Quod reponat, non habet poeta gallus; eversum enim est, quod dixerat: at habet angulus, qui illud labefactaverat. Ita Popius:

Cedamus (1), nosmet naturæ et legibus ipsos
 Aptemus; fuerit nobis tutissimus usque
 Is trames, nobis quem prudens indicat illa.
 Non idè nos ut ducat ratio est data nobis;
 Ejus præcipuum est munus nos ut taceatur.
 Est ea præceptor, debet nos illa docere,
 Et regere affectus, at non evellere nostros;
 Et qui præsertim cordi nostro imperat, illi
 Non adversari, verum moderarior æqua.
 Hoc etenim affectu cælum nos ducit ad illos,
 Quos divina sibi statuit sapientia fines.

Aut ego nihil sapio, nihil capio, aut hic sublimis ingenii homo cogitationibus suis intricatur, sibi que contradicit, seque oppugnat. *Cedamus*, at cuiquam? an rationi? at est infirma regina, quæ non debet nobis præscribere leges; legibusque naturæ nos ipsos conformemus. Verùm quid harum legum nomine sibi vult? Utrum ordinem immutabilem, et æternum recti, honestique? At hunc, et novimus, et illum nobis rationis lumen indicit, *attamen haud ratio nos ducere debet*. Ergo hæc naturæ leges affectuum propensionis inservient? Ita sanè poeta sentire videtur. At quæ criminosa

Que dis-je? La raison, dans le secret de l'âme,
 Flatte cet ennemi, le soutient et l'enflamme,
 Telle que le soleil, qui souvent par ses feux
 Rend des suc's corrompus encore plus dangereux:
 Quelle que soit enfin la passion régnante,
 Contre elle la raison est souvent impuissante.

(1) Ibid. p. 95 :

Cédons : conformons-nous aux lois de la nature :
 La route qu'elle trace est toujours la plus sûre.
 Le but de la raison n'est pas de nous guider ;
 Son principal emploi se borne à nous garder..
 C'est un maître prudent, chargé de nous instruire,
 Qui doit régler nos goûts, mais non pas les détruire ;

Et de la passion qui règne dans le cœur,
 Être moins l'ennemi que le modérateur.
 Par cette passion le ciel nous détermine
 Aux desseins qu'a formés la sagesse divine.

hoc ethicæ principio non approbantur? Nequaquam, inquit Popius; hi enim motus, affectusque institui regique debent à ratione, tanquam à prudenti magistro. Præclare enim verò. At qui ratio, tuâ sententiâ, et semper amantem et aliquem amplexata illi nostrum curam omnem relinquit. Si ejus præcepta severa nihil nobis prosunt, cum nobis necessarium præsidium non suppeditent, ut errores nostros detegamus, nec arma, quibus referamus victoriam; et qui sperari ergo potest, rationem hanc cæcam, imbellemque posse hoc affectus comprimere et coercere? At nimis oratio nostra proveheretur, si absurda quæcumque horum rationis perperam laudatorum vellemus persequi. Legi meretur ad hanc rem liber inscriptus: *Lettres Flamandes, ou Histoire des variations et contradictions de la prétendue religion naturelle*, Lille 1755. Legatur potissimum epistola 10, in qua locus hic Popii examinatur, ibique inter alia, quæ ad materiam pertinent, dicitur: « Dubitari ergo nequit, hujus systematis judicio naturam naturalium affectuum vitium nullum attulisse remedium; cum dederit homini rationem, eam illi dedisse regulam quæ non regit, moderatorem, qui non moderatur... reginam, quæ non regnat; tutorem, qui nostræ sortis curam cuique foto improboque affectui committit. Affectus igitur nos regere nequeunt; si enim quidquam boni continent, in iis inest et malum. Nihil ratio valet. 1° Si nobis enim lumen suppeditat, non tamen vim, cujus indigemus, ministrat; malum nobis indigitans illud non expellit. Magnæ hic haud efficit, ne navis fluctibus furentibusque affectuum nostrorum ventis rapiatur, naufragiumque miserimè illidens ne patiatur. 2° Quia luminibus nostris commixtæ sunt tenebræ multæ, quibus obcæcata ratio dux tuta nequit esse. Ex his omnibus, quæ Popius fatetur (et quicumque mente sibi constat, fateri debet) deducitur, ad mentis tenebras dissipandas lumine, quod sit ratione superius, puro lumine, fallere fallique nescio, nos indigere. Lumen autem hoc est fides. Præter lumen, viribus etiam, armisque opus est, ut æstantes animi motus compescamus, hæc autem est Jesu Christi gratia. » Hucusque doctus Gallus, cujus verba nos eximunt à demonstranda per illationes propositione, quam ostendendam susceperamus, hoc est, necessariam esse homini revelationem divinam, ut leges illas naturæ, quarum Deus custos est, præmisi-

bonos, pœnis malos afficiens, stabilisque constansque exequi possit. Quæ propositio præter allatam demonstrationem, quam rectè internum diveris, et à priori, alio argumenti genere ab ipsâ re desumpti probari posset, productâ scilicet earum gentium quæ hoc lumine caruerunt carentique nunc etiã, morum corruptione. Non arbitratur jam, omnia infidelium opera fuisse mala. Præterea adversus Baylium atheismum, quantum ad mores spectat, pejorem esse superstitionem, multòque magis solo naturalismo, cùm et illa, et hic causas contineant, quæ humanis sceleribus obicem aliquem ponere possunt, quo atheismus caret, qui de medio tollit supremum jurem, præmia pœnasque, ostendimus. Sed cùm ejusmodi causæ nunquam hominum corruptionem curârint, nec verò curare possint (eò magis, quòd non præeunte auctoritate supremâ falli et fallere nesciã, plerùmque illæ obscurè, variè et etiã malè ceñantur) tota quanta est gentilis antiquitas, et omnes gentiles regiones præ se tulerunt, præ se feruntque eam universam pravitatem, quæ est naturalis ejusdem corruptionis fructus, neque nobis illius innocentia constantis, earumque singularum virtutum, quas infensissimi hostes negare nequeunt, editas fuisse in eâ societate, quæ veram fidem agnoscit, exemplum ullum præbuerunt. Quòd si in hæc ipsa cernuntur, ut reverà summo cum animi dolore fatendum est, ea in multis cerni, scelera etiã gravia, hoc tamen constat, id ex eo videlicet evenire, quòd remedium illud rejiciunt, quod revelatio iis suggerit, et quod in nullâ philosophorum sectâ reperitur, neque haberi potest nisi per aliquam excellentissimam auctoritatem, ut fassus est Porphyrius apud Augustinum *de Civit. Dei lib. 10, cap. 52*, cujus verba argumentum ultimum in nostræ propositionis confirmationem suppetent : « Cùm Porphyrius
 « ait versùs finem libri primi de animæ Reditu,
 « nondùm sectam ullam philosophorum exti-
 « tisse, quæ rationem universam animæ libe-
 « randæ contineat, illamque non contineri in
 « philosophiâ veriori, neque in disciplinâ, aut
 « moribus Indorum, neque in Chaldæorum
 « scientiâ, aut alio modo, nondùmque eam ad
 « sui notitiam pervenisse per historiam, procul
 « dubio fatetur, unam esse, sed adhuc qualis
 « esset, se nescivisse. Ita quidquid ille tanto
 « labore didicerat de animæ liberatione, vide-
 « baturque aut sibi, aut aliis scire, ei non sa-
 « tisfaciebat. Intelligebat enim, sibi aliquam
 « excellentissimam auctoritatem decesse, quam

« in re tanti momenti sequi oporteret. » Caput totum, quod ad propositum nostrum facit, legatur.

SECTIO VI.

Revelatio hysteriorum dari potest.

Cùm hactenùs argumentis præcipuis (quoniam alia complura commodè afferri possent) divinæ revelationis necessitatem demonstraverimus, ad ostendendum, eam dari posse, transeamus. Prolixâ oratione ad id probandum non est opus. Quid enim repugnat credere, Deum humanarum mentium creatorem ipsum per se in iis earum veritatum ideas, quas vult, imprimere? Quid repugnat credere, rectorem omnium motus ejusmodi in aere producere, impulsus hos, illosve in organis, hæc vestigia in cerebro sculperè, ut homines videant aut illas imagines, aut audiant eas voces, quibus percipiant, et evidenter cognoscant divinas dispositiones, certioresque etiã de rebus præteritis flant, futurarum sint præscii, arcanarum, et quamvis humanam investigationem superantium cognitores? Incredulorum contumacia non posse eò progredi, ut id negare audeat, videtur. Cùm autem hujusmodi revelatio adeo sit hominibus necessaria, ut superiùs probavimus, quis dicere audeat, Deum id facientem egisse quod se minimè decebat, et non potiùs egisse, quod valdè constabat cum ideis illis, quas divinorum attributorum habemus? Quid repugnat, inò quantum decet, Deum sapientissimum et optimum mentes hominum densis involutas tenebris, cæcæque caligine cognitione sui ipsius, cognitione eorum, quæ agere debent, illuminare, cultum iis aperire, quem sibi præstari velit, clarè præmia suppliciaque, quæ in alterâ vitâ homines manent, proponere; rationem ostendere, quâ suorum criminum veniam consequi possint, modum significare, quo corruptionem curent suam, cupiditates rationi subjicientes; indigitare denique viam, quâ ultimam felicitatem possint pertingere? Nihil hic repugnare, nihil quod non mirum in modum conveniat divinis attributis, video.

Sed neque Deo indigna, ac proinde repugnans duci hæc revelatio deberet, etiamsi investigatione, et vi rationis superiora contineret. Hinc sanè locus unus est ex illis, qui incredulis arridet quam maximè, qui, ut loquebatur Apostolus, *blasphemant quod non intelligunt*; at hoc illud est, quod eos, nescio dicam, utrùm digniores abominatione an risu efficit. Si Deus est, in quovis bonorum genere

est infinitus. Ergo ille est, ille novit, ille potest res circumscripto intellectu nostro majores efficere; ergo fieri potest, ut quasdam proprietates, quasdam dispositiones, quarum mens nostra non intelligat conjunctionem, modum, causas, manifestet. Ecquis dubitare potest? Mirandum esset, imò summè repugnaret credere, ens in quovis genere infinitum nihil posse mentibus finitis revelare, quod ipsis clarè perfectèque evidens non esset. Auctor tamen libelli *des Lettres sur la Religion essentielle à l'homme* (Amsterd. an. 1738), ita opinatur. Ipse eò malignè spectans, ut religionem totam ad naturalismum redigat, quidquid evidentiam nostri intellectus exsuperat, ab eadem excludit; hinc « fidem (1) esse evidentem Divinitatis, ejusdemque attributorum perceptionem definit. » (Definitio enim verò ridicula hæc est; humanum enim genus totum semper fidem ab evidentiâ distinxit.) Philosophus ergo hic hujusmodi perversis notionibus putat, revelationem mysteriorum dari non posse, idque hæc distortâ demonstratione se probare credit. « Qui dicit (2) mysterium ali- quid occultum, quod concipi nequit, longè humanum captum exsuperans, aliquid non revelatum, quodque Deus sibi reservat, intelligit... » Ergo mysteria non sunt revelata. Hoc sanè est ratiocinari, ut *Spiritus forte* decet. Hinc ille deducit, non interesse homini hæc mysteria scire: « Nam (3) quid- quid, inquit ille, est homini scitu necessarium aut evidens per se, aut clarè revelatum debet esse. Quorum unum non differt ab alio, si modò non sunt unum et idem. » Quæ major idearum confusio dici fingique potest? Inter propositionem *per se evidentem et clarè revelatam*, nullum est discrimen? At interrogo, nonne quotidie usu venire solet, ut explicentur quædam mathematicæ propositiones de infinito clarè per se, quæ tamen concipi non possint?

(1) « Qu'est-ce donc que la foi?... Une notion certaine, une perception évidente sur la Divinité et sur ses attributs essentiels. » Lett. 16.

(2) « Qui dit mystère, désigne quelque chose de caché, d'impenétrable, de fort au-dessus de l'intelligence humaine, quelque chose de non révéle, et que Dieu réserve par devers soi... Il est naturel d'en conclure que les mystères ne sont pas révélés. » Lett. 15.

(3) « On m'accordera une chose, c'est que tout ce qu'il est essentiel à l'homme de savoir, doit être ou évident par soi-même, ou clairement révélé; l'un ne diffère guère de l'autre, si ce n'est pas une même chose. » Ibid.

Mysterium clarissimè revelari potest, quatenus enuntiari potest propositio, cujus termini non sint nobis ignoti, neque inter se repugnant; at non idè sequitur, illud non esse mysterium, hoc est, nobis esse obscurum, et occultum, quatenus non detegimus rationem, connexum, conjunctionemque, quæ esse potest inter terminos ipsos, quos concipimus, nobisque ut conjuncti enuntiantur. Mysteria igitur, quamvis sint mysteria, possunt nobis clarè revelari. Neque hiuc fit (quod naturalista noster somniat alibi) ut religio hujusmodi, quæ mysteria credenda proponit, « exigeret, ut homines viderent id quod oculis suis non subjicitur, ut evidentiæ defectum supplerent phantasie nisu, aque ita ut in imaginarium falsumque res desineret. » (Lett. 2.) Nilil minùs. Religio hæc non exigeret ab hominibus *visum*, sed *fidem* de eo quod non vident (quæ duo caculæ etiam et calones distinguunt): hoc est, ut assensum præstarent alicui assertioni, non ob internam ejus claritatem, sed ob externam auctoritatem revelantis ejus qui fallere et falli nescit, et ut supplerent evidentiæ defectum non imaginationis nisu, sed evidentiâ prudentissimâ infinitæ sapientiæ veritatisque loquentis fullâ.

Verùm pergit adversari auctor, repetitque pluribus suarum Epistolarum in locis (præcipuè lett. 2, 12, et 15) religionem quam dicit homini de essentiâ debere proportionatam eidem esse, et respondere ejus naturalibus facultatibus, quas nedùm destruat, debet imò adhibere et explicare. Non debet ergo ei mysteria proponere, hoc est, res quæ longè multùmque ejus captum excedunt, neque ratio naturalis viribus et inquisitionibus suis investigare possit et cognoscere. Hoc idem naturalistæ omnes vulgò dicunt; et ex hoc inani principio deductus est liberulus quidam, qui præ se fert titulum: *Discours sur la religion des dames*, qui editus est simul cum illo Lockii libro: *Le Christianisme raisonnable*; quique prætexens causam, religionem accommodandam esse idiotarum et mulierularum, popelique captivi, ab eâ fidem ejuscumque mysterii et ejuscumque rei, quæ subsensus non cadit, prorsus excludit.

Vidit argumentum hoc D. Thomas, eritque operæ pretium audire quo modo illud proponat, solvatque: « Videtur autem, inquit ille, quibusdam fortassè non debere homini ad credendum proponi illa quæ ratione investigare non sufficit, cùm divina sapientia uni-

« cuique secundum modum suæ naturæ pro-
 « videat. » Hoc est argumentum : « Et ideò
 « demonstrandum est, quòd necessarium sit
 « homini divinitùs credenda proponi etiam
 « illa quæ rationem excedunt. Nullus enim
 « desiderio et studio in aliquid tendit, nisi
 « sit ei præcognitum. » Hypothesim nostram
 redigit in thesım : « Quia ergo ad altius bonum,
 « quàm experiri in præsentı vitæ possit hu-
 « mana fragilitas, homines per divinam pro-
 « vestigiam ordinantur, ut in sequentibus in-
 « vestigabitur, oportuit mentem evocari in
 « aliquid altius, quàm ratio nostra in præsentı
 « possit pertingere, ut sic disceret aliquid
 « desiderare, et studio tendere in aliquid, quòd
 « totum statum præsentis vitæ excedit. Et hoc
 « præcipuè christianæ religioni competit, quæ
 « singulariter bona spiritualia et æterna pro-
 « mittit; unde et in eâ plurima humanum
 « sensum excedentia proponuntur. « Cont.
 Gent. lib. 1, cap. 5. Hæc D. Thomas. Et sanè
 si homo huic vitæ superstes non esset, ejusque
 sors omnis in rebus his, quibus circumfunditur,
 versaretur, concedi posset, religionem
 ei *essentialem* debere ejus captui convenire,
 hoc est, non debere eam illi proponere quid-
 quam ejus rationis naturalibus viribus superius;
 sed cum Deus sit hominis Dominus supremus,
 quis inficias iverit, Deum potuisse illum in
 systemate toto naturæ ordine superiore collo-
 care, illique proponere finem ultimum, seu
 felicitatem, quam nec oculus unquam vidit,
 nec auris audivit, nec in cor hominis unquam
 ascendit? Et ad hanc felicitatem consequendam
 eum ducere per modos rationesque suâ sapien-
 tiâ inventas, à suâ voluntate pendentes, et
 proinde quæ ab humano intellectu investigari
 non possint! Quis, inquam, id negabit, nisi
 qui fortassè Deum esse infinitum in quovis ge-
 nere, circumscriptam humanam mentem ne-
 garet? Jam in hujusmodi hypothesi systematis
 supra naturam, opus esset, ut homo (quin in
 brutum animal converteretur) aliquo modo
 cognosceret finem suum, ut ad eum tenderet,
 et hæc consilia, has vias sciret, ut se ad ea
 conformaret, et has conficiendas susciperet.
 In hæc hypothesi ergo religio homini *essentialis*
 non solum non posset commensurari et referri
 ad ejus vires, sed etiam deberet ejus captum
 excedere (1). Ex parte ergo hominis nihil re-

pugnat, imò hæc hypothesi admissâ, necesse
 est, ut illi divina mysteria, hoc est, veritates
 quilibet ejus ratione superiores revelentur.
 Legatur loco supradicto S. Thomas, et quæ-
 vis oppositio in nostram propositionem sol-
 vetur.

Tamen sicut revelationem humani intellectùs
 aciem fugientem dari posse hæctenus contē-
 dimus probavimusque, ita non posse fieri, ut
 revelatio hæc veritates rationi contrarias pro-
 ponat credendas, affirmamus. Contra sentire
 soli furiosi videri possunt; tamen hanc sen-
 tentiam et defendit, et inculcat pluribus in
 suorum operum locis Petrus Baylius, cujus cæ-
 teroquin furor non erat nota illa, quâ insi-
 gneretur. At ambigi nequit, eum hæc opinione
 impietatis causam, cujus erat patronus sum-
 mus, non fuisse tutatum; identidem enim
 exponens secum invicem pugnantia religionis
 christianæ mysteria et rationis dictamina, spe-
 ciosam prætexens causam hanc deprimendi,
 eam habet ludibrio. Cum autem *triumphus*, ut
 ille vocat, *actoritatis Dei ex humanâ ratione*
 referri non possit, nisi Deus contra Deum
 ipsum pugnans, cujus non tam ratio, quàm
 fides munus est, introducatur; triumphus
 potiùs pyrrhonicus, et impietatis jure ac me-
 ritò dici potest. Nota jam sunt certamina à
 Baylio cum Clerico præcipuè, et cum Jaque-
 loto fidei cum ratione constantiæ propugnato-
 ribus, ut errorem hujusmodi tueretur, sus-
 cepta. Pugna cum Jaqueloto non vehemens
 solum fuit, sed etiam in eos metaphysicæ an-
 fractus angustiasque est provecta (inquit Ja-
 queloti vitæ scriptor), ut fortassè irritis expli-
 cationibus cunctis, quid sibi uterque vellet,
 disputantes non intelligerent, et ad incitas ita
 essent redacti, ut quid approbarent, quid
 respuerent, quin in apertas contradictiones
 prolaberentur, ancipites hærerent. Leibnitiuss
 procul dubio his melior erat pugnæ. Undequæ-
 que aggressus est hic adversarium, et pede
 pedem illius pressit, et intra præsidia ipsa ca-
 strorum eum adortus est acutissimo *Sermone*
conformationis fidei cum ratione, Theodiceæ libro
 præfixo. Sed jam pluribus annis ante materiam
 hanc pertractaverat D. Thomas, eoque admi-
 rabili et omni exceptione majori ingenii acu-
 mine, quo, ut Wolfius ait, in evolvendis,
 discutiendis argumentis vel maximè sibli-
 mibus excelsisque præstabat, prævidit jam
 quidquid nostrâ ætate in hæc materiâ excitoga-
 tum dictumque fuit; et fieri non posse, ut
 revelatio adversetur rationi, demonstravit. Hoc

(1) Hæc una doctrina virus omne latens in
 supradicto libro: *Discours sur la religion des*
dames, detegit, moxque docet quo ejus vis
 possit infirmari.

est primum ejus argumentum : veritates naturales, sive prima principia, sive consecutiones demonstratæ ita veræ sunt, ut contrarium sentiri non possit ; ex alterâ autem parte id, quod à Deo veritate primâ revelatum est, debet esse adeo verum, ut de hoc ambigî nullâ ratione possit : jam ei, quod est verum, solùm falsum opponitur, ut ex utriusque definitione patet ; ergo fieri non potest, ut veritatibus naturalibus veritas revelata adversetur. Hinc accedit, quòd principia prima ratiocinii omnibus hominibus clara manifestaque sunt nobis insita à Deo auctore naturæ nostræ, ac proinde sunt emanatio ejusdem Dei sapientiæ, eo modo, quo doctrina, quæ est in discipuli mente, est derivatio ejus quæ est in præceptoris mente, si modò hic fictè non doceat (quod de Deo ne cogitandum quidem est). Quidquid ergo his principiis primis adversatur, ipsi Dei sapientiæ adversatur ; ergo revelatio, quæ à divinâ sapientiâ proficiscitur, nihil, quod sit his principiis contrarium, potest continere ; secus enim sapientia Dei cum se ipsâ pugnaret. Alia argumenta (1) ad hanc rem facientia affert S. Doctor ; hæc sufficiant ad Baylii aut insanam, aut fraudulentam sententiam labefactandam, quæ eò infirmior apparet, quò diligentius considerantur fundamenta quibus eam superstruit.

Celebrerrimam distinctionem, quæ intercedit inter id quod excedit rationem, et id quod est rationi contrarium, Baylius examinat, atque, eam esse imaginariam, et proinde, si dicimus, revelationem continere res superantes humanum captum, necesse etiam esse, ut fateamur,

(1) « Ea quæ naturaliter rationi sunt insita, « verissima esse constat, in tantum ut nec ea « esse falsa sit possibile cogitare, nec id quod « fide tenetur, cum tam evidenter divinitus « confirmatum sit, fas est credere, esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis « manifestè apparet, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, « prædictam veritatem fidei contrariam esse. » Item : « Illud idem, quod inducitur in animam discipuli à docente, doctoris scientia « continet, nisi doceat fictè, quod de Deo « nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est « indita, cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis « hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientia contrarium. Non igitur à Deo esse « potest. Ea igitur, quæ ex revelatione divinâ « per fidem tenentur, non possunt naturali « cognitione esse contraria. » S. Thom. lib. 1 cont. Gent. cap. 7.

eam res rationi contrarias docere (quasi verò hoc sit unum et idem). En quomodò ratiocinatur : « Catholicis magis suæ religioni addicti fatentur (1), nos non agnoscere convenientiam « nostrorum mysteriorum cum philosophiæ « notionibus. Ergo nobis videntur ea cum ratione nostrâ non convenire. Jam quod nobis « videtur non concordare cum nostrâ ratione, « nobis rationi nostræ esse contrarium videtur ; « eo prorsus modo, quo id quod nobis veritatî « consonum non videtur, veritatî adversari videtur ; cur igitur non dicatur etiam, et mysteria nostræ infirmæ rationi esse contraria, « et infirmam nostram rationem superare ? » Quis temperet à lacrymis, cum audiat, virum tanti ingenii, quanti Baylius erat, hujusmodi ambagibus teneri constrictum, ut veritatem impugnet ? Distinctio, quæ est inter id quod est supra rationem, et id quod est rationi contrarium, non solum est verissima, sed etiam evidentissima, idque ex experientiâ, quæ in rebus creatis quovis die id in nobis demonstrat. Concipitne Baylius, qui quantitas finita comprehendat partes infinitas, quarum singulæ in infinitas alias partes possunt dividi ? Hoc est mysterium, quod cujusvis intellectus vim exsuperat, quod præstantissimus quisque mathematicus semper fassus est (2) ; tamen tantum abest à naturali ratione, ut etiam humana queribet evidentiâ neganda sit, ut argumentis, quibus id probatur, resistamus. Est ergo evidentissimum, esse theoremata ratione nostrâ finitâ circumscriptâque sublimiora, sed non

(1) « Les plus orthodoxes avouent que nous « ne connaissons pas la conformité de nos mystères aux maximes de la philosophie. Il « nous semble donc qu'ils ne sont point conformes à notre raison. Or, ce qui nous paraît « n'être pas conforme à notre raison, nous « paraît contraire à notre raison ; tout de même « que ce qui ne nous paraît pas conforme à « la vérité, nous paraît contraire à la vérité, « et ainsi pourquoy ne dirait-on pas également « et que les mystères sont contre notre faible « raison, et qu'ils sont au-dessus de notre « faible raison ? » Répons. aux quest. d'un Provinc. chap. 159.

(2) P. Lamysus in præfat. ad tractatum de Magnitudinibus generatum, ait : « Si tractatus « hic ostendit intellectus extensionem, ostendit etiam ejus terminos : sunt enim demonstrationes claræ evidentæque, magnitudinem finitam dividi posse in infinitum. Hoc « infinitum concipi non potest : ostenduntur « tamen proprietates, quod ostendit, esse « quasdam veritates certas et incomprehensibiles, ac proinde quas religio docet, non « debent in dubium revocari, quòd non comprehendantur. Qui opus hoc explebant, « inveniunt alia his adnotationibus digna. » etc.

tamen eidem contraria. Allata ergo distinctio est verissima. Et sanè, ut aliqua propositio dicatur rationem excedere, satis est si ea *modum*, quo conjunguntur termini inter se, qui eam constituunt, intelligere non possit; ut dicatur propositio rationi contraria, satis est si hæc terminos ipsos sibi invicem *repugnare* aut *opponi* videat. Igitur cum Baylius ait, *nos non cognoscere convenientiam nostrorum mysteriorum cum philosophiæ notionibus*, si dicere vult, nos non posse philosophiæ luminibus explicare *modum*, libenter id illi damus; sed cum hinc deducit, *nobis videri, ea non concordare cum ratione*, si significare vult, *nos inter ea et rationem discrepantiam*, aut *oppositionem* detegere, negamus et pernegamus. Hæc est ambages puerilis Baylii, qui *ab ignorantia convenientiæ* transit ad *oppositionis notitiam*, confunditque simul ignorantiam existendi *modi* cum repugnantia existentia; quas res vel quilibet mediocris ingenii homo scit distinguere.

Ex eadem ambage verborum deductum est aliud argumentum, quod, ut convenientiam revelationis cum ratione à nobis propugnatam tollat, pluribus suorum operum in locis Baylius repetit, sibi que summopere plaudit, illud amplificat, illud laudibus ad cælum usque extollit. Hoc ejusmodi est, posse contra fidei mysteria rationes tam validas adduci, quæ nullo modo solvi possint: quod si verum esset, jam Baylio adjudicanda causa foret: argumentum enim, quod omnino solvi nequeat, est demonstratio sententiæ nostræ contradictoria; si autem vellemus dogma defendere, fatendum esset, revelationem et rationem maximè opponi, duasque contradictorias propositiones eodem tempore esse veras. Audiamus quomodo, ut id probet, loquatur in suo *Eclaircissement sur les Manichéens*, quod in Dictionario secundæ tertiæque editionis reperitur. « Satis habeo (1), si omnes unâ voce convenient, Evangelii mysteria rationem excedere; hinc enim necessarîo consequitur, ut nullo modo solvi possint philosophorum argumenta, ac

(1) « Il me suffit que l'on reconnaisse unanimement qu'ils sont (les mystères de l'Évangile) au-dessus de la raison: car il résulte de là nécessairement, qu'il est impossible de résoudre les difficultés des philosophes, et par conséquent qu'une dispute ou l'on ne se servira que des lumières naturelles, se terminera toujours au désavantage des théologiens, et qu'ils se verront forcés de lâcher le pied, et de se réfugier sous le canon de la lumière naturelle. » Eclaircis. 2, pag. 2990.

« proinde in disputationibus, in quibus luminibus tantum rationis adhibebuntur, theologos semper esse vincendos, qui terga vertere et se recipere sub bellica instrumenta (vide metaphoræ leporem) luminis supra naturam cogentur. » Ita ille. Antequam tamen hoc argumentum dissolvimus, volumus observet lector, Baylium ipsum pro virili Marte suo laborare, ut has ingentes, quæque solvi non possunt ullo modo, ut ipse ait, oppositiones non solum contra *Evangelii mysteria*, sed contra metaphysicas, seu theologiæ naturalis theoremata, verbi gratiâ, contra *principii primæ unitatem* producat; quod principium fortassis magis quam quodvis aliud dogma Manichæorum armis aggreditur, vultque ut argumentum ab origine mali deductum invictum sit ac triumphet. Jam si hoc foret, requiro à Baylio, sub quod *bellicum instrumentum* deberet se recipere metaphysicus, ut Dei unitatem adversus hunc insuperabilem impetum propugnaret? Procul dubio uteretur eo naturali lumine, quod demonstratur, ut scholæ dicunt, à *priori unitatis* propositio; eni igitur non tantum revelatio, sed etiam ratio, quæ evidenter demonstrat, oppugnatur a ratione, quæ evidenter eam impugnat. Quid hinc est inferendum? Pyrrhonismus nempe strictissimo sensu acceptus, quo fit, ut de veritate quavis dubitetur, ut eandem vim habeat demonstratio ac fabula, ut scientiæ omnes diviæ humanæque et Romanenses nullo in discrimine habeantur. Non sum nescius, Baylium, quo ingenio natus factusque est, ut cujuslibet causæ etiam desperatæ patrocinium suscipiat, has omnes consecutiones concocturum, ejusque discipulos laudatoresque illi plausuros: at ii, quibus quidquam in dextrâ parte manillæ saluti, nequeunt eas degustare.

Verum, ut directè Baylio respondeamus, dicimus, ex eo quod Evangelii mysteria aliaque dogmata ad naturam, ad scientiam, ad Dei infiniti consilia, rationem superant, consequi, posse in eos hæc argumenta fieri, quibus humana ratio non potest ullum dare responsum, quo explicetur modus eorum existentia, vel quo explicentur consilia et causæ peculiares, cur Deus infinitus et omnipotens ita egerit; at debet hæc opera ratio venerari; si enim secus accideret, infinitum in omnibus consiliis suis, sinibusque, ut ita dicam, mensuraretur à finito, quod repugnat, cum verissimè hæc in re dici possit illud, quod contra Symmachum cecinit Prudentius lib. 2:

Nam cum divinis agimus de rebus, et illum,
 Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
 Quique chaos anterior fuerit, mundumque crederit,
 Conjectare animo contentidimus, exigua est vis
 Humani ingenii, tantoque angusta labori:
 Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
 Acris, ac penetrare Dei secreta supremi,
 Quis dubitet, victo fragilem lassessere visu,
 Vimque fatigatae mentis sub pectore parvo

Turbari, invalidisque hebetem succumbere curis?

Hiuc tamen non sequitur in mysterium, aut in dogma productam oppositionem invictam esse; ut enim esset huiusmodi, opus esset, ut demonstraret, non posse omnino, aut ullo pacto existere ea, quæ tanquam à Deo revelata veneramus; quod nunquam fiet. Cujuscumque enim argumenti in nostra dogmata producti semper infirmitas plana fiet; demonstrabiturque rectæ analysi, aut principia quibus superstruitur, non posse pertingere eò, quò illatio vult, aut ex propositionibus illud constare, quæ negari possunt, quasque adversarius nunquam est probaturus, aut malè à termino ad terminum fieri transitum, aut demùm contra aliquam rectæ ratiocinandi methodi legem illud peccans non indigare jactatam repugnantiam inter mysterii aut dogmatis terminos (1). Quod theologiæ magistri, qui funditùs artem, quam profitentur, calleant, re quotidè ostendunt.

Iis, quæ à nobis hætenùs sunt dicta, probatur, 1^o dari omnino posse divinam revelationem; 2^o veritates, aut mysteria, quæ rationem nostram terminis circumscriptam excedunt, eà posse contineri; 3^o non tamen posse illam ejusmodi mysteria et veritates continere, quæ eidem rationi repugnent. (Valsecchi, de Fundamentis religionis, lib. 2, cap. 1 et seqq.)

§ 4. — DE NOTIS REVELATIONIS.

Si homines alloqui dignetur Deus, dubium non est quin voci suæ certas divinitatis notas imprimat. Notæ autem illæ pertinere possunt ad doctrinam revelatam, ad præcones et nuntios, ad promulgationis modum.

1^o Quod spectat ad doctrinam, notæ aliæ sunt negativæ, quibus absentibus abest vera revelatio; aliæ positivæ, quibus positis certò

(1) Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principis primis naturæ inditis per se notis non rectè procedere; unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticæ; et sic ad ea solvenda locus relinquitur. S. J. a. lib. 1 cont. Gent. c. 7.

concluditur veram adesse revelationem. Negativæ eæ possunt assignari: ut neque cum ratione, neque cum ingenitis honestatis sensibus, neque cum seipsâ, aut antiquiori verâque revelatione pugnet: alioquin Deus, cum sit et rationis et omnis veræ revelationis auctor, sibi ipsi contradiceret. Illius characteris defectu, falsi convincuntur paganorum revelationes, quæ Deum multiplicem vitisque omnibus fœdatum comminisebantur: cæterum satis monuimus supra aliud esse dogma rationem superans, aliud rationi repugnans. Hinc etiam falsa hodierna Judæorum religio, quæ tota posita est in vanâ expectatione Messiæ ejusdem, quem vel nunquam venturum esse, vel jampridem advenisse, probant ipsa judaicæ legis instrumenta: quæ proinde secum ipsa magis quàm humanæ naturæ dignitati consuluisset videtur. — Nota positiva erit, si revelatio lumen naturæ perficiat, pietatem et honestatem spiret, plurimum valeat ad promovendam Dei gloriam et componendos hominum mores; si naturam ad sublimiora evelat, veritates edoceat novas, adiciat promissiones, minas, veniæ pollicitationem et auxilia uberiora quæ natura sola non præberet, si claris et aptis ad persuadendum sententiis effertur, cum potissimum ignaris proposita sit. Notandum tamen aliud esse rem clarè proponi, aliud proponi rem claram: prius affirmamus necessarium, non alterum.

2^o Quoad illos qui revelationis annuntiandæ munus sustinent, decet eos magnam præ se ferre pietatis in Deum, charitatis in proximum, aliarumque virtutum speciem. Cum enim ad conciliandos animos nihil sit virtute potentius, nec verisimile nec decorum est, à Deo seligi improbos homines et malè moratos, quos suæ vocis organa, suæ voluntatis nuntios, generis humani reformatores, pietatis ac sanctitatis præcones efficiat. (Potest tamen Deus in singulari quâdam circumstantiâ improbum adigere, ut veritati testimonium perhibeat.) Ea conditio censeri etiam potest nota negativa: quam, cum vindicare sibi nequeant aut Mahomes, aut Lutherus, alive pretense Reformationis auctores qui se extraordinariè missos gloriabantur, hinc meritò vanitatis redarguuntur. Positiva tamen fiet hæc nota, si Dei legati integritate morum, veracitate, charitate, zelo, patientiâ et generatim omnibus virtutibus supra conditionem humanam emineant.

3° Requiritur publicam et solemnem esse promulgationem, intervenire extraordinariam divinæ voluntatis testificationem, et Apostolos exhibere posse divinæ suæ legationis signa, quasi fiduciales litteras ipso Dei chirographo subscriptas et sigillo munitas. Hæc autem sunt potissimum miracula et prophetiæ, de quibus modò dicendum est.

Prima notarum species doctis et ingeniosis, secunda bonis et rectis corde, tertia plebi et omnibus qui sensibus ducentur, magis et præcipuè accommodata est.

ARTICULUS PRIMUS.

De miraculis.

Agemus 1° de eorum naturâ et definitione; 2° de possibilitate; 3° de causâ et auctoribus; 4° de characteribus; 5° de vi probante.

SECTIO PRIMA. — *De miraculî naturâ.*

1° Patet miraculum malè definiri, *opus arduum et insolitum*: tum quia Deo arduum non est miraculum, et homini ardua sunt multa, licet non miraculosa; tum quia effectûs raritas aut frequentia ejus naturam non mutat, nec eum in miraculorum ordinem transfert.

2° Nec admittenda Lockii definitio, quâ dicitur, « opus sensibile spectatoris captum et superans, quod ordini naturæ contrarium, et divinum ab adstantibus habetur. » Miraculum quippe tale est in se, et ante omne spectatoris iudicium: deinde sequeretur sua cuique esse miracula, et eundem effectum, respectu duorum spectatorum diversimodè affectorum, fore et non fore miraculum.

3° Juxta notionem apud theologos sanosque philosophos vulgatam, miraculum est effectus sensibilis, consueto naturæ corporeæ ordini reipsâ derogans. Naturæ autem nomine intelligitur, complexio legum illarum, sive cognitarum sive incognitarum, quibus materia constanter et uniformiter obtemperat: et, quoniam leges illæ nec in se necessariæ sunt, nec materiæ essentielles, cursus aut ordo naturæ nihil aliud est quàm constans efficacia actionis divinæ in res corporeas; proindeque miraculum erit effectus voluntatis cujusdam specialis, à consueto et uniformi voluntatis generalis effectu discrepans.

4° Hanc miraculî notionem minus probare visus est abbas de Houtteville, lib. cui titulus, *la Religion chrétienne démontrée par les faits*; aliamque proposuit quâ censabat facilius defendi miraculorum possibilitatem. Censet ni-

mirum miracula, nedùm sint infractiones legum naturalium quibus corpora reguntur, esse à contrario earumdem consecutaria, non minùs necessaria ac effectus quotidiani quos minimè miramur: cum enim de instituendis naturæ legibus secum deliberaret Deus, non ad solum ordinem physicum et naturam corpoream attendere debuit, sed etiam ad ordinem moralem seriemque eventuum quibus erat aliquandò confirmanda apud homines vera religio; et ideo de decrevit ut ex iisdem legibus simplicissimis maximèque generalibus fluerent phænomena omnia, quæ ad conservationem ordinis sive physici sive moralis, imò religiosi et supernaturalis, necessaria erant: porrò ordinem religionis ingrediuntur miracula, velut certissima divinæ voluntatis signa: ergo illud legum naturalium systema præ cæteris æquè possibilibus elegit Deus; ex quo in datis et prævisis circumstantiis miracula quasi spontè et sine ullâ legum naturalium interventione nascerentur; neque opus fuit duobus actibus instituere primùm leges generales, deinde earumdem derogationem, ut statuit vulgaris opinio.

ASSERTIO. — *Rejicienda est Houtteville hypothesis.*

Omittimus 1° illam esse inutilem, quia nimis absurdum est miraculorum possibilitatem negare cum Spinosâ, quàm ut, ejus refellendi causâ, necesse sit ad novam inauditamque sententiam deflectere; 2° vanissimis niti momentis, his scilicet, quòd sit via simplicior et sapientiæ Dei, quæ nihil frustra molitur, magis congrua; quòd alioquin opus Dei pluribus vicibus factum et refectum videretur. Quasi verò divinæ sapientiæ consilia totamque hujus mundi harmoniam satis noverimus, ut de ipsis pronuntiare nobis liceat; quasi Deus viis simplicioribus semper incedere teneatur, timendumque sit ne, dum per plura operatur quod posset per pauciora, frustra suas vires exhauriat, quasi uno eodemque decreto quo talem legem statuit, non potuisset etiam velle ut in determinatis circumstantiis effectum non sortiretur, 3° Neque provocabimus ad Scripturam (quâ tamen, ut *argumento ad hominem*, uti possemus adversus Houttevillum); siquidem Scriptura miraculorum operatores exhibet velut auctoritate quâdam præcellenti imperantes elementis, legibus naturæ superiores, earumque cursum flectentes ad arbitrium. *Sol*, inquit Josue, *contra Gabaon ne movearis; Volo mundare, a.*

Christus; *Quis est iste*, inquebant Judæi, *quæ venti et mare obediunt ei?* et Matth. c. 10 : *Data est Apostolis potestas... ut curarent omnem languorem et infirmitatem*, etc.

Prob. Itaque prædictam hypothesim directè impugnamus ut adversari, 1° communi omnium sensui; 2° experientiæ; 3° vi probanti miraculorum.

1° Quidem, etc. Omnes enim quotquot de miraculis audierunt, Judæi, pagani, Christiani, miraculum habent ut opus omninò extra naturæ ordinem positum, ita ut auctor miraculi censeatur naturæ dominus; hinc in illius admirationem populi rapiuntur, nec possunt quin aliquid divinum in eo suspicentur. Atqui è contra, si Hultev. fides, opus miraculosum nihil haberet stupendum, nullam argueret potestatem quæ foret supra naturam; non minùs esset necessarium, et legibus mechanicis licet incognitis nexum, ac solis ortus et occasus. Ergo, etc. 2° Experientiæ: vel enim laudatus auctor miraculum fluere, vel ex naturæ legibus incognitis, vel ex cognitarum cum ignotis combinatione; atqui negamus miracula esse appendices vel legum, etc. Miracula enim sunt effectus ab iis omninò diversi, imò iis oppositi, qui in circumstantiis physicè iisdem prodire solent; atqui hujusmodi effectus oriri non possunt à lege vel ignotà, vel à legis ignotæ cum lege notà combinatione. Primò quidem non ab ignotà, etc. Nam, ex hypothesi, nota sunt corpora; notæ sunt eorum circumstantiæ physicæ; item experientiâ notus est effectus solitus et constans, qui ex ipsis oritur; singula hæc sensibus ritè applicatis explorare et certò nosse possumus. Ergo etiam certò noseitur existere generalem naturæ legem quæ sit effectus soliti causa, non verò miraculosi. Ergo primò non oriuntur à lege ignotà, etc. Secundò non ab incognitæ cum notà combinatione: eùm enim, præter corpora et physicas circumstantias, nullum sit materiale miraculi subjectum, et hæc omnia nota sint, non intelligitur quis esset exercitio legis incognitæ locus, quale objectum, nec ubi et quomodò intervenire posset: aut, si non interveniret, nisi se manifestando legi cognitæ directè contrariam; ergo jam fatendum erit dari legem legi contradictoriam: jam de nullius legis naturalis existentia infallibiliter constaret, penitusque elevaretur certitudo physica, et humana providentia. Ergo, etc. Et verò quis non sentiat quanta figmenta sint ex leges incognitæ et in sinu naturæ recondite, quæ,

cùm multis annorum millibus otiosæ remansissent, momento in subitum quemdam effectum erumpent, deinceps in perpetuam inertiam relapsuræ? 3° Hinc miraculorum vis probans imminuit: jam enim sita non est in *supernaturalitate* effectus, sed in ejus *attemperatione* cum certo eventu, v. g., præstantis alienius doctrinæ prædicatione; quæ concomitantia ad fidem sibi conciliandam utitur revelationis nuntius: unde consequens fit ut operis substantia specialem Dei interventionem, et speciale consilium nuntii sui legationem confirmandi, necessariò non arguat; sed vim probandi tantùm habeat ea quæ divinitus infusa supponitur, prodigii mox eventuri cognitio. Atqui hiæ plurimùm saltem enervatur miraculi auctoritas, tum quia, primò, probatio quam suppeditat ad eam quæ nascitur ex prophetiâ redigitur; tum quia, secundò, hæc eventuum attemperatio generalioris tantùm providentiæ, non directæ et immediatæ intentionis, signum est, ideòque longè minùs efficax divinæ voluntatis attestatio; tum quia, tertio, si paulò altius scrutari velit incredulus, regerere poterit, ipsam hanc potentiam mox futuri cognitionem esse legum naturæ sequelam: prophetia enim (quæ est ipsa quoddam miraculi genus), jam non erit præter ordinem naturæ; non erit derogatio legibus generalibus quas Deus quoad idearum et veritatis mentibus nostris communicationem instituit, eùm spontè concedatur hæc derogationem esse impossibilem. Ergo fateri tenebimur prævisionem ipsam esse appendicem legum naturæ, earum scilicet quibus, non corpora quidem, sed spiritus reguntur: atqui, si ea cognitio sit aliquid naturale, dici poterit humanæ industriæ inventum; et qualem vim servabit ad revelationis confirmationem? Ergo auctoritati miraculorum malè consulit Hultev. sententia.

Obj. Miraculum tam potest ex legibus motuum generalibus et incognitis profluere, ac tempestatum mira successio, siderum constans revolutio, plantarum generatio, etc.; ratio enim nulla est cur leges illæ quotidianis effectibus producendis pares sint, et extraordinariis impares. Deinde nonne magis elucet et commendatur divina sapientiâ, si uno eodemque vinculo physicum et morale, naturale et supernaturale, colligaverit?

Resp. ad primum: Nego ant. 1° Miraculum, ut experienciâ colligi modò demonstravimus, est derogatio legibus generalibus communicationis motuum; non item effectus in objectionem

memorati : atqui repugnat effectum legibus oppositum ex ipsi's defluere. 2^o Leges juxta quas producuntur appellata modò phœnomœna, forsân ignotæ sunt quoad modum executionis, non verò quoad existentiam. — Ad secundum. Non agitur de eo quod facere potuisset Deus, sed de eo quod actu et reverà existit. Deinde, cùm revelatio sit præter ordinem naturæ, num divinæ sapientiæ repugnabat ad ejus constitutionem adhiberi mediâ extra naturam posita ?

Instabis : Si omnes naturæ leges nosceremus, nullum esset miraculum ; si nullas, singuli effectus essent totidem miracula ; ergo in eo situm est miraculum, quòd sit effectus insolitus, ex legibus incognitis fluens. — Resp. : Neco primam et secundam partem antecedentis. Prima pars est petitio principii ; nempe pro certo ponit miraculum ex legibus incognitis derivari. Secunda falsa est ; tunc nullum foret miraculum, cùm nullus esset effectus præ cæteris stupendus.

SCHOLIUM.

Ergo sequitur miraculum dicendum esse suspensionem, vel derogationem, vel violationem legum quibus corpora reguntur ; fieri supra vel præter, vel contra naturam corporum ; esse effectum totius naturæ corporeæ vires superantem : quæ omnia in idem recidunt. Atque, ut res magis explicetur, annotamus miracula, quoad effectum physicum et sensibilem considerata, revocari posse ad transformationes, vel alterationes, vel meras translationes. Nomine transformationum intelligimus introductionem novæ organisationis, quâ constituitur corpus intrinsecè diversum ab eo quod erat antea ; v. g. cùm aqua à Christo in vinum conversa est, cùm virga Aaronis in serpentem. Per alterationes designantur cæ mutationes quæ intimam corporis structuram non attingunt, sed aliquam tantùm è qualitatibus sensibilibus, v. g. colorem, figuram, etc ; et sunt potius corporis existentiæ destructio, quàm organisatio novi. Translationes autem nihil sunt præter immutationem situs et loci. Jam verò alterationes illæ et transformationes, vel sunt ejusmodi, ut iis efficiendis instrumenta quædam paria sint in naturâ corporeâ, adeò ut applicando agens corporale corpori alteri transformando, exurgere queat ea transformatio, quemadmodùm igne admoto lignum vertitur in cineres : vel excedunt vires omnis agentis materialis, ita ut

corpus in naturâ nullum sit, quocumque modo applicatum, quod ejusmodi effectui producendo sufficiat. Si posterius, id est, si mediâ nullum sit ; vel, quod in se idem est, si applicatum non fuerit, tunc effectum vocamus miraculum primi generis, seu propriè et strictè sumptum. Si prius, id est, si aliquid sit medium, et fuerit applicatum, erit tantummodò miraculum secundi generis, et impropriè dictum. Translationes pariter aut superant vim motricem omnis creaturæ, et tunc sunt miraculum propriè dictum ; aut non excedunt facultatem motricem, quæ spiritibus creatis homine superioribus inesse potest ; et tunc ad miraculum secundi generis reducendæ sunt.

SECTIO II. — De miraculorum possibilitate

Jam diximus à Spinosâ negatam fuisse miraculorum possibilitatem ; secuti sunt è minutis philosophis plurimi : « Un miracle, inquit auctor *Diarii philosophici*, est la violation des lois mathématiques, divines, immuables, éternelles : par ce seul exposé, un miracle est une contradiction dans les termes ; une loi ne peut être à la fois immuable et violée. » Contra quos sit

ASSERTIO. — *Miracula possible sunt*

Prob. 1^o. Multa reverà patrata sunt, ut infra probabimus : ergo possible. 2^o Omnes ferè populi miracula in gratiam suæ Religionis facta sibi vindicant : ergo credidère possible. 3^o Si repugnarent, vel ex parte Dei, vel ex parte materiæ, vel ex parte hominis. Non primum, cùm supremam Deus habeat in omnia potestatem. Non secundum, quia materia de se iners et otiosa, ad motum, ad quietem, ad quaslibet formas et combinationes est prorsus indifferens. Non tertium : si enim repugnaret, maximè quia nullum esset possibile opus hominis intelligentiam superans et legibus ab ipso cognitis oppositum ; atqui, cùm homo finitus sit, Deus autem infinitus, liquet, etc. Ergo, etc.

Obj. 1^o : Leges naturæ essentialis sunt, immutabiles et æternæ. 2^o Miraculum in Deo levitatem arguit ; profectò rideretur in Deo qui legem statureret, eique continuò derogaret ; vel enim causam futuræ derogationis noverat, vel non ; si primum, inconstantia arguendus ; si secundum, ignorantia. Ergo, etc.

Resp. ad primum : Materiæ leges arbitrarie sunt, in mero Dei beneplacito, non in materiæ vel aliarum rerum essentiali, positæ : hinc se-

quirit eas esse immutabiles, respectu creaturarum quæ his reguntur; non respectu summi legislatoris, qui potuit præsentem rerum ordinem physicum aliquando suspendendum aut intervertendum decernere, ob fines sapientissimos, ad ordinem moralem (qui physico præstantior est) pertinentes: sequitur esse æternas, eo tantum sensu quod ab æterno Deus eas liberrimè decreverit; quo sensu etiam æternæ sunt earum legum interruptiones, quas certis in circumstantiis Deus existere voluit. — Ad secundam: Deus opera mutat, non mutato consilio, cum eam mutationem ab æterno prospexerit ac voluerit. Paritas supponit aut continuum esse derogationem, aut ortam ex imperfectione; quod in Deo verum non est. — Hinc patet quàm merito dixerit J.-J. Rousseau, troisième Lettre de la Montagne. « Dieu peut-il faire des miracles, c'est-à-dire Dieu peut-il déroger aux lois qu'il a établies? Cette question, sérieusement traitée, serait impie, si elle n'était absurde: ce serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement que de le punir; il suffirait de l'enfermer. »

SECTIO III — De causâ seu auctoribus miraculorum.

1^o Deus potest operari miracula, constat ex modo dictis: imò solus operari posse videbitur, si sola quæ placet deistis admittatur auctoritas, videlicet rationis. Verùm, cum fides christiana doceat, et ratio non neget, existere spiritus intelligentiâ et potestate hominibus superiores, quorum alii humani generis amantes et fidi mandatorum divinarum ministri, alii verò miseris mortalibus infensi sint; hinc maximam difficultatem repetunt increduli, causati dæmones posse nos decipere miraculis.

2^o Adversus eos possemus in hunc modum præscribere: Revelationem agnoscutis, aut inficiamini: si prius, admittendum ergo quod revelatio docet; nimirum, non obstante dæmonum potentiâ, miracula viri probandi servare: si posterius, abjecto petita ex principio quod falsum reputat objectator, penitus in se radicatusque nulla est. Aut si contra nos principia nostra contorquantur per modum argumenti *ad hominem*, à nobis sumenda et accipienda sunt hæc principia, qualia tradimus: qualia autem profiteremur, objectis carent incommo- dis. Ergo, etc.

3^o Juvat tamen, majoris explanationis gratiâ, exponere quæstionem: utrùm et qualia

Angli vacant operari miracula; in quâ tractandâ, dum ex fontibus revelationis, Scripturâ S. et traditione, argumenta depromemus, utemur jure nostro; inde enim repetenda responsio, unde petitur objectio.

4^o Duplex causa distingui debet: alia propriè dicta, quæ virtute sibi connaturali operatur, sive ea virtus physica sit, sive occasionalis (qualis est anima erga motus corporis, quos juxta plerosque philosophos occasionaliter tantum producit); alia impropriè dicta, quæ duplex est: alia impetratoria, quæ suis precibus causam propriè dictam ad effectum producendum movet et excitat; alia instrumentalis, quæ alieno nomine alienaque virtute operatur. Rursum causa alia est sui juris et libera, quæ inter agendum propriis nutus sequitur; alia ministerialis, quæ alieno obsequitur imperio. Tandem distingui debet virtus naturalis, quæ est nativa conditionis appendix, à virtute expeditâ, seu licentiâ suas vires exercendi; quia scilicet fieri potuit potestatem naturalem propter varias causas ultra naturalia amplificatam fuisse, vel citra eadem fuisse restrictam.

His positis certum est 1^o Deum virtute naturali et independenti, eadem scilicet omnipotentia quâ in principio creavit cælum et terram, Genes. v. 1, miracula tum primi tum secundi generis operari posse. Certum 2^o homini nullam esse virtutem, nisi impetratoriam et instrumentalem ad miracula etiam impropriè dicta. Unde tota lis, ut divimus, de angelicâ potestate movetur. 3^o Jacobus Serres, presbyter anglicanus, in speciali eâ de re tractatu, miraculorum potestatem omnem Deo reservat, eamque angelis sive bonis, sive malis penitus abjudicat. 4^o Samuel Clarkius, cujus doctrinam amplexus est Paschalius noster et multi post eum theologi, contendit dæmones virtute naturali cujusvis generis prodigia patrare posse, aut saltem ita simulare ut præstigiis à realitate distinguere nequeant homines; et malis hisce genibus permissum esse hæc suâ potestate in erroris confirmationem abuti. Hinc, ut miracula ad probationem alicujus veritatis valeant, quatuor condiciones exposulat: primò, ut vel in se vel in circumstantiis nihil Deo manifestè indignum præ se ferant; secundò, ut non afferantur in confirmationem doctrinæ evictissimè absurde; tertio, ut antea sufficienter præmoniti non fuerimus miraculis illis credendum non esse; quartò, ut ab aliis miraculis vel æquè vel magis splendidis non impingantur. Quintò, statuit media quædam sententia dæmonum po-

sentiam naturalem omninò ligatam esse; adhiberi tamen à Deo, ut instrumentum ad suorum pietatem explorandum, vel ad exercendum in malos iudicium; at nunquam eorum ministerio in confirmationem falsi miracula patrari: huic opinioni apponitur à quibusdam hæc restrictio, nisi fiant in contrarium miracula majora. Quid nobis videatur aperient sequentes assertiones.

ISSERTIO PRIMA. — *Angeli, sive boni, sive mali, virtute suâ naturali in materiam agere possunt, atque idèò miracula improprie dicta operari.*

Prob. prima pars, 1^o ex iis Scripturæ locis in quibus angelorum facta recensentur: sic in veteri Testamento bonis angelis tribuuntur Sodomorum concrematio, collectatio cum Jacob, cædes primogenitorum Ægypti, custodia Israelitarum in deserto, liberatio trium puerorum è fornace Babylonica, translatio Habacuc, etc.: in novo autem Testamento revolutio lapidis ab ostio monumenti, solutio catenarum Petri. Malis vero operantibus angelis Job est afflictus, concessa illius domus, consumpti greges, Achab decipitur, grex porcorum in mare projicitur, puella Pythonæ exagitur, etc.: atqui hæc, et alia quæ omittimus, arguunt angelos posse materiam localiter movere, eique varias imprimere determinaciones. Ergo, etc. 2^o Hæc est etiam SS. PP. unanimes et constans doctrina; ita Tertull. lib. 5 contra Marcionem, lib. de Patientia, et in Apologet.; Lactantius passim; S. Justinus Apolog. 2; Origenes lib. 5 contra Celsum; S. Chrysost. in Epist. ad Coloss.; S. Hier. in cap. 2 Habacuc; S. August. multis in locis, ac præsertim in opere de Civitate Dei, et lib. 3 de Trinitate. Ergo, etc. 3^o Tandem, licet angelorum existentia, ac proinde virtus motrix, ratione constare non possit, attamen huic veritati libenter ratio suffragatur. Sicut enim anima humana, quamvis à materia sejuncta, tamen est materia excellenter, utpote spiritus, idèòque in materiam agere potest juxta leges suæ cum corpore unionis; ita maxime congruebat, ut intelligentiæ puræ, si existere agnoscerentur, eandem facultatem acciperent, eamque juxta leges certas, licet nobis incognitas, exercerent; et quidem gradu eò majori, quòd anima nostra est substantia angelicis inferior. Hinc concipitur angelos corpora sibi non unita posse localiter movere; et duplici quidem ratione, vel uniendo sibi et aptando corpus aliud, cujus ope cætera moveant; vel per intellectum et voluntatem, percipiendo corpus aliud mobile, et adu-

bendo voluntatis Imperium, ut à tali loco ad talem locum, tali spatio, tempore ac velocitate, feratur. Ergo 1^o possunt angeli corpora movere.

Prob. secunda pars, nempe quòd miracula improprie dicta operari possint. 1^o Quidem Scripturam, quæ duplex argumentum suppeditat: primum ex variis factis in utroque Testamento memoratis; hæc inter alia scilicet: Gen. c. 3, dæmon serpentis organo usus est ad protoparentes decipiendos; atqui serpentem cum Evâ collocatum fuisse, non minùs haberi debet ut prodigium, quàm asinam Balsami distincta verba protulisse. Deinde miraculum fuit actus Eliæ ignem adducents è cælo, Reg. lib. 4, c. 1; atqui similiter facturus legitur Antichristus in Apoc. c. 13, *ut etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum*. Præsertim Exod. c. 7, legitimus magos prima Moysis miracula imitatos esse: quibus autem dixerit ab iis meras subtilitates, humanam et naturali industriam, fuisse exercitas, cum Moyses, vir prudens, et in arcanis Ægyptiorum scientiis versatissimus, ea sic descriperit, ut miraculis suis æquare ferè videatur; ait enim Script.: *Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter*. Ergo constat experientiam, etc. Aliud momentum subministrant monita adversùs pseudoprophetas. Deuter. c. 13, v. 1: *Si surrexerit in medio tuorum propheta, qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenierit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos; non audies verba prophetæ illius aut somniatoris*. Jerem. c. 23, v. 32: *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis*. Matth. c. 24, Christus ait: *Surgent enim pseudopropheta, et dabunt signa magna et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. 2 ad Thessal. c. 2, de Antichristo legitur: *Et tunc revelabitur ille iniquus.... cuius est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis*. Apocal. c. 13, prophetia est de bestia, quæ *fecit signa magna, ... et seduxit habitantes in terris propter signa*. Atqui profectò verba quibus utuntur auctores sacri, *signi atque portenti prædictio eventu confirmata, signa magna, et prodigia facta secundum vim Satanæ, in omni irsute et prodigiis et signis mendacibus*, probant sermonem non esse de fallacibus et circulatoriis artibus quibus incauta multitudo decipi

solet, ut contendit Sercius : huic interpretationi repugnat naturalis vocum sensus et energia ; neque tantum periculum erat, ne fraudibus hujusmodi Religio multorum in discrimen adduceretur.

2º Nobis suffragatur traditio. Nam primò confidentem habemus Sercium sibi adversari PP. auctoritatem. Equidem illum non multùm curare se declarat, pro more Protestantium : at nos Catholici curamus, et curabit quisquis advertet Patres audiri posse ac debere, saltem ut testes factorum quæ se vidisse affirmant. Secundò, posse dæmones operari præstigias et sensuum fascinationes docent Irenæus lib. 2 contra hæres. c. 31 ; Justin. Dial. cum Tryphone ; Cyrill. Hieros. Catech. 15 ; Lactant. lib. 2, c. 14, lib. 7, c. 13. Posse non modò præstigias, sed reales effectus et verè prodigiosos producere, v. g., corpora in altum sustollere, aliquandù vel per aera vel super aquæ superficiem sustinere, referunt, et quidem ut testes oculati, SS. Hilar., Hieron., Paulin., Sulp. Sever. Posse morborum quodam modo curationes operari agnoscunt Tertull. Apolog. c. 25 ; Origen. lib. 3 contra Celsum ; S. Chrysost. hom. 36, et lib. contra gentes, et alii. Ergo, etc.

3º Ratione confirmatur, et sequitur ex primâ parte : namque per miraculum improprie dictum intelligitur, ut diximus, vel mera translatio, vel transformatio et alteratio agentibus naturalibus non impervia : atqui statim ac angeli motum corporibus imprimere possunt, hunc utrumque effectum producere valent : primò translationem, per motum localem citissimum, humanisque sensibus imperceptum ; sic enim unam substantiam in locum alterius substituere possunt, ita ut, quæ oculis offertur, de novo producta censeatur ; secundò transformationem, applicando scilicet activa passivis : cum enim altissimâ polleant naturæ scientiâ, cognoscunt varia corpora variasque corporum proprietates ; illisque quasi instrumentis eò meliùs utuntur, quò solertiores sunt ; ex quo fit ut occultis viis substantiam aut producere aut transformare videantur. Ergo, etc. Tertius etiam modus concipitur quo scilicet dæmones, etiam si nihil operarentur extra nos, in tús secretis motibus spirituum animalium cursum dirigerent, hominemque ita afficerent, ut existimaret præsentem videre substantiam, quæ reipsâ præsens non esset. At tunc effectus realis non foret, sed acra sensuum illusio.

ASSERTIO II. — *Deus solus potest operari miracula propriè dicta, seu primi ordinis.*

Prob. 1º ex Scrip. S. Psal. 71, v. 18 : *Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus* ; ps. 76, v. 15 : *Quis Deus magnus sicut Deus noster ? tu es Deus qui facis mirabilia* ; ps. 135, v. 4 : *Qui facit mirabilia magna solus* ; atqui *mirabilia hæc, quæ Deus facit solus*, non sunt miracula improprie dicta, quæ angelis permessa sunt, ut modò diximus : sunt ea ipsa miracula, quæ in gratiam populi sui sive in exitu de Ægypto sive aliàs Deus ediderat, quæ passim in psalmis celebrat sacer poeta, et quæ miraculis propriè dictis certè accensenda sunt. Ergo, etc. 2º Ex traditione : nam S. Hippolytus martyr, alique, mortuorum excitationes à dæmonum potestate excipiunt. Deinde Origenes, Theodoretus, S. August. et alii de miraculis Ægypti disserentes, aiunt virgæ conversionem in serpentem veram non fuisse, sed apparetter tantùm ac per promptissimam organorum evolutionem contigisse : audatur S. Aug. lib. 5 de Trinit. c. 9 : « Mali angeli, pro subtilitate sui sensus, in occultioribus elementorum seminibus nò runt unde ranae serpentesque nascentur ; et hæc per certas et notas temperationum oportunitates faciunt creari, non creant... sed non est creator nisi qui principalitèr ista format. » Ergo juxta SS. PP. miracula quædam angelorum virtutem superant. 3º Ex ratione. Dictum est miracula propriè dicta ea esse quibus reipsâ suspenduntur naturæ leges ; atqui nec angeli, nec dæmones sat virium habent, ut naturæ leges intervertere valeant : leges enim naturæ nihil aliud sunt quàm constans Dei actio, seu voluntas, effectus eosdem iisdem in circumstantiis producendi : atqui repugnat creaturam ullam voluntati generali, quæ Deus mundum administrat, derogare posse ; hic enim solus lege superior est, qui legem instituit. Et verò potestas miraculorum primi ordinis esset facultas producendi effectum sine causis secundis, aut etiam effectum ad quem se non extendunt vires corporum naturales ; facultas non alâ re indigens ad effectum producendum, quàm nutu suæ voluntatis ; facultas movendi vel sistendi quodlibet corpus, ipsum, v. g., solem, plantam vel animal quodlibet organum instruendi, et brutum corpus in animale transformandi solo voluntatis arbitrio : atqui potestas agendi, sibi planè sufficiens, à causis secundis inter

agentium independens, potestas tanta ut inter agentis volitionem et effectum infallibilis sit et immediata connexio, est perfectò potestas infinita seu omnipotentia: ergo nulli creaturæ, ne ipsis quidem angelis, tribuenda est. 2° Etiam naturalis angelorum potestas miraculis propriè dictis par fuisset, decebat tamen ut jus illud sibi soli Deus retineret: videtur enim exigere ipsius excellentia ac dominium, ut, quando voluerit, possit immediatam suam in orbis administratione interventionem probare, ut possit opus aliquod elere ab operibus creaturarum certò discernendum, sibi que soli ut supremò omnium Domino tribuendum: atque, nisi Deus mirabilem quorundam præcellentium potentiam sibi servaverit, immediatam suam actionem in hanc rerum universitatem jam certò probare non posset. Ergo, etc.

Obj. Miraculum etiam propriè dictum, est effectus finitus: atque effectus finitus v. res creaturæ, præsertim excellentioris, qualis est angelus, non superat; ergo nihil vetat angelos esse miraculorum etiam primi generis auctores.

Resp. 1°: Pari jure argui posset hominem cujuslibet effectûs finiti capacem esse, quia inter potestatem ejus finitam et effectum finitum nulla est repugnantia. 2° Dist. min.: Id est, multiplex datur effectus qui non superat, etc., conc.; id est, nullus datur qui superat, nego. Eo ipso quo creatura finita est, sequitur ejus potentiam certis finibus coerceri; adeoque ad illud non pertingere quod eos limites excedit: hinc homo non potest quod angelus, nec angelus inferior quod superior: ergo ex eo quòd miraculum sit effectus finitus, non sequitur, etc. 3° Dist. maj.: Miraculum est effectus finitus quoad substantiam, conc.; quoad productionis modum, nego. Mundus in se finitus est; neque tamen ab angelo creari potuit: ergo non solus effectûs finiti ratio habenda est, sed vis ad illum producendum requisita: atque vis miraculo propriè dicto non impar est vis infinita, quæ potest operari solà suæ voluntatis efficaciâ, et sine instrumento quod habeat proportionem cum effectu. Ergo, etc.

ASSERTIO III. — *Dæmones possunt, ita permitte Deo, miracula impropriè dicta edere, etiam in confirmacionem erroris.*

Prob. 1° ex Script. vidimus enim magos Pharaonis vera edidisse miracula; vera, inquam, per oppositionem cum circulatorum

fallacis: atque ea miracula fiebant in erroris confirmacionem; eò quippe referebantur et ostenderent Moyses non esse Dei legatum, aut saltem ejus legationem non probari signis quæ operabatur, nec jussisse Deum ut Israelitæ in desertum pergerent ad sacrificium; atque hoc falsum erat. Ergo, etc. Idem inferre datur ex jam relato Christi testimonio de signis ita præclaris, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*: porrò non modò in erroris confirmacionem patrandæ annuntiantur, sed etiam in errorem efficaciter homines, vis exceptis electis, impulsura. 2° Ex traditione: multa enim referuntur apud ethnicos auctores prodigia, quæ (saltem omnia) SS. PP. ut fraudulenta et supposititia non refellunt: eadem aut similia narrant ipsi auctores ecclesiastici. Atque pleraque in confirmacionem erroris, videlicet cultûs idololatricæ, fiebant: ergo, etc. 3° Ex ratione: adversarii quippe non diffitebantur (idque fides et experientia docent), pati Deum ut dæmones naturali suâ virtute in honorum tentationem abutantur; quæ quidem tentationes non sunt probationis tantum, sed etiam seductionis; immittendo scilicet pravæ cogitationes, et suggerendo prava sophismata, quibus aliquid in se malum minùs tamen vetitum esse suadeatur; quæ etiam non modò sicut internæ, sed externæ, subjiciendo sensibus objecta illicita quæ ad peccatum alliciunt: atque similiter pati possunt, dæmones abuti facultate quam habent operandi miracula impropriè dicta: paritas est omninò accurata; Deus enim non minùs est sanctus quàm verax; potest amorem veritatis et in ipsâ constantiam, non minùs quàm virtutem et pietatem, in suis probare velle. Ergo, etc.

SCHOLIUM.

Licet asseramus dæmones habere potentiam naturalem, imò quandoque licentiam, miracula impropriè dicta patrandi, etiam in erroris confirmacionem, multiplici tamen ratione eorum potestatem intra debitos limites coerceri concepimus. 1° Ratione objecti; nempe nec simul nec successivè omnia corpora movere vel transmutare eis datum est; 2° ratione circumstantiarum; non enim forsitan conceditur ut singulis instantibus, singulis in locis, erga singulos, quidquam agere possint; 3° resistantiâ beatorum angelorum oppugnantur sæpius, et vincuntur; bonus enim angelus, licet inferioris naturæ, potest tamen summum

dæmonem cogere eique efficaciter præcipere, quippe qui tunc non solâ virtute naturali, sed etiam in Dei minister operetur. 4^o Tandem id generatum statuendum est, nihil omninò à dæmonibus fieri, nisi quod Deus permiserit: eaque assertio evidenter colligitur, tum ex ratione quæ docet Deum profectò cum dæmonibus divisum mundi imperium habere nolle; neque eorum malitiâ permittere universum orbem, cujus ordinem et physicum et moralem sus deque verterent; tum etiam ex Scripturâ, quæ nobis exhibet dæmonem ut servum ab ore heri sui pendentem, adeò ut nihil possit vel audeat nisi ex concessione Dei: sit in exemplum historia Job c. 1 et 2; ad singula maleficia ibi memorata Satan expressâ licentiâ indiget; refertur etiam lib. 5 Reg. c. 22, v. 20, conciliatos inter se coram Deo malignos spiritus ad decipiendum Achab, unumque ex his rem in se suscepisse, sed concedente Deo, v. 23.

Obj. contra potestatem quam dæmonibus tribuimus: Miracula magorum Ægyptiacorum, vel nihil, vel nimis probant; aut enim dicitur nihil hic per vim supernaturalem, sed omnia per fraudem fallaciasque subdolorum hominum, peracta fuisse; vel, ut fert communis opinio, factam fuisse veram conversionem ranarumque procreationem, virtuti diabolicæ ascribendam. Si primum, ne quidem miracula secundi generis à dæmonibus patriari posse hoc exemplo conficitur: si secundum, dicendum erit eorum vires non esse miraculis primi ordinis impares. Ergo, etc.

Resp.: Neg. maj. Neque cum Sercio dicendum nullas in hoc negotio fuisse dæmonis partes; neque tamen idcirco admittendum miraculum primi generis; datur enim aliquod medium. 1^o Sercii sensum non patitur narrationis Mosaicæ contextus: *Fecerunt*, inquit Moyses, *malefici per incantationes Ægyptiacas et arcana quedam similiter; proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Fecerunt similiter*; ergo non tantùm visi sunt imitari, sed fecerunt, et reipsâ imitati sunt, saltem quoad speciem externam, prodigia Aaronis; eorum virgæ non simpliciter visæ sunt verti, sed versæ sunt in dracones: illud autem non aliquâ agentii subtilitate factum est, sed per incantationes; incantationum autem nomine nihil aliud solet intelligi, nisi verba et ritus quibus advocari posse dæmonis auxilium existimatur. Deinde qui potuissent per fraudem et ludum hæc

prodigia simulare apud oculatissimos spectatores, diversis actos studiis, et quorum intererat harum operationum naturam scrutari? Qui decipi potuisset ipse Moyses, in omnibus Ægyptiorum disciplinis institutus? Si verum sit miracula à dæmone fieri non posse, id sanè non ignoravit Moyses; atque si magorum aliquam fraudem latere noverit, numquid eum silere pati-batur ardor gloriæ Dei, cujus erat legatus et minister, zelus Ægyptios à superstitione avértendi, amor suæ gentis cujus commodis inserviebat? Tandem cum de miraculo ciniphum actum est, illud imitari magi non potuère; et dixerunt malefici ad Pharaonem: *Digitus Dei est hic*. Jam verò, si artibus humanis lucusque usi fuissent, numquid novum illud prodigium imitandum suscepissent? Numquid conscii sibi nulla præstò esse arcana quibus ciniphos producerent, gloriam triplici jam miraculo comparatam imprudenter adduxissent in periculum? At contra, si dæmonis auxilium hactenus experti fuerant, condere debuissent illud sibi non defuturum. 2^o Tamen non idcirco primi ordinis miraculum admittimus: dicimus tantùm esse artem quamdam bludendi spectatorum oculis, quam dæmones hominibus etiam solertissimis longè perfectiùs norunt; hæc arte usi, suppositis de repente in locum virgarum serpentibus, ita primum Moysis miraculum imitati sunt, ut nihil quoad externam speciem inter suam et Moysis actionem differret. Simuli artificio aquam in sanguinem convertere visi sunt, aut forsan aquæ sanguineum colorem duntaxat induxerunt. Neque etiam iis difficillimum fuit ingentem ranarum copiam è victis paludibus collectam variis in locis subito distribuere; hæc omnia naturalem dæmonum activitatem non excedunt, sed tamen quamdam miraculi speciem habebant, propter eorum invisibilem operandi modum. At cætera Moysis prodigia imitari non potuerunt præstigiatores, vel quia naturalem dæmonum potentiam superabant, vel quia Deus eam repressit, ne diutius dubia maneret divina Moysis legatio.

At, inquit, non magis in nostrâ quàm in Sercii sententiâ, dici potuit maleficorum virgæ versas fuisse in dracones: nos sic interpretamur, *proiecerunt virgas suas quæ visæ sunt verti*; ait ipse, *visi sunt proicere virgas quæ reverterentur*: ergo par utrinque sacro textui vis infertur. — Resp. ita loqui potuisse Moysen in opinione nostrâ, non potuisse in alterâ: si enim omnia fraudibus humanis perfecimus

magi, lectores suos in manifestum errorem inducit, dum scribit eorum *virgas in dracones versas fuisse*; simpliciter enim et historicè loquendo, dici non potest circulatores id facere quod facere se simulant: at si dæmonum actionem hic intercessisse admittatur, et conversionem, sin realem, saltem apparentem, mediis superhumanis et spectatorum oculo imperviis factam fuisse, ita ut inter operationem Aaronis et magorum nullum discrimen exterius observari potuerit; jam in narratione Moysis nihil falsum erit aut inaccuratum, utpote quæ veris rerum apparentiis consonet.

Obj. 2^o: Tum in veteri tum in novo Testamento miraculorum potestas exclusivè Deo tribuitur; appellatio ipsius propria est *Jehova faciens mirabilia*; miracula vocantur per antonomasiam *opera Dei*, Joan. c. 9, v. 5. *Brachium Domini*, Joan. c. 12, v. 58; et generatim omnia, quotquot et quæcumque sint miracula, exhibentur ut divinæ voluntatis signa, legationis cœlestis sigilla, divinæ auctoritatis monumenta confirmativa, Gen. c. 15, v. 17; Exod. c. 4; Num. c. 15 et 17; Josue c. 5, v. 7, etc., et passim apud Evangelia: atqui tamen non ita est, si dæmones, etc. 2^o Hic gentium iis designantur vocibus hebræis quæ *res nihili* seu *res vanas* significant: ubique irridentur à Prophetis idola gentium, ut penitus infirma et omnis potentix egena. *Nolite timere ea*, ait Jerem. c. 10, *quia nec malè possunt facere, nec bonè*; idem legere est 3 Reg. c. 18, v. 27, Isaiæ, c. 41, v. 25, Baruch. c. 6, v. 54. Neque reponatur de idolis tantum, non verò de dæmonibus qui idolis præsidebant, hæc dici. Quomodò enim, per os Prophetarum, Deus arguere posset se solum esse Salvatorem, sibi soli competere potestatem bonum et malum faciendi, si dæmones, idolorum præsidēs et quos per idola colebant ethnici, possent quoque vel bonè vel malè facere, quamvis id non possent ipsa simulacra? Ergo, etc.

Resp. ad primum, sacræ Scripturæ dicta ad hæc esse revocanda scilicet: 1^o Deum solum posse operari splendidiore quædam prodigia, quæ ipsum supremum rerum omnium Dominum arguant, quæ nos vocamus miracula primi ordinis, etsoli Deo adjudicamus; 2^o opera dæmonum non fieri virtute supremâ, sed precariâ, et ita dependente ut eam possit Deus ad nutum cohibere; 3^o ut Divinitus signacula habenda esse miracula, propriè dicta quidem, semper et in omnibus cir-

cumstantiis, impropriè dicta autem, in circumstantiis infra assignandis. Ad secundum, si ad rigorem urgerentur ii textus, sequeretur dæmones ne ullo quidem modo se rebus humanis immiscere, quod nimium est. Neinde gentiles, quos increpant Prophetæ, idola ipsa materialia, statuas, aliæque similia colebant, ut patet ex psal. 115: *Aures habent et non audient*, etc.; ex Jerem. loco citato; ex Daniele et lib. Sapient. passim. Ergo Scriptura, cum de gentium idolis loquitur, non ad dæmones alludit, sed ad idola ipsa et simulacra; quo sensu S. Paulus dixit 1 ad Corint. c. 8, v. 4: *Scimus quia nihil est idolum in mundo*. Ad prob. duo reponimus: unum, Prophetas semper de *idolis*, de *simulacris*, de *diis gentium* loqui; nec ullum videri à sacris scriptoribus institutam fuisse connexionem inter idola et idolorum præsidēs: alterum, verum semper manet Deum potestatem dæmonum pro arbitrio temperare, ac omnino suspendere si velit, adeoque solum esse Salvatorem, boni malique potentem.

Obj. 3^o: Ista sententia pluribus Dei attributis infert injuriam: primò, dominio: si enim sit dæmoni facultas leges naturæ suspendendi aut solummodò vires corporum naturales dirigendi, jam ipsi rerum mundanarum arbitrium saltem in aliquibus permittitur; atqui hoc non patitur suprema Dei dominatio. Secundò, *veracitati*: alienum quippe est à Deo summè veraci suam potestatem ad simplices decipiendos commodare; pati ut sigillum suum, cujus attestazione nihil est ad testimonium divini confirmationem luculentius, detorqueatur ad falsitatis testificationem; tunc enim Deus imitaretur principem, qui falsas litteras suo nomine conscribi permitteret; missurus deinde veriores prioribus contrarias. Tertio, Dei majestatem ac sapientiam dedecet, ut permittat dæmonem secum quasi contendere miraculis et manus conferre, ita ut semetipsum obstringat necessitate perpetrandi nova miracula iis majora quæ à dæmone fuerent.

Resp. primò: Nimis probat objectio. Nam inde sequeretur dæmones hominibus interiores tentationes immutare non posse: sicut enim objicetur dæmonibus relinquere facultatem miraculorum, ita ut ipsis utantur ad fallaciam, Deus autem in veritatis testimonium; similiter dici poterit dedecere Deum, ut permittat dæmones iisdem viis homines in peccatum propellere, quibus eos Deus ad pre-

tatem virtutemque excitat; videlicet menti novas ideas proponendo, et voluntatem validâ propensione flectendo. Sequeretur etiam Deum teneri ab hominibus arceere possibilia quæcumque seductionis pericula; non potuisse tolerare humanas pseudo-miraculorum et pseudo-oraculorum fraudes; à fortiori non potuisse malignis spiritibus relinquere potentiam ac libertatem præstigiarum, quæ veri miraculi speciem mentirentur: quod tamen certissimis factis revincitur. Profectò, si princeps sigillum suum seductori commodare non debeat, videtur non magis sine posse idem sigillum tam accuratâ imitatione fingi, ut subditis suis illudatur: atqui tamen, ipso Christo teste, *surgent pseudo-prophetae, et dabunt signa et prodigia multa, ita ut in errore inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Secundò, nego fieri divinis attributis injuriam. Primò, non dominio; quippe dæmon solum divinum non idcirco conscenderet, non ageret virtute independenti, non derogaret legibus naturæ generalibus. Secundò, non veracitati; Deus enim suam potestatem, summi sigillum non commodaret, ut objicitur, sed tantùm alienam potestatem non restringeret, ob altissimas quasdam rationes; et aliunde erroris detegendi media suppeditaret. Non tertio, sapientiæ, quæ fines morali Providentiâ dignos sibi proponeret; nempe suos experiri, majori virtutis merito et pulchriore coronâ decorare, malorum obcæcationem et indurationem in culparum antecedentium punitionem permittere. Par difficultas oritur ex permissione tentationum: Deus enim iis, quos à dæmone tentari patitur, ampliores gratias largiri tenetur, juxta id Apostoli: *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*.

SECTIO IV. — *De notis seu characteribus miraculorum.*

Triplex est quæstio: 1^o Quomodò effectus verè miraculosi, ab effectibus naturalibus, 2^o miracula propriè dicta, ab impropiè dictis, 3^o miracula angelica, à diabolicis discernantur.

1^o Ex dictis ubi de Huttev. systemate, sequitur certitudinem nostram circa veritatem miraculorum totam niti hoc principio: Eadem causa naturalis in iisdem circumstantiis naturalibus eosdem effectus naturales producit. Hinc quoties per experientiam et sensuum testimonium mihi constabit adesse corpus talis

speciei, ejus talis sit proprietas mihi probè cognita, ut applicatum tali corpori mihi pariter optimè explorato talem effectum semper producat, et tamen exsurgat effectus solito prorsus dissimilis, tunc certò pronuntiabo adesse miraculum. Adest, v. g., ignis solito more accensus, quo video lignum comburi; ad quem, si accedam, calorem experior et forsân adustionem; certò tenco ibi non adesse umbram ignis, sed realitatem: deinde eundem ignem projicitur homo, quem novi passibilem et igni non impervium; quem, ex improviso deprehensum, scio non providere sibi potuisse de mediis, si quæ sint, quibus inter mediis ignes staret illæsus; eum tamen conspicio diu in flammis commorari sine ullo doloris sensu, ex iisdem sanum vegetumque prosilire: hoc in facto miraculum indubius agnosco. Idem, proportionem servatâ, dicendum de restitutione visus caeco nato, ope luti, de sanationibus et resurrectionibus in Evangelio narratis. Hinc, à contrario, quoties aliqua erit rationalis suspicio deesse circumstantiarum physicarum identitatem, miraculum admittendum non erit, saltem ut certum. Ubi, v. g., de circulatorum artibus et physicorum experimentis agitur, cum mihi non constet corpora alia non esse intrinsicè ac extrinsicè apparent; cum mihi non detur singulo cuique corpori, quod est pretensi prodigi materia, sensus omnes tactum, visum, etc., admoveere, ejusque intimas explorare qualitates; cum videam fieri novam quandam corporum combinationem mihi hactenus ignotam, et de quâ nihil mea mihi refert experientia; cum videam prodigium fieri non subito, sed gradatim, non sine apparatu et combinationibus, jam non assero dari miraculum.

2^o *Quomodò miracula propriè dicta ab impropiè dictis discernantur.*

1^o Non datur majus potentiae incommunicabilis argumentum quàm creatio: at existitne miraculum, quod absque propriè dictâ creatione nequeat explicari? Saltem, si non vis creatrix, eluceat infinita tum potentia, tum sapientia in subitanè corporum physicorum ex brutâ et informi materiâ efformatione: nihil enim minus agitur quàm materiæ in partes indefinitè minutæ divisio; figuræ, motus, situs ac relationis debitæ determinatio: porrò nullum est in naturâ instrumentum par iis effectibus producendis. Hinc verè divina fuere miracula, Moysis, Ex. c. 17, Num. c. 20, aquas è

lupæ virgæ contactu in deserto arido eductis, manna è cælo advocatis, Eliæ farinam et oleum viduæ Sareptanæ multiplicans, 3 Reg. c. 17; Elizæi idem efficiens, 4 Reg. c. 4; Christi numerosam plebem aliquot panum substantiâ pascentis, aquam convertentis in vinum, etc. Neque enim cogitandum est hæc miracula aliâ quàm reproductionis aut transmutationis viâ contigisse. Numquid enim panes aliunde assumptos angeli Christo attulissent, quos deinde, tanquàm munificentiæ dona et opera potentiæ, distribueret? Christum profectò dedecret hæc agendi ratio, tum quia vix credibile est ab eo, cui innata est omnipotentia, invocatum fuisse ministerialis angelorum potentiæ subsidium; tum quia in eo fuisset aliquid fallaciæ, spectatores in errorem ineluctabilem inducens; et Deum ipsum spoliatis facultate miraculum patrandi, quod sibi soli certò tribuendum foret. Eodem in ordine reponenda plantarum organisatio: quanta enim virtus requiritur, in condendis iis organis quæ terræ succos extrahant, et in ramos, folia, flores, fructus, digerant! Hujus miraculi exemplum habemus in germinatione virgæ Aaron. Idem à fortiori de animantium structurâ dicendum, quantus ossium, fibrarum, nervorum, musculorum, liquorum apparatus! Hinc omnes philosophi summam Entis Creatoris intelligentiam concludunt. Itaque eductio infinitæ multitudinis ciniphum ex pulvere, per virgæ contactum, miraculum fuit primi generis; item mutatio virgæ in serpentem, etc. Omnipotens Dei majestas eminet in astris et sideribus; in mirabili quam habent secum invicem harmoniâ, quâ fit ut, suspensio vel unius motu, cætera ruerent in confusionem, nisi orbis ruinam Deus averteret: igitur, nisi dicantur effectus merè optici, primi generis sunt miracula, factum Josue solem sistentis, Isaia: ipsum retròpellentis, Christi novum sidus in ortu suo demonstrantis, et in obitu suo solem obscurantis. Imò, etsi apparentiæ merè opticiæ dicerentur, nimii momenti est, in administratione mundi tum physicâ tum morali, constans lucis ac tenebrarum successio, quam ut quisquam alius à Deo eam intervertere queat. Ex humani corporis fabricâ, ejusque cum animâ unione efficitur divinitatis demonstratio: ergo mortui resurrectio, quæ corporis organorum restaurationem requirit, est miraculum necessariò divinum; at est præsertim, ratione domini quod in animam à corpore separatam exercetur, quodque soli Deo competit. Ideò divinum

dici debet miraculum Eliæ 3 Reg. c. 17, Elizæi 4 Reg. c. 4, Christi passim in Evangel. Petri Act. c. 9, Pauli ibid. c. 20. Dantur quædam morborum genera, tantam in organis deordinationem corruptionemque procreantia, ut non nisi admotâ Dei ipsius dexterâ queant, subitò, sine dolore, sine languore superstite, sanari; hinc dari possunt miracula sanationum tanta, tam subita, tam perfecta, tam varia, ut ex omnium harum circumstantiarum concursu certò innotescat omnipotentia; idque dictum sit, de Christo solo nutu voluntatis, de S. Petro solâ sui corporis umbrâ, Act. c. 5, v. 15, de S. Paulo solo vestimentorum contactu, morbos sanante, Act. c. 19, v. 12. A solo Deo qui *scientiarum Dominus est*, infundi potest subitanea linguarum priùs incognitarum intelligentia et locutio: qui enim, sine omnipotentia intervenitu, accederet cerebrum statim induere innumera verborum priùs ignotorum vestigia, ea sine confusione exarari et à spiritibus animalibus relegi? Attendatur quid temporis et exercitii requiratur ad comparandam unius idioma-tis scientiam et usum. Fuit ergo miraculum primi generis quod Apostolis contigit die Pentecostes, si eorum unusquisque variis et multiplicibus linguis locutus sit; fuit adhuc, et non minus, si vocen. quæ ab Apostolis unoidiomate proferebatur, intelligeret idiomate, quique suo, Parthi, Medi, Elamitæ, Romani, Cretes et Arabes; quippe erga infinitos auditores suspendenda fuit impressio verborum extranei idionatis quæ utebatur S. Petrus, et in eorundem mente substituenda verborum idiomatis, alterius, eodem stylo et ordine, sensatio.

Cæterùm, licet certum omninò sit miraculorum primi ac secundi ordinis discrimen ex applicatione vel non applicatione agentium naturalium pendere, ut diximus; fatemur ægrè admodum definiri plerùmque posse, an facta fuerit necne ea applicatio; hinc de singulis modò laudatis prodigiis non arbitramur æquè constare ea esse ad primum genus referenda. Deinde credimus non esse, cum Clarkio, concedendum, quæque primi ordinis miracula ita posse à dæmone simulari, ut inter effectus divinæ actionis et opera potest dis diabolicæ discerni nunquàm possit. Ut enim jam notavimus, omnipotentiam decere videtur ut ea sibi servaverit, adeoque non patiatur ipsa dæmonem simulari: hinc, si per invisibilem applicationem medi ejusdam naturalis simuletur curatio, deerit instantaneitas in effectu, natura enim hujusmodi progressionem operatur; deerit fors et

perfectio. Si per oculorum fascinationem fingatur resurrectio, deerit duratio; Deus enim permittere non potest sensibus ritè applicatis constanter illudi; alioquin rueret certitudo physica.

3^o *Quomodo miracula diabolica à divinis discriminari queant.*

Miracula hic divina dicimus ea, quæ sive à Deo *immediatè*, sive *mediatè* per bonos angelos perpetrantur. Assignantur autem characteres alii insufficientes et falsi, alii negativi, alii positivi.

Characteres insufficientes. — 1^o Miraculum non idcirco divinum est, quod sit utile, si agitur solum de utilitate temporali; ut enim ait S. Aug. lib. 8 de Civit. Dei, c. 21: « Dæmones beneficia præstando magis nocentes, quæ magis decipientes; » et recipiæ leguntur miracula dæmonis utilia, v. g., Pythonissæ illius, Act. c. 16, quæ magnum quæstum domino suo faciebat; leguntur et miracula Dei corpori nocentia, v. g., lepra Mariæ Moysi sorori inusta, mors viri quinquagenarii et quinquaginta qui cum eo erant, lib. 4 Reg. c. 1. 2^o Falsum est ea miracula à dæmone fieri non posse, quæ Deus semel operatus est; illud enim gratis asceritur, multisque refellitur exemplis, v. g., educatione ignis à celo quæ per Eliam tacta est, hecque per Antichristum. 3^o Satis non est miraculum fieri in loco sancto, Dei nomine invocato, fuis precibus; namque patitur Deus blasphemus, perjuro, superstitiosos rebus sanctissimis, oratione dominicâ, suo nomine, quoque corpore abuti. Ergo, etc.

Characteres negativi. — 1^o Si miraculum inutile et ridiculum sit, si aliquid crudelitatis, obscenitatis, vel fraudis ac mendaciæ admixtum habeat, certò diabolicum est: adversatur enim divinæ majestati ridiculum, bonitati crudelitas, sanctitati obscenitas. Et verò Deus per se vel sanctorum ministerio miracula nunquam patrativè ad stuporem, terrorem, oblectationem, vanam admirationem excitandam unice nata; sed quæ, pro circumstantiis, modò justitiæ timorem, modò beneficentiæ amorem et majestatis reverentiam impingerent: nunquam oculos inani spectaculo pascere visus est, nec leges sapientissimas interrompere, ut meras nugas ageret. Illic repudianda tot prodigia apud auctores profanos celebrata, v. g., aquæ in cribro delatæ nec effluens, cotis à novacula incisæ, etc. A fo. tiori, si aliquid indecorum occurrat; nunquid enim Deus hominibus afferret scan-

dala, quibus in malum inducerent? Hinc esto iudicium de famosissimis ita pridem creditis: nemo certè pius et sanus crediderit Deum leges suas suspendere, ut viros se ad pietatem exercentes exeruciet, ab ipsis clamores, gemitus, dentium stridorem, contorsiones et saltus incompositos extorqueat; ut, sanandi gratiâ, id omne præstet quod aptum est ad occidendum. 2^o Si personæ quæ miraculum operantur mentis alienatione laborent, diabolicâ virtute moventur: is quippe erat aruspicum et sibyllarum status; ex quo artes ipsorum dæmoni tribuere non dubitaverunt SS. PP. et ipsi philosophi ethnici: « Prorsus, inquit Apuleius, quasi Deorum præsentia soleant homines non fieri meliores, sed amentes effici et ægroti. » 3^o Deum auctorem non habet miraculum quod fit usurpato, illicito superstitiosoque medio, quia scelus miraculo munerat. Deus non potest. Fortè tamen afferri quendam exceptionem postulant aquæ vel ignis tentamina, *les épreuves par le feu ou par l'eau*, quæ olim in usu fuere: hec enim superstitiosa forent, concepit in gratiam innocentie, quæ his experimentis auctoritate legum et invita subijciatur, quæque certò opprimenda erat nisi fieret miraculum, Deum intervenire potuisse. 4^o Divinum non est miraculum, cui adhærendum non esse à Deo ipso præmoniti sumus: ejusmodi sunt quæ pugnant adversus Ecclesiæ auctoritatem, nunquam teterandam, et tot aliunde miraculis confirmatam. Proinde contemnenda futura Antichristi miracula, vel quæ in sectis separatis in gratiam hærescos aut schismatis prætenderentur. 5^o A Deo non est, quod sit in gratiam doctrinæ evidentè impiæ, bonis moribus aut veritati adversæ, sive evidentia sit intrinseca, qualis erat falsitas Religionis paganæ, sive sit extrinseca, qualis esset eujusvis Religionis à Christianismo, nunquam abrogando, diversæ. At valdè considerandum est, ne doctrina, obscura et incomprehensibilis, falsa et absurda reputetur: talis esse debet, ut ipsis rudibus et imperitiis pervia sit falsitas. 6^o Dæmoni tribuenda sunt prodigia quæ aliis, aut æquè, aut magis splendidis, impugnantur: ea autem pugna debet esse sensibilis et agilitate facilis; nec sufficiens foret, si miracula opposita, vel tempore remotiori, vel loco dissito facta fuissent, ita ut penè ignorarentur.

Characteres positivi. — 1^o Si constet miraculum esse primi generis, certum est ipsum à Deo solo procedere. 2^o Etiamsi non constaret cujus generis sit, attamen si miracula patreantur

splendida, si innumera, pro circumstantiarum varietate varia, semper occasione datâ opportunè et statim facta, agnoscî debet actio Dei; alioquin, habitâ ratione imperiî quod is thaumaturgus in naturam exerceret, Deus mundi habenas diabolo permisisse dicendus esset. 3° Si miraculum secundi generis cum miraculo primi generis jungatur, ita ut inter se moralem habeant connexionem. Repugnat enim hominem unum et eundem, rebus iisdem moraliter permanentibus, esse modò Dei, modò dæmonis instrumentum. 4° Si miracula hæc à divinis prophetis prædicta fuerint ut divina, aut sine ullâ adversùs ipsa præmonitione : Deus enim non permitteret prophetas suos esse operum diabolicorum buccinatores. 5° Si doctrina quam miracula confirmant, ad gloriam Dei, ad realem hominum felicitatem, ad suadendam virtutem ac pietatem manifestè tendat; alioquin *regnum Satanae in se divisum* esset, ut loquitur Christus. 6° Si miracula sint alius, quæ sunt in oppositam partem, et majora, et splendida. Sic evicti à Moysè magi Pharaonis, ab Eliâ propheta Baal, à S. Petro Simon Magus. 7° Tandem generatim statui potest miraculum divinum esse, quod, habitâ ratione finis, circumstantiarum, effectuum, nullâ pravâ qualitate vitiatum, et nullam præ se fert *diabolicitatis* notam.

Obj. adversùs regulas ad discretionem miraculorum modò stabilitas : Statuimus divina esse miracula quæ fiunt in confirmationem doctrinæ indifferentis, seu ejus neque veritas, neque falsitas evidenter patet; diabolica verò, si fiant in confirmationem idololatriæ alteriusve erroris manifesti : atqui admitti non debet ista regula. Nam 1° dæmon, ut homines meliùs decipiat, potest se transformare in angelum lucis, et veritatis quandoque patronus videri : ergo poterit edere miracula quibus vera religio confirmetur. 2° Patet splendorem miraculi esse notam intrinsecâ dogmatis naturâ, absurditate vel non absurditate, clariorem : ergo miraculi auctoritas non à dogmate, sed dogmatis à miraculo religanda est. 3° Non nisi admissio circulo vitioso probari potest doctrina per miraculum, et vicissim miraculum per doctrinam : atqui tamen hoc præstamus. 4° Nostra regula exigeret totius doctrinæ christianæ et omnium Scripturarum investigationem. Doctrina enim sibi evidenter contradictoria, est evidenter absurda : atqui, ut constat nullam esse contradictionem etiam evidentem, requiritur omnes Scripturæ textus expendi, eosque secum invicem conferri. Ergo, etc. 5° Hinc

multùm minuitur vis miraculorum : enimverò deista, Judæus, Mahumetanus libenter fatebuntur Christum miracula patrâsse; at reponent miraculis conjungi mysteria, quæ repugnantiam in ipsis terminis involvunt, quæ Deum exhibent unum et triplicem, Deum hominem factum, homines peccati reos antequàm nascantur; nec unquàm eis suaderi poterit ut doctrinam illam indifferentem credant. Jam verò hinc, theologum christianum inter et deistam, eò reducetur controversia, utrùm certæ quædam propositiones absurdæ sint, an tantùm incomprehensibiles : in quo si quis erret, peccabit contra dialecticæ leges, minimè verò contra obsequium Deo revelanti debitum. Atqui hinc miraculorum efficacia plurimùm eliditur; neque jam possunt incredulorum pervicaciam frangere. Tandem aliam omninò vim miraculis inesse Christus indicat, Marc. c. 2. Cogitabant Pharisei blasphemâsse Christum, cum peccata paralytico dimiserat : quam injuriam Christus à se depellit his verbis : *Quid enim facilius est dicere paralytico : Dimittantur tibi peccata tua, an dicere : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico : Tibi dico : Surge, etc.* : porrò in nostrâ sententiâ nullius roboris est argumentatio Christi. Miraculum enim vim habere non debebat, antequàm se à calumniâ purgasset : atqui è contra Christus adversarios miraculi pondere opprimit, *ut sciatis*, inquit, *quia... tibi dico, surge*; mirantur omnes et honorificant Deum, ait Evangelista; ipsi Scribæ obmutuerunt : ergo sententiâ nostrâ inbuti non erant.

Resp. ad primum : Dæmon est necessariò malus et mendax; unde non potest veritatis confirmationem sibi, ut finem unicum, proponere; sed aliquid erit in miraculo, quo se prodet diabolica natura; si miraculum beneficentium arguat, aliquid inerit fallaciæ; si tendat ad veritatem, aliquid inerit malitiæ. Cæterum ex eo miraculo quod dæmon in veritatis gratiam edere fingitur, aut nihil sequeretur in homines incommodi, aut sequeretur : si prius, quid ad nos? Si posterius, certè non siueret Deus. .

Ad secundam : 1° Neg. ant. Agitur de absurditate evidenti, tam obviâ quàm obvia est falsitas hujus propositionis in ordine morali : Deus multiplex est colendus; vel istius in ordine metaphysico : Bis duo non dant quatuor; atqui ea est quid apertum, et in suo ordine tam

sensibile ac miraculi existentia. 2° Nego suppositum argum. Doctrinæ qualitatē non tradimus ut notam miraculis clariorē : dicimus tantūm ejus non repugnantiam esse conditionem sine quā non , quæ miraculum comitari debeat : et ratio patet , quia impossibile est probari à Deo quod falsum est : ergo , si manifesta falsitas videatur confirmari miraculis , miracula hæc à Deo non sunt.

Ad tertium : 1° Saltem excipi debet , si miraculum propriè dictum occurrat. 2° Falsum est miracula per doctrinam probari : accuratè loquendo , doctrina nihil positivè confert ad evincendam miraculi existentiam aut divinitatem ; est tantūm conditio exploranda , quā positā miraculo manet sua probandi virtus , quā sublata tollitur ; ergo doctrina non adhibetur ut argumentum et probatio miraculi ; adeoque nulla est circuli vitiosus suspicio.

Ad quartum : Etiam independentē à longā et studiosā Scripturarum disquisitione , facili intelligitur christianam doctrinam non esse contradictoriam et evidenter absurdam. Nam 1° miraculis confirmata est , qualis à Christianis creditur ; atqui , ut à Christianis creditur , non est contradictoria ; profitemur enim , si quidam in Scripturis textus discordantes appareant , aut esse mendum in codice , aut alio sensu exponendos esse quōm eo quem præ se ferunt. 2° Cūm imperitis , id est , maxime hominum parti , impossibilis sit intrinseca totius Scripturæ discussio , iam ipsā hęc impossibilitate sequitur iis evidenter falsam et absurdam non esse istam propositionem : *Scripturæ doctrina non est contradictoria* : atqui ex supradictis propositio quæ non est evidenter vera , si miraculis confirmetur , est necessariò vera. Ergo , etc.

Ad quintum : 1° Retorq. Si dæmon miracula patrare nequeat , sed miracula Deo semper adscribenda sint , reponet paganus veram esse suam religionem , quam multa numinum miracula illustraverint. Exitisse miracula negabis , affirmabit ille ; et tota controversia in quæstionem hanc recidet , an vera miracula patrata fuerint , necne. Si erret paganus aut deista , peccabit contra regulas criticas , quia vera credit quæ supposititia , vel contra regulas physices , effectum naturalem naturæ viibus superiorem existimando : non peccabit autem contra obsequium Deo debitum. 2° Non adeò difficile est discernere quandonam occurrat ea quam postulamus conditio ; sic enim statim : quotiescumque hominum vulgo paulu-

lūm attento res non apparet evidenter absurda , toties miraculum vim habet.

Ad sextum : 1° Miraculis propriè dictis paralytici curationem accensendo , evanescit difficultas. 2° Nemo dixerit Pharisæos evidenter percepisse Christum carere potestate peccata remittendi : Messiam expectabant qui delicturus iniquitates prædiceretur ; imo sublucebat in Scripturis Messiam illum fore Deum : ergo cæcitate et invidiā non excusabili laboraverunt , dūm rem , obscuram ad summum et dubiam , habuerunt ut evidenter impiam. Fatemur quidem : ab inattentis primo intuitu posset ut absurda rejici doctrina quam miracula non comitarentur ; at miracula attentionem provocant , mentis oculos scrupulosius in doctrinam defigunt , et facili discernitur absurditatis evidentiā , si quæ sit.

Inst. Agnoscimus doctrinas oppositas prodigiis utrinque confirmari posse ; ecce novæ ambages : quis enim gradum præstantiæ determinabit ? Si ex unā parte suscitetur mortuus , ex alterā ignis educatur è cælo ; si hinc ponantur sanationes à Christo peractæ , inde quæ Jesculapio , Serapidi , Apollonio tributæ sunt , putasne paganus non contendet splendiora et plura fuisse apud suos divinæ præsentis et favoris indicia ? Ergo , etc.

Rōsp. Deum nosse intimam hominum constitutionem , et quam ipsorum mentibus commotionem imprimant objecta , adeoque res ita ordinabit , ut miraculorum , quæ pro veritate militant , splendor , vividiorē excitet ad credendum propensionem. Ergo , etc.

SECTIO V.— *De vi probante miraculorum.*

Quæstio potest institui 1° de miraculis , eo numero et splendore editis qui in Pentateucho et Evangelio refertur ; 2° de miraculo singulari propriè dicto ; 3° de impropiè dicto et angelico.

ASSENTIO.— *Miraculorum , qualia in Pentateucho et Evangelio narrantur , numerus ac splendor vim habet firmissimæ demonstrationis in gratiam alicujus religionis.*

Prob. Ea enim miracula sunt certum veritatis argumentum , quæ in confirmationem erroris fieri Deus non pateretur ; quæ , etiamsi pateretur , genius malignus non efficeret : atqui , etc.

1° Quidem , etc. , quod ex consideratione divinæ Providentiæ , omnipotentis , ac præsertim veracitatis ostenditur. Primò si ad divinam

Providentiam attendatur. Quis enim crederit Deum optimum maximum, à quo regi universum orbem necesse est, aliquando suo se dominio spoliare, et mundi regimen in gratiam dæmonis, sibi et hominibus infensissimi, abdicare? Atqui tamen id accidere posse dicendum est, si patiatur Deus tot ac tanta dæmonem agere prodigia; quinimò Mosis et Christi temporibus id accidisset: dæmones habuissent facultatem naturæ ordinem suspendendi; elementis, mari, ventisque imperandi; homines innumeris plagis affligendi, occidendi, undis maris obruendi; vel eos sanandi, à mortuis excitandi; uno verbo bona vel mala, felicitatem aut miseriam ac mortem fuissent hominibus impertiti: ergo Deus, cujus sancta et sapiens est providentia, illud permittere non posset. Secundò, obstat etiam omnipotentia. Quippe necesse est Deum, qui, pro jure suo, ut vidimus, potest hominibus doctrinam credendam cultumque servandam præcipere, posse etiam illis suam revelationem certò credibilem præstare; alioquin, quò cederet ejus omnipotentia, et revelationem insituendi facultas? Atqui non alia est melior hunc finem assequendi ratio, quàm attestatio miraculorum: eà siquidem, ut authentico sigillo, munitur revelatio, quæ est divinum quasi diploma. Jam verò, si tam multa, tam egregia miracula in erroris confirmationem converti Deus permisit, ipse sibi viam illam præclusit; ac si concedatur dæmoni ista licuisse, quidni liceret adhuc splendidiora? Tertio, præsertim actum esset de veracitate divinâ. Nam impossibile est, sub Deo veraci, illum existere rerum ordinem in quo homines ad errandum teneantur: atqui tamen, si falsa foret Religio in cujus confirmationem fierent miracula, prodigis tum novi tum veteris testamenti similia, Deus eum instituisset rerum ordinem qui nos in errorem necessarium impelleret. Deus enim nobis omnibus propensionem ineluctabilem et naturalem quemdam instinctum indidit ad amplectendam religionem in cujus assertionem miracula patratur: cujus propensionis existentia certò constat, tum ex uniuscujusque sensu intimo; tum ex consensu populorum omnium, qui revelatâ Religione gloriantur, et ad eam miraculis potissimum impulsus sunt; tum ex eo quòd non vehementius, non constantius, inclinatur ad credendum sensationibus existentiam corporum testantibus, aut fidendum hominum testimonio, quàm ad assentiendum religioni quæ miracula in sui

confirmationem ostentat. Atqui fallere non posset ea propensio, quin, vi ordinis à Deo instituti, in errorem induceremur; jamque Deus esset auctor erroris. Enim verò ille fallit ac mentitur, qui recepto signorum sensu abutitur, qui, v. g., verba usurpat sensu insolito ac illi contrario quem à cæteris intelligi novit: atqui miracula, in omnium sensu ac opinione, sunt signa divinæ locutionis, testimonia ejus voluntatis, ac doctrinæ ab eo propositæ: ergo Deus, quem non latet ea hominum dispositio, falsitatem, quam miracula confirmarent, ipse expressè loqueretur. Supponamus, v. g., hominem se Dei legatum prædicare, doctrinam nuntiare, cui fidem ab omnibus adhibendum jusuisse Deum affirmet; et miraculum in ejus confirmationem polliceri, v. g., mortuum è tumulto statim proditurum; tunc inquit, inter illum Prophetam et spectatores, tacita quædam conventio; eà scilicet conditione, ut Prophetæ credatur, si mortuus reviviscat; non credatur autem, si non reviviscat: atqui nemo non intelligit Prophetam tanti promissi impletionem in se non recipere, nec semetipsum obstringere; neque enim vitæ et necis arbiter est, sed Dei ipsius, cujus est legatus, fidem obligare quem doctrinæ suæ testem ac sponsorem asseverat: ergo, si mortuus resurgat, censetur Deus fidem nomine suo datam liberare: ergo ratam ac probatam habet doctrinam, in cujus gratiam miraculum ad eò splendidum patravit; ergo, si ea doctrina esset falsa, Deus esset fallax. Tandem, si, per impossibile, Deus aliquos in errorem invincibilem conjiceret, profectò non pissimos homines, qui ad omnem divinæ voluntatis significationem aures arrectas habent: atqui tamen ii præ cæteris errori forent obnoxii: ergo, etc.

2º Etiam permittente Deo diabolus ea non patrasset. Et illius argumenti vis eò major est, quò sanctor religio; maxima proinde in gratiam religionis christianæ. Non potest enim eius malignum, quod omnes in peccatum ac misæriam detrudere intendit, miraculis eam confirmare doctrinam, quæ homines edocet officia, eorumque mentes illustrat; quæ peccatum omne prohibet et ad omnem virtutem excitat; quæ proinde tendit ad averteendam ab humano genere omnem miseriam, sub Deo provido et sancto solius vitii appendicem; quæ à contrario promovet felicitatem, sub eodem regimine necessariam virtutis mercedem; uno verbo doctrinam, in quâ nihil est quod diabolo favere possit. Atqui talis est omnis religio sancta,

judaica, v. g. : talis est potissimum religio christiana. Si quid enim esset diaboli malitiæ congruum, maximè cultus quo Christus Dominus ut Deus adoratur, quique ab adversariis idololatriæ asseritur; atqui, etsi, per horrendam blasphemiam negaretur Christum esse Deum, cultus ille non esset idololatria: cum enim latriæ adoratio sit actus mentis, idololatria nulla est, si cultus in mente referatur ad ens infinitum et summè perfectum: atqui Christiani cultum referunt ad personam divinam quam credunt incarnatam: ergo objectum christiani cultûs non est nisi verus Deus.

Uno verbo quisquis novit Deum unum, optimum maximum, rebus omnibus præesse, sapienter non potest temperare ab adhibendâ fide homini pio, doctrinam sanctam, dogmata sublimia, etsi rationi impervia, prædicanti; qui se à Deo missum perhibens, miraculis innumeris, indubitatis, splendidissimis, nullâ pravâ circumstantiâ vitiatâ, nullo eis comparando prodigio impugnatis, missionem suam comprobât.

COROLLARIUM PRIMUM. — *Miraculum propriè dictum et primi ordinis, etiam singulare et unicum, per se vim habet ineluctabilem ad probandum.* — Ex dictis enim à solo Deo, ut causâ efficiente, prodire potest: atqui pariter diximus obstare veracitatem divinam, quominus opere suo suâque attestazione confirmet errorem. Ergo, etc.

COROLLARIUM II. — *Miraculum secundi generis, quod ex assignatis characteribus constat ab angelo bono effectum esse, vim quoque invictam habet.* — Nam boni angeli impeccabiles sunt, divinæ voluntati obsequiosi, in genus humanum benè propensi: atqui, ut impeccabiles, errori favere non possunt; ut Deo servientes, omnes actus suos dirigunt juxta ordinem immutabilem quem in ipsâ Dei substantiâ contemplantur; ut hominum amantes, eorum deceptione delectari non possunt. Ergo sequitur eos falsitati patrocinari non posse.

Obj. 1^o: Ea facta vim argumenti non habent, de quorum authenticitate nunquàm constare potest: atqui, etc. Nam primò, omni ætate semper extiterunt qui credulum vulgus falsis prodigiis deciperent. Secundò, miraculi existentiam testari, est affirmare Deum naturæ leges interrumpere voluisse: atqui decretorum divinorum quis se conscium asserere præsumpsit? Tertio, miracula consueto naturæ ordini, et locorum omnium ac temporum experientiæ, repugnant; adeoque per se im-

probabilia et incredibilia, imò physicè impossibilia sunt: atqui res improbabilis aut incredibilis et physicè impossibilis, nec credi, nec ullo testimonio morali probari potest. Ad hoc enim satis est totam vim humani testimonii, ac certitudinem moralem, quam procreare potest, elidi per certitudinem physicam, quæ ex impossibilitate physicâ nascitur; atqui, etc. imò minùs repugnat testium oculatorum error aut mendacium, quàm legum generalium infractio; unum enim sine miraculo contingere potest, non alterum. Ergo, etc.

Resp. ad primum: Quid sibi volunt generales istæ fraudis et fanatismi suspiciones? Valent equidem, ne statim ac stultè omnia quæ circumferuntur miracula avidè et incautè combibamus; at homini sensato non magis suadebunt nulla existere vera miracula, quàm nulla facta historica vera esse, quia quædam falsa sunt: atqui, etc. Imò vix concipitur hanc miracula fingendi licentiam aliunde oriri potuisse, quàm ex antiquâ et certâ verorum miraculorum opinione, ut observat Paschalius, et in argumento simili, Tertull. aiebat: « In omnibus veritas imaginem antecedit, post eam similitudo sequitur. »

Ad secundum: profectò nulla temeritas est asserere Deum legibus physicis derogare voluisse, cum ejus decreta factis sensibilibus et apertis omnium oculis revelantur.

Ad tertium dico: 1^o miracula, licet consueto naturæ cursui opposita, nihilominus sunt facta externa, palpabilia, et quandoque publica; ideoque non secùs ac facta naturalia apprehendi possunt; imò sunt aliquo sensu magis sensibilia, quatenus majorem attentionem commovent.... Deinde constant factis in se valdè naturalibus; v. g., mortui suscitatio exurgit ex duplici facto, videlicet morte præteritâ, et vitâ præsentè: similiter mutatio aquæ in vinum consequitur ex eo quòd primùm præsens fuerit aqua, deinde vinum; idem de cæteris prodigiis dicere est: atqui facta hæc in quæ resolvitur miraculum sunt facta naturalia, sunt communia nostrorum sensuum relationis objecta, sunt solita humani testimonii materies; ergo, etc. 2^o Nego miraculum accuratè loquendo dici debere improbabile, incredibile: namque miraculi existentia tota pendet à supremi naturæ legislatoris voluntate: in tantum igitur improbabile et incredibile dici posset, in quantum incredibile et improbabile foret Deum propter altissimas quasdam rationes, voluisse legibus physicis derogare: atqui contra ejus-

modi Dei determinationem nulla omnino probabilitas militat: quis enim cognoverit sensum Dei? Hinc sequitur nullam esse quoque impossibilitatem physicam: quoties enim miraculum prætenditur, à causâ productrice et divinæ actionis suppositione non sejungitur; atqui vestitâ actione Dei nulla est impossibilitas physica; quam enim voluntati Dei physicam repugnantiam valet opponere materia? Ad summum concedi posset miraculum, cò quòd rariùs contingat, minùs faciè præsumi debere.—Nego 3^o evanescere et elidi certitudinem moralem, ubi de prodigijs agitur; atque errorem aut mendacium testium debitis characteribus vestitorum, minùs repugare, minùsque fore miraculum quàm legum physicarum infractionem. Nam ex unâ parte necesse est, vel illud constantè et uniformitè multorum sensibus; adeòque in pluribus organis et corporibus violari leges generales; vel hominum mentes in conspirationem fraudulentam dirigì; ac iterum violari morales leges spirituum: ex alterâ autem parte sufficit in uno corpore legem physicam, Deo ita volente, interrumpi. Atqui prius est profectò miraculum longè majus: imò est factum penitò impossibile; quippe quod ordini morali et attributis divinis omnino repugnet. Ergo, etc.

Obj. 2^o: Miracula non probant, nisi discerni possint à factis naturalibus; atqui non possunt. Nam miraculum est naturæ legum exceptio; atqui eam exceptionem certò agnoscere solus ille potest, qui omnes naturæ leges perspectas habuerit: fac enim vel unam esse legem incognitam; forsàn ista postulat ut in casibus quibusdam improvisis cæteræ, quæ notæ sunt, effectum non consequantur. « L'industrie humaine, inquit J.-J. Rousseau 3^o Lettre de la Montagne, se perfectionne tous les jours: je ne sais si l'art de guérir est trouvé, ou se trouvera jamais; ce que je sais, c'est qu'il n'est pas hors de la nature: il est tout aussi naturel qu'un homme guérisse, qu'il l'est qu'il tombe malade; il peut tout aussi bien guérir subitement que mourir subitement. . . . On vient de trouver le secret de ressusciter des noyés; on a déjà cherché celui de ressusciter des pendus: qui sait si dans d'autres genres de mort, on ne parviendra pas à rendre la vie à ceux qu'on en avait cru privés? » etc.

Resp. 1^o: Illud necessariò concedendum est, aut Deum non posse miracula patrare, aut posse ipsa insignire characteribus, quibus certò agnoscantur ab ipsis simplicibus pro quibus

potissimum instituta sunt. 2^o Non omnes quidem novimus naturæ leges, sed neque omnes ignoramus; atqui aliquas agnoscere satis est, ut meritò afirmemus miraculosa esse facta quæ iis legibus probè cognitis adversantur: ut enim jam diximus, cum sibi constet naturæ systema, fieri nequit ut phænomenum, quod legi alicui repugnat, effectus sit legis alterius incognitæ. (Hic recurrunt principia quæ ad miraculorum discretionem supra exposuimus.) Simili argumentatione probaretur cogitandi facultatem materiæ temere denegari, donec omnes et singulas ejus proprietates noverimus. 3^o Miraculum sub duplici respectu considerari potest, vel in ordine physico et naturæ solito cursu, seu quatenùs est opus legibus generalibus manifestè derogans; vel in ordine morali et Providentiæ, ut est effectus quidam extraordinarius ac stupendus, spectatores vividè commovens, validèque propensione impellens ad credendum hunc divinitùs ad confirmandam doctrinam, cujus prædicationem comitatur, destinari, abstrahendo utrùm à legibus generò, libus fluat, necne; atqui, etsi fateremur miraculum sub priori respectu difficulter secerni, non item sub alio: notoriæ enim sunt et omnibus manifestæ illæ circumstantiæ; effectùs splendor ac singularitas, cum doctrinâ confirmandâ concursus, propensio ad credendum cujus vim nihil reprimit: nec eas in gratiam erroris occurrere pati posset Dei Providentiæ, præsertim si reverà tam orduum sit naturæ leges ab ipsarum violatione discernere. Quod additur ex Rousseau, ridendum potiùs quàm refellendum est. Valdè sènè argumentationem! ars inventa est quâ homines nondùm mortui, sed suffocati solummodò, ad vitam revocentur; ergo minimè desperandum est de inveniendâ arte cæteros, quocumque mortis genere reipsâ defunctos, vitæ reddendi. Ludit etiam, cum ait non minùs naturalem esse instantaneam morbi curationem, quàm subitanam mortem: illa enim curatio vel ope remedium fiet; tuncque quantumvis subita, miraculosa non erit; vel solo voluntatis nutu, sine ullâ crisi, absque minimo contactu et administratione remedii; tuncque naturæ vires superat: corpus humanum est ad instar machinæ; puncto temporis frangi potest, restaurari non item.

Obj. 5^o: Diximus dæmonem operari posse miracula, etiam in confirmationem erroris; atqui eo ipso miracula non sunt certum veritatis argumentum. Ergo, etc.

Resp. eam objectionem à nobis præoccupatam et solutam fuisse, cum miraculorum divinorum characteres assignavimus.

Obj. 4^o : Ut probaret miraculum, debet esse ipsum inter et veritatem probandam aliqua connexio; atqui nulla est : ad hoc enim satis est miraculum à Deo ordinari posse ad finem à veritatis confirmatione diversum, v. g., ad Providentiæ suæ manifestationem, ad sceleris alicujus ultionem, ex benevolentia in eos quibus utilia sunt miracula; atqui, etc. Ergo, etc.

Resp. Miraculum probandi vim habere non potest, nisi ad alicujus doctrinæ confirmationem dirigi nosceatur : id porro fit, quoties miraculi auctor se hunc in finem edere prodigium testatur; ut Moysi coram Pharaone, Christo coram Judæis, Apostolis coram gentilibus contigit : et, vel independenter à thaumaturgi declaratione, circumstantiæ ipsæ sæpè satis manifestam habent cum alicujus doctrinæ confirmatione connexionem; quod accidit in miraculo contra Juliani imperatoris inceptum Jerosolymis factum, vel in eo quod Deus legionis fulminanti anno 174, sub M. Aurelio, in gratiam exercitus Romani concessit. At verò posita eâ relatione, si Deus alium finem sibi proponit, ab intentione veritatem probandi certè non abstrahit, quia in illis circumstantiis homines sibi invincibiliter suadent miracula in confirmationem doctrinæ ordinari : et nisi reipsa ordinarentur, non modò obtruderetur error, sed etiam constare nusquam posset quandonam aliqua veritas externis momentis probaretur.

Inst. Atqui ea connexio certa non est : nam fieri potest Deum nullius veritatis confirmationem intendere; et miraculi operatorem ipsum ad falsitatem suadendam, aut etiam ad probationem propositionis illi, quam Deus revelaverat, contradictoriæ, detorqueere. Si quid enim obstaret, vel incompatibilitas doni miraculorum cum fallaciâ et mendaciâ, vel divina veracitas et Providentiâ. Atqui non prius : nam donum miraculorum est gratia, et vocant, gratis data, quæ cadere vel in illum possit qui ab omni probitate abhorreat : non posterius; spectatoribus enim non deerit sufficiens fraudis detegendæ via, modò advertant potuisse Deum, aut veritatis alicujus confirmationem non intendere, aut in miraculis conciliendis improbi ministerium assumere. Ergo, etc.

Resp. Fatcor Deum posse ad miracula ministerium hominis peritissimum quandoque assu-

mere, at nego posse hanc ipsi facultatem permanentem concedere, quin eum faciat impeccabilem; aut ejus potestatem refrenet, si quando ipsâ in cæterorum perniciem abuti medietur. Nam 1^o si peccare possit, ergo potest odisse Deum et ordinem ab ipso stabilitum; potest omnia pro libitu subvertere, prout facerent demones, si malitiæ suæ permitterentur; invidiâ in probos et religiosos arderet, nulle modis eos divexaret; quod ferre nequit sapiens et benigna Dei Providentiâ. 2^o Nisi Deus id facere statuerit, jam ei via præcluditur, quâ sua in posterum imperia hominibus certè significaret : jam attingi non poterit unus è præcipuis finibus, pro quibus opportunum, imò necesse sit, Deum se manifestè rebus humanis immiscere; providentiæ suæ actionem moralem et physicam simul consociare, commovendo sensus per exhibitionem miraculi, mentem per veritatis propositionem, animum per propensionem ad credendum; et, ex tribus hisce conjunctis, efficaciter suadere certòque credibilem efficere suam revelationem. Secus, id est si hæc tria simul concurrere nequeant, valeatque suspicio, in objectione memorata, habeturque ut sufficiens revelationis respiciendæ causa, poterit eadem semper in hominem quemcumque, vel maxime commendatum à Deo, contorqueri; jamque actum est de possibilitate revelationis: etiamsi enim Deus ipse, ad auctoritatem legato suo conciliandam, mediâ ex nube clamaret : Ipsum audite, nihil proficeret, cum hanc esse vocem suam certò probare non valeret, remaneretque prudentibus sufficiens dubitandi motivum. Verbo dicamus in istâ quæstione ultimo recurrendum est ad principium illud, quod statuit Tertullianus et S. August. amplectitur : « Vis omnis religionis Dei Providentiâ innixa fundatur; quam si sustuleris, omnis religio colabitur. » Quo posito nullæ admittendæ sunt hypotheses, quæ illam Dei Providentiâ labefactarent : hinc negare non dubitamus passurum esse Deum, v. g., ut, apud gentes barbaras et quorundam effectuum naturalium invincibiliter ignaras, impostor mirabilibus physicis experimentis, solaris lunarisque deliqui præsigio, ad suadendum errorem abutatur.

Inst. : Propriæ gloriæ commendatio, et erroris persuasio, sunt fines æqualiter perversi : atqui Deus permittere potest hominem abuti dono miraculorum ad famæ suæ celebritatem : ergo à pari, etc.

Resp. paritatem hic æstimandam non esse

ex æqualitate vel inæqualitate peccati in eo qui patrat miraculum, sed ex ejus relatione tum ad Deum, tum ad cæteros homines : quippe miraculum datum non est ut sanctitatis et humilitatis criterium, sed veracitatis; quia, si errori faverent miracula, Deus homines in illum ineluctabiliter impellere censeretur : at alio in casu eadem non sunt incommoda.

Obj. 5^o adversus propensionem, quæ nos ad credendum doctrinæ miraculis confirmatæ propelli contendimus. 1^o Non existit ea propensio; alioquin omnes Religioni Christianæ assentirentur; imò dissentiri liberum non esset, cum propensio supponatur invincibilis. 2^o Ea propensio ab ente maligno esse potest : ergo ei non fidendum. 3^o Licet à Deo esse concederetur, nonne Deus quotidie permittit errores necessarios, quia sunt legum generalium consecutiones? atqui à pari ea propensio, forsitan ad errorem inclinans, oriri potest à legibus generalibus, quarum Deus effectum impedire non tenetur. 4^o Quid vetat quominus Deus adhesionem errori præcipiat? Numquid magis repugnat præceptum adherendi errori quam peccato? Atqui iis qui ex ignorantia invincibili existimant, se ad aliquid, quod sit legi naturali adversum, præstandum teneri, præceptum est secundum conscientiam, adeoque malè, agere. Ergo, etc. 5^o Error est malum physicum : atqui mala physica in pœnam peccati Deus infligere potest. Ergo, etc. 6^o Non constat à Deo institutum non esse erroris detegendi medium, quod per accidens, et forsitan culpâ nostrâ, non applicetur : v. g., fortè apud terras australes et incognitas existit hominum societas, quæ miracula nostris longè splendidiore in suæ Religionis gratiam patrata jactat; fortè medium quod optamus singulari cuidam homini Deus tradiderat, ut ipsum ab eo reciperemus, si benè uteretur; ab eo frustraremur, si malè uteretur : quemadmodum ferè de statu naturæ innocentis tenent Catholici : atqui horum similiumque mediorum, quæ ad vitandum errorem Deus instituit, absoluta possibilitas, quam ratio omnibus detegit, est causa sufficiens suspendendi nostri assensus. Ergo, etc.

Resp. generatim : Si hujus propensionis ratio nulla habenda sit, eaque ac similibus Deus uti nequeat, jam nihil in orbe certum erit, nisi quod per evidentiam aut sensum intimum deprehendetur; actum erit de physica et morali certitudine; omnis via commercii præcluditur, sive inter ipsos homines, quibus de mutuâ existentia, argendi ratione, prohibita, veraci-

tate nunquam constare poterit; sive inter Deum et creaturas intelligentes, quibus, licet omnipotens, non posset suas significare voluntates.

Resp. nunc speciatim. Ad primum : Non contendimus eam propensionem esse physicè insuperabilem, qualis est propensio versus bonum in genere, sed moraliter tantum; seu talem, ut ratio homini sensato nullum ejus rejiciendæ et superandæ motivum suppeditare queat; quanquàm tamen absolutè et physicè ei posset obsistere, si totis libertatis viribus oblectari vellet. Hinc sequitur eam cupiditatibus et præjudiciis præfocari posse, et præfocari reipsâ apud Deistas : tam enim compesci potest, quam propensiones aliæ quibus ad credendum, v. g., factis historicis vel existentia corporum ferimur : atqui istis absurdescent pyrrhoniæ et immaterialistæ. Ergo, etc.

Ad secundum : Ergo 1^o tollitur physica et moralis certitudo; de quâ tamen difficilius quàm de metaphysicâ maxima pars hominum dubitare potest. 2^o Deus permittere potest eas malignum mentibus hominum imprimere propensionem ad credendum miracula (quæ ex hypothese essent vox dæmonis), esse vocem Dei, ipsosque inclinare ad adhærendum verbum miraculo confirmatis, quæ tamen essent totidem mendacia.

Ad tertium : 1^o Recurrit generalis responsio, 2^o Distingui debet error universalis et omnium hominum, ab errore particulari seu paucorum; error constans et omnium temporum, ab errore transitorio seu brevissimi temporis : distingui etiam debet causa physica, quæ physicè producit effectum, à causâ morali, cui tribuenda est moralis facti rectitudo vel pravitas. Porrò Deus potest alieque erroris particularis et transitorii esse causa physica : nempe, quatenus provisor generalis, leges statuit quibus nonnunquam efficitur aliquos errare, v. g., dormientes, amentes, indoctos : at errorum illorum tantummodò permissor esse censetur, non auctor, quia eos non vult propter se ipsos, sed propter leges generales et transitorii, atque à fortiori erroris generalis, esse causa moralis, ita ut ad illum impellat eique adhesionem præcipiat : ratio est quòd essentialiter abhorreat à veracitate divina erroris dilectio : atqui tamen, hæc in hypothese, errore delectaretur ;

cum non posset non infinite diligere actum, quo mandata sua observarentur. His positis in promptu est solutio difficultatis : 1° error ex propensione ad credendum miraculis fluens, non esset error particularis et transitorius, sed universalis et constans; non esset ergo legis generalis defectus, sed ipse per legem generalem institutus : quomodo enim de generalitate legis nisi per universalitatem et constantiam certi erimus? 2° Error ille, si posset à Deo permitti, jam sensuum hominumque testimonio fides, ideòque omnis certitudo, tandemque societas ipsa, interiret. 3° (Et ea observatio vim singularem habet) si fallax sit propensio quam excitant miracula, non modò falsum erit hoc generale iudicium : Miracula sunt Dei loquela; non modò falsa erunt particularia quæque iudicia, quibus singulis quibusque capitibus doctrinæ miraculis confirmatæ credemus; sicuti positâ illusionem propensionis, quâ ferimur ad iudicandum de corporibus, falsa forent varia iudicia quæ suggererent sensationes; sed illud miraculis proprium occurrit, quòd esset speciale positivumque præceptum ex animo amplectendi falsitatem quæ à Deo revelata crederetur. Sic quippe ratiocinari rectè possent ac deberent testes miraculorum : Miracula, et eorum comes propensio, probabile saltem efficiunt præceptum credendi doctrinæ miraculis confirmatæ; atqui Deus jubet ut præceptum probabile et tutius impleatur; ergo vult Deus ut huic doctrinæ ex animo adhaereamus, atque ut ipsum ejus sacrum verbum revereamur. Porrò, etiamsi non repugnaret veracitati divinæ erroris generalis et necessarii permissio; etsi non repugnaret errorum particularium suasio, per impulsionem et propensionem naturalem ad falsa iudicia, certissimè repugnaret erroris expressum ac formale præceptum; et inde fit certitudinem religionis aliam quamlibet quâ in societate utimur, longè superare, si fieri possit. Ergo, etc.

Ad quartum : Nego eos qui contra legem agunt ex ignorantia invincibili peccare, seu, ut aiunt, admittere peccatum formale : imò talis actio potest esse actus perfectæ charitatis, si fiat ex ejus motivo. At error non est cum materiali, sed cum formali peccato conferendus; non enim datur error merè materialis, sed error omnis est contra veritatem; adeòque est objectum divinæ veritatis averativum, ut loquitur S. Thomas.

Ad quintum : Dist. Error est malum physicum veracitati divinæ ita adversum ut à Deo

imperari non possit, conc.; est malum nulli Dei attributo repugnans, nego. Præterea liquet hinc omnem elevari certitudinem; tolli Deo facultatem voluntatis suas exteriorè statu manifestandi; et homini in ipso innocentie statu futurum fuisse semper dubitandi locum, utrum entis maligni ludibrium non esset : ignorasset enim an à se vel ab alio peccatum aliquod non fuisset admissum, quod hujusmodi erroribus Deus castigare vellet.

Ad sextum : 1° vanæ illæ possibilitates et argutiæ hominem non excusarent ab implendo præcepto, cujus probabilitas non aliis ratiunculis impugnaretur; famulum ipsum coram hero non absolvent, quia rationalis et æqui dubii fundamentum nunquam ministrabunt : ergo iis non obstantibus semper manet probabile, ideòque urgens, præceptum adhærendi doctrinæ miraculis confirmatæ. 2° Nimis probaret, ut toties diximus. 3° Medium, si aliquid sit à Deo institutum, primò, debet esse omnibus moraliter applicabile; et secundò, reipsà applicari actu iis qui veritatem ex animo totisque rationis viribus inquirunt, quosque actorum peccatorum pœnitet; tertio, non debet in meris conjectationibus reponi, quæ nemini satis ponderosæ videbuntur, ut propensionem ad credendum et existentie præcepti probabilitatem superent; quartò tandem ex ejus applicationis defectu sequi non debet divinum aliquod errandi præceptum. Atqui iis conditionibus carent ea quæ prætenduntur in objectione media : ficta hæc terrarum australium societas est medium moraliter inapplicabile, siquidem nobis omnibus Christianis ipsisque martyribus, licet veritatem ex corde appetentibus, illius applicatio hucusque denegata est. Ea suppositio est inanis conjectura; et, cum saltem dubia sit ejus realitas, urget semper præceptum adhærendi miraculis, adeòque præceptum errandi, si errorem miracula concurmant. Idem de peccati præcedentis hypothese dicendum. Ergo, etc.

Obj. 6° : Quod veritati et falsitati ex æquo patrocinarur non potest esse veritatis argumentum : atqui miracula, etc. Apud paganos enim innumera referuntur in gratiam ipsorum Religionis effecta prodigia. 1° Omitimus Romuli raptum, et cotem ab augure coram Tarquinio Prisco novaculâ abscissam, et herbam Domitii senatoris Castorum tactu irruflatam, et Æsculapium sub specie serpentis Romam advectum; et laudabimus historiam virginis illius Vestalis, quæ, ad integritatis suæ testimonium,

navem, quæ simulacrum Matris Phrygiæ vehebatur, innumerorum hominum boumque conatibus immobilem, zonâ alligatam deduxit in portum; alterius etiam, quæ aquam è Tiberi haustam cribro, neque profluentem, transtulit in templum. 2^o Multa similiter narrantur ab Apollonio Thyanæo edita prodigia; v. g., quòd Domitiani mortem eâ horâ quâ contigit, absens et remotus, nuntiaverit, puellam mortuam excitaverit, in aera raperetur, morbos curaret, etc. 3^o Nec minùs illustria sunt miracula Vespasiani, qui cæco visum publicè restituit, et alium manu affectum sanavit. 4^o Celebrantur etiam Serapidis et Æsculapii sanationes; nempe ad illorum numinum templa undique confluebant ægroti, quorum quamplurimi sanitatem recuperabant. Nec est quòd in dubium ea facta revocentur, quippe quæ narrentur ab historicis profanis optimæ notæ, qui temporum illorum gesta memoriæ tradiderunt: at præsertim Religionis christianæ apologistæ de plerisque nullam movère suspicionem; illorumque veritatem, non solum ad abundantiam juris, sed historicorum et criticorum more, paganismi concessère. 1^o Tertull. Apolog. c. 22, agnoscit demones signis et miraculis et oraculis fidem divinitatis operari; quin etiam exponit modum eorum operationis quoad carationes, prophetias et prodigia. 2^o Minutius Felix agnoscit impuros spiritus sub statu et imaginibus consecratos delitescere; quâ ratione multa eorum explicat prodigia. 3^o Lactantius de paganis miraculis loquens, c. 8, ait illa à multis et non dubiis tradi auctoribus, c. 9, ipsorum rationem exponere conatur. et c. 17: « Dæmones, inquit, edunt sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines fidem commodeat simulacris divinitatis ac numinis: inde est quòd ab augure lapis novacula incisus est, et quòd, » etc. S. Aug. de Civit. Dei lib. 10, c. 16, sic habet: « Illa miracula deorum gentium quæ commendat historia.... quæ vi ac potestate dæmonum fieri satis evidenter apparet, » etc.; et lib. 21, c. 6, de iisdem miraculis ait: « Quæ si negare volerimus, eidem ipsi cui creditur mus sacrarum litterarum adversabimur veritati. » Ergo, etc. (Hæc idè sat fusè exposuimus ut magis ac magis explicaretur mens SS. PP. circa nostram de potestate dæmonum assertionem.)

Resp. 1^o: Demus esse certa et indubitata prodigia: multis erant vestita circumstantiis, quibus ea non fuisse divina attendenti facilè pate-ret. Primò, alia levia, ridenda, scurrilia sunt;

nullos in usus admissa, et Dei gloriæ hominumque utilitati minime conducentia, v. g., cotis abscissio, barbæ coloris immutatio, gestatio aquæ in cribro, etc. Secundò, varia quæ apud varias paganorum gentes prædicabantur miracula, etsi recepto cultui directè favissent, sibi mutuò tam repugnabant quàm cultus ipsi: atqui cultus unus non erat, alium alii velut Deorum primum et maximum adorabant; erat ergo miraculorum se mutuò elidentium conflictus. Tertio, multos saltem populos latere non potuit prodigia, quæ apud se jactabantur, splendidissimis revinci Judæorum aut Christianorum miraculis: scilicet in Judæorum circuitu versabantur Ægyptii, Babylonii, Persæ, aliæque gentes tunc temporis nobilissimæ: deinde verò tum famâ publicâ, tum prædicatione Apostolorum et iis quæ ubique patravèro portentis, alias omnes miraculorum gloriâ superavit Religio Christiana. Quarto, eo tempore quo suscitati sunt celebres magici, Apollonius Thyanæus, Percgrinus, quo floruerunt insigniores philosophi, Hierocles, Celsus, Porphyrius, Julianus, qui Christianorum miracula iisdem quæ nunc obijciuntur miraculis impugnabant; nusquam evidentiùs Christianismi præ paganismo excellentiam divina Providentia demonstravit: testantur enim Minutius Felix, Tertull., Lactant., frequentissimè auditos fuisse dæmones, qui, verbis et imperio cujusvis Christiani, coram ipsis paganis, confiteri cogentur quid essent, dii scilicet e mentiti: solum laudamus Minut. Fel.: « Hæc omnia sciunt pleraque pars vestrum, ipsos dæmones de semetipsis confiteri, quoties à nobis, verborum et orationis incendiis, de corporibus exiguntur: ipse Saturnus et Serapis et Jupiter et quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quòd sunt eloquuntur: nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrum assistentibus, mentiantur: ipsi testibus de se verum confitentibus credite, » etc.: atqui hæc dæmonum suam fallaciam confitentium servitus, hæc Christianorum in ipsos dominatio, manifestum erat paganismi vanitatis argumentum, et certum adversus miracula quæ jactabant antidotum, siquidem prout erat ut tribuerentur malis illis fallacibus geniis, quos agnoscebant ipsi pagani, quibuscum habere commercium legibus civilibus vetitum erat, ita ut pro scelere haberentur magia, goetia, aliæque similes disciplinae. Ergo, etc. Quintò, tandem, quod omnem aufert controversiam, fiebant in confirmationem religionis evidenter superstitionis, impuræ, et

ægros insanabiles non esse : porrò, si arte humanâ sanari potuerunt , quantò magis diabolicâ ! 2° Admodum suspecta miraculî etiam diabolici veritas, cùm omnibus hujus spectaculi actoribus non defuerit fallendi voluntas nec facultas. Voluntas quidem : intererat quippe sacerdotum, qui inde sibi totique Ægypto imperatoris gratiam conciliabant; intererat aulicorum, qui Vespasianum imperatorem optabant; intererat præsertim Vespasiani, qui apud vulgus censendus erat, deorum immortalium judicio, dignus imperio. Neque defuit facultas : nam sacerdotes Ægyptios variarum fraudum exercitatos architectos fuisse constat. Facile concipitur duos miseros pretio adduci potuisse, ad tentandum dolum, cujus propter imperatoris ac sacerdotum favorem, exitus infelix esse non potuit; ac nullum fuisse laborem plebem Alexandrinam, utpote omnium maximè superstiosam, decipiendi. Tandem omnes circumstantiæ tales sunt quales eas esse oportuit, si res fraudulenter gesta sit : vim sanandi sibi divinitus concessam ignorat imperator; ac certò sciunt sacerdotes, et ægroti : imperatoris amici et medici de eventu non dubitant; ac metuit ipse, ne, si desit speratus effectus, sibi vertatur in ludibrium; attamen, ubi persentit quò tendant hæc exordia, se ad opus tentandum accingit : hæc profectò fraudem nimis redolent.

Ad tertium : 1° Constat ex Philostrato, Apuleio, Luciano, Eusebio, S. Hieronymo, Apollonio apud Ægyptios, Phœnicem, Indos, Babilonicos, Arabes, dùm peregrinatum esse, ut exercitas hic et ubique magicas artes edisceret, ac reipsâ pro vaferrimo mago habitum fuisse, et dùm viveret, et post mortem : aliunde hominem, qui superbîâ tumeret, se orbis universi dominum ac præceptorem jactaret, adorari se ut deum pateretur, conjurationes in auctoritatem publicam ciceret, ac tandem impurissimam idololatriam totis viribus confirmaret. Is ergo non fuit quem in patrandis miraculis instrumentum seligere Deus debuerit. 2° Quæ nunc extat tot mirabilibus redundans Apollonii historia, auctore Philostrato, nullam sibi vindicat auctoritatem : nam præsertim contexta est ex commentariis Damidis, Apollonii discipuli, quæ, ab ignotâ quodam sibi tradita, Julia imperatrix, Septimii Severi uxor, Philostrato credidit, ad elaborandam Apollonii historiam, centum annis et ampliùs post ejus obitum; atqui nullâ planè auctoritate constat, vel eas chartas imperatrici oblatas, reipsâ fuisse à Damide conscriptas, vel Damidem hunc res non exagge-

râsse, vel Philostratum de suo nihil addidisse : præsertim cùm satis apertum sit hæc historiam non aliâ mente editam fuisse, quàm ut deprimeretur Christi gloria, opposito hoc mirificæ virtutis simulacro. Uno verbo, Philostratus est testis unus, minimè coactancus, supra modum credulus, partium studio laborans, quia idololatriæ sectator; excerptor Damidis illius, qui et ipse meritò suspectus, aliunde parùm accuratus et sibi non constans : unde ipsius mendacia, contradictiones, ridiculasque nœnias ex professo sugillat Eusebius lib. contra Hieroclem, qui Hierocles Christum inter et Apollonium comparisonem instituere ausus erat..... Deinde, si tot ac tanta præstitisset Apollonius, qui factum est ut tam paucos numeraverit discipulos et sectatores, ut ineunte seculo quarto, nemo jam ipsum coleret, teste Lact. lib. 5, c. 3; et vix aliquam, non diverim dei aut eximii ejusdam viri, sed philosophi famam haberet? 3° Etsi vera essent quæ de Apollonio narrantur, nihil exhibent quod demonum potestatem superet, si tamen puellæ cujusdam resurrectionem excipias : sed utrùm reipsâ mortua fuerit, dubium relinquit ipse Philostratus, sic enim loquitur : « Puellam ex-citavit ex hâc morte quam videbatur oppetuisse. » Ergo, etc.

Quæres, utrùm miracula probent seorsim à prophetiis.

Resp. affirmativè. Licet enim fateamur novum splendorem ex prophetiis mutuari miracula, prorsus inficimus à prophetiis vim eorum omnem pendere. Namque 1° Christus, Apostoli, Religionis apologistæ, Tertull., Origenes, etc., modò ad miracula, modò ad prophetias seorsim, et modò ad utrumque simul provocant. Judæi ipsi miracula non attendebant ut prophetiis necessariò conjuncta; et nullibi gentium apparet miraculorum spectatores eorum auctoritatem ab anteriori prædictione suspensam ac religatam credidisse. 2° Miraculum ex se, et antecedenter ad ullius prophetiæ cognitionem, nos in admirationem rapit; penè invito ad credendum impellit; ex se divinitatis sigillum est, præsertim si sit primi generis. Ergo, etc. 3° Quid aliud est ipsa prophetia quàm miraculum? Ergo non magis miraculum à prophetiâ pendere debet ut probandi vim habeat, quàm miraculum unum ab alio miraculò. 4° Tandem læditur omnipotentia Dei, dùm negatur per actum unicum suam voluntatem certò manifestare posse; et affirmatur prodigiâ etiâ maxima incassum

patraturus, nisi curaverit præmittere prophetas à quibus prænuntientur. Ergo, etc.

ARTICULUS II.

De prophetiis.

SECTIO PRIMA. — *De naturâ, speciebus, possibilitate, claritate vel obscuritate et notis prophetiæ.*

1° Prophetia dicitur, certa prædictio eventus futuri, qui arte naturali prævisus non sit. Primò, prædictio, id est, declaratio prior eventu; non simplex rerum abditarum, sive præsentium sive præteritarum, revelatio. Secundò, certa, et eventus arte naturali non prævisi; sicque eximuntur à prophetiarum classe, astronomorum, physicorum, politicorum prædictiones, quarum alia sunt probabiles tantum et conjecturales, nullo veritatis infallibili sensu nixæ; alia certæ quidem, sed per experientiam et legum naturalium cognitionem meritò præjudicantur.

2° Jam dictum est prophetiam esse aliquod miraculi genus: scilicet quemadmodum dantur leges generales communicationis motuum inter corpora, unionis animæ cum corpore; ita etiam datur ordo præfixus, juxta quem fit unio et communicatio veritatis intellectui humano. Legum autem ad hunc ordinem pertinentium hæc videtur esse generalissima, scilicet, mentem humanam, et generatim quamlibet finitam intelligentiam, sine accommodato cognitionis medio, veritatem assequi non posse.

3° Hinc, vel actu datur in rerum naturâ medium cognitionis cum re prænuntiata certò connexum, et intelligentiis humanâ superioribus pervium; vel non.... Si posterius, id est, si medium cognitionis, aut non sit, aut finitam intelligentiam superet; aderit prophetia propriè dicta seu primi generis: quæ proinde definiri poterit « prædictio eventus « qui in causis naturalibus neque prævisus est, « neque prævideri potuit, » v. g., miraculi propriè dicti, aut alterius effectus liberæ Dei voluntatis.... Si prius, id est, si detur medium cognitionis facultati angelicæ, v. g., proportionatum, habebitur prophetia impropiè dicta seu secundi ordinis, quæ proinde nihil aliud est quàm prædictio eventus quem intelligentiæ homine superiores, in causis suis naturalibus, prævidere potuerunt: si quis, v. g., prædiceret terræ motum in certâ Galliæ parte post aliquot annos futurum, illa vaticinatio foret prophetia respectu nostri, qui ad eò remotas hujusmodi phænomenorum causas præcognoscere non possumus, quamvis fortè ea cognitio angelorum aut dæmonum intelligentiam non superaret.

4° Possibile esse prophetiam nemo sanus negaverit. Quippe à Deo præsciri posse eventus futuros etiam liberos, est dogma, et per se evidens, et universali hominum consensu receptum. Deinde præscitorum à Deo scientiam hominibus communicari posse, sequitur ex possibilitate revelationis: his autem duobus constituitur prophetia. Et reverà ex illâ opinione omnibus insitâ nata est præscagiorum, auguriorum, et omnigenæ divinationis disciplina, ac inventa superstitio multiplex, quâ scientiam futurorum à Deo obtineri crederetur.

5° Quadruplici modo apud veri Dei cultores prophetiæ donum infusum fuisse Scripturæ docent: Primo, per internam inspirationem, mentibus imprimendo certam quarumdam veritatum convictionem; secundo, per claram vocem et familiare colloquium, quo modo Deus cum Moysæ conversabatur; tertio, per visionem, quando scilicet vigilans Propheta, et à sensibus abstractus, videt in mente depictas res futuras ut præsentés, cujusmodi visionum innumera sunt exempla apud Isai, Daniel, Ezech., Act. Apost. c. 22, v. 17, et Apocalyp.; quarto, per somnia; qualia experti sunt Jacob, Josephus, Pharao, etc. Quomodo autem possit Propheta divinos afflatus ab humanis cogitationibus, vel divinas visiones à somniantium et amantium ludibriis certò discernere, fatendum est illud nosse solos eos qui experti sunt. Atamen ex solâ divinæ omnipotentia ideâ satis constat Deum exhibere posse evidentissima suæ præsentia signa, quibus omnis exulet dubitatio.

6° Prophetia clara, vel obscura, sub variis respectibus dici potest: Primò, ratione sui et verberum quibus constat; obscura est quæ metaphoris, parabolis, allegoriis contextitur; quæ meditatam confusionem offert, aut duplicem sensum, unum proximum, alterum remotum; alium litteralem, alium typicum; secundò, ratione objecti; clara est, quæ rem verisimilem et humanæ rationi congruam prænuntiat; obscura autem, quæ præscigit aliquid in speciem impossibile: *Eccæ virgo concipiet et pariet Filium*; tertio, ratione diversarum personarum obscura est, tum ratione ipsius Prophetæ, qui res symbolis et ænigmatibus velatas, aut eventuum tempora non semper intelligit; tum ratione auditorum aut lectorum, ante eventum; tum ratione illorum qui sunt

eventu posteriores; nimirum sunt obscuritatis causæ, quas non semper omnino tollit eventus, v. g., metaphoræ confusio, etc.

7° Quod attinet ad veræ prophetiæ notas, si spectatur post epocham ejus executioni præfixam, non aliud requiritur divinitatis signum præter eventus cum prædicatione concordiam, nondò sit propheta propriè dicta. At, vel ante elapsum complementi tempus, characteres habet iis ferè similes quos miraculis assignavimus; alios negativos, si involvat in se, vel tendat ad suadendum, aliquid bonis moribus aut Legi divinæ jam cognitæ aut rationi ipsi evidenter repugnans; si aliis oraculis splendidiore impugnetur, aut præmoniti sint testes ei fidem non esse præbandam; si propheta sit mentis impositus et fatidico furore correptus, quales erant apud paganos vates et sibyllæ.. Adsunt etiam characteres positivi; nimirum si anterioribus miraculis, aut jam completis prophetiis, aut alicujus Prophetæ certo divini testimonio, constet afflatu divino donari Prophetam. Multum etiam valet ad auctoritatem prophetiæ conciliandam, ejus ad gloriam Dei et hominum salutem utilitas, vatis pietas; quanquam exemplo Balaami notum sit improbos aliquando divinitus ad edenda vera vaticinia posse compelli.

SECTIO II. — De auctoribus prophetiarum.

ASERTIO PRIMA. — *Deus solus esse potest auctor prophetiæ propriè dictæ.*

Prob. 1° ex consensu omnium, Religionem aut agnoscentium aut impugnantium. Scilicet multa esse quorum præsentio ad Deum solum pertineat, agnoscent Judæi, Christiani, Mahumetani, qui in suæ religionis gratiam prophetias ostentant. Paganorum vates, augures, aruspices, non aliunde quam à Deo ipso futurorum cognitionem ad se pervenire gloriabantur. Ipsi deistæ et increduli prophetiarum vim omnem infirmare moluntur ex eo quòd, vel fortuito casu eventus cum prophetiâ consonet, vel minimè concordet, aut tandem naturaliter prævideri potuerit; at nullus prophetiam facultatem à Deo, vel à Deo solo, esse negavit: atqui talis consensionis causa sufficiens assignari non potest præter veritatem ipsam. Ergo, etc.

Prob. 2° A Deo solo prodire potest prophetia propriè dicta, si multa sint quæ creatura neque præscire possit, neque etiam casu prædicere: atqui, etc. Primò, multa nequeunt ab ullâ creaturâ prænosci. Ut enim præmonimus, ad

cognitionem certam necesse est dari medium cum ipsâ infallibiliter connexum: atqui multa sunt, quæ ejusmodi medium in rerum naturâ aut nullum habent, aut saltem non habent quod sit intelligentiæ finitæ pervium. Sint enim primò, divina consilia, miracula præsertim, et quæ præter naturæ ordinem divinâ voluntate immediatè et solâ contingunt: atqui apertum est ea prævideri non posse, neque in causis naturalibus, cum illis non efficiantur; neque in divinâ voluntate, cujus decreta solo Deo manifestante patere possunt. Hinc futurum diluvium, Sodomorum subversio, Christi resurrectio, christianæ Religionis propagatio, aliaque innumera, solo Dei afflatu prædici potuerunt. Sint secundò futuræ, post certa quædam temporum intervalla, mundi in ordine physico conversiones: atqui non semper existit horum cognitionis medium: physicum enim morali connexum est, et naturalis causarum materialium inclinatio potest dirigi, suspendi, vel immutari, tum voluntate divinâ, tum etiam liberis hominum actionibus.. Deinde verò, etsi medium existeret, ei percipiendi impar esset plerumque mens finita: quomodo enim universitatis immensitatem complecti, causas omnes tum numero, tum varietate infinitas, ne unâ quidem vel levisimâ exceptâ, et earum relationes atque concatenationem comprehendere valeret? Hinc extra mentis creatæ aciem positum est, utrùm, v. g., annus abhinc duodecimus erit fructuum ultra modum ferax: hinc vera propheta fuit somnium Pharaonis, et ejus explicatio. Sint tertio, futura hominum ignotorum consilia liberrima; et multò magis, quæ ex innumerabilium voluntatum determinationibus liberis, earumque cum infinitis causis physicis conjunctione, pendent, qualia sunt, v. g., fata imperiorum. Vel enim in seipsis, vel in alio cognoscerent illæ hominum determinationes liberæ: atqui neutrum dici potest, 1° Non in seipsis quatenus existentibus, cum nondum existent. Sed neque in iisdem ut futuris; theologi enim qui censent Deum res in ipsâ earum futuritione cognoscere, hanc ei scientiam ideò tantum tribuunt, quia Deus est, et infinitam intelligentiam nihil latere potest quod verum sit: sed mens creata est finita. Ergo, etc. 2° Non potest in alio videri: neque in causis creatis, cum agatur de effectu libero, qui nulli causæ prædeterminatrici necessariò connexus est; neque in præscientiâ divinâ, alioquin Deus ad intelligentiæ suæ sacrarium creaturam admittit

teret, jamque desineret esse cognitio naturalis. Ergo 1^o multa sunt quæ nullo modo potest creatura præscire. 2^o Eorundem prædictio in casum fortuitum refundi non potest. Nam 1^o nemo sanus fortunæ tribuerit præsentem rerum ordinationem, quia probabilitates infinitæ, et propriæ dictæ certitudini æquivalentes, obstant, quominus orbis harmonia, vel uno durationis puncto, à casu fortuito exorta sit : atqui pariter contra futuriorem eventus prædicti sæpè militat probabilitas indefinita : cùm, v. g., non modò facti substantia, sed etiam variæ illius circumstantiæ arbitrariæ, temporis, locorum, personarumve, prænuntiantur ; cùm res prædicta à causis numero infinitis pendet, v. g., à determinationibus quamplurium hominum aut ignotorum aut nondùm natorum, quorum proinde tum existentia, tum indoles adhuc incerta est, et ipsa pendens ab aliis causis omninò liberis ; cùm multa ab aliquo prædicta sunt, quæ singula eveniunt ; cùm res prædicta non modò ita abscondita est, ut eam futuram nemo suspicetur, sed etiam ita vero absimilis, ut ei repugnent omnes quæ ex naturâ possent hauriri notiones : tunc enim unica datur combinatio, quæ prædictionem compleat, at infinitè multiplex quæ possit fallere. Ergo, etc. 2^o Inde sequeretur non posse Deum summæ suæ intelligentiæ, ac præscientiæ, dare exteriora signa, quæ essent extra dubitationis aleam posita, quippe quæ semper istâ fortuitæ prædictionis suspitione impugnari possent... Sequeretur inutilem et illusoriam fore propensionem, quæ, viso prophetiæ evento, nos ad prædictionem in Deum refundendam impellit ; atque adeò sentiendum esset contra moralem omnium hominum sensum unanimumque consensum, cujus tamen est in rebus ejusmodi summa auctoritas. Ergo, etc.

ASSERTIO II. — *Angelus aut dæmon potest esse causa efficiens prophetiæ improprie dictæ.*

Prob. Prophetia improprie dicta est prædictio effectuum, quorum cum naturalibus causis connexio certa est, sed remotior quàm ut ab humanâ mente possit intelligi : atqui multa sunt ejusmodi. Naturalis enim angelorum honorum, aut etiam malorum, tum intelligentiæ, tum experientia multa pervadit quæ nobis penitus occulta sunt. Et verò oculatus eventuum humanorum speculator rerum publicarum inexpectatam conversionem, ex genitum indole et nativo cupiditatum fœtu, præ-

auguratur ; tempestates et varia naturæ phænomena solers physicus præsentat, et peritus medicus morborum crises ac periodos : atqui quod, respectu nostri, non est nisi suspicio et conjectura, respectu angelorum potest esse probabilitas et scientia certitudini satis proxima ; adest enim ipsis experientia annosa, incessabilis et constans rerum investigatio, naturæ subtilitas quæ omnia penetrant, et possunt infinitis propè locis brevissimo temporis momento præsentem se sistere : atqui hæc, multa et facilia sunt rerum notitiam comparandi media. Ergo angelis supplet edendæ prophetiæ improprie dictæ materia sufficiens.

Annotemus tamen quòd, etiamsi ex iis cognitionibus dari possit prædictioni locus, ea tamen prædictio à certâ et infallibili præsentatione nunquam orietur, nisi Deus dederit. Nam 1^o liberæ mentis nostræ cogitationes, et quidquid ab eis pendet, in nullâ causâ naturali contiuentur, sed à solo voluntatis arbitrio, sine ullâ necessariâ antecessione, procedunt. 2^o Effectus ipsi naturales cognosci non possunt, scientiâ absolutâ et quæ sit ab omni prorsus conditione independens : nam, licet, v. g., terræ fertilitas aut improvisus tremitus habeant causas immediatè physicas, tamen ita contingentes sunt ut impediri possint, sive à Deo sine miraculo, sed speciali causarum naturalium directione ; sive ab hominibus ipsis, v. g., fructuum ubertas regionis devastatione, et terræ motus effossione subterraneâ. Ergo nunquam habent infallibiliter certam scientiam, sed à liberâ Dei, et quandoque hominum ipsorum, dispositione dependentem. Non tamen falluntur boni angeli, quia, nisi ipsis luceat specialis revelatio, à judicio absoluto se cohibent ; sæpè autem decipiuntur dæmones, quòd à sapientiâ divinâ se removeant, eamque nolint attendere.

SECTIO III. — *De auctoritate prophetiæ.*

ASSERTIO. — *Prophetia proprie dicta per se probandi vim habet, nec fieri potest in confirmationem erroris : item prophetia improprie dicta, si debitis vestiatur circumstantiis.*

Prob. prima pars : Nam ex dictis prophetia proprie dicta est miraculum primi generis, necessarium supremæ intelligentiæ argumentum ; habenda proinde ut loqueba Dei et voluntatis ejus sigillum exterius : atqui hinc sequitur pati non posse Deum eam falsitati favere, ut confectum est ubi de miraculis : ergo, etc. Et reipsâ certum est nos, viso pro-

phetiæ eventu, non minorem quàm viso miraculo admirationem et stuporem experiri, nec minorem ad credendum propensionem: eadem datur probabilitas Deum per prophetam ac per thaumaturgum loqui: existit eadem securitas, adeoque eadem obligatio ea quæ annuntiantur Dei mandata sectandi: tandem non majora sunt in uno quàm in altero casu erroris devitandi media. Ergo, etc. — Secunda pars satis sequitur ex jam dictis, tum eò loci, tum ubi de miraculis. Addere possumus omnium gentium fidem et consensionem.

Obj. 1^o: Probare non potest prophetia etiam propriè dicta, nisi constet eam à Deo ipso immediatè prodire: atqui nunquàm constare potest, etc. Nam minimè repugnat dæmonem, audientem futura quæ Dei instinctu verus Propheta (in Judæâ, v. g.) renuntiat, eadem alibi (Romæ scilicet) nomine suo et in erroris confirmationem tradere: quod reipsâ fieri testatur Tertull. in Apolog.: « Dispositiones etiam Dei et tunc Prophetis concionantibus exceperunt, et nunc locutionibus resonantibus carpunt; ita ut et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulentur divinitatem, et dum furantur divinationem. » Idem agnoscit etiam S. Aug. lib. de Divinat. dæmon.: « Dæmones de altitudine prophetiæ, quam Deus per sanctos operatur, aliquid audiunt et ut prænuntiant; et cum ea prædicunt quæ inde audiunt, non fallunt neque falluntur; et veracissima enim sunt et angelica, et prophetica oracula, » etc. Ergo, etc. 2^o Neque etiam hominibus constare potest, an ex dubiâ vel certâ cognitione loquatur Propheta; fieri enim potest dæmones id quod ex merâ conjecturâ assequuntur, ut omninò certum et indubiè futurum tradere; v. g., quæ ipsi aliquando facere sibi proponunt, quæ ex naturalibus signis prænoseunt, quæ ex conceptis exteriusque manifestatis hominum cogitationibus eos aliquando facturos augurantur, quæ ipsi peccatoribus suasuri sunt et ab ipsis patrandæ ex eorum moribus certò conjiciunt. Atqui, si in illis casibus prædictioni consonet eventus, videbitur adfuisse prophetia propriè dicta, quæ ex certâ et securâ futuri præensione oriatur. Ergo, etc.

Resp. 1^o generatim à principiis jam positissimè nunquàm esse discedendum: scilicet primò quòd repugnet Deum in iis rerum adjunctis constituti, in quibus non possit infinitam suam præscientiam certò manifestare (quod attributum, post omnipotentiam, alterum est, quo potissimè gloriatur, ac sese præ gentium nu-

minibus extollit): atqui tamen, si pati posset Deus assumptas hypotheses ad actum reduci, jam, etc., quandoquidem semper fieri posset objecta ratiocinatio, idemque dubium moveri. Deinde hinc vana et illusoria fieret propensio omnibus hominibus ad credendum prophetiis indita, siquidem proposita dubia semper darent sufficientem ei repugnandi causam, et semper impelleremur ad credendum, quin unquàm credendum esset. Præterea fictitias illas possibilitates vinceret semper probabilitas præcepti, quo ad credendum doctrinæ prophetiis confirmatæ teneremur; adeoque strictum esset, urgeretque præceptum errorem, si error esset, amplectendi. Tandem ultima omnium ratio est providentia Dei, quam si sustuleris, tota jam collabitur Religio.

Respond. 2^o ad primum: Non aliæ sunt subreptæ à dæmonibus prophetiæ, quàm quæ Messiæ adventum et idololatricæ oraculorumque destructionem pronuntiabant; hæc autem, ut ait S. August., « quasi prædicere voluerunt ne ignari victique putarentur. Quid ergo mirum, et pergit, si, jam imminente templorum aut simulacrorum eversione quam Prophetæ summi Dei tantò ante prædixerant, Serapis dæmon alieni cultorum suorum hoc de proximo prodidit, ut suam quasi divinitatem recedens vel fugiens commendaret?... Cur non etiam ipsos compertum prædicere sineret Deus, ut inde clariùs appareret eos hæc antea, vel minimè credidisse, vel suis cultoribus annuntiare timuisse? » Igitur quâ ætate totus orbis in expectatione Messiæ versabatur, quâ Judæi varias apud gentes deportati, suarum ibi prophetiarum famam sparsorant, dæmonibus permissum est nonnihil paulò ante eventum prædicere, quod quidem vix ut prophetia impropriè dicta tunc haberi posset. Deinde prædictiones istæ, futuri mox dæmonum exitii, ab ipsis dæmonibus editæ magis in ipsorum dædæus quàm laudem, in erroris revelationem quàm confirmationem, fuisse videntur; ut enim contra paganos arguebat adhuc S. Aug., « vel dii vestri eventum illum, ante tempus quo fuit à veris Prophetis, vel etiam à se ipsis, prædictus, ignorabant; et tunc non sunt veri dii: aut noverant, nec credebant; et adeoque fallebantur, iterùmque dii non sunt: aut credebant, sed revelare noluerunt, ne Prophetis, qui priùs nuntiaverant, auctoritatem adderent, cultum suum ipsi met disperderent et templa adoratoribus vacuarent; et tunc suam imbecillitatem,

« quæ tam adversos casus repellere non vale-
« ret, arguant. » Præterea quæ causa à tem-
pore discedendi, si veri dii sint? Numquid hu-
mano cultu, qui ordini necessariò conformis
est, potest Deus aliquando non delectari? Jam
verò ex eo quòd, ita permittente Deo, dæmon
aliquibus veris prophetiis abusus sit, cum nul-
lum esset deceptionis periculum, cum plurima
essent iis prædictionibus admixta quæ erro-
rem ab attentis et paululum cautis arcerent,
minimè sequitur idem aliis in circumstantiis à
Deo permittendum. Ergo, etc.

Ad secundum: Ex eo quòd de hæc vel illà
prædictione forsitan dubium sit an à Deo solo
oriatur, malè infertur nullam esse ejus divi-
nitas certò pronuntiari queat; quemadmodum
an pondus mille librarum homo possit attollere
est fortè dubitandi locus, non est an decem
mille possit. Itaque si forsitan, in ratione præ-
dictionis exclusivè Deo competentis, dubia sint
ea quæ in objectione recensentur, alia profe-
ctò sunt et plurima quæ dæmonum intelligen-
tià longè superiora esse certum est: et ea sunt
objecta quæ ad prophetiam propriè dictam
pertinent. Requiritur ergo factum, quod vel
in se, vel in aliquà circumstantià dæmon ne
quidem subodorari potuerit, cujus nulla detur
in naturà notio etiam conjecturalis; requiri-
mus rem diutissimè ante eventum prænuntiari;
pendere à circumstantiis planè arbitrariis, omni-
nò improbabilibus et numero penè infinitis;
eas circumstantias ipsas pendere à liberis Dei
aut creaturarum determinationibus; posse non
uno aut altero modo contingere, sed innume-
ras pati combinationes; et tamen eam præcisè
describi quæ obtinebit: in his et similibus con-
stituitur juxta nos prophetia propriè dicta,
quam vel ipso casu fortuito à dæmone proferri
posse omninò inficiamus. In exemplum esto
translatio imperiù Assyriorum ad Persas, ap-
pellato nominatim Cyro duce expeditionis, du-
centis annis antequàm nasceretur Cyrus.

Inst.: Quædam prophetiæ, licet temerè editæ,
quandòque causæ eventuum extiterunt; talis est
prophetia de altari erecto in Bethel à Jeroboamo,
quæ à Josià pio principe illius non ignaro
fuit impleta: idem sæpiùs factum indicant
Evangelistæ, his verbis: *Quod factum est ut ad-
impleretur quod dictum est per Prophetam, etc.*:
atqui hæc loquendi ratio indicio est rem fa-
ciendam non fuisse, nisi præxtisset prophe-
tia; factam tamen, ne prophetiæ desset even-
tus. Ergo, etc.

Resp. 1°: Esto forsitan hoc de uno aut altero

vaticinio dici possit, at certè, ad explicandam
omnes quæ infra referuntur à nobis prophetias,
ea ratio non valet: quot enim versantur circa
eventus gravissimi momenti, quos impleverunt
viri prophetarum omninò ignari, aut incogi-
tantes, aut etiam reluctantes! Quinimò vide-
mus ipsos prophetas aliquando vaticiniorum
suorum adimpletionem obstitisse: v. g., Jere-
mias, licet contra Sedeciam, urbem ac templum
tam dira vaticinatus, regi dedit hoc consilium:
*Si profectus exieris ad principes regis Babylonis,
vivet anima tua, et civitas hæc non succendetur
ignè; si autem non exieris, tradetur civitas.* 2° In-
ciatà Evangelistarum phrasi, particula *ut* mi-
nimè designat hominum prophetiam implere
volentium intentionem, sed providentiam omnia
ad fines suos ordinantem: numquid enim
cum à frangendis Christi cruribus abstinere
tortores, intendebant hoc implere vaticinium:
Os non comminuetis ex eo; aut Herodes inno-
centium cæde, istud: *Vox in Ramà audita est,
Rachel plorans filios suos?* etc.

Inst.: Apud gentiles extiterunt oracula quibus fu-
turi arcana pandebantur: atqui tamen falsa erat
ipsorum religio: ergo fieri possunt prophetiæ in
erroris confirmationem; adeòque nihil probant.

Respondeo 1°: Oracula in gratiam religionis
evidenter absurda edita sunt. 2° Non erant
nisi, vel rerum occultarum ac sensibilibus re-
velationes, quæ dæmonis scientiam non supe-
rant; vel incertæ futurorum, quæ probabiliter
conjecti poterant, prænuntiationes; vel specta-
rent eventus remotissimos, aut etiam non longè
dissitos, sed maximè implicatos, quales sunt
imperiorum vicissitudines, erant responsa am-
phibologica, et in utrumque eventum versatilia:
nulla igitur inter prophetias et oracula paritas.

Obj. 2°: Ut prophetiæ probandi vim habe-
rent, deberent clarum quid et determinatum
sonare: atqui non, etc. Præterea prophetia
attendì potest vel tempore promulgationis, vel
à promulgatione ad eventum, vel ipso eventus
tempore: porrò in primà epochà, cum obscura
sit, fatuorum et somniantium more loquitur
Propheta: in secundà sterilis est et inutilis: in
tertià pariter, siquidem, cum hucusque non
intellecta supponatur, unusquisque eam quovis
eventu completam esse jactitare poterit. Ergo,
etc.

Tandem ut aliquam sibi in me auctoritatem
vindicaret prophetia, inquit J.-J. Rousseau,
« oportuisset me fuisse prophetiæ auditorem,
« tum ipsius eventus spectatorem; ac tandem
« mihi evidenter demonstrari prophetiam non

« potuisse fortuito casu cum eventu consono-
nare. » Atqui tria hæc simul concurrere
impossibile est. Ergo, etc.

Resp. ad primum : Nego minorem ; falsum
est prophetias semper et in omnibus suis ad-
iunctis obscuras esse et indeterminatas : ad il-
las, v. g., attendatur quibus prænuntiantur
captivitatis Babylon. auctor, duratio, finis et
liberatio ; interitus Ninive et Tyri excidium ;
monarchiæ Assyriorum, Persarum et Græcorum
fata, etc. ; sanè in iis vel persona, vel
tempus, vel locus, vel plura ex iis simul per-
spicue determinantur, ac notoriam efficiunt
prophetiæ completionem, ubi contingit.

Ad secundum : 1º Propheta non tantum ver-
ba et voces profert, sed propositiones quarum
sensus, sin planè et perfectè comprehenditur,
obscurè saltem et quasi per caliginem videtur ;
imò plerumque inseritur incisum aliquod pec-
culiarem circumstantiam disertè enuntians :
ergo non amentium ore loquitur. 2º Prophe-
tia, quæ ad eventum usque remansisset, quoad
omnes circumstantias intellecta, posset nihilo-
minus non esse planè inutilis ; si nempe, ut
plerumque fit, Dei reverentiam ac timorem, si
bonitatis ejus et clementiæ sensum generaliter
saltem insinuat, sive faustum quid, sive infaus-
tum prænuntiet. 3º Licet non perspicue intel-
lecta, non idèò tamen foret ad omnes even-
tus versatilis : quippe dabitur eventus præter
omnem spem ac verisimilitudinem, quo enu-
cleabitur propheta hactenus non intelligibilis ;
de quo sit idem judicium, ac de ænigmate,
quod ignorantibus absurdum partibusque repu-
gnantibus constans, scienti autem facile et
apertum videtur.

Ad tertium : 1º Minimè necessarius est triplix
illius circumstantiæ concursus : nulla enim de
auctoritate prophetiæ dubitandi ratio superest,
si eventus longè ante meam ætatem prædicti
testis sim, modò vaticinium ipsum libris au-
thenticis, nec unquam interpolatis consignatum,
ad me devenit : vel, etiamsi nec prophe-
tiam audiverim, nec eventum viderim,
modò mihi constet indubiè tum de prophetiæ,
tum de facti, quo completur, existentia. Quin-
imò eò nobilior est et quasi divinius propheta,
quò antiquior et longiori intervallo ab eventu
dissita : etenim, si, quando apud Persas gen-
tem hactenus obscuram regnum auspicatus est
Cyrus, prædixisset aliquis fore ut Babylonem
urbem immensam et potentissimi imperii caput
expugnaret, Judæisque exulibus Palestinam re-
vovendi templique restaurandi potestatem face-

ret, is meritò vates habitus fuisset divinitus
allatus. atverò, si ducentis annis ante Cyri
nativitatem, non solùm eventus illi prænu-
ntiati et accuratè descripti fuerint, sed et Cyrus
suo omine appellatus, quid ejusmodi vaticinio
splendidius, quid luculentius ad proden-
dam vim divinam excogitari possit ? 2º Nega-
mus tria hæc simul reperiri non posse : pluri-
ma tum in veteri tum in novo Testamento va-
ticinia leguntur, quorum quidem, simul et
ipsorum eventus, iidem homines testes exite-
runt. Quot sunt quorum Moyses et Josue fue-
runt prophetæ simul et ministri ! Nulla ferè
patrabant miracula quæ prænuntiata non fo-
rent : alia passim exempla laudari possent. Et
in novo Testamento nonne in primis habemus
mortem, resurrectionem, ascensionem Christi,
ab eodem prænuntiatam Apostolis, et ab Apo-
stolis inspectam ? Quod additur (nullam esse
prophetiam cujus eventus in casum fortuitum
refundi non possit) et supra confutatum est,
et à sanà ratione prorsus alienum ; hinc enim
sequeretur omninò nihil excogitari posse, quod
aliquam sive in Deo, sive in homine, providen-
tiam demonstraret.

Ex jam disputatis satis evoluta, et probata,
manet quæstio juris, utrum scilicet Deus ho-
mines alloqui possit, eisque suam revelationem
per indubios facilesque characteres certò de-
monstrare. Quin etiam minimè incredibilis
effecta est existentia Religionis alicujus posi-
tivæ, quæ Religionem naturalem evolvet,
perficeret, aut etiam prætergrediretur. Itaque
via munita est ad explanationem quæstionis
facti, utrum Deus reipsà locutus sit ; utrum
aliquando, et quibusnam, facta fuerit Religio-
nis positivæ significatio. (Ex Theol. Rotom.
de ver. Relig. t. 1, p. 127 et seqq.)

§ 5. — DE RELIGIONE PRIMITIVA.

1º Non vacat eum illis disputare qui, religio-
nis omnis, etiam naturalis, hostes, ejus origi-
nem, alii ab ignorantia, alii à terrore, hi à cu-
piditatibus, illi ab arte politicà deducere conati
sunt, et mille incohærentia, sibi quæ invicem
adversa commentantur.

2º Neque multum laborabimus in refelendis
iis, qui censent primam omnium religionem
fuisse idololatriam et polytheismum, eò quòd
fingant genus humanum è naturæ manibus,
brutum ferè et nonnisi impeditis facultatibus
donatum, produisse, atque idèò nonnisi multo
rum seculorum tractu, et longo ratiociniorum
flexu, ad notionem unius supremi Numinis

assu gere potuisse. Nos autem, qui naturam (1) non novimus, benè verò auctorem naturæ sapientissimum, credimus ipsam homini ea dona, eas notiones primùm contulisse, quæ animum ad verum et rectum inclinarent; dicimus cum Tertull.: « In quantum falsum est corruptio veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum... » Assentimur philosophorum, historicorum, poetarum ipsorum auctoritati, qui fidem unius summi Numinis universorum conditoris ac rectoris, primigenium et generale dogma fuisse testantur, qui apud omnes gentes manifesta illius fidei vestigia exhibent; et, apud Græcos ac Romanos potissimos superstitionis auctores tempus assignant, quo Deum unum adorarent... Tandem censemus, nativâ hominis in depravationem propensione, idololatriam ac polytheismum facili debuisse ex ignorantia et cupiditatibus oriri; dum à contrario naturæ adversaretur, ut, solâ rationis auctoritate, ab errore, sensibus cupiditatibusque grato, fieret ad austeram veritatem regressus, ut facili patet ex paganorum in priscis superstitionibus pertinaciâ, non obstantibus Apostolorum prædicatione et miraculis.

5° Adversus naturalismi præcones, negamus religionem primorum gentis humanæ parentum fuisse *merè naturalem*; hoc utroque sensu, 1° quòd non alio quàm rationis auxilio sit hausta; 2° quòd non aliam quàm rationis doctrinam contineret. Nam hominum protoparentem eo instanti quo à Deo conditus est, soli suæ rationis imperio delictum fuisse nemo sanus crediderit: ratio enim est mera facultas, quam exercere nondùm noverat, cujus non poterat fieri nisi per exercitium conscius, et per quam lentissimè adrepisset ad verum; atque ita diù remansisset, aut religionis experts, aut falsæ addictus. Ergo oportuit ut Deus ipse rationem actuosam redderet, versùs objecta convenientia dirigeret; ut dum oculos admirabili naturæ spectaculo percelleret, primam ei tum conditoris, tum sui ipsius cognitionem infunderet, et amoris, gratitudinis ac reverentiæ sensus cordi ejus imprimeret: et proinde vel ab initio sese per internam revolutionem manifestaret. Et verò supra probatum est quàm utilis ac propè necessaria fuerit, ætate Moysis et Christi religionis etiam merè naturalis externa per

auctoritatem Dei revelantis promulgatio; atque ex allatis argumentis pleraque conficiunt non minùs opportunum fuisse, ad præcavendos errores, quàm ad eosdem reparandos, expressam revelationem; ergo, etc.

4° Neque interius tantum et organo rationis hominem Deus edocere dignatus est, sed etiam revelationem exteriorem concessit: existunt nimirùm annales antiquissimi, veraces, authentici; qui, cum res ab ipso fonte repetant, simul et religionis, et primarum familiarum, quæ orbem incoluerunt, historiam exhibent; atque in illis narratur, quâ familiaritè Deus hominem recens formatum alloqueretur et edoceret.

5° Hæc revelatio licet sensibilibus, nec scripta, nec, ut videtur, ulli exteriori monumento consignata est; ejus sine corruptelâ servandæ medium aliud non fuit, quàm oralis et domestica traditio, quæ religionis complexionem more hæreditatis paternæ à generatione ad generationem transferret; et jam, ab iis ipsis temporibus, elucebat divinæ Providentiæ consilium, religionem auctoritatis viâ, non scientificæ disquisitionis ope, propagandi. Primigenia hæc revelatio non alio attestationis medio indiguit, præter internam conscientiam actionis Dei mentem suâ revelatione allicientis, aut exterioris ejus locutionis sensationem. Si tamen prodigiis opus fuisset, homini nuper creato miraculum erat sui ipsius existentia, rerum omnium ordo visibilis; inò ordo ille quid admirabilius videri debuit ipsâ derogatione; prius enim fuit legum generalium constantiam experiri, quàm earumdem interruptione percelli.

6° Interea, cum impietate hominum vel incuriâ obscuraretur et sensim evanesceret vera religio, ipsi variis in circumstantiis succurrit Dei benignitas. Sic primùm Noemicam familiam, à communi generis humani naufragio ereptam, suis promissis consolatus est, etque et filiis præcepta legis naturalis expressâ voce denuntiavit. Tum elapsis quibusdam sæculis, famulatu suo et religionis observationi specialiter Abrahamum ejusque posteros addictos voluit, inito pacto quod solemnî ritu et jurejurando sanctum est.

7° Sicut alia quævis, hæc primæva religio parte duplici constabat, aliâ dogmaticâ, aliâ practicâ. Dogmatum omnium fundamentum erat, fides unius Dei, rerum omnium conditoris, ac supremi moderatoris; eam fidem, non contemptivo solum et jejuno documento, sed practicâ quâdam ac sensibili ratione, præsentem exhibebat recentis creationis memoria; quippe Dei à sanctipso ante tempora existentis assertas patet

(1) Etiam admissio eo quæ vocantur *naturæ statum*, cum hominis essentia animam cogitantem et rationalem complectatur, patet conditionem hominis naturalem fuisse ut cogitet et ratiocinetur.

ipso creationis actu; omnipotentiam et fecunditatem loquebatur vox quæ omnia produxerat è nihilo: liberam se ac supremam, tum suorum actuum, tum subjectæ materiæ dominam arguebat voluntas: vires non impetu cæco profundendo, sed deliberatè quando et quomodò luberet, exerendo: aquæ, terra, aer, jussa producere animalia et plantas absque solaribus radiis virentes, lumen ipsum sole et sideribus prius, nativam elementorum sterilitatem et casuarum secundarum à primâ causâ dependentiam demonstrabant. Ad hæc in formâ hominis ad imaginem ac similitudinem Dei plasmati eminebat ejus dignitas, atque super animantibus præstantia: *inspiratio spiraculi vitæ* in corpus limo confectum, animam significabat à corpore distinctam. Atverò, cum obcæcati homines et prædictorum documentorum obli-viosi, ex ordinis instituti stabilitate ipsum, et semper, et necessariò, extitisse sibi persuaderent, atque in siderum et elementorum adorationem proni impellerentur, Deus hunc, quem insanè venerantur, ordinem voluit aliquandù perturbatum, legesque hæcenus constantes abruptè, invecio universali diluvio: simul in homines reos animadvertens, ac apud superstites eorumque posteros sopitum suæ providentiæ sensum resuscitans immenso terribilis vindictæ monumento.

His porrò dogmatibus, ad ordinem naturalem spectantibus accedebant alia præstantiora et supra naturam posita; quæ attinerent 1^o ad statum perfectionis et felicitatis quem Adam primùm sortitus erat, et ad ejusdem lapsum, omniumque simul posterorum ruinam; 2^o ad generis humani reparationem, seu fœdus reconciliationis per mediatoris alicujus merita in-eundæ; 3^o ad conditiones hujus fœderis, nimirùm fidem in mediatorem illum habendam, agendam penitentiam, servandamque legibus divinis obedientiam. Hæc autem, licet non omnia explicatè, sed quædam paulò obscuriùs proposita sint (cùm divina Providentiâ propter altissimas rationes ea in plenitudine temporum apertiùs revelanda servaret), fuère tamen omni tempore summa veræ religionis; semper protoparentibus veniæ spes et expectatio affulsit, ex hæc sententiâ in serpentem prolata: *Tu insidiaberis calcaneo ejus, et ipsum (nempè semen (1) mulieris) conteret caput tuum.*

(1) In Vulgatâ nostrâ legitur: *Tu insidiaberis calcaneo ejus, et ipsa conteret caput tuum*; verùm juxta hebræum et samaritanum textum, juxta versiones Græcæ, Syriacæ, Ara-

Vel enim intellexerunt hæc verba de humani generis à potestate dæmonis, per serpentem significati, liberationem, et obtinendâ à Filio hominis in communem hostem victoriâ; vel solummodò, fore ut serpentes hominum calces dentibus invaderent et vicissim ut homines sæpè capita serpentium percererent; atque sensus ille, si solus sit, planè ineptus est, à supremi Numinis majestate et gravitate alienus, nihil sonans eventuum antecedentium granditate, clade nimirùm generis humani, et ordinis morâlis ac physici depravatione, dignum; nihil quod Adamo et Evæ nocentibus inter miseriarum ac mortis minas solatium aliquod posset afferre. Ergo, etc. Deinde verò successivè evoluta est ea mediatoris aliquando venturi promissio; potissimum autem his verbis ad Abrahamum prolatis, et *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; quæ etiam filiis ejus Isaac et Jacob redintegrata sunt atque confirmata, quoties pacti cum Abrahamo initi meminit, qui non dedignabatur dici *Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob.*

8^o Prædictis dogmatibus conjuncti erant religiosi ritus; quinam porrò fuerint, saltem omnes, definire non adeò promptum est. 1^o Tamen constat extitisse cultum externum quo se præ cæteris commendavit patriarcha Enos, qui Genes. c. 4, juxta vers. Vulgatarum, *cœpit invocare nomen Domini*; determinandò nimirùm colendi Numinis tempus, locum, caeremonias, munerum ei offerendorum speciem ac naturam. 2^o Fuisse definita quædam certaque tempora, speciatiim cultui Dei consecrata, demonstrat religiosa sabbati observantia: ubique gentium hebdomadarius dierum ordo servatur semperque viguit, et septima dies *sacra* habetur, profectò quòd Deus *benedixit diei septimo*, eumque sanctificaverit, c. 2 Genes. 3^o Inter primarios ritus cruenta sacrificia numerantur: ea porrò usurpata non sunt, solâ duce naturâ; nec enim mors belluæ, cum gratitudine propter beneficia percepta, vel expiatione peccati, ullam habet naturalem connexionem; nec unquam in vitâ civili ad placandos honorandosque dominos ac principes, ratio quid simile suggessit. Si autem non à præcepto naturæ, dicendum ergo quòd ab ipso Dei Instituto sacrificia duxerint originem,

bicam, paraphrasim Onkelos; postremum membrum reteritur, non ad mulierem, sed ad semen ejus seu filium; cæterum eodè redi-tâ intellecta nostra versio: *Ipsa, mulier, per semen suum conteret caput tuum.*

camque fuisse mundo coævam: demonstrant Abelis et Caini historię; demonstrat antiquitas universalitatisque consuetudinis, quā gens nulla unquam caruit. Inter ea porrō sacrificia, et exposita superiūs de peccatione et redemptione hominis dogmata, maxima latebat convenientia; neque aliud intelligitur fuisse Dei consilium, quam ut hæc istis significaret. Quippe mors homini peccatori debita transferbatur in victimam, quæ vicariā sorte peccatum expiare; cujus sanguis, utpote peccato obnoxius ideòque maledictus, polluebat quidquid contingeret, simulque piacularis erat et mundabat omnia (alias multò plures convenientias et significationes comprehendere licebit in variis sacrificiorum cæremoniis apud Leviticum descriptis, sed ista tunc satis erant ad primam adumbrationem). 4^o Dùm Noëmo et posteris ejus permissum est animalibus in cibum uti, simul etiam vetitum fuit sanguinem cum carne comedere, Gen. c. 9; cujus legis eadem ratio debet intelligi, quæ redditur apud Moysen, cùm renovata est, Lev. c. 7, v. 26; c. 17, v. 11: *Quia dedi illum (sanguinem) vobis ut super altare in eo expietis pro animalibus rectoris, et sanguis pro animalibus piaculo sit; quo sensu lex illa rursus erit redemptionis per sanguinem mediatoris habende prognosticon.* 5^o Abrahæ postea ejusque posteris imposita fuit circumcisionis obligatio: at ritus ille non omnibus, sed huic tantum familiæ institutus erat, in signum et argumentum pacti specialis quo Deus eam sibi conjunxerat, et in prælium alterius pacti solemnioris postea ineundi cum eadem prosapia, posteaquàm in gentem magnam crevisset. Quamobrem ritus ille non alios quàm Israelitas adstringebat.

9^o Hæc estigitur religionis forma, quam tenere omnes justis, sive ante, sive post diluivum; quam tenuit Abrahamus ipse, circumcisione superadditā; et post eum justis omnibus ab ejus fœdere exclusi, Melchisedech, Loth, Abimelech, Job, alique; ii quidem pauci, comparatè ad eos qui Dei penitus oblitii erant; at profectò non ita pauci, si numerus illorum in se et absolutè sumatur; quis enim dubitet, præter eos principes quorum pietatì suffragatur historia sacra, complures alios in inferioribus conditionibus extitisse religiosos Dei adoratores?

Ergo verum est quod ait Bossuetius, Hist. Univ. parte secundā variis locis: « Dieu créant le genre humain à son image, n'a jamais dédaigné de lui enseigner le moyen de le

« servir et de lui plaire.... Ainsi notre religion « est aussi ancienne que le monde.... Elle n'a « point d'autre auteur que celui qui a fondé « l'univers, qui, tenant tout en sa main, a pu « seul, et commencer, et conduire un dessein « où tous les siècles sont compris. » Ergo jam licet intueri religionis revelationem non esse, decurrentibus seculis, medios inter homines fortuito casu disjectam; non eventum à quolibet alio se junctum, sine consequentiā, sine consilio ex circumstantiis natum; sed esse factum; meliùs dixerim amplissimum quoddam SYSTEMA FACTORUM, secum invicem certā concatenatione nexorum, ab ipsā rerum origine deductum, simul cum cæteris Dei operibus sumens initium, et consiliorum Providentiæ in orbe condendo partem potissimam: uno verbo veritatis characteres omnes jam præ se ferre, *antiquitatem, universalitatem, unitatem.* (Theol. Rotom. de ver. Relig. t. 1, pag. 230, etc.)

Appendix.

De veracitate libri Geneseos.

Quæstio potissimum versatur circa ea quæ narrat Moyses in undecim prioribus capitibus Geneseos, in quibus describuntur creatio mundi, diluivum et hominum dispersio; cæceteris quippe factis quæ in posterioribus illius libri capitibus referuntur, nulla potest esse ratio Moysis veracitatem in dubium revocandi, cum ea faciliè potuerit cognoscere ex traditione suæ gentis.

Duo adversùs incredulos probanda aggredimur: 1^o generatim veracem fuisse Moysen in his quæ refert in libro Geneseos; 2^o speciatim ipsius veracitatem vindicabimus circa factum diluivii universalis.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera sunt quæcumque Moyses scripsit in libro Geneseos.

Prob. Scriptor ille verax dicendus est, qui 1^o non potuit velle decipere; 2^o qui omnia quæ refert certò potuit cognoscere, et 3^o cujus historia populorum omnium traditionibus confirmatur: atqui talis est Moyses circa ea quæ scripsit in libro Geneseos.

Et 1^o Moyses non potuit velle decipere. Deiste enim qui Moysen exhibent ut solertissimum impostorem, ei tribuere non possunt consilium quo nullum fuisset insanus; atqui hujusmodi fuisset Moysis consilium, si voluisset decipere circa ea quæ narrat de primæ

mundi ætatibus, cum hoc ipso sese exposuisset, et quidem gratulò, censuræ et contemptui omnium gentium. Primò Moyses, ea quæ narrat in libro Geneseos confingendo, ludibrio et contemptui omnium se exposuisset, tum Hebræorum, qui certè apprime noverant opinionem de creatione mundi, diluvio et dispersione hominum vigentem, sive apud Chaldaeos, à quibus originem ducebant per patrem suum Abraham, sive apud Ægyptios, quibuscum à longo tempore vixerant; tum cæterorum populorum, apud quos penitus deleta non fuerat priorum temporum traditio; ergo, etc. Secundò, et quidem gratulò; namque de iis quæ primæva tempora spectant dicere non tenebatur, aut, si quædam referre voluisset, poterat uti verbis generalioribus quæ nihil fixi determinando, nullam censuræ viam aperuissent. Præterea omnes characteres veracis historiæ in suâ narratione sibi vindicat Moyses; ergo 1^o non potuit velle decipere.

2^o Præter omnia quæ refert potuit cognoscere, primò *traditione orali*; quamvis enim ab Adamo usque ad Moysen circiter 2300 numerantur anni, pauci tamen inveniuntur intermedii testes, scilicet 200 annos et amplius cum Adamo vixit Mathusala; cum Mathusala, 600 annos Noe; cum Noe 450 Sem; cum Sem filio Noe diù vixerunt Abraham et Isaac; Isaac verò fuit avus Levi, qui ipse Moyses avus erat, et quem pluribus annis in terris degentem vidit Moyses, sicque ab Adamo usque ad Moysen quinque tantum numerantur generationes: porrò tam paucis intermediorum testium generationibus incorrupta potuit, facilè servari traditio, tum quia pauca et maximi momenti erant facta quæ in illâ continebantur; tum quia senes nativâ propensione sunt *laudatores temporis acti*, eventusque memorabiles ad filios et nepotes crebrâ narratione transmittere amant. Secundò, facta quæ narrat Moyses cognoscere potuit, sive memorialibus scriptis, ut docent multi, sive monumentis à primævis temporibus usitatissimis, qualia sunt hymni et cantici apud veteres frequentiores, ad servandam factorum memoriam, templa, statuæ et altaria quæ erigebantur, columnæ in quibus facta memorabilia, leges, consuetudines inscribebantur. Tandem ea haurire potuit Moyses ex mutuo quod tunc vigeat commercio inter varios orbis populos. Hinc concludere licet Moysen (qui in Ægyptiorum scientiis fuerat edoctus, et non longè à Chaldæis, et Assyriis vixerat), independenter à revelatione, ea quæ

refert ita cognoscere potuisse, ut major ipsi quàm cuilibet ex antiquis scriptoribus fides debeatur. (Vide hæc de re Jacquet, tom. 1, à cap. 4 usque ad 10, et *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, tom. 4, pag. 380.)

3^o Historia Moysis traditionibus omnium populorum confirmatur. Nam, ut hic de diluvio sileamus, de quo in sequenti propositione, in omnibus populorum annalibus deprehenduntur vestigia præcipuorum factorum quæ narrat Moyses. Primò de facto creationis ait D. Goguet: « Elle a régné dans toute l'antiquité, » etc.; *Origine des lois*, tom. 1, pag. 380; « C'est un fait attesté par la tradition de tous les peuples, » addit D. de Pouilly, *Mémoires de l'Académie*, tom. 6, pag. 91. Secundò, iis quæ refert Moyses de modo creationis apprime consentiunt veteres cosmogoniæ Phœniciorum, Ægyptiorum, Græcorum, Latinorum, de quibus lege Grotium, de Veritate Relig. christ., lib. 4, cap. 16. Tertio, creationis intra sex dies memoriam servatam apud omnes gentes ita testantur scriptores antiqui, et confirmant D. Bailly, *Hist. de l'Astronomie ancienne*, lib. 7, § 8, et D. Goguet, in opere jam citato, ut Diderot, tauto pressus ponderè, fateri coactus sit hæc traditione inconcussam demonstrari Moysis historiam. Quartò, de statu innocentie et lapsu protoparentum apud omnes gentes traditionem sic contrahit D. Goguet: « Tous les peuples déposent qu'originaiement l'homme a joui d'une innocence de mœurs et d'une félicité que depuis il n'a plus recouvrée, » operis citati tom. 1, pag. 369; cui consentit Voltairius: « La chute de l'homme dégénéré est le fondement de la Théologie de presque toutes les nations. » *Quest. sur l'Encyclopédie*. Quintò, inebriationis Noe cum omnibus suis adjunctis, nomen filiorum suorum Cham, Sham vel Sem, Japety aut Japhet, memoria servatur apud Indos, et longævitatatem primorum hominum tradunt scriptores antiqui, apud Josephum, lib. 1, c. 4 Antiq. Sextò, de turri Babel etiam meminere veterum traditiones, quas refert Grotius, oper. cit. not. 63, Septimò, Sodomorum incendium memorant Strabo, Tacitus, et alii relati à Grotio, oper. cit. not. 64. Uno verbo, ita narrationi Mosaicæ consentiunt populorum annales, ut eruditi plurimi ostendunt aggressi fuerint eorum antiquitates, et præcipuè mythologiam, nihil aliud esse quàm historiam Moysis adulteratam. Præter doctes. Huetium, *Demonst. evang. propos. 4*, et Gué-

rin du Rocher, *Histoire des temps fabuleux*, quos longius progressos fuisse opinantur multi, remittere sufficit ad Calculensium Academicos : « Ils ont trouvé dans l'Indes les premiers caractères de la mythologie, et ont remarqué d'ailleurs dans les livres des Brames, dans leurs liturgies, dans leurs monstrueuses divinités, des traits si ressemblants aux peonnages, aux faits dont a parlé Moïse, que ces copies grossières et altérées ne permettent pas de se méprendre sur leur modèle, et décèlent évidemment la source à laquelle on doit les rapporter. » Vide *Memorialia Academiae Calculensis*, cui titulus : *Recherches Asiaticques*, et D. de La Mennais, *Essai sur l'Indifférence*, tom. 4, cap. 29, et cap. 52, p. 173 et seqq.

Obj. 1^o : Moysis historia prævalere non potest annalibus omnium veterum populorum, nempe Chaldæorum, Assyriorum, Ægyptiorum, Indorum et Sincensium : atqui annales illorum populorum longè majorem mundi antiquitatem assignant quàm Moysis historia in libro Genesios consignata ; ergo verax non est Moyses in iis quæ narrat de mundi origine in libro Genesios. — Resp. : Nego maj. Moysis enim historiam annalibus populorum esse anteponendam constat, tum ex collatione illorum annalium cum historiâ Moysis, tum ex doctissimorum criticorum judicio. 1^o Quidem ex illorum annalium collatione cum Moysis historiâ ; omnia enim quæ in illâ referuntur circa mundi creationem, originem et dispersionem populorum, ita rationi consentiunt, ut nihil lucusque opponi poterit ; imò narrationem Mosaicam non satis demirari poterunt viri ingenio præcellentissimi ; in populorum verò annalibus nihil invenies nisi fabulas ridiculas deorum, et semideorum regna, intervalla factis vacua, fictorum regum successionem minime connexam. Deinde facta Mosaica notioris et obvisi traditionibus inniuntur ; testatur enim Moyses coram gente universâ, se nomen quinquæ generationibus ab origine mundi distare, recentem ostendit populorum originem, juxta notissimam suæ ætatis opinionem ; nihil verò in populorum annalibus nisi quædam historiæ deprehenduntur, aut nonnulla tantùm fragmenta valdè imperfecta scriptorum veterum, etiam non cœtaneorum, ad nos usque à Græcis transmissa qui, pro innato fabularum amore, ea adulterare poterunt. Imò illi scriptores nec

inter se, nec cum seipsis conveniunt. Postremò Moyses alius scriptoribus longè antiquior est ; Herodotas enim qui Pater historiæ appellatur, nonnisi 1100 annis post eum vivebat : ille verò qui priores suis gentibus tantam tribuere antiquitatem solum recentissimi ; probat enim D. Goguet, *Origine des lois*, tom. 1, diss. 2 et 3 eorum longiores calculos nonnisi ex vanâ gloriæ cupidine excogitatos fuisse, pro Chaldæis à Beroso, pro Ægyptiis à Manethone, qui scripsere 500 tantùm annis ante Christum. Id autem de perisique aliis dici potest : ergo 1^o, etc.

